This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Questo è il Secondo tomo
e 1:60 anteriore

E 143.

TAYLOR INSTITUTION.

BEQUEATHED

TO THE UNIVERSITY

BY

ROBERT FINCH, M. A.

OF BALLIOL COLLEGE.

14198 E 230

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

PETRI POIRET
DE
ERUDITIONE SOLIDA
SPECIALIORA,

TRIBUS TRACTATIBUS,

I. De EDUCATIONE LIBERORUM Chriſtiana;
II. IRENICO UNIVERSALI;
III. THEOLOGIÆ MYSTICÆ ejuſque AUCTORUM IDEA generali:


Cum ſuis contra varios DEFENSIONIBUS *partim denuo, partim recens excuſa.*



AMSTELÆDAMI,
Ex Officina WETSTENIANA. CIƆ IƆCC VII.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA



Digitized by Google

AD LECTORES,

De Contentis in hoc VOLUMINE.

UT quæ de ERUDITIONE Libris tribus in præcedenti Volumine exſtantibus conſignata ſunt, majori cum fructu prodire poſſent, requiri non ſine cauſa videbatur in iis ut oſtenderetur *ſpecialius* qui homines *ſolide erudiendi* eſſent, ſaltem quantum ad principia, in tribus vitæ ſtatibus ſive conditionibus quæ inter omnes ex præcipuis ſunt, 1. in ſtatu ſcilicet *infantiæ*; 2. in ſtatu *adultiori* quantum *ad cultum* externum parteſque ſive ſocietates *Religionis Chriſtianæ*, quarum alius has, alter alias, nec ſine externis interniſque turbis, contendit amplectendas; 3. in ſtatu denique *vitæ interioris*, pro iis qui rebus ſpiritalibus ſeſe addicere, potiſſimum immortalis animæ officium digniſſimamque omnium occupationem eſſe arbitrantur. Verum ut de iſtis ſpecialius illic agerem, non ferebat eorum Librorum tractationis modus generalior quem tunc mihi propoſueram.

Cum autem nunc temporis ii Libri denuo recuderentur, cogitavi, *ſpecialiora* illa deſiderata, & dudum a me ſeorſum emiſſa eſſe, & poſſe nunc, dictam ob cauſam, Libris DE ERUDITIONE præcedentibus, haud ſecus ac VOLUMEN aliquod eorum ALTERUM, appoſite ſubjungi.

Digitized by Google

Habes ergo hic, Lector benevole, Tractatus tres,
I. *de Liberorum Chriſtiana* EDUCATIONE.
II. IRENICUM *Univerſale*.
III. *Generaliorem* IDEAM tum *Theologiæ Myſticæ*, tum AUCTORUM *præcipuorum* qui de ea ſcripſerunt, eorumque CHARACTERUM, ut inter eos eligere poſſint quibus animus erit in divino hoc SOLIDÆ ERUDITIONIS genere, ſingularius erudiri.

De his moneo generalius, omnia eſſe à me denuo recognita, nec pauca in iis ſive emendata ſive etiam addita.

Specialius autem, præter ea quæ in *præfatione* uniuſcujuſque ſua ſunt dicta, obſervabis, & quidem *de Libello* EDUCATIONIS 1. omnia illic & *ſimplicia* eſſe, & debuiſſe eſſe, quippe ad captum teneræ ætatis erudiendæ accommodanda: 2. quæ *Eruditioni ad ſalutem* æternam adipiſcendam requiſitæ ſunt *neceſſaria*, illic ita contineri, ut ad ſalutem illa *ſufficiant*: 3. nulli ea *controverſiæ* inter Chriſtianos cordatos eſſe obnoxia: nam ſi quædam iis objectata fuere, ea livoris adverſus unum ex interpretibus eſſe ſolum argumenta, ſuis in locis videbitur.

De IRENICO obſervetur, omnia quæ illic, huc redire, hoc niti *principio*, quod Chriſtus ipſe ante omnia commendavit: omnes ſcilicet qui ſerio velint

Digitized by Google

ſint eſſe Chriſtiani, ſive Chriſti diſcipuli, debere ſe inter ſe amare, neque ſe invicem vel judicare, vel odio proſequi ob ea de quibus nondum inter eos convenit; ſed ſeſe mutuo tolerare: quod vero ſi faciant, enitendo uti & Deo placeant & proximis ſuis, Spiritum veritatis recepturi ſunt qui uniformi eos Eruditione ac illuminatione ſuâ, pleniorique Charitatis menſurâ, reddet concordes & unanimes: ſin minus, eo deſtituentur, & in tenebras indies majores, tandemque in perditionem lapſos ſe ſentient.

De MYSTICIS nulla præter *generaliora, ſalutaria*, ad cujuſvis captum *accommodata*, ſolida, ac etiam apud cordatos non *controverſa*, in medium adducere volui, infirmitatis meæ in primis conſcius. Specialia apud Auctores à me adductos quærentibus non difficile erit reperire, in quibuſcunque divinæ hujus *Eruditionis* partibus illa deſiderentur.

Iſtis ſive rebus ſive tractatibus, OPPOSITIONES factæ ſunt: *Primo* quidem *Tractatui*, inepte ſatis, & ex privato ſolummodo perſonæ odio, quibus reſponſa utiliora conatus ſum ut darem: *Alteri*, leviores, atque è cœco Sectæ zelo & præjudiciis tantùm oriundæ, in quibus cum præcipuè Auctor celebris ac recens cujus ſcripta *Chriſtianam Eruditionem ſolidiſſimam* continent, indignis modis traduceretur, ejus defenſioni aliquot ratus ſum deberi pagi-

 nas.

nas. *Tertio* Tractatui nemo equidem ſeſe directe oppoſuit: at rebus ipſis & *ſpiritualibus*, & *Myſticis*, earumque fundamento, *gratiæ Dei internæ*, inſtaurationis ac ſalutis noſtræ effectrici cauſæ, non ſemel contra obſtitit *Bibliothecæ Univerſalis* & *Parrhaſianorum* Auctor, quod eas tum in *Oeconomia*, tum in *Epiſtola* mea ad ipſum, adverſus Pelagiana ſua principia aſſerueram. Oppoſitiones ejus, aut potius falſa ac irriſiones, reſponſum etſi non merebantur, merebatur dignitas rei veritatiſque ab ipſo impetitæ ut vindicaretur & illuſtraretur, quippe qua in Chriſtianâ doctrinâ excellentior nulla detur, nulla magis neceſſaria exiſtat, uti ex EPISTOLA ad ipſum, Conſiderationibuſque in PARRHASIANAM ſuam *Cenſuram*, volumen hoc claudentibus, ſatis ſuperque patebit.

Obſervabit Lector innumeris pene oppoſitionum in locis ea mihi à multis objici atque imputari quæ tamen mea neutiquam ſunt. Diſcat hinc, quæſo, iis qui mihi adverſantur nullam habere fidem quando meam mentem ajunt ſe referre; niſi ipſemet eam plene ex illis quæ edidi intelligere dignetur. Miror vero cur ſe ita illi gerere geſtiant. Mea ſenſa refutare ſi velint, quare mihi imputant aliena? quamobrem referunt non mea?

Metuo ne hoc inde veniat, quòd mea, hoc eſt

quæ

quæ propono, ipſis non placeant, & quòd cupiant quoſlibet ab iis avocare: at cum videant ſe rationibus ſolidis ad hoc efficiendum deſtitui, ad fraudes iſtas coguntur recurrere, & pro meis deformata quædam & odioſa ſubſtituere.

Si quæ propoſui, ac tanquam præcipua & eſſentialia commendavi, ſi principia, ſi ſcopus, ſi media & procedendi methodus mala eſſent, aut ex iis mala poſſent re ipſa manare effecta, non mirarer iſtiuſmodi artificia haud ſecus ac pias quaſdam fraudes ab ingeniis exilibus bonarum alioqui mentium adhiberi ad ea proſcribenda. Nunc autem nihil præter Deum, ejuſque potentem ac ſanctam amabilitatem pro principiis & ſcopo omnium propoſui; pro mediis, ea quæ cum his nectuntur aut ad ea ducunt; pro methodo, deductionem omnium à Deo gradatim ad res ipſas, rerumque ipſarum regreſſionem gradatim ad ipſum uſque Deum potentem, ſanctum, amabilem. Qua in re ac methodo non tantùm nihil mali, nihil metuendi ineſſe video; ſed & omnem aliam methodum, omneſque rerum aut veritatum quarumcunque extra hunc ordinem tractationes, judico non parum inanitatis atque imperfectionis neceſſario habere; ne dicam malas ac noxias eſſe: non tantum quando omnia ex Deo non deducunt; ſed & maxime omnia ad eundem minime revocando.

Et

Et ſane, quemadmodum nemini qui tantillum ſapit, dubium eſſe poteſt quin ab uno Deo omnia quæ creata ſunt & quæ bona ſunt, procedant, ſive proxime, ſive per gradus cauſaſque medias, plures pauciorefve; ita quoque nulli incertum eſſe debet quin omnia ut bene ſe habeant, ut ſecum concordent, ſibique ſint inter ſe utilia & bona, debeant cum ſummo illo omnis bonitatis fonte connexionem ita ſervare, ut vel ab ultimis eorum terminis ac rivulis ad primam uſque originem, pateat ac vigeat regreſſus ſine interruptione aliqua continuus. Si inter nos & lucem quæ a Sole ad nos effunditur, recurſus per eandem viam verſus Solem impedimento quodam interrumpatur, in tenebris protinus verſabimur & confuſionibus, neque tunc poterunt non male geri & inutilia reddi quæcuncunque gerenda erunt. Si inter partes corporis vivificas internaſque, a quibus vita & vigor ad exteriores procedit, interque partes ipſas exteriores non datur circulatio continua, ſupervenit proculdubio morbus, membra illa quæ præcipuis vitæ originibus reſpondere deſinunt, occupans atque corrumpens. Idem & in negotio veritatis maxime locum habere agnoſcendum eſt. A prima veritate ac luce, Deo, infiniti veritatum radii vel rivi alii ex aliis in innumeros rivulos prodie-

Digitized by Google

dierunt, à quorum vel ultimis ac minimis quando non ſit ad primam originem receptus, obſcurantur illi, corrumpuntur, inutiles fiunt, imo inſalubres, atque etiam venenati & ſummopere noxii. quod utinam plus nimio non pateret per triſtiorem rei experientiam in illis qui hocce miſero ac deficiente modo veritatibus vel ſcrutandis, vel conſiderandis, operam ſuam impendere voluerunt, longe a Deo evaneſcentes, atque, ut cum Paulo loquar, eo ipſo ſtulti facti quo Sapientes ſive Philoſophi fieri arbitrabantur. Hoc vero incommodum ut evitarem, nonnulliſque idem evitandi darem occaſionem, conatus ſum in iis quæ ſcripſi & evulgavi, ut, quantum a me fieri poſſet, non diſcederem à Deo, ſive in deducendis ex eo fonte veritatibus, ſive ad eundem reducendis, eo ſcopo & conſilio, ut omnia ex illius divina radiatione & inſinuatione eſſent utilia, fructuoſa, & ſalutaria. Et id quidem eo libentius feci, quo magis animadverti hæc & ſimilia a non paucis eſſe vel omnino prætermiſſa, vel obiter tantum memorata, vel minus bene expoſita, denique minus liberata ab impedimentis nonnullis ac difficultatibus quæ non paucis, mihique olim etiam, diu remoram fecerant, & à quibus per alios expediri quæſiveram fruſtra.

Meum illud propoſitum non putavi, ob rei ipſius

Digitized by Google

ſubſtantiam, ob principii, ſcopi, modique tractationis bonitatem, ullis probis ingratum ac rejiciendum fore etiamſi in ejus executione nonnulla (quæ hominum ſors eſt) præter intentionem meam peccaviſſem, hoc eſt, quamvis e Summo Principio quædam particularia deduxiſſem, quæ tamen ex eo minime fluerent, aut quædam ad illum redeundi adhibuiſſem media in quibus mediis defectus nonnulli eſſent, aut quorum naturam minus vere explicaviſſem: hæc enim ob ſcopi & uſus bonitatem forent vel toleranda in ſpiritu charitatis, vel rationibus evidentioribus dedocenda in ſpiritu lenitatis Chriſtianæ; non autem protinus anathemate ferienda, venenata, horrida, infernalia, nefanda, & tetris neſcio quibus nominibus proclamanda, quemadmodum nuper de propoſitionibus nonnullis mere theoreticis ac ſaluti noſtræ nec eſſentialibus nec neceſſariis, ex Oeconomiæ libro primo, idque perperam plerumque, elicitis, fecit per *Theſes* quas vocat *Cyclicas*, (melius dixiſſet Cyclopias,) non nemo, qui in Academia Germaniæ non plane incelebri Cathedram (utinam non genium) illius occupat qui olim optimos piiſſimi J. Arndii *de Vero Chriſtianiſmo* libros calumniis ac maledictis opprimere conatus fuerat.

Tales ſane oportet pertinaciori veritatis odio deplorandum in modum occupari atque detineri, ſive quod

quòd decreverint, ac forte juraverint, ſe ab opinionibus ſuis priſtinis diſceſſuros eſſe nunquam; ſive quòd lucra honoreſve captent in muneribus aut officiis in quibus non tolerarentur quando veritati manus darent; ſive quod vitiis aliis ac tenebris corrupti, a veritate quæ eos intus pungit, foris manifeſtat, non poſſint non abhorrere. Lectores iſtiuſmodi nullos, immutari niſi voluerint, unquam optavero. Probos, pios, cordatos, liberæque a præjudiciis & partium affectu mentis lectores, cenſores, judices, nunquam refugiam; quin potius ab iis gratiſſimum erit doceri ubi ignoro, arguique & emendari ſicubi erravero ac cæſpitavero. Chriſtus vero Jeſus purificet tandem adſperſione ſanguinis ſui interiora noſtra, ut vaſa fiamus idonea recipiendo Spiritui promiſſionis ſuæ qui deducat nos in omnem veritatem, ad gloriam Patris, Filii & Spiritus Sancti, Dei Triunius à nobis & ab omnibus operibus ſuis nunc & in æternum benedicendi! Amen!

CONTENTA
HUJUS VOLUMINIS.

I. (1) De EDUCATIONE Liberorum Chriſtiana. pag. 1
(2) OPPOSITIONES variorum & Reſponſiones. 59
(3) Ad AUG. PFEIFFERI EPISTOLAM nuper Ultrajecti recuſam. 230
II. (4) IRENICUM Univerſale. 245
(5) Cenſura ejus, & Reſponſiones ad eam. 361
III. (6) Theologiæ MYSTICÆ IDEA generalior. 459
(7) EPISTOLA de principiis & Characteribus MYSTICORUM. 489
(8) CATALOGUS AUCTORUM Myſticorum, cum notis. 585
(9) EPISTOLA ad Auctorem *Bibliothecæ Univerſalis*. 605
(10) PARRHASII Cenſura, & CONSIDERATIONES in Cenſuram duplices. 679

DE

Digitized by Google

DE LIBERORUM EDUCATIONE LIBELLUS:

SIVE

PRINCIPIA SOLIDA

RELIGIONIS AC VITÆ CHRISTIANÆ,

Ad EDUCATIONEM Liberorum, omniumque adeo uſum accommodata.

Cum Reſponſionibus ad Oppoſitiones Variorum.

Digitized by Google

Eccles. XII. 1.

Memento Creatoris tui dum juvenis es, antequam veniant mala tempora, accedantque anni quibus te delectari neges.

AD

Digitized by Google

AD LECTORES
MONITUM.

RELIGIONIS CHRISTIANÆ, *& officiorum quæ præſcribit, ſoliditas ac ſubſtantia res eſt adeo ſimplex, adeo per ſe clara, quin & adeo conſpirans cum inſtinctu creaturæ tendentis ad veri ſui boni ſcopique propter quem creata eſt quæſitionem, ut ſtupendum ſit hominum tam paucos eſſe qui ſuos affectus ſeſeque ipſi ea potiſſimum occupent. Iſthæc procul dubio inde procedit calamitas, quod a teneris annis, in cor noſtrum, origine ſua aliàs corruptum, res permiſſæ ſint omnino ab illo diverſæ, res puſillæ quidem & ad parvulorum captum accommodatæ; ſed tamen res quæ cum* ex hoc mundo ſint, *reſpiciantque* concupiſcentiam oculorum, concupiſcentiam carnis & ſuperbiam *ac vanitatem* vitæ, *efficiunt ut cor eis primo occupatum atque repletum, eo ipſo neque locum habeat neque inclinationem ad* Amorem Patris *ſive ad Amorem Dei, qui Amor Chriſtianæ Religionis pars primaria eſt, & vero conſiſtere nequit cum amore mundi ac rerum quæ in mundo ſunt, quippe quas amare, Deumque ſimul amare, impoſſibile ſit, ſecundum illud Apoſtoli effatum,* Si quis diligit mundum, non eſt charitas, ſive amor, Patris in eo. 1 Joh. 2. 15.

Nec poteſt *etiam idem ille* Mundus, *aſſeverante Salvatore noſtro,* recipere Spiritum Veritatis, *qui ipſe veræ ac ſolidæ eſt notitiæ Religionis Chriſtianæ Spiritus. Adeoque quando Spiritus ille veritatis Mentes reperit & corda Spiritu Mundi primo occupata, & vanitati, cui affectus ſuos permiſerunt adapertæ eâque detenta, ecce, ille locum qui ſibi debetur, ab hoſte videns ſuo præoccupatum atque præreptum, à nobis abſcedere cogitur. Plena jam ſunt aliquo alio interiora noſtra. Ille foris duntaxat aliquem offendit locum, in exte-*

riori-

Digitized by Google

rioribus videlicet noſtris, quæ forte ipſi aliquantillum commodare vellemus: at ea dedignatur diviniſſimus hoſpes, relinquitque occupanda vel potius dealbanda Spiritui hypocriſeos vanæque & ſpecioſæ oſtentationis, ſpiritui item macro, ſterili, ac ſuperficiario vaniſſimæ activitatis Rationis humanæ corruptiſſimæ, qui vero ea egregie illinit ac conſpurcat tum ſuperficiariis aridiſque ſuis (a) Religionis Rationalis, Religionis *Dominorum ac* Dominarum *mundanarum, ſimilibuſque ſpecioſis ideis ad palatum hominum terreſtrium accommodatis, tum adulatoriis hujuſmodi perſuaſionibus, homines illos ſcilicet vere Chriſtianos fore, quando tranquille iſtis ſpeculationibus, iſtis ideis ac picturis ſuperficiariis indormient & acquieſcent, contenti juſtitia quadam ejuſdem naturæ, & tali probitate, à qua revera diſcedere non auderent niſi ſi vel honori ac famæ coram honeſtis hujus mundi viris vellent renuntiare.*

(a) *Libri Anglici, Gallice etiam redditi.*

Negari minime poteſt ab ullo hominum qui hac de re vel aliquam modo habet notitiam, quin id ipſum quod jamjam dictum eſt, generalis ille Chriſtianorum hujus ævi morbus ſit morbique origo. Utinam huic contagio remedium aliquod adferri poſſet & præſens, & quod mali ad radices primaſque ad illud inclinationes in infantiâ, pertingeret! Id vero non eſſet omnino impoſſibile quando Parentes ac ii quibus infantium EDUCATIO *commendata eſt, vellent ſe ipſi reddere idoneos qui illis ſolidam inſtillarent virtutem per viam ſive methodum aut principium cordis, facultatumque animæ intimarum, huicque officio omnem curam prout rei momentum exigit, impenderent. Jungeret procul dubio Deus, qui hominum corda vel a prima quærit ætate, gratiam operationeſque Spiritus ſui boni curis iſtiuſmodi ac laboribus, eò ſuſceptis, ut quàm primum fieri poſſet teneris animis documenta atque propenſiones Chriſtiana nomine digna inſinuarentur.*

Huic

Digitized by Google

Huic rei aliquatenus ut adjumento ſit, conſcriptus eſt ſequens Tractatulus, in quo data eſt opera ut Chriſtianæ Religionis ſubſtantia ſolidior eo contineretur modo qui & plenus ſit ſatis ad ſalutis æternæ conſecutionem, & ſatis etiam clarus ut poſſit infantibus proponi ac in eorum mentem introitum ſibi viamque facere, ſiquidem præter facilem Chriſtianarum veritatum expoſitionem, comparationes in eodem ſimilitudineſve adhibentur adeo planæ, adeo comprehenſibiles, ut res ipſæ vel eorum ad captum qui ſunt e ſimplicioribus, accommodatæ ſint, qui vero ut fidem ſuam Dei verbo ſuſtineant, paſſim in eo loca e Scripturis ſacris reperient id de quo agitur fulcientia, licet numero non adeo multa, ne libelli moles ea ratione nimium accreſceret.

Id autem Scriptoris votum eſt, ut qui Liberorum Chriſtiano modo educandorum officio adſtricti ſunt, omnem explicent animi contentionem quo a tenerioribus annis altius eorum animis defigant divinæ ac beatæ immortalitatis ſemen, cœleſtiſſimam, dico, ac ſupranaturalem RELIGIONEM CHRISTIANAM, *quæ, uti & ejus Auctor,* Spiritus eſt & vita; Veritatem *denique* ſicut eſt in JESU, *ut Pauli me verbis exprimam.*

Si Patres Matreſque familias, & omnes quibus Liberorum educatio commiſſa eſt, compertum haberent quanti momenti atque ponderis ea ſit provincia, minime dubito quin cetera illorum negotia, officia, commercia, artes, commoda curæque ea parandi atque tuendi, ipſis apparerent veluti prorſus nulla, aut meræ res nihili ſi ad hanc comparentur. Vel minima ex iis animula quarum cura ad illos pertinet tanti eſt pretii, ut ipſemet Dei Filius ſuæ eam vitæ ac pretioſo ſuo Sanguini antetulerit. Illorum nunc partes ſunt, uti vel Cœlo eaſdem educent, vel Orco; ac pro operis deinde mercede exſpectent æternam quidem beatitatem ſi eas educaverint bene; ſin vero ita ut in ſortem Diabolo ceſſerint, æternam miſeriam, quamvis ceteroquin parentes ac educatores vitam ipſi inculpatam inſtituiſſent. Prætereo temporarias irati

Digitized by Google

Numinis plagas eis qui ſuam in hiſce provinciam male adminiſtrarunt ſæpiſſime inflictas. Diſcimus e literis ſacris Principem Dei Sacerdotem Heli, ſanctum alias, cum filiis ſuis morte, populum publica ſtrage, Fœderis Arcam captivitate, univerſam ejus Sacerdotalem familiam excidio fuiſſe multatam, eam ſolummodo ob cauſam quod ſuos ille Liberos male educaſſet, ac in eorum prava indole comprimenda fuiſſet indulgentior. Metuendum eſt, ne calamitates quibus hodie obruitur Chriſtianus Orbis tanquam fluctu, originem ſuam primariam, ſuamque continuationem ac ſeriem, huic rei debeant potiſſimum, quando homines haud alia liberos ſuos educant ratione quam qua eoſdem genuerunt, hoc eſt, carnalis prorſus cupiditatis motu ac ductu, ubi tamen procedendum eſſet è Divini Amoris principio, quo ſolo impellente cuperemus ut aliæ præter nos ſuſcitarentur creaturæ quæ nobiſcum Excelſam Omnipotentis Dei Majeſtatem amarent, collaudarent eique æternum benedicerent. Verum ea de re, rara cogitatio, rara ſollicitudo! & revera perpauci ſunt admodum quibus ſerio propoſitum ſit formare mentes quæ hac in vita Chriſtiani nominis titulum ac partes perfecte impleant, ut poſtea Dei æternæque gloriæ fruitione, dignæ reperiantur.

Animadvertent ſatis Lectores ſua ſponte, veritatum, quæ hoc in Tractatu continentur, uſum non tam parvo coarctari ambitu quin in ſe conſideratæ æque provectioribus ætate competant, ſive ad emendandæ præteritæ educationis ſuæ errata, ſive ad totius vitæ ex earum præſcripto directionem, quam parvulis, primiſque hominum annis. Vel Chriſtus Dominus nomine parvulorum eos inſignit ſæpius, quos in ſocietatem aſſumit ſalvandorum ſine ulla ætatis diſtinctione: conceptiſque idem aſſeverat verbis, nobis, ut pateat in cæleſte Regnum ingreſſus, neceſſario incumbere parvulis uti ſimiles infantibus evadamus. ipſa etiam quæ a nobis in Euangelio exigitur perfectio adeo magna eſt, ut vix quiſquam reperiri poſſit, quantumlibet ſibi videatur

Digitized by Google

deatur provectus, quin ad eam ſi ſe comparet non ſibi adhuc veluti parvulus atque debilior ſit habendus. Quapropter ſperem nullius omnino offendi animum, PRINCIPIA ſi dixerim RELIGIONIS CHRISTIANÆ, hoc in libello ad uſum Educationis Liberorum ætatis tenellæ propoſita, non minus quantum ad ſubſtantiam ad quoſvis adultos pertinere, circumſtantiis duntaxat quibuſdam exceptis. Atque utinam ejus rei experimenta quilibet in ſe caperet per ſeriam ac continuam praxin veritatum jamjam legendarum, ſecundum quas optandum eſſet tum ut a teneris omnes educati fuiſſent, tum ut in poſterum formentur quamprimum & condocefiant infantium teneriores adhucdum anni, ad quævis ſuſcipienda ac retinenda facili tunc ratione flectendi.

Ceterum opuſculum hoc, quod ſæpius, (a) multis in locis, nec in una lingua prodiit non ſine approbatione probarum quarumvis mentium, nunc ab Auctore editur hic auctius atque antea, quippe ab eo recognitum ad exemplar Editionis noviſſimæ Gallicæ Amſtelodami modo (A. 1705) impreſſæ. Diviſit illud in ſex capita ſive ſectiones argumentis dicendorum appoſitis, inſeruitque paſſim breviores nonnullas adjectiones minime ad ſcopum inutiles. Rogatos autem vult omnes quorum forte animi per Relationes aliorum minus veras adverſus ipſum quod ad Religionem attinet, ſunt præoccupati, ejuſdem vero opera cetera non legerunt, uti velint hocce opuſculum intueri haud ſecus ac Epitomen in qua Fidei ac Religionis Chriſtianæ qua per Dei gratiam imbutus eſt, compendium breviter continetur. cujus quidem omnibus ſalutarem uſum peroptat & comprecatur. Rhinburg. prima die anni 1706.

(a) Amſtelod. Hamburg. Lipſiæ, Halæ, Colmar. Genev. Londini, Edinburg. &c. Gallice, Latine, Germanice, Belgice, Anglice.

P. P.

Digitized by Google

ORDO ET CONTENTA
Libelli de EDUCATIONE LIBERORUM.

OCcaſio & ratio libelli. *pag.* 9

SECTIO PRIMA.

Erratum commune quod omnium primo in Liberorum Educatione committitur. Generalia requiſita in ea inſtar fundamenti ponenda.

1. Erratum primum in educandis liberis, ceterorum fons. *ibid.*
2. Notitiæ educatoribus neceſſariæ. 10
3. Duæ. *ibid.*
De DEO.
4. Notitiæ de Deo neceſſariæ. *ib.*
5. Scripturis S. confirmandæ. 11
6. Exempla. (1) de Dei incomprehenſibilitate: & quid inde ſequatur. *ibid.*
7. De Dei bonitate, ejuſque ſequela. *ibid.*
8. De Dei potentia, & ejus conſequenti. *ibid.*
9. De ANIMA. 12
10. Animæ dignitas quæ ſit ex *fine* & ſcopo quo creata eſt. Eſt Domicilium Dei &c. *ibid.*
11. Animæ *facultates reales* quatuor præcipuæ. Earum cultura contineri omnia, docente id Chriſto. *ibid.*
12. Animæ *definitio* e facultatibus realibus & fine deſumta. 13
13. Felicitas, & via ad eam. *ibid.*
14. Miſeria, & via ad eam. *ibid.*
15. Omnia a realium facultatum regimine pendent. *ibid.*
16. Deo ſunt offerendæ uti ab eo regantur & objectis veris ac realibus impleantur. 14

SECTIO II.

De Cultura DESIDERII, *quæ prima eſt fa*[illegible]*ltatum animæ: & hac item occaſione de propria* abdicatione voluntatis, *de* humilitate *&* oratione *ad Deum ſive* precibus; *quæ fundamentalia ſunt Evangelii documenta.*

1. DESIDERIUM excitandum erga Deum ejuſque gratiam. Alias, anima mortua eſt, imo Diabolica. 14
2. Deſiderii uſus comparatione cum ſtomacho explicatur. 15
3. Deſiderii *Objectum*, Bonum ſive Deus & Dei voluntas. *ibid.*
4. Sequelæ ex hoc, circa *averſionem* deſiderii. (1) *Propriam voluntatem eſſe abdicandam.* Exemplum in Chriſto. *ibid.*
5. Frangenda in adultioribus deſideria propria: ſed cum moderatione. 16
6. (2) *Laudum deſiderium eſſe abdicandum.* *ibid.*
7. Humilitas janua Gratiæ. 17
8. (3) *Abundantiæ deſiderium abdicandum.* *ibid.*
9. Quam periculoſe infantes ad luxum illico trahantur. *ibid.*
10. Chriſtianiſmi & Antichriſtianiſmi principia practica. 18
11. Deſiderium a malo averſum ad DEUM convertendum. *ibid.*
12. Converſionis Deſiderii ad Deum ſpecies quatuor.
(1) Ad Deum *laudandum.* *ibid.*
13. (2) Ad ei *gratias agendas* pro beneficiis præſtitis, *ibid.*
14. & pro præſentibus *continuas.* 19
15. (3) ad *poſtulandum* ab eodem

vera

vera bona in futurum. 19
16. Precantes puri ſint a peccato. 20
17. (4) Ad eundem *deprecandum* pro peccatis. *ibid.*
18. Preces in quibus conſiſtant. *ib.*
19. Sine hiſce deſideriis preces nullæ ſunt. *ibid.*
20. Quid ſit precari *in Nomine* Jesu Christi. *ibid.*
21. Oſtenditur id directius. 21
22. Infantes aſſuefaciendi precibus jaculatoriis e quavis occaſione. *ib.*
23. Exempla harum quædam. *ib.*
24. Oratio Dominica, ejus contenta. Ea, nonnullæque aliæ commendantur. 22
25. Pſalmorum imprecationes, quibus non applicandæ, quibus applicandæ. *ibid.*
26. Eas adverſus Satanam tentantem uſui eſſe. 23
27. Infantibus e paternarum precum aſſiduitate, ingentiſſima accedit utilitas. *ibid.*
28. Cultura *deſiderii* neglecta cauſa eſt omnis in liberis mali, curata vero omnis boni. 24

Sectio III.

De cultura facultatis cognoſcendi, quæ altera eſt facultatum animæ: deque tribus ejuſdem ramulis, intellectu *nempe* puro *& paſſivo*, Ratione, *ſive intellectu activo*, *&* imaginatione *una cum* memoria. *Præmunitio adverſus Rationis Atheiſmum ac idololatriam ævi noſtri.*

1. Intellectus, facultas præcipua. *ibid.*
2. Scopus & objectum intellectus. *ibid.*
3. Mendacii atrocitas adverſatur Menti & ejus objecto. 25
4. Res vanæ ac inutiles indigna intellectus objecta. *ibid.*
5. Intellectus (generaliter ſumti) diviſio utilior. *ibid.*
6. (1) Intellectus noſter divinus a lapſu cœcus eſt ad res divinas, niſi Deo opitulante ſanetur. *ibid.*
7. Similitudine id explicatur. *ibid.*
8. Id inculcandum eſſe quam primum. 26
9. In rebus divinis incognitis Deo & ſuis credendum. *ibid.*
10. Principium fidei. Lumen fidei clarum & obſcurum quid? *ibid.*
11. Luminis fidei vis ac efficacia. 27
12. (2) Cavendum a Rationis ſeductione. *ibid.*
13. Similitudine oſtenditur *Rationis* impotentia ad formandos conceptus de Divinis. *ibid.*
14. Similitudine item oſtenditur ſterilitas idearum *Rationis*. *ibid.*
15. Remedium cito applicandum. 28
16. Principium contra ſeductionem Rationis. *ibid.*
17. Ab activitate in cultura intellectus magis abſtinendum, ad Deum plus recurrendum. *ibid.*
18. Qui Ratio in infantibus poſſit utiliter exerceri in ſpiritualibus. 29
19. In rebus externis. *ibid.*
20. In rebus moralibus. 30
21. Utilitas ſumma hujus exercitii. *ibid.*
22. Exemplum e ſacris. 31
23. (3) Imaginatio & memoria quam primum exercendæ. *ibid.*
24. Cautela contra malum quod inde ſequi poſſet. *ibid.*
25. Quænam mala hinc præcaveantur. *ibid.*

 26. Exer-

26. Exercitium imaginationis & memoriæ. ibid.
27. (1) In lectione Scripturæ. ibid.
28. (2) In Symbolo Apoſtolico. Hujus Epitome. 32
29. Tria in Symbolo præcipue obſervanda.
(1) *Principium* ejus generale. ib.
30. (2) De Chriſto ejuſque actionibus & perpeſſionibus. Principium & ſcopus illarum. 33
31. (3) De SS. TRINITATE in uno Deo credenda ob Dei teſtimonium. Similitudo & conceptuli ad captum præſentem ac imperfectum. ibid.
32. (4) Cognitionem rerum divinarum non a Ratione; ſed a Spiritu Dei produci deberi, ut ſit ſalutaris.
Exemplum in cognitione SS. Trinitatis. 34
33. Veræ cognitionis Patris, Filii & Spiritus S. criterium. ibid.
34. DEUM & SS. TRINITATEM verbis affirmari, re vero negari contingit ſæpius. 35
35. (3) Imaginatio & *memoria* emblematis & Scripturæ locis exercendæ. ibid.

SECTIO IV.

De cultura LÆTITIÆ. *Unde ea ſit retrahenda: in quibus vero poni & quî temperari debeat.*

1. Ad LÆTITIAM tendunt & infantes & omnium propenſiones, & hactenus quidem bene. ibid.
2. At male illam quærunt, & ponunt in objectis ineptis. 36
3. (1) Objecta a quibus lætitia eſt removenda, res mundi &c. ibid.
4. (2) Objecta in quibus lætitia eſt ponenda, Deus & Dei voluntas. ibid.
5. (1) Quî in DEO lætandum uti in *Patre* noſtro; 36
6. Uti in Deo æterno, incomprehenſibili, omnipotenti, omniſcio, ſapienti, juſto, bono, veraci, felici. ibid.
7. Uti in eo qui ſolus dignus deſiderari, noſci, magni fieri, amari, laudari &c. 37
8. Qui ex immenſa bonitate nobiſcum uniri voluit. ibid.
9. (2) Quî de Dei voluntate lætandum. ibid.
10. Cur de peccatis dolendum. ib.
11. Imo & de vanis laudibus.
Contemtionem eſſe lætitiæ objectum coram Dei veritate. ibid.
12. LÆTITIÆ erga objecta varia, uſus & abuſus, perſpicua ſimilitudine fiunt evidentes. 38
13. Circa lætitiam infantium obſervanda. 39
14. (1) Lætitia in donis ad Deum evehenda. ibid.
15. (2) Lætitia in rebus non provocanda, minime vero in vindicta. ib.
16. (3) Speciatim nec in argento. Uſus ejus iis oſtenditur. ibid.
17. DEUS ſcopus & finis facultatis lætandi. 40
18. Cautela adverſus abuſum lætitiæ in re ſalutis & gratiæ Dei. ibid.
19. Illuſtratur ſimilitudine theſauri. 41
20. (1) In theſauri ſecura poſſeſſione, quî lætandum. ibid.
21. (2) In poſſeſſione incœpta quæ poteſt amitti, lætandum cum timore. ibid.
22. (3) In theſauri amiſſione actuali, ſed cum ſpe novæ acquiſitionis ejus, lætandum cum mœrore & lacrymis. ibid.
23. Quibus vero omiſſis, ſola lætitia ſeductio eſt cordis cœci. 42

24. Hæcce

24. Hæcce ſapientia Dei eſſe moderanda. 42

SECTIO V.

De cultura FACULTATIS AGENDI *ſive exſequendi, quæ divino e motu principioque atque ad ſcopum cæleſtem dirigenda eſt, & quidem ſecundum Voluntatem Legemque Dei, cujus inculcatur epitome.*

1. Neceſſitas Regularum ACTIONES reſpicientium. 43
2. Canon ſive *lex fundamentalis* quantum ad Actiones, VOLUNTAS DEI. ibid.
3. Voluntatis noſtræ tria falſa agendi principia, *commodi*, *honoris & delectationis*, removenda per oppoſita tria, *charitatis*, *humilitatis*, *ac pœnitentiæ*. Chriſtianiſmi ſpiritus, quis. ibid.
4. VOLUNTAS DEI pro principio & fine ſummo aſſignat *Gloriam Dei*: pro medio *ſalutem* noſtram. 44
5. Gloria Dei, quî per actiones promoveatur. ibid.
6. Id ad omnes actiones ſine exceptione eſſe extendendum. ibid.
7. Exempla:
In ſumtione cibi cum *oratione* ante eam ad Deum ut in Nomine Dei & Chriſti edamus. 45
8. In locutione. Quî loquendum in nomine Chriſti. ibid.
9. In rebus ceteris; quî ad Dei gloriam & in nomine Chriſti ſingulæ faciendæ, ad Voluntatem Dei. ibid.
10. VOLUNTAS Dei *ſpecialior* in Decalogo. ibid.
11. Decalogi præceptorum ſenſus ſpiritualior breviter indicatur. ibid.
12. Qui ſpiritum Chriſti habent, in illis mandata Dei vivunt & obſervantur per eundem ſpiritum Chriſti, aſſerente id Scriptura Sacra. 47
13. Specialiora de Voluntate Dei e Scripturis & piis libris haurienda. *ib.*
14. Omnes Dei Leges ſalutares ad quatuor reducta. ibid.
15. Amabilitas ac veneratio Legum Dei infantibus quam primum & quam penitiſſime inculcandæ: idque ex Scripturis ipſis. 48
16. Memores quoque faciendi fœderis cum Deo in *Baptiſmo* initi: item ut ſe reddant *Communione* ſacra non indignos ſuo tempore. ibid.

SECTIO VI.

REGULÆ *quædam ſpecialiores, ad quas conformandos ſe habeant infantes. Opuſculi* CONCLUSIO.

Regulæ quædam infantibus potiſſimum inculcandæ.
1. Quemadmodum debeant ſe gerere reſpectu DEI. 49
2. Reſpectu *Parentum* ac ſuperiorum. 50
3. Reſpectu *Proximi* & æqualium. ibid.
4. Reſpectu *ſui*. ibid.
5. Quî erga eos lenitate vel ſeveritate utendum. 51
6. Bene agentes non tam laudandi, quam ad Deum laudandum inſtituendi, ne amor proprius & ſuperbia promoveantur. ibid.
7. Quid condonandum, itemque non condonandum in infantibus. ibid.
8. Infantes de ratione cur caſtigentur, inſtituendi ſunt. ibid.
9. Iſta ratio eorum captum non ſuperat. 52
10. Ab immoderatis coërcendi modis ſummopere cavendum; & cur. ibid.
11. Plura alia Educatoribus relinquun-

quuntur verbis & exemplis ſuis docenda. 52

12. Præcedentia nec impoſſibilia nec ridicula poſſunt videri niſi male educatis Amatoribus mundi, quibus crux Chriſti, ſtultitia eſt. 53

13. Male educantium maleque educatorum infelicitas noviſſima. *ibid.*

14. Aliorum autem æterna beatitas. *ibid.*

Chriſtiana e JOANNE RUSBROCHIO *Comprecatio ſuperius laudata.* 55

Alia brevior ex alio. 56

Ad JESUM æternum Patris VERBUM, DEUM carne noſtra indutum ut COR ſuum in nos transfunderet. *imitatum e Gallico Auctoris.* 57

OPPOSITIONES variorum contra Libellum de Educatione Liberorum, cum RESPONSIONIBUS ad eaſdem, earumque *indiculo.* 59. 63

PRIN-

Digitized by Google

PRINCIPIA RELIGIONIS VITÆQVE CHRISTIANÆ AD LIBERORVM EDVCATIONEM ACCOMMODATA.

ROgatus aliquoties nonnulla ut conſignarem literis de ratione ac modo quibus Liberi ſunt educandi, cor uti illis & animus, quantum poteſt, a teneris ad vera RELIGIONIS VITÆQUE CHRISTIANÆ PRINCIPIA ſolide informentur & imbuantur; in id nunc operam do propoſiturus obſervanda iis, quæ ipſimet omnium primi facere atque exſequi debeant quibus iſthoc pacto infantes inſtituere conſilium eſt: quo bonas animi, quas illis apprecantur conſtitutiones, ſuo quiſque e fundo in teneras mentes derivare poſſint, prudentem imitantes nutricum quarumdam ſolertiam, quæ ſumunt & adhibent ipſæ remedia, inque ſuccum convertunt & ſanguinem, ſuis dein cum alumnis nutricante & tutiſſimo plane modo communicanda. *Occaſio & ratio libelli.*

Quæ autem hocce de argumento dicere habeam, in univerſum in ſex redigam Sectiones. Quarum prima generalium conſtabit expoſitione: quinque vero ceteræ ad ſpecialiora magis deſcendent.

SECTIO I.

Erratum commune quod omnium primo in Liberorum Educatione committitur. Generaliora requiſita in eâ inſtar fundamenti ponenda.

1. Erratum quod in inſtituendis liberis communiter mihi videtur committi omnium præcipuum, & veluti πρῶτον ψεῦδος, in *1. Erratum primum in*

 hoc

educandis liberis, ceterorum fons. hoc pono, quod illico de ingenio ſeu intellectu ſolum, non autem de animo ſive de corde in iis excolendo curam habeant, præterquam quod hinc forte non nulla urbanitatis cujuſdam civilis præcepta inſinuent. Et ingenium quidem ſeu intellectum quod ſpectat, quem in liberis quidem excitare cupiunt ac expergefacere prius quam animum, ſive cor; (quæ ultima vox nobis fere deinceps in uſu erit,) pleriſque ſatis videtur, ſi ſuis notitias duntaxat aliquot eo modo ingeſſerint unde plerumque pſittacis fiant ſimiliores, quam hominibus intellectu præditis. Memoriam eorum onerant præſcriptis neſcio quot quæſtiunculis ac reſponſiunculis, quas ſi verbo tenus illi pronunciare ſciant, tametſi mente minime perceptas, jam penſum abſolverint debitum, jam laudibus non paucis fuerint proſequendi, ut qui per pronunciationem ſuam iſtam optime officiis erga Deum ſacris ſint perfuncti. Atque hoc quidem modo ab infantia condiſcimus, Deum & (a) *ore accedere, & labiis honorare, dum interius cor ab eo procul abeſt*; veluti is ipſe per Prophetam ſuum conqueritur.

(a) Iſa. 29: 13.

2. *Notitia Educatoribus neceſſaria.* 2. In primis autem id hoc in negotio eſſet peroptandum, ut omnes, quibus Chriſtiana e doctrina educandorum liberorum incumbit cura, ſolidiorem aliquam ac fundamentalem prius haberent cognitionem tum, Dei O. M. tum ſui ipſorum, animam præcipue quod attinet, & quæ animæ ſunt: atque id quidem eum in finem, ut ſciant inde, quid potiſſimum liberis ſit ingerendum, quid præcipue in eis excolendum.

3. *Duæ.* 3. Sunt vero inter fundamentales hujuſmodi notitias, liberorum educatoribus ſcitu pernecesſarias, connumerandæ, niſi admodum fallar, ſubſequentes.

De Deo. 4. *Notitiæ de Deo neceſſariæ.* 4. (I.) Et quidem primum de Deo; Eum eſſe ens, ſive ſpiritum *æternum*, initio ac fine carentem; *incomprehenſibilem* ac inviſibilem; *bonum*, omniſque boni cauſam; *potentem*, ſic ut quicquid velit id exequatur; *ſapientem*, rerum cunctarum conſcium, ac expeditum & providum omnium ordinatorem; *felicem*, divinis omnino abundantem gaudiis; omnium quæ condidit, hominum in primis, *amatorem*, quorum quotquot divinæ ejus voluntati parebunt, ſit felices æternum ac lætos redditurus, ceteros vero ſuis vacuos bonis, atque adeo miſeros relicturus; *juſtum*, unicuique pro ſua vivendi ratione æquum tribuen-

[sci]entem; in promiſſis juxta ac comminationibus *veracem*; denique & *miſericordem*, mala iis condonantem qui a male agendo deſiſtunt, praveque antehac commiſſorum veniam ab eo ex amore animique humilitate deprecantur.

5. Circa unumquemque ex iſtis articulis loca quædam S. Scripturæ liberis eſſent proponenda, quæ memoriæ ſuæ mandarent, ſimulque eis applicatio illorum nonnulla pro eorum captu exhiberi poſſet. Sint pro exemplo ſequentia. 5. *Scripturis S. confirmandæ.*

6. De Deo ut *incomprehenſibili* atque *inviſibili* dicit Joannes; (a) *Deum nemo vidit* (ſive comprehendit) *unquam. Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, is expoſuit* (ſive ejus cognitionem dedit.) Et Christus: (b) *Nemo Filium novit niſi Pater; neque Patrem quiſquam novit niſi Filius, & cui voluerit Filius patefacere.* Quibus e locis id mature & quoad fieri poteſt, teneris animis eſt inculcandum; quicquid legamus, quicquid audiamus, in cœtu aut extra cœtum; quantumcunque ſtudeamus, meditemur, ratiocinemur, omnes actus illos noſtros ac induſtriam non poſſe ex ſe ipſis vel minimam veræ vivæque notitiæ Dei ejuſque myſteriorum ſcintillulam nobis ingenerare: Id ab uno Deo præſtari poſſe, dum ille Spiritum ſuum bonum, gratiam, lucemque divinam cordibus eorum eſt inſinuaturus qui inſtanter id ab eo petent, qui demiſſo erunt animo, quique divinæ ejus voluntati, quantum quidem eam habebunt perſpectam, obſequi conniſentur. 6. *Exempla.* (1) *De Dei incomprehenſibilitate: & quid inde ſequatur.* (a) Joh. 1: 18. (b) Matth. 11: 27.

7. De *bonitate* Dei, ita Christus: (c) *Nemo præter ſolum Deum bonus eſt.* Inſtillent hinc mentibus teneris: Quicquid uſquam boni eſt in cœlis & in terris, in homine & extra hominem, a ſolo manare Deo; ſolique proinde laudes ideo dicendas eſſe: quæcunque ſine eo, ſine ejus gratia, ſine ejus auxilio, agimus, cogitamus, dicimus, ea omnia proculdubio mala eſſe: hominem denique, qui Deo careat, nullum quidem poſſidere bonum verum, immenſe vero miſerum eſſe & egenum. 7. (2) *De Dei Bonitate, ejuſque ſequela.* (c) Luc. 18: 19.

8. De Dei *Potentia* ſic Paulus: (d) *Scio cui crediderim: & perſuaſum habeo, eum poſſe meum depoſitum cuſtodire ad illam diem.* Ex quo loco doceantur, nos (per peccatum tantopere corruptos atque perditos) a nullo in priorem integrumque ſtatum poſſe inſtaurari, niſi a ſolo Omnipotente Deo; cui quidem ſi animam noſtram, ſi vitam, ſi regimen totum concrediderimus atque tra- 8. (3) *De Dei Potentia, & ejus conſequenti.* (d) 1 Tim. 1: 12.

Digitized by Google

diderimus, ut de iis pro lubitu ſuo faciat; ille potentia ſuâ contra id omne quod bono noſtro adverſum eſt, nos *cuſtodire*, ille nos reparare, & ab omni periculo liberare, denique *die poſtrema* animas noſtras, corporaque, & quicquid ejus regimini atque curæ velut *depoſitum concrediderimus*, in ſtatum perfectum, ſalutarem, glorioſumque reſtituere *poterit* & faciet.

Ejuſdem generis breviores ſive explicationes, ſive obſervationes inſtitui poſſent quod ad cetera quoque, quæ commemoravimus Dei attributa, delectis ad eam rem convenientiſſimis Scripturarum locis, quas quidem eorum curæ committemus, qui liberis inſtituendis præſunt.

9. De ANIMA.

9. (II) Porro, de ANIMA noſtra notitias ſubnexas tanquam e præcipuis maxime momentoſas, ac ad propoſitum noſtrum maxime idoneas, teneamus neceſſe eſt.

10. *Animæ dignitas, quæ ſit, ex fine & ſcopo quo creata eſt. Eſt domicilium Dei &c.* (a) Vid. Joh. 14. Apoc. 3. Gal. 2. Epheſ. 3. 1 Cor. 6. Hebr. 3. Rom. 8. &c.

10. Animam habemus immortalem ac inviſibilem, eo conſilio ac fine a Deo creatam, ut ipſemet in eam veniat, in eaque maneat, quo eandem ipſius per ſe præſens, qui omnis boni fons eſt, bonam efficiat, potentemque ad facienda quæcunque bona ſunt; tum ſapientem ac virtutibus ornatam, juſtam, veracem, amore charitateque abundantem, beatamque denique ac lætam ſui totius communicatione & habitatione in ea æterna, ceu ſacræ huic rei fidem faciunt Literæ: (a) *Siquis me amat*, dicit Chriſtus, *& ſermoni meo parebit, Pater & ego in eum veniemus, inque eo manebimus... Pro foribus adſto atque pulſo: Si quis mihi januam aperuerit, ingrediar ad eum.* Paulus vero, *vivit in me Chriſtus: Habitat*, inquit idem Chriſtianis, *in cordibus veſtris Chriſtus. Vos eſtis Domus Dei, Templum Dei, Templum Spiritus Sancti. Spiritus Dei habitat in vobis, & æternum in vobis manebit.* Atque hic quidem noſtræ creationis ſcopus eſt ac finis.

11. *Animæ* facultates reales, *quatuor præcipuæ. Earum cultura continere omnia, docente id Chriſto:*

11. Eadem quoque de cauſa tres quatuorve capacitates, facultateſve præcipuas & reales, animæ noſtræ impertitus eſt Deus, quibus rite excolendis ac legitime dirigendis, omni cura noſtrâ invigilandum eſt: hinc enim animarum ſors pendet ſempiterna, ſive beata illa, ſeu infelix futura ſit.

I. Harum capacitatum ſive facultatum prima eſt potentia *deſiderandi*, ſive volendi.

II. Altera eſt, facultas *cognoſcendi* ſive intelligendi.

III. Ter-

III. Tertia eſt, facultas *lætandi* ac gaudendi, ſive in fruendo bono acquieſcendi.

IV. Quarta denique eſt facultas *exequendi* foriſque operandi ea, quæ nobis placita fuerunt.

Haſce facultates Sacra Scriptura & recenſet omnes quatuor, ipſo etiam eodem ordine; & docet omnia quæ ab hominibus exigit Deus, & quæ eos ad regnum Dei, ſive ad vitam æternam ducunt, earum cultura, uſuque ad Deum relato, contineri. Locus eſt *Marc.* 12. *verſ.* 32. 33. ubi Doctor legis repetens Mandatorum Dei ſummarium, quod Chriſtus oſtenderat, *ait illi: Bene, Magiſter, in veritate dixiſti quia unus eſt Deus & ut diligatur,* (1) *ex toto* CORDE, (2) *ex toto* INTELLECTU, (3) *& ex* TOTA ANIMA (anima plene & *læte* in eo acquieſcenti,) *&* (4) *ex tota* FORTITUDINE, (ex facultate fortiter operandi & exſequendi,) *& diligere* (ex hocce principio) *proximum tanquam ſeipſum, majus eſt omnibus holocautomatibus & Sacrificiis.* JESUS *autem videns quod* SAPIENTER *reſpondiſſet, dixit illi; non es longe a* REGNO DEI.

12. Quæ quidem facultates ſive proprietates omnes animabus noſtris ſunt ita intimæ, ita ab iis indivulſæ, ut ipſam earum naturam conſtituere videantur, ſic ut dicere poſſimus, *Animam,* pro naturæ ſuæ conſtitutione, *rem eſſe* IMMORTALEM *quæ verum bonum deſideret* COGNOSCERE, *eoque* GAUDERE, *ut inde* VITAM *ſuam ac* OPERATIONES *regat ad Dei gloriam æternamque ſui ipſius ſalutem,* quæ conſummatiſſima Dei in ea habitatione abſolvitur.

12. *Animæ* definitio *è facultatibus realibus & fine deſumta.*

13. Anima cum verum bonum *deſiderat,* id *cognoſcit,* eo *gaudet,* ſuaſque ex eo regit *actiones* ac operationes; tum vere FELIX eſt atque beata, aut certè in tuta verſatur *via ad ſalutem* ac ſummam æternamque beatitatem. (*a*) *Hæc ſi cognoveritis, eaque feceritis, eritis beati,* inquit Chriſtus.

13. *Felicitas, & via ad eam.*

(*a*) Joh. 13: 17.

14. Sin autem ea ejus quod vere bonum eſt *deſiderio* careat, ejuſdemque *cognitione, fruitione* ac *praxi* deſtituta ſit; tunc revera immenſum *miſera* eſt, ac in via ad *interitum ſempiternum* collocata.

14. *Miſeria, & via ad eam.*

15. Unde adeo patet, quicquid animam æternum ſpectat, id omne ab harumce quatuor Facultatum realium regimine pendere. Hoc itaque opus ac labor, hoc unum ac ſerium iſtis in

15. *Omnia à realium facultatum re-*

Digitized by Google

gimine pendent. in terris noſtrum eſt negotium, iſta uti bene moderemur. Maneat igitur in alta mente repoſitum, quippe cujus conſecutiones æternum ſint duraturæ, momentique ſint prorſus infiniti.

16. *Deo ſunt offerenda ut ab eo regantur & objectis veris ac realibus impleantur.* (*a*) Joh. 15: 16.

16. Cum vero per peccatum ſimus omnes depravati, Deuſque præterea ſit una omnis boni cauſa, ſic agamus oportet, ut animis noſtris illabatur Deus, qui malo nos liberet, qui deſiderium, intellectum, lætitiam, praxinque noſtram adjuvet ac moderetur: alias enim, nos ſine ipſo nil unquam recte faciemus: (*a*) *Sine me*, inquit Chriſtus, *nihil vos facere poteſtis.*

Sectio II.

De cultura deſiderii, *quæ prima eſt facultatum animæ: & hac item occaſione de propria* abdicatione voluntatis, *de* humilitate *&* oratione *ad Deum*, *ſive* precibus; *quæ fundamentalia ſunt Euangelii documenta.*

1. *Desiderium excitandum erga Deum ejuſque gratiam. Alias, anima mortua eſt, imo Diabolica.*

1. Janua per quam Deus ad nos cum ſanctiſſima gratia ſua ingreditur, animæ *deſiderium* eſt, quod *Cor* atque *Voluntas* alio nomine dicitur, & a nobis omnium quod primum exigit Deus, quando cuilibet per ſapientiam divinam ſuam dicit: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* Atque hoc ipſum vitæ animarum ſpiritalis primarium eſt principium, punctumque ſaliens, ut ſic dicam: quapropter id quoque primo omnium in infantibus perpetuoque erit excitandum, fovendum, atque excolendum. Hoc fundamento bene poſito, cetera ſponte ſua ſubſequentur omnia, & quidem facillime: cum contra, quamdiu anima, quæ quidem hujus facultatis liberum jam habeat uſum, ſine voluntate permanebit bonâ, bonoque deſiderio & corde deſtituta erit, hoc eſt, quamdiu illa in receſſu intimo ſeria atque ſincera erga Deum, ergaque ejus gratiam non habebit deſideria, tamdiu coram ipſo vere mortua erit; neque Deo vivere poterit in æternum, ſi eo in ſtatu e ſuo corpore diſceſſerit. Sine divino hocce deſiderio omnes cujuſcunque generis notitiæ, preces, exercitia, & maxima quæque naturæ, nativitatis, educationis dona ac emolumenta, nil aliud efficient quam quod animam coram Deo indies pejorem, Dæmonibus familiorem, & æque cum iis impiam, maledictam ac ærumnoſam ſint reddituræ.

2. De-

2. Deſiderii uſus, ejuſque erga animam vis ac momentum, tenellæ ætati comparatione, ad ejus captum accommodata, explicari poteſt, nimirum ſi ei repræſentemus, deſiderium id eſſe ad animam, quod eſt os vel ſtomachus reſpectu corporis. Proinde, quemadmodum corpus per os perque ſtomachum, ſua recipit alimenta, quibus quidem, ſi ſalubria ſint, enutritur atque ſuſtentatur; ſin maligna aut venenoſa, infirmatur atque interimitur: eodem quoque modo anima per deſiderium admittit id quo vel ſuſtentatur, vel debilitatur, & ſpiritaliter etiam enecatur, pro diverſa ejus quod deſiderat natura. Quapropter, uti ad vitam corpoream conſervandam apprime curandum eſt, ut nihil mali nihilque ſanitati noxium ori ingeratur atque ſtomacho; ſic etiam ſummopere cavendum, ne quicquam, præter ſola bona & ſalutaria, deſiderio complectamur, ſiquidem ſpiritali vita, quæ una decet animam, vivere cupiamus. Animæ namque vita omnino erit ejus generis atque indolis, ſua cujus ſunt deſideria, reſque quas in deſideriis illis admittit. Quocirca uniuſcujuſque fuerit naviter ſecundùm verum hoc verbum animadvertere, qua ratione animam ſuam alat & nutriat, quæque ſit earum rerum natura, quibus locum in deſideriis ſuis concedat (a) *Omni cuſtodia*, ait Salomon, *ſerva cor tuum, quia ex ipſo procedit vita.* — *2. Deſiderii uſus comparatione cum ſtomacho explicatur.* — (a) Prov. 4: 23.

3. Potentia ſeu facultas DESIDERANDI, facta eſt pro eo quod BONUM eſt, hoc eſt, pro DEO, qui ſolus, inquit Salvator, eſt bonus, proque divina ſua *voluntate*, quæ una omnis boni ſcaturigo eſt. Ea ergo eſt cauſa, cur præter Deum, atque id quod cum ſancto ipſius deſiderio divinaque voluntate concordat, nihil omnino deſiderandum ſit; ac proinde deſiderium noſtrum ab omni alia re ſit avertendum: ſiquidem præter Deum ejuſque voluntatem, cetera omnia ſint mala. — *3. Deſiderii Objectum, Bonum, ſive Deus & Dei voluntas.*

4. Hinc conſequitur, — *4. Sequela ex hoc, circa averſionem Deſiderii.*

(I.) Hominum neminem debere voluntatem propriam pro deſiderii ſui objecto habere, neque propria ſua fovere deſideria, quippe quæ omnia mala ſint, vitiata ſint omnia, omniſque mali ipſa origo: prout e contrario, ſolum deſiderium unaque voluntas Dei, omnis boni ſcaturigo — (1.) Propriam voluntatem eſſe abdi-

candam. *Exemplum in Chriſto.* turigo eſt veriſſima. Ad hanc voluntatis propriæ obluctationem ac rejectionem ceu inſigne documentum, infantes quam primum fieri poteſt formari ac aſſuefieri neceſſe eſt, eorumque deſideria propria in quovis rerum genere aſſiduiſſime elidenda, priuſquam deplorandum contraxerint habitum propriam ſectandi voluntatem: qua in re tamen cum prudentia & modo agendum erit, tametſi fortiter eis etiam ſit contra eundum ubi conſuetudo infelix jam erit inducta, vel etiam induci incipit. Quàm vero facile acquiri poſſet virtus niſi prava hæcce obeſſet conſuetudo, ſique ingenium, ex eo tempore cum molle eſt ac flexibile, hoc eſt, ab infantia, ad iſtam illico formaretur voluntatis propriæ abnegationem! quippe quæ principium adeo momentoſum eſt ac neceſſarium, ut nulla unquam anima ſalutem ſit adeptura, niſi propriis deſideriis ſuis renuntiaverit. Hæc eſt conditio prima omnium quas Chriſtus in hominibus requirit ut Chriſtiani evadere poſſint, primumque quod a diſcipulis ſuis exigit: (a) *Si quis me*, inquit, *vult ſequi, renunciet ipſe ſibi.* Scripturaque idem Euangelica iterum iterumque conceptis teſtatur verbis, quæ quidem infantibus perquam familiaria ſunt reddenda, juxta cum inſigni hac Jeſu Chriſti ad Patrem Oratione: (b) *Pater, non mea, ſed tua fiat voluntas!* adjuncta ejuſdem ſeria hac proteſtatione: (c) *Deſcendi de cælo non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui me miſit.*

(a) Matth. 16: 24. Luc. 9: 23.
(b) Luc. 22: 42.
(c) Joh. 6: 38.

5. *Frangenda in adultioribus deſideria propria: ſed cum moderatione.*

5. Ubi infelix illa conſuetudo, propria deſideria, voluntatemque ſuam ſectandi, jam dudum induruit, uti in adultioribus; non eo tamen minus decernendum eſt eam aggredi atque delere adjuvante Deo, cujus auxilium fervide ac perſeveranter eſt implorandum; eoque recepto, fortiter & animoſe contra propriorum deſideriorum propenſiones eundum, ſiquidem æternum perire nolimus. Atque huc reſpexit Chriſtus, cum diceret, (d) *Regnum cæleſte vim pati*, nec niſi *à violentis abripi.* Quo tamen in agone prudens intercedat moderamen neceſſe eſt; non carnis quidem illud ac hominis; ſed tale, quod ardenter efflagitandum eſt à Domini ſapientia, cujus directione regimen propriæ abnegationis noſtræ gubernari opus eſt.

(d) Matth. 11: 12.

6. (a) *Laudum deſiderium eſſe abdicandum.*

6. (II.) Quandoquidem homo à ſe ipſo & ſine Deo nil quicquam boni facere poteſt, cumque omnia deſideria noſtra propria ſint tantummodo mala, conſequitur hinc & illud, debere

re nos non deſiderare ut aliis ſimus in pretio ac honore, aut ut à quoquam laudemur; neque etiam noſmet ipſos apud nos magnifacere: ſed potius id eſſe æquiſſimum, ut noſmet ipſos contemnamus, ac ab aliis deſideremus haberi & exiſtimari quales revera ſumus, hoc eſt; creaturæ quæ ex ſe nihil, quæ iniquæ, quæque malæ reipſa ſunt.

7. Et hæc quidem eſt *Humilitas*, per quam, veluti per januam, divina gratia in animam venit, Scriptura conceptis verbis docente, (*a*) *Deum humilibus gratiam dare.* Ad quem morem utinam à primis incunabulis continua cura liberi eſſent compoſiti, qui, prô dolor! hodie plane in contrarium modiſque prorſus Antichriſtianis ac infernalibus nuſquam fere non formantur, dum privatim æque ac publice letale toxicum, laudes inquam humanæ, eorum animis undique inſtillantur, unde ingenerantur eis in cordis fundo, ſui comprobatio, exiſtimatio ſui, infeliciſque initia ſuperbiæ, qua Dei inimici conſtituuntur, aſſeverante Apoſtolo, (*b*) *Deum ſuperbis reſiſtere:* ipſo vero Domino pronunciante, (*c*) *Deteſtor ego ſuperbiam.* 7. *Humilitas, janua gratiæ.* (*a*) 1 Pet. 5: 5. (*b*) 1 Petr. 5: 5. (*c*) Prov. 6: 17. Amoſ. 6:8.

8. (III.) Porro creatura quæ à ſe non tantum nihil eſt, ſed & quæ mala eſt, ipſoque pejor nihilo, quandoquidem ſibi perſuadere debeat ſe nihil promereri, contenta ſit oportet utut quæcunque habet vel omnium minima eſſent, vel plane etiam nulla; neque plura ullo jure ac majora deſiderare poteſt, quam quidem habeat; verum ex omnibus rebus viliſſimas quaſque ac minimas, (quantum ſine affectata ab aliis diſtinctione poteſt,) ad uſum ſuum adhibere tenetur, certiſſimum habens, & has meliores eſſe quam promeritus ſit ille qui nihil, imo qui peccator, adeoque vel ipſo nihilo minor exiſtit. 8. (3) *Abundantiæ deſiderium abdicandum.*

9. Hoc ſatius eſſet ætati teneræ inculcare, curareque ut in praxin reducerent infantes, quam infelici opera, quemadmodum 9. *Quàm periculoſe infan-*

tes ad luxum illico trahantur. dum nimio ſæpius fit, anniti, ut in cordibus tenellis omnis generis concupiſcentiæ mille artibus excitentur atque expergeſiant, ipſi vero ad pompam & luxum exornentur, eorum ſenſus oblectamentis quantum fieri poteſt gratiſſimis titillentur, atque ut verbo dicam, omnia eis largiter concedantur quæ quidem quàm maxime ſint idonea ad efficiendum ut carnis, vanitatis ac corruptionis mancipia fiant; tamque feſtini & vitiati ſint Anti-chriſtiani, quàm vel ipſe Dæmon id poſſet deſiderare.

10. *Chriſtianiſmi & Antichriſtianiſmi principia practica.* 10. Tertii hujus canonis, ut & duorum præcedentium neglectus, nec non & praxis canonis horum oppoſiti, veri & practici *Antichriſtianiſmi* ſunt ipſa fundamenta; quemadmodum e contrario eorumdem obſervatio veri *Chriſtianiſmi* fundamenta practica conſtituit: qua de cauſa aſſerit Chriſtus, (*a*) *neminem, niſi qui ſibi rebuſque omnibus renuntiat, poſſe ſuum eſſe Diſcipulum.*

(*a*) Luc. 9: 23. & cap. 14: 26.

11. *Deſiderium a malo averſum, ad Deum convertendum.* 11. Quando deſiderium à malo, prout dictum eſt, averſum erit, multo facilius ſeſe convertet ad Dominum, ad quem vivide corda tenella dirigenda ſunt atque ducenda à ſuis inſtitutoribus, quorum erit omnibus viribus moliri, uti in eis bona quæcunque erga Creatorem & ſancta deſideria ac vota excitent, occaſione è quibuſvis rerum eventibus ac conſiderationibus deſumta.

12. *Converſionis Deſiderii ad Deum, ſpecies quatuor.* (1) *Ad eum laudandum.* 12. (I.) Conſiderando igitur ipſum Deum, quandoquidem ille apud ſe eſt ipſiſſima Potentia, Sapientia, Bonitas, Pulcritudo, atque Felicitas, compellendi erunt liberi ſæpius ac incitandi ad *deſiderium* Majeſtatem ejus pro meritis æſtimandi, laudandi, honorandi, ipſique in omnibus complacendi. Qua de cauſa ſollicite curandum erit, ut rite capiant, ſe ad hoc potiſſimum natos eſſe ut Deum indeſinenter magnifaciant, venerentur & collaudent, deſideriis ſuis ac cordibus continuè ad ipſum elevatis. Se enim conſortio Angelorum (quibus idem eſt officium ac exercitium) vel in ipſa hac vita iſto modo adſociari, quin imo inter Cœli concives jam haberi, cœleſtes illas, quando in ſancto hoc negotio imitabuntur, mentes, quæ coram Deo inceſſabiliter dulci concentu ingeminant, (*b*) *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum! Ejus gloria plenus ſit univerſus Orbis!*

(*b*) Iſa. 6:3.

13. (2) *Ad ei* 13. (II.) Ad Dei beneficia, quod attinet, quando ea ad men-

mentes infantium revocabimus, inculcabimusque omnia eſſe à Deo, animam noſtram, corpus, vitam, parentes, amicos, Angelos à quibus cuſtodimur, terram ſuper qua incedimus, aërem quem reſpiramus, Solem a quo illuminamur, cibos quibus paſcimur, veſtes quibus tegimur, ignem quo caleſcimus, &c. eadem quoque opera quotidie erit ex omnium ejuſmodi rerum occaſione excitandum in illis *deſiderium* memorem ſemper erga Deum teſtandi animum, eique propter omnia hæcce ac ſingula gratias agendi quotieſcunque eis utimur. Mortalibus enim hominibus beneficium aliquod nobis præſtantibus ſi gratias agere ſit æquum; quanto magis Deo, qui & homines illos creavit per quos nobis largitur beneficium, & tot tantaque nobis bona per ſe ipſe, reſque per tot facit alias, grates perſolvere juſtum erit? Atque hoc quidem modo beatorum mentes Domino gratias referunt: (a) *Dignus es, Domine Deus noſter, qui gloriam, & honorem, & poteſtatem accipias: quoniam tu omnia condidiſti; eaque tua voluntate & ſunt, & condita ſunt.*

gratias agendas *pro beneficiis præſtitis,*

(a) Apoc. 4: 11.

14. Neque vero Deus præterito ſolùm tempore nobis benefecit; benefacit & nunc quoque & porro continue: abſque enim bonitate ipſius, futurum eſſet, ut nos, totaque rerum univerſitas, ſingulis momentis in confuſionem ac perditionem rueremus, haud ſecus atque vaſculum fragile, niſi fulcro continue ſuſtineretur, caderet ilico ac fruſtatim comminueretur. Quocirca æquiſſimi fuerit officii, cor noſtrum ac deſiderium perpetua gratitudine erga Deum qui nos perpetuò ſuſtentat tangi, eoque propendere, ut gratias ei uſque & uſque ob benefacta indeſinentia habeamus, ſecundum hanc Apoſtoli admonitionem, (b) *Deo & Patri ſemper pro omnibus gratias agite in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

14. *& pro præſentibus,* continuas.

(b) Eph. 5: 20.

15. (III) Cum autem & in futurum ope ejus ſuiſque hiſce bonis carere non poſſimus, ſpiritualibus præſertim, ſiquidem beati volumus eſſe; Deus vero illa donare paratus ſit quibuſcunque ea ex animo deſiderantibus; hinc præ omnibus docendi ſunt liberi, ut deſideria ſua ad Deum attollant aſſidue, poſtulantes ab eo divinam gratiam, Spiritum ſuum bonum, cognitionem ſui vivam, ſolidam virtutem, cor ſincerum, humile, ſubmiſſum, obediens, fidele, manſuetum, benignum, rebuſque contentum quibuſvis, ac erga Dominum teneræ gratitudinis affectu

15. (3) *Ad* poſtulandum *ab eodem vera bona in futurum.*

Digitized by Google

(a) Jac. 1: 5.

ctu præditum : (a) *Si cui deficit ſapientia*, inquit Jacobus, *is poſtulet eam a Deo, qui omnibus liberaliter largitur, nec exprobrat; & ei donabitur.*

16. *Precantes puri ſint a peccato.*

16. Quæ quidem tam præclara beneficia, atque ſimilia nobis expetenda, ut a Beneficentiſſimo illo Domino obtineamus, diligens ſit cautio oportet, & meminerimus, eum, a quo tanta ſperamus bona, nequando offendamus : ſed potius ut ad divinam ejus voluntatem exequendam nunquam non ſimus paratiſſimi : *Deus* namque *peccatores non exaudit : ſed ſi quis ipſum veneretur, ejuſque voluntati pareat, hunc exaudit*, ut ſacra in Euangelio (b) verba docent.

(b) Joh. 9: 31.

17. (4) *Ad eundem* deprecandum *pro peccatis.*

17. (IV) Verum enimvero, quoniam in eum frequenter antehac peccavimus, ita ut ejus gratia, atque benefica ubivis bonitate ſimus indigni; ea propter *deſiderio* ardenti eum deprecari debemus, ut offenſas quidem anteactas condonet, a futuris autem dignetur nos conſervare.

18. *Preces, in quibus conſiſtant.*

18. Atque hæc quatuor, quæ recenſuimus, deſideriorum genera, videlicet,

(1) Deſideria Deum ejuſque perfectiones infinitas laudandi;

(2) Ei gratias ob innumera beneficia habendi;

(3) Divina gratiæ ſuæ beneficia, per quæ ei complaceamus, poſtulandi;

(4) Miſericordiamque ejus ad offenſarum veniam obtinendam implorandi;

Ea inquam quadruplicia deſideria id proprie ſunt quod PRECES appellamus.

19. *Sine hiſce deſideriis preces nullæ ſunt.*

19. Nemo unquam vere precaturus eſt, niſi talia deſideria vere ac non fucate in cordis ſui fundo habeat, quibus deficientibus, omnes quotquot ſunt precationes vocales puerorum memoriæ imprimas licet, pſittacos ſolummodo & garrulos formabis, eamque gentem, de qua Deus dicat : *hic populus ore quidem me accedit, & labiis honorat; cor autem* ſive deſiderium *ſuum, a me procul abeſt.* (c)

(c) Iſa. 29: 13.

20. *Quid ſit precari* in Nomine JESU CHRISTI.

20. Hic memores nos eſſe decet, infantibus ut rite exponamus, quid ſignificet, quod ex verbo Dei doceantur, preces omnes ſuas ad Deum *in Nomine* JESU CHRISTI fundere, quo a Patre cœleſti exaudiantur. Scilicet non ſimplicem nominis JESU CHRISTI quoad ſonum & ſyllabas pronuntiationem in pre-

Digitized by Google

precando exigi: quod ſi eſſet, profecto vel pars maxima precationum quas Scriptura continet, non eſſet facta in nomine Chriſti Jeſu: Sed potius denotari, preces deſideriaque noſtra per *gratiam* atque *vim* a Jeſu Chriſto animæ communicatam debere fieri, deſideriaque deſideriis Chriſti conformia atque ſimillima nobis eſſe formanda & habenda: quæ cum ille veluti ſua, ac a ſemet ipſo manantia ſit agniturus, propriis ſuis deſideriis ea quoque adjungat, ac ſimul cum ſuis & velut ſua Patri offerat: ut ita Pater, ſiquidem dilectiſſimo Filio ſuo nihil queat recuſare; ſed ejus omnia deſideria ſoleat rata habere, eo ipſo quoque deſideria noſtra habeat rata, quippe quæ in deſideriis Chriſti concluſa ſint, quæque eorum ſint veluti partes aut membra.

21. Itaque quando eâ mente dicimus Deo, „Audi me, Pater, in *nomine* JESU CHRISTI, aut, precor Te, Deus, „*in nomine* JESU CHRISTI, idem ſit ac ſi ei diceremus: Offero Tibi, Deus, ea ipſa deſideria quæ mihi vis ac gratia Jeſu Chriſti ingenerat, quæque ego corruptionis meæ deſideriis intermiſcere nolim, ſed ad Filii tui deſideria velim formare, eiſque copulare, ut tu in Chriſto illa reſpicias, atque ſic propter ipſum eis ad gloriam tuam, ſalutemque meam occurras. *21. Oſtenditur id directius.*

22. E veritatibus hactenus dictis, iiſque haud parvi, opinor, momenti, in præſens conſtare arbitror, præcipuum ei noſtræ, de liberis educandis, cardinem eſſe, ſurgentem ætatulam ſic formare, ut deſideriola ad Deum e quavis occaſione attollant, quod facere licet ſuſpiriolis convenienter divinæ voluntati fuſis, iiſque facillimis atque ita ſimplicibus, ut ab infantili mente, gratia Dei non excluſa, proficiſci certe poſſint pro diverſis ſi temporum ac rerum viciſſitudinibus, accedente inſtructione, dixerint: *22. Infantes aſſuefaciendi precibus jaculatoriis è quovis occaſione.*

23. „O Deus meus, Deus optime, Sapientiſſime, ac Potentiſſime, laudetur Sanctiſſimum Nomen tuum in æternum! *23. Exempla harum quædam.*

„O Pater, largire mihi gratiam te toto corde diligendi, tibique conſtanter obtemperandi!

„Gratias ago tibi, Deus meus, quod me & ad imaginem tuam creaveris, & ad te perpetuo laudandum & celebrandum redemeris.

„Laudo te, & gratias habeo, Domine mi, quod & mundum & quicquid in eo continetur, condideris; quod victum mihi amictumque conceſſeris: quod perennia mihi bona velis im-

Digitized by Google

„pertiri; quodque in animam meam tibi placeat venire, illic „habitaturus teque mecum oblectaturus in æternum.

„Libera me, Deus, ab omnibus peccatis meis, Spiritumque „tuum bonum & ſanctum mihi concede.

„Hanc præſta benignus gratiam, ut non meam, ſed tuam „tantum exequar voluntatem.

„Præſta, quæſo Domine, tuo ut beneficio corde ſim humi„li; ut me nullo, quiſquis eſt, hominum meliorem credam; „ut me potius contemnam, & infra omnes abjiciam creaturas.

„Da ut hominum laudes & adulationes deteſter ac fugiam. „Tu ſolus, Domine, tu unus laudandus es, ſolus quippe omnis „boni, quod a nobis unquam fieri poſſit, fons verus & auctor, „idemque ſolus ſapiens.

„Da contentus ſim rebus omnibus quæ mihi eveniunt. In„fernum promerui: minima igitur omnium bonorum tuorum, „rerumque omnium quæ creaſti infima, longe ſunt ſupra me„rita mea, &c.

His ſimilibuſque mentis ſuſpirationibus infantes ſi aſſuefaciamus ſedulo, principia eis ſolida veri Chriſtianiſmi, vitæque æternæ germen implantabimus.

24. *Oratio Dominica, ejus contenta. Ea, nonnullæque aliæ, commendantur.*

24. Jamque poterunt (ſive debebunt) & vocales nonnullæ ſanctioreſque orationes quam primum per ætatem poteſt, eorum memoriæ imprimi, inprimis autem, Oratio Dominica, a Jeſu Chriſto nobis præſcripta: verùm hîc diligentiſſime eis erit inculcandum, eam nec Orationem eſſe, neque Deo acceptam fore, niſi quando in cordibus noſtris veriſſime ineſt *deſiderium* ut Deus (1) infinite æſtimetur colaturque; (2) honoretur ac laudetur: (3) utque ipſi obediatur: (4) ut animas noſtras gratia atque dilectione ſua nutriat: (5) nos a peccatis liberet præteritis; (6) conſervet a futuris, nec non ab infinitis occultiſque laqueis, quibus Dæmon nos irretire ac poſternere annititur: quæ quidem ſunt ſex, ſeptemve, poſtulata hujus Orationis, cui adjici poſſint precationes aliæ ex libro pietatis quopiam, veluti quam e Joh. Rusbrochio ſubnectemus huic opuſculo, itemque ex Pſalmis Davidicis aliquot.

25. *Pſalmorum imprecationes,*

25. Modo tamen teneris animis maxime animadvertendum eſſe commendetur, in Pſalmis quando adverſus inimicos noſtros funduntur ad Deum preces, ut hic eos tollat e medio, ſi-

ſiquidem Spiritus ſit qui precatur, non caro; Deus vero adoratores requirat Spirituales; conſequens eſt, ejuſmodi imprecationes ſpirituali modo eſſe intelligendas, hoc eſt, eas inimicis accommodandas eſſe ſpiritualibus, ac veris animarum noſtrarum hoſtibus, qui peccata ſunt & vitia noſtra, propria voluntas, proprius amor, ſuperbia noſtra ac vanitas, verbo, vetus noſter homo, noſtraque corruptio, cujus deſtructionem ac interitum a Domino debemus poſtulare. Alioqui ſi imprecationes, quæ in Pſalmis occurrunt, in proximos noſtros vibraremus, qui divina Sanctione nobis diligendi pariter atque nos ipſi diligimus, quorumque pro ſalute precari debemus, neminem excipientes, hoc ipſo divinos nobis Pſalmos in exitiale converteremus venenum. *quibus non applicandæ, quibus applicandæ.*

26. Tametſi poſſunt etiam imprecationes illæ votaque ignea, Deo inimicorum diſſipandorum, deſtruendorum, eliminandorum ergo oblata, in malignos Dæmonum ſpiritus conjici, quippe qui adverſarii ſint nobis lethiferi, ſimul & inviſibiles, quique (monente (*a*) Apoſtolo) *ut leones rugientes nos circumeant, quærentes quem devorent*; (*b*) *ignitiſque ſuis jaculis*, hoc eſt, malignis ſuis afflatibus, peſſima quævis deſideria, cupiditateſque ac propenſiones improbas, in nobis connitantur accendere, eoque modo æternum nobis interitum conciliare. Quapropter, ut ſe quiſquis ad malum incitari & vel invitus eo propelli intus perſentiſcit, tunc Pſalmi hujus generis, preceſque adverſus tentatorem, animarumque hoſtem, apprime ſunt ex uſu, haud ſecus ac arma quæpiam defenſionis noſtræ certiſſima. 26. *Eas adverſus Satanam tentantem uſui eſſe.*

(*a*) 1 Petr. 5: 8.
(*b*) Eph. 6: 16.

27. Quoniam verò (ut ad inſtitutum ſuum redeat oratio) infantium facultates quodam veluti ſopore plerumque ſunt oppreſſæ, parumque idoneæ ad agendum, neceſſe eſt, ut genitores hic liberorum ſuorum ſuccurrant impotentiæ, eorumque obeant vicem quoad officia hactenus recenſita; quod facient, quando ſancta hæc deſideria, veraſque illas preces, de quibus agimus, Deo pro liberis ſuis exhibebunt indefeſſi. Tunc namque Deus iſtiuſmodi Parentum vota accipit veluti a liberis ipſis prodeuntia, pietatemque genitorum compenſare geſtiens, ipſorum reſpondet deſideriis per Spiritus ſui boni in liberorum cordibus operationes ſalutiferas: atque ita quidem (*c*) *miſericordiam exercet in mille generationibus erga ſui amantes.* 27. *Infantibus e paternarum precum aſſiduitate, ingentiſſima accedit utilitas.*

(*c*) Exod. 20: 6.

28. Iſthæc

28. *Cultura Deſiderii neglecta, cauſa eſt omnis in liberis mali; curata vero, omnis boni.*

28. Iſthæc *deſiderii*, ſive cordis infantium cultura, articulus eſt ad eorum bonam educationem tantopere fundamenti inſtar requiſitus, ac (ut ſic dicam) ita eſſentialis, ut ſive eum prorſus negligant educatores, ſeu ex eo inſtitutionis non ſumant primordia, de aliis interim rebus quæ ad ſolum ſpectant ingenium ſolliciti, non poſſint non præpoſtera iſta agendi ratione animas infantiles reddere male diſpoſitas miſerrimeque perdere, quando negligentiâ hac ſua damnanda, in mentibus teneris triſtiſſima ſemina irreligionis, incuriæ ſpiritalis, oblivionis ac contemtûs Numinis, vanitatis, ſuperbiæ, mortiſque (uno verbo) æternæ fovebunt ac inſerent: Et hæc nihilominus omnes plerumque in Mundo ſecure deſpiciunt: nec mirum ſane; *Mundus* ſiquidem undiquaque (a) *in malo jaceat*; Joannis teſtimonio. Itaque ne & nos ad miſerum hoc ſeculum in hoc quoque tanti momenti negotio conformemur, omnibus iis quibus liberorum educatio Chriſtiana impoſita eſt, nunquam ſatis commendari poteſt, ut operam non tam ingenio exercendo impendant, quam ut *cor* iis forment (1.) pium religioſumque valde erga Deum, (2.) erga ſe ipſos humile, (3.) erga proximos manſuetum, ac charitate affectum; (4.) erga omnia quæ eveniunt, aut ab aliis, quicunque illi ſunt, accidere poſſunt, placidum ſemper & tranquillum.

(a) 1 Joh. 5: 19.

Hoc fundamentum eſt cui Deus magna ſuperſtruere in anima ſolet; quin & totius ejus animæ regimen ſibi ſumere, eamque ſingulari cura gubernare geſtit.

SECTIO III.

De cultura facultatis COGNOSCENDI, *quæ altera eſt facultatum animæ: deque tribus ejuſdem ramulis*, intellectu *nempe* puro *&* *paſſivo*, Ratione, *ſive intellectu activo*, & imaginatione *una cum* memoria. *Præmunitio adverſus Rationis Atheiſmum ac Idololatriam ævi noſtri.*

1. *Intellectus facultas præcipua.*

1. Altera facultatum animæ, eaque præcipua, facultas eſt *cognoſcendi*, ſeu INTELLECTUS.

2. *Scopus & Objectum Intellectus*

2. Hic propter VERITATEM conditus eſt; adeoque & propter DEUM, qui ipſa veritas eſt, necnon propter verbum atque

Digitized by Google

atque opera Dei, quæ veritatis illius ſummæ rivuli quidam ſunt.

Quamobrem noſtrum erit, ut nihil cognoſcere deſideremus præter Deum & quæ Deus ad ſui gloriam dixitque & fecit.

3. Ex quo hoc primum conſequitur, mendacium vitium eſſe omnium maxime deteſtandum, utpote quod & veritati adverſetur, & digniſſimam facultatum animæ adulteret. Illud in infantibus nequaquam tolerabitur; nec ubi admiſſum fuerit, impunis unquam abibit odioſa iſthæc ἀταξία, non tam hominem referens quam Diabolum, quippe qui primos inter titulos ſuos hunc a Scriptura ferat, quod (*a*) ſit *mendax*, & *Pater mendacii.*

3. *Mendacii atrocitas, adverſatur Menti ac ejus Objecto.*

(*a*) Joh. 8. 44.

4. Conſequitur & illud, vanorum hominum ac corruptorum otioſiſſimis & vanis dictis, factis, imaginatis, inanibuſque ac mentitis chimæris cognoſcendis, neminem addici debere. Mature curioſitati obluctandum eſt, ac animi diſperſioni; quippe quæ obſcura caligine denſiſque tenebris mentem obruant, eamque ad ſolidam veritatem divinumque lumen, omnino reddant inſenſibilem ac minime idoneam. Deplorandum vero damnum! vas adeo precioſum, uti eſt animus noſter, ſoli Deo & puriſſimis ejus luminibus, quæ quidem nullam cum impuris vitiati vanique cerebri humani figmentis conciliationem patiuntur, recipiendis factum, ſordida complere colluvie!

4. *Res vanæ ac inutiles, indigna intellectus objecta.*

5. Exercetur autem in homine facultas cognoſcendi, 1. per *intellectum* purum, 2. per *Rationem*, 3. perque *imaginationem*, auxiliantibus ſenſibus, viſu præſertim atque auditu.

5. *Intellectus (generaliter ſumti) diviſio utilior.*

6. (I.) *Intellectus* purus, qui ſpiritualis eſt oculus animæ, ſive capacitas rebus divinis cognoſcendis facta, ab admiſſo peccato occluſus eſt in quolibet homine.

Sumus namque omnes, naſcimurque ad divina prorſus cœci: tum præter unum Deum, nullus eſt qui mentis noſtræ oculum ſanare, qui aperire, qui illuſtrare valeat, quo res ſpiritales perſpicere poſſimus.

6, (1.) *Intellectus noſter divinus, a lapſu cæcus eſt ad res divinas, niſi Deo opitulante ſanetur.*

7. Ac quemadmodum ipſi neque Solem, neque tellurem, neque arbores, neque animalia, neque plantas, nec quicquam aliud rerum ujus Mundi materialis videre poſſemus & cognoſcere, niſi a Deo bis corporei oculi dati eſſent: ſic neque res divinas Mundique iritualis unquam cernere & cognoſcere licebit, niſi ab eodem

7. *Similitudine id explicatur.*

ſuos mens noſtra recipiat ſpiritales oculos, nunc effoſſos, neque ulli reddendos ac aperiendos niſi ei ſoli cujus cor & a malo receдit, & verſus bonum propendet.

8. *Id inculcandum eſſe quam primum.*

8. Quod quidem ſerio omnibus a primis annis eſt inculcandum, eo propoſito, ut mature tendat animus ad Dominum, ſeque ad divinum ejus lumen, deſiderii bonitate cordiſque puritate præparet: neque enim Deus arcana ſua revelat, niſi iis qui a malo committendo abhorrent; nec lumina ſua aliis, quam qui iis recte uti volent, impertitur: quam quidem animi conſtitutionem cernere eſt in Davide, Deum ſic deprecante, (a) *da mihi intelligentiam, & obſervabo legem tuam, cuſtodiamque eam toto corde.*

(a) Pſ. 119: 34.

9. *In rebus divinis incognitis, Deo & ſuis credendum.*

9. Quamdiu animæ noſtræ oculum non recluſit Deus, quo res cœleſtes, accedente divino ſuo ac ſupernaturali lumine, evidenter cognoſcamus; oportet ut, etiam non videntes, iis credamus quæ de his referunt tum Deus ipſe, tum Sancti divino Spiritu præditi: hominibus vero vanis ac mundanis de iiſdem fides adhibenda non eſt, quippe qui non minus mendaces ſunt quam cœci: namque hiſce in rebus *omnis homo* Spiritum Dei non habens, *mendax* eſt, (b) Davidis teſtimonio.

(b) Pſ. 116: 11.

10. *Principium fidei: Lumen fidei clarum & obſcurum quid?*

10. Et hoc quidem eſt principium *Fidei*, credere videlicet & confidere iis quæ nobis Deus de divinis, utut minime adhuc viſis ac comprehenſis, enarravit, dum interim expectabimus & deſiderabimus ut & oculos mentis aperiat, & divinum concedat lumen, quibus ea, cum ipſi lubuerit, clarius perſpiciamus. Lumen illud, ubi acceſſit, *clarum fidei lumen* ſive per fidem adeptum lumen dicitur. Ubi vero ſingulariora de rebus divinis clarioraque lumina nondum adepti ſumus, has tamen fide admittimus, Dei teſtimonio rationique ejus agendi, quanquam minus perceptis, cœco veluti modo innixi; id *fidei obſcuritatem*, ſive *obſcurum & generale fidei lumen* appellant; *lumen* dicunt, quando veritatem complectitur, in eaque nos reddit convictos; idemque dicunt *obſcurum*, quoniam in eadem, ſingula, utpote quæ nos celata vult, non detegit: & hoc obſcurum *fidei lumen* ſæpe equidem nobis omnium tutiſſimum eſt ac ſaluberrimum, minus quippe obnoxium arrogantiæ ac ſuperbiæ: de quo etiam illud Chriſti apprime dixeris: (c) *felices qui non viderint, & tamen crediderint.*

(c) Joh. 20: 29.

11. Di-

11. Divinum hoc fidei lumen poſtquam animum vividius perculit, mentis oculos avertit & prohibet a rebus evanidis, ut nihil ea mens aliud contempletur niſi æterna & inviſibilia: quamobrem Paulus fidem vocat, (*a*) *rerum demonſtrationem quæ non cernuntur:* & ſuam idem ſignificaturus fidem, (*b*) *non reſpicimus,* inquit, *ea quæ videntur; ſed quæ non videntur.* Sola ejuſmodi ex fide vita Jeſu Chriſti Sanctorumque compoſita fuit tota, rerum ſcilicet inviſibilium intuitu, & averſatione caducarum. 11. *Luminis fidei vis ac efficacia.* (*a*) Hebr. 11: 1. (*b*) 2 Cor. 4: 18.

12. (II) Quamvis infantes minime adhuc ſint idonei qui *ratione*, multoque minus qui ratiocinatione utantur, danda tamen eſt opera quam primùm poſſit, ut certo quodam imbuantur Principio, quo adverſus ſeductionem atque idololatriam humanæ Rationis conſerventur; quippe quæ corrupti hujus ſeculi commune ſit contagium, Idolumque præcipuum ac maxime obvium, vel etiam Atheïſmus quidam ferme generalis, inter eos præcipue qui ſtudiis ſeſe ac ſcientiis addixerunt. 12. (2) *Cavendum a Rationis ſeductione.*

13. Illud vero Principium, ut infantibus facilius intelligatur, familiari primum ſimilitudine illuſtrabimus. Conſideremus hominem cœcum. Hic, vi quantumvis admiranda cogitandi, ratiocinandi atque diſcurrendi præditus, haud tamen ideo poſſet iſto modo conſequi, ut vel Solem cognoſceret aut conſpiceret, vel quævis alia creata; quin e contrario quæcunque de his, cum omni ratione ſua cunctiſque ſuarum ratiocinationum plauſtris, haberet cogitata, ea ſolummodo tenebricoſa ac chimærifera eſſent, omninoque falſiſſima. Ad eundem quoque modum etiamſi homines univerſi de rebus divinis cogitarent, ratiocinarentur, diſſererent, ſuæ etiam Rationis quantacumque virium contentione; nequaquam tamen propterea vel Deum vel divina ulla hocce modo uti decet haberent cognita: formarent ſolùm de iiſdem cogitata in univerſum tenebroſa ac ideas undique ineptiſſimas atque perabſurdas. Nam profecto Deus, ſi quidem bene cognoſcendus eſt, alios menti oculos, aliud longe lumen, atque id quod ab activitate noſtræ Rationis procedit, elargiatur neceſſe eſt: quæ quidem donec abfuerint, omnis humana Ratio nihil aliud, ut vere dicam, futura eſt, quoad divina quidem ac ſpiritalia, quam ridendarum chimærarum, meroque cœcutientis hominis figmentorum officina. 13. *Similitudine oſtenditur* Rationis *impotentia ad formandos conceptus de Divinis.*

14. Quemadmodum autem (ut in incœpto pergamus ſimili) ſi 14. *Similitudi-*

ne item oſtenditur ſterilitas idearum Rationis.

ſi quis Solem aut fruges picta tabella exprimat, certum erit depictas Solis frugumque imagines neque lucem nobis, neque roboris aut vigoris quicquam eſſe præbituras, ſicuti Sol verus ipſæque & veræ fruges præſtare ſolent; ita quoque, quanquam Rationis noſtræ auxilio ejuſque ratiocinandi actibus Deum nobis, virtutem, reſque divinas repræſentemus; ideæ tamen illæ & repræſentationes argumentaque Rationis, hæ omnes in univerſum picturæ de Deo & divinis, nullatenus nobis vel vera lumina, vel vim ac virtutem veram impertiri, neque etiam animis ſolidi quicquam nutrimenti viriumque ſuppeditare poſſunt, quibus divinam vivamus vitam, divinamque exſequamur voluntatem. Imagines omnino mortuæ iſtæ ſunt proprie loquendo, frigidæque prorſus ac inanes ipſius rei & vere ſteriles picturæ, quibus ſi quid ſuperextruas, ventus erit, animos ſic tumefaciens & inflans, ut alii in alios perpetuis diſſidiis, contentionibus ac præliis de chimæriferis atque emortuis picturis impellantur, donec vel proprii uniuſcujuſque tumoris diſtentione, vel mutuo omnium conflictu ac compreſſione, rumpantur univerſi.

15. *Remedium cito applicandum.*

15. Quæ mala ut prævertantur, liberorum mentibus quam primum imprimendum erit, diligentiſſimeque nunquam non retinendum ſequens principium.

16. PRINCIPIUM *contra ſeductionem Rationis.*

(a) 1 Cor. 2 verſ. 11, 12, 14.

16. Ingenium ſive facultas RATIONIS HUMANÆ ſine Dei gratia ejuſque ſupranaturali lumine, perinde eſt ac ſtolidus cœcus, qui fictas duntaxat imagines format earum rerum quas neque vidit unquam, neque videre, aut tales quales vere ſunt repræſentare poterit. (a) *Animalis* ſive naturalis *homo*, inquit Paulus, *non capit quæ ſunt divini ſpiritus, quippe quæ ſint ei ſtultitia: itaque non poteſt ea cognoſcere, ut quæ ſpiritualiter ſint dijudicanda... Dei negotia nullus ſcit niſi Dei Spiritus, iſque qui Spiritum Dei accepit.* Iſtas nihilominus ſiccas fictaſque a Ratione ſua ideas, quamque illis adhibent credulitatem, veram eſſe *fidem* venditare auſint cœcorum miſerrimi!

17. *Ab activitate in cultura intellectus.*

17. Proinde, non tam curabimus ut mentem noſtram propriis viribus ac induſtria excolamus, quam ut eam a vanis atque inanibus ratiocinationum noſtrarum figmentis avertamus; quo dein-

Digitized by Google

deinceps eam ſimplicitati ſuæ redditam ac plane nudam, offeramus Deo, ingenti ardentes deſiderio unam ejus cognoſcendi voluntatem ac ſequendi, ſinceriſque eum precibus ſollicitantes, ut ſuum nobis ad hoc elargiatur lumen, animæque oculos ſuos aperiat: etenim, ſcriptura (*a*) teſte, *Deus* eſt qui *cæcis viſum dare*, *qui eis oculos aperire* poſſit, *ut videant mirabilia legis* ac voluntatis *ſuæ*; idemque qui *intelligentiæ noſtræ oculos illuſtrare queat*.

magis abſtinendum: ad Deum plus recurrendum.

(*a*) Pſ. 119. & 146. Eph. 1:18.

18. Si tamen (quod fieri poteſt & debet) in tenera ætate Ratio ſit aliquo modo exercenda, ſi quas res eis utiles, ſi eventa quædam alicujus momenti, quorum rationes uti liberi ſciant, reddere expedit, per cauſas illis cognoſcenda, proponere ſit animus, periculumque ejus facere libeat; ad hanc erunt conſuetudinem adducendi, ut de rebus omnibus non alias proferant cauſas ac rationes quam divinas, hoc eſt, rationes & argumenta quæ deſumta ſint a Dei potentia, Sapientia, bonitate, juſtitia, voluntate, felicitate, atque gloria; haud ſecus ac a noſtro nihilo, a noſtra impotentia, injuſtitia, malignitate, ignorantia, & ſi quæ ejuſmodi. Verbi gratia; Quamobrem condidit Deus mundum? Ad *potentiæ*, *ſapientiæ*, ac *bonitatis* ſuæ demonſtrationem. Quam ob cauſam inibi creavit hominem? Quam dixi; tum ut homini *felicitatem* ſuam atque *gloriam* panderet Deus, ac, probata ejus fidelitate, donaret. Cur vero moriuntur homines? Ex Dei *juſtitia*; ſiquidem apprime juſtum ſit, hominem ea, qua perfidioſe abuſus eſt, vita deſtitui. Quapropter pii morbis aliiſque caſibus ac modis adverſis affliguntur? Quoniam quæ antea commiſerunt peccata, a divina *juſtitia* puniri neceſſe eſt; a *bonitate* vero divina fit, ut potius hac in vita, quæ temporaria eſt, quam in futura, quæ æterna erit, ea propter puniantur. Econtrario, quid cauſæ eſt cur improbis bona ac proſpera haud raro accidant? Id *bonitas* Dei efficit, quæ eos adhuc ad divinum amorem ſic ſuaviter provocat: vel divina quoque *Juſtitia*, quæ eis exiguorum quorundam bonorum ab eis forte hic factorum, mercedem hac in vita perſolvit, dum in futura ſempiternæ eos manent pœnæ peccatorum in quibus pertinaci vixerint perſeverantia.

18. *Qui Ratio in infantibus poſſit utiliter exerceri in ſpiritualibus.*

19. Eadem quoque ratione pergendo, res omnes ceteræ, ne ternis quidem ac naturalibus exceptis, ſunt coram recentibus tenellis animis pertractandæ. Edocendi ſunt, bellorum æru-

19. *In rebus externis.*

ærumnas, v. gr. eam ob rationem accidere, quod Deus ſit *juſtus*, homineſque ob malitiam pœnas mereantur: ignem eſſe calidum, propterea quod Deus ſit *bonus*, qui haud ignarus hominem ſine calore vivere non poſſe, ei ex bonitate conceſſit ignem iſtiuſmodi qualitate præditum: ignem adurere & dolorem inferre & cladem per *juſtitiam* Dei, hac creatura ſua, haud ſecus ac virga quadam, ad hominum peccatorum caſtigationem utentis.

20. *In rebus moralibus.* 20. Hoc & in rebus moralibus fieri debet, v.g. Parentibus ac Præpoſitis in his vel illis ideo obediendum eſſe, quod ea ſit Dei *voluntas*: Debere noſtri neminem magni ſe ipſum facere; neque ab aliis ut in pretio habeatur deſiderare, quod ſolus Deus magni eſſe mereatur, quippe qui ſolus *bonus* ſit ſoluſque *ſapiens*; nos vero a nobis ipſis mera ſimus *impotentia*, *ignorantia*, *ſtultitia* ac *malitia*. Malum malo, ne deſiderio quidem, multo minus re ipſa, compenſandum eſſe erga illos qui nos inſectantur; eo quod *velit* Deus imitatione noſtra exprimi, quando ipſe nos, & quidem peccantes, perpetuis afficit beneficiis. Proximum neque contemnendum eſſe, neque judicandum, neque in honore lædendum; quoniam ejus *velit* eſſe judex Deus ſolus, cujus præterea *voluntas* ea eſt ut alium perinde ac nos ipſos amemus: ne dicam nos *ignariores* eſſe, quam ut aliorum intima cognoſcamus, ac *maligniores* quam ut de iis bene ac ſine affectibus judicare poſſimus. Atque ita in rebus ceteris.

21. *Utilitas ſumma hujus exercitii.* 21. Si in exercenda liberorum Ratione aliquid temporis quotidie iſto modo poneretur, uſus brevi in iis conſuetudinem gigneret Deum in omnibus rebus adſpiciendi; & continue veluti præ oculis præſentem cogitandi, coram quo perpetuo ambulare ac vivere iſta ratione diſcerent. Ac profecto nulla omnino res eſt, ſive inter divinas ſive inter humanas, nulla ſeu naturalis ſit, ſeu moralis aut politica, nulli ſive profani eventus, ſive ſacræ hiſtoriæ, quorum omnes caſus, parteſque, ac eorum rationes, non facile ad admirabilia iſthæc principia pro infantili captu redigas, ad *Divinam* dico *potentiam*, *ſapientiam*, *bonitatem*, *veritatem*, *juſtitiam*, *felicitatem*, *gloriam*, *ſanctitatem* ac *voluntatem*: nec non ad *hominis impotentiam*, *ignorantiam*, *inconſtantiam*, & *malignitatem*. Idque, præterquam quod Deum ſiſteret perpetuo præſentem, Rationi quoque infantili ſolidiſſimo ac ſaluberrimo modo

Digitized by Google

dò inſtaurandæ ac emendandæ plurimum conduceret, modo ſimul divina gratia atque benedictio ſincero humilique animo implorarentur.

22. Exercitii hujus tentamen aliquod ac periculum fieri poſſet circa aliquam e Scriptura ſacra hiſtoriam, qualis illa eſt, v. g. quæ Joſephi venditionem in libro Geneſeos nobis deſcribit; niſi magis lubet e Teſtamento Novo aliam quamcunque ſeligere. 22. *Exemplum e ſacris.*

23. (III) Quandoquidem *imaginandi* facultate, uti & memoria, nil firmius, nil actuoſius in infantibus ſoleat eſſe; optime cum *illis* agetur, ſi hæc ita excolantur quam primùm poteſt, ut & iſta via rerum æternarum ac ſalutarium cognitio, quantum vires & ætas feret, eis ingeratur. 23. *(3) Imaginatio & memoria, quam primum exercendæ.*

24. Proderit tamen in anteceſſum eis hoc inculcare ſedulo, Cognitiones omnes quas hac imaginationis via ſunt comparaturi, nihil eſſe, nec poſſe quicquam eſſe, niſi quaſdam picturas aut imagines admodum craſſas ac obſcuras rerum divinarum & Spiritualium, quarum quippe ne milleſimam quidem aut quantulamcumque particulam, prout ea in ſe eſt, adhucdum comprehendunt: rerum ſiquidem omnium quæ Dei ſunt, perfectiones ita magnæ ſunt ac innumeræ, ut earum immenſitas millies atque millies imaginationem captumque noſtrum tranſcendat: qui interea exſpectare debemus donec ſuo tempore, poſtquam aſſiduis precibus Deum invocaverimus, & quod voluit, fecerimus, noſtrum ille craſſum eum ac ſtupidum cognoſcendi modum diſſipet, ac pulcherrimam æternæ veritatis puritatem divino ſuo lumine oſtendat. 24. *Cautela contra malum quod inde ſequi poſſet.*

25. Hoc pacto efficietur, ut ne ex cogitatis primis idola ſibi & pertinacia cudant præjudicia mentes teneræ; utque dociles ac divini luminis exſpectantes animos acquirant. 25. *Quænam mala hinc præcaveantur.*

26. Poterit autem hæc animi capacitas in iis exerceri modis ſequentibus: 26. *Exercitium imaginationis & memoriæ.*

27. (I) Primo quidem lectione hiſtoriarum Scripturæ utriuſque Teſtamenti, quin etiam inſpectione picturarum ſeu imaginum quæ eaſdem repræſentant; ut hac ratione optimis & ſanctio- 27. *(1) In Lectione Scripturæ.*

ctioribus ideis & iconibus tenellam ſuam occupent memoriam atque imaginationem. Ad quam rem expedit ſi navabitur ſimul opera ut quicquid illis legendum detur & inſpiciendum, ad divina illa principia, jamjam a nobis commendata, revocare conſueſcant.

28. *(2) In Symbolo Apoſtolico. hujus Epitome.*

28. (II) Tum Symbolo quoque Apoſtolico eorum memoriæ imprimendo, & captui exponendo infantili erit continuandum: ubi pro judicii menſura cum eis diſſerendum erit, (1.) de Deo Patre ac Creatore, de ejus potentia, ſapientia, bonitate & aliis attributis; deque ejus operibus, tum ſpiritualibus, tum corporeis, tam æternis ac perpetim duraturis, quam temporalibus & tranſitoriis: (2.) de Deo incarnato, ſive de Dei Filio, Domino noſtro JESU CHRISTO, deque ejus operibus, quæ ad noſtri ſpectant Redemtionem: (3.) denique de Spiritu S. cujus opera reſtitutionem hominis in ſtatus primævi perfectam ſanitatem reſpiciunt.

Qua quidem occaſione tria quatuorve obſervatu digniſſima quæque ad poſitum a nobis pertineant principium opportuniſſime eis fuerint commendanda.

29. *Tria in Symbolo præcipue obſervanda.* (1) Principium *ejus generale.*

29. Et primum quidem: Omne id quod in Symbolo Apoſtolico continetur, ad hoc contrahi principium. Deum omnipotentem, rerum omnium Conditorem, creaſſe quidem hominem, ut illo omnia ſua *deſideria* ac voluntates ſuas verſus Auctorem ſuum convertente, Deus *intellectum* ejus divina cognitione; animum autem *lætitiâ*, felicitate ac gloria æterna compleret: Verum, cùm homo *deſiderium* voluntatemque ſuam a Deo avertiſſet, atque ita *intellectum* ſuum tenebris & ignorantia, *animum* infelicitate & miſeria æterna cumulaſſet; tunc aſſumptam a Dei eſſe Filio naturam noſtram humanam, cumque (hominem factum) inter nos & vixiſſe & mortuum eſſe, tum ut veniam malitiæ noſtræ gratiamque divinam nobis mereretur; tum ut ſua doctrinâ, vitâque, morte item ſua & reſurrectione, oſtenderet nobis, quî *deſideria* noſtra mala abnegare, propriamque voluntatem dimittere, opprimere & morti dare debeamus; contra verò ad nova divinaque *deſideria* reviviſcere, ſanctamque ad voluntatem, uni Deo viventem, quæ quidem, juxta cum *intellectu* illuminato, cordeque pace & divina lætitiâ plena largitur SPIRITUS SANCTUS; quibuſcum præſidiis, rurſum omni-

Digitized by Google

omnibus unimur & ſociamur quæcunque in terra atque in cœlis ſancta ſunt; qua in Sancta communitate primitiis Chriſti Jeſu beneficiorum ac gratiarum ſpiritalium nunc quidem in hac etiamnum vita fruamur; poſt mortem vero corporis, ejuſque deinde reſurrectionem, omnes ſimul Dei in plenitudine ejus bonorum gratiæque ſimus participes.

30. Alterum quod diligentiſſime iis annotandum eſt, in eo conſiſtit, ut obſervent, qui JESUS CHRISTUS naſcens, vivens, agens, moriens, animæ ſuæ facultates, *deſideria* in primis ac voluntatem, eo ſemper direxerit modo, quem ſuperius (ubi de facultate deſiderii agebatur) indicavimus: quod faciebat, tum omnia ſua deſideria a malo, a propria naturæ propenſione, a ſui ipſius exiſtimatione, a voluptatibus, commodis, boniſque hujus mundi quærendis revocando; idque per ſui ipſius abnegationem, contemtum, abjectionem, paupertatem, dolores, atque in omnibus acquieſcentiam; tum etiam cum eadem (deſideria ſua voluntatemque dico) Deum verſus reduceret, illique ea ſic traderet, ut nil præter Deum vellet; nil præter Dei voluntatem in omnibus exequeretur, omnique tempore ei adhæreret, eum celebrans, eum laudans, ad eum preces fundens continuas, inque intellectu ſuo hocce pacto & via lumina ab eo conſequens quibus opus habebat, quæque a Patre poſtulabat, in cujus etiam beneplacito omnem ſuam quærebat & ponebat lætitiam. 30. (2) *De Chriſto ejuſque actionibus & perpeſſionibus. Principium & ſcopus illarum.*

31. Tertiò, de SS. TRINITATE breviter iiſdem inſinuandum eſt, *Patrem*, *Filium*, & *Spiritum S.* (de quibus in Symbolo & in Sacris literis,) non niſi unum eundemque eſſe DEUM, veluti in nobis *deſiderium*, *intellectus* & *lætitia* ſive delitiæ animæ, non tres, ſed unam & eandem ſolum conſtituunt animam. Differentiam quæ inter illos eſt, nequaquam obeſſe perfectæ unitati naturæ divinæ, quæ & eadem & una ſit in omnibus tribus: verùm eam in Deo differentiam, talem eſſe, ut nulla illam Ratio, nulla lux humana poſſit & debeat comprehendere. Oportere eam, tametſi non ultra cognitam, a nobis ob Dei verbum fide credi & cum ſubmiſſione, exſpectando donec Deo viſum ſit de ea evidentius quippiam, ſive in hac, ſive in futura vita noſcendum præbere: Sufficere interim nobis, ſi pro captus noſtri tenuitate repræſentemus nobis Deum Patrem ut rerum 31. (3) *De SS.* TRINITATE *in Uno Deo, Credenda ob Dei Teſtimonium. Similitudo & conceptuli ad captum præſentem ac imperfectum.*

Digitized by Google

omnium *Auctorem*, ut animarum noſtrarum *Patrem, juſtumque Judicem*; Deum Filium, ut mundi *Redemtorem*, animarumque in tenebras ac ignorantiam prolapſas, *illuminatorem*; Deumque Spiritum S. uti cordium *Sanctificatorem* quique animas peccato proprioque amore infectas, divina repleat dilectione. Aut vero, Deum Patrem, tanquam *bonum*, *bonitatiſque principium*, qui per bonitatis ſuæ communicationem omnia creaverit: Deum Filium tanquam *juſtum*, *juſtitiæque principium*, qui carne noſtra indutus ſit ut nos per peccatum injuſtos exiſtentes, juſtos redderet; Deum vero Spiritum S. tanquam *veritatis principium*, qui intellectum aperiat & illuminet, ut divinas res ac ſpiritales poſſimus percipere.

32. (4) *Cognitionem rerum divinarum non a Ratione, ſed a Spiritu Dei produci deberi ut ſit ſalutaris; exemplum in cognitione SS. Trinitatis.*

32. Denique pro quarto circa iſtud argumentum monito, iis & illud diligenter inculcandum erit: Cognitionem videlicet rerum divinarum veram, eo quod a Spiritu S. in intimis animæ noſtræ receſſibus operante pendeat (ut ſupra diximus) oportere, ſi quidem ea ad SS. Trinitatem ſit extendenda, a Dei Spiritu eodem modo intimo produci, ut vere divina ſit vereque ad ſalutem conducibilis. Id quod autem fiet, quando ea cognitio in nobis erit vivida quædam repræſentatio ejus, ad cujus imaginem conditi ſumus, SS. Trinitatis; nec non quando ad amorem redibit, ac ad Dei imitationem, ab Apoſtolo ita ſedulo commendatam: (a) *Eſte Dei imitatores ut chari filii; & cum charitate vitam agite quemadmodum Chriſtus adamavit nos. Quiſquis* enim *amat* (ut inquit (b) Joannes) *ex Deo natus eſt, Deumque novit. Qui vero non amat, non novit Deum*, (adeoque nec SS. Trinitatem) *Deus ſiquidem Amor eſt.* Ita ut *ſi quis* JESUM CHRISTUM *ſibi notum eſſe dicit, & tamen ejus præceptis* (quæ ſunt ipſemet AMOR) *non paret, is ſit mendax, nec in eo reperiatur veritas.*

(a) Eph. 5: 1, 2.
(b) 1 Joh. 4: 7, 8. & cap. 2: 4.

33. *Veræ cognitionis Patris, Filii, & Spiritus S. criterium.*

33. Certiſſimum igitur SS. Trinitatis veræ cognitæ criterium, atque adeo *Patris Creatoris Optimi maximi*, apertâ coram aliis ad ſalutem confeſſione agniti, nota haud dubia, ea eſt, ſi illum cum timore, obedientia & veneratione amemus; ſi ejus *potentiæ* & providentiæ confidenter nos committamus; ſique ejus erga omnes ac in omnia *bonitatem* repræſentemus ac imitemur. Sic etiam *Filium Redemtorem* ac *juſtum* ſalutariter cognoſcimus & profitemur; quando ſcilicet vivimus prout eos decet, qui (c) *per eum a præſenti maloque ſeculo* REDEMPTI *ſunt*: cumque

(c) Gal. 1: 4.

(a) *juſta*

(*a*) *juſta facimus.* Denique, quiſquis (*b*) Sanctimoniam *perſequitur ſine qua nemo Dominum videbit*, adeoque, ſine qua nemo Dominum vere cognoſcet; quiſquis (*c*) *cum charitate veritatem tenet*; hic & novit & profitetur ſalutariter *Spiritum Sanctificatorem*, *Spiritum veritatis*. (*a*) 1 Joh. 2: 29. (*b*) Ebr. 12: 14. (*c*) Eph. 4: 15.

Atque ejuſmodi quidem SS. Trinitatis cognitio, inter ideales ac umbratiles Rationis humanæ operationes numeranda non eſt; ſed vere producitur a Spiritu S. quippe cujus (*d*) *fructus ſint bonitas*, *juſtitia & veritas*, ut Paulus loquitur. (*d*) Eph. 5: 19.

34. Verum enim vero, quiſquis vel iſta omnia, vel horum quidem unum a ſe repellit; is Deum divinamque Trinitatem re negat, verbis duntaxat confitetur, aut inanibus quibuſdam ſterilis Rationis actibus; quod faciunt Dæmones. Et de iſtis Paulus: (*e*) *Deum* (ſacroſanctamque Trinitatem) *ſe ſcire profitentur quidem: at eundem factis & revera negant.*

34. Deum & SS. Trinitatem *verbis affirmari, re verò negari contingit ſæpius.* (*e*) Tit. 1: 16.

35. (III.) Hiſce liberorum ingenia exercendi modis non ſine jucunditate adjungi poſſint nonnulli emblematum ſacrorum libri, veluti ſunt, theſaurus animæ, ſive Deſiderius Peregrinus, Hugonis pia deſideria, & ſimiles: pro memoria vero exercenda, pleræque libri Siracidæ, ſive Eccleſiaſtici ſententiæ, e pretioſiſſimis erunt theſauris quibus ea potis eſſet imbui, quippe qui inter præſtantiſſimos Scripturarum libros ad rem noſtram emineat potiſſimum. Eum non ſolum ſæpius liberis legendum, ſed & nonnulla ex eodem ipſorum memoriæ mandanda recte curaveris: continet enim Ethicam omnino divinam, principiaque omnium quæ deſiderari, ſciri, atque in praxin revocari debent.

35. (3) *Imaginatio & memoria emblematis & ſcripturæ locis exercendæ.*

Sectio IV.

De cultura Lætitiæ. *Unde ea ſit retrahenda: in quibus vero poni, & qui temperari debeat.*

1. Infantes ſua natura adeo manifeſte propendent in Lætitiam, ut non ſine cauſa dixeris, hunc vere ſcopum, hunc teneri quo tendunt animi finem eſſe unicum. Quin & ſi propius rem inſpicias, hominum quoque cœteros haud aliam in omnibus laboribus inceptiſque ſuis metam ſibi proponere, animadver-

1. Ad Lætitiam *tendunt & infantes & omnium propenſiones; & hactenus quidem bene.*

Digitized by Google

advertes. Eſt profecto *lætitia* ſive lætandi facultas, facultas finalis, vel, ut ita dicam, perfectrix animarum noſtrarum, quæ revera non alium in finem ſunt conditæ quam ut in *lætitia* & deliciis contentæ conquieſcerent, extra quem ſtatum, nulla eſt pro eis quies, nulla tranquillitas.

2. *At malè illam quærunt & ponunt in objectis ineptis.*

2. Verùm ea eſt hominum calamitas, quod ab initio ætatis omnes protinus a recta aberrent via, dum illico in rebus minime ſolidis lætitiam ponunt; qui error ſi continuetur, æternâ eos lætitiâ ac beatitate omni dubio procul ſpoliaturus eſt.

3. (1) *Objecta a quibus lætitia eſt removenda; res mundi &c.*

3. Itaque mature, & quam primum fieri poterit, inculcandum eſt infantibus, lætitiam noſtram in nullis rerum mundanarum eſſe ponendam; non in hominibus, qui miſeri ſolum ſunt peccatores, ignari, impotentes, quique in terra computreſcent; non in ullis aliis hujus mundi rebus, ſiquidem & univerſæ toto cum mundo caducæ ſint, vanæ ſint, igneque perituræ. Non igitur lætandum eſt quod hominibus placeamus, quod apud eos ſimus in precio, quod ab iiſdem afficiamur laudibus; quod corpori noſtro non forma deſit elegans, non veſtes ſplendidæ, non commoda, multæ opportunitates, copiæque ceterarum rerum: iſta ſiquidem omnia æternum peritura ſint, omniſque de eis lætitia in triſtitiam eo profundiorem convertenda, quo magis eorum gaudio fuerimus affecti, magiſque ex animo eis adhæſerimus.

4. (2) *Objecta in quibus lætitia eſt ponenda, Deus, & Dei Voluntas.*

4. Quoniam vero Deus unus magnus eſt, æternus eſt, verum bonum eſt, omniſque boni fons & Auctor, evidens eſt, in eo uno lætandum eſſe, inque ſola ejus *voluntate*, ut & in eo, quod voluntas illa ſola ſapiens, ſola bona, ſolaque æterna ac ſtabilis, executioni mandetur.

5. (1) *Qui in* Deo *lætandum, uti in* Patre *noſtro;*

5. Quapropter liberi quam primum eo ſunt excitandi, ut in Deo & in eis quæ Deus vult, collætentur.

(1.) Itaque quoad Deum ipſum, lætantor quod eorum Pater *verus*, ſit ipſemet æternus & Omnipotens Deus, qui eos ideo creavit ut divina æternaque compleret lætitia, modo tamen ſanctiſſimam ipſius velint ſequi voluntatem, eum diligant, ei obtemperent; honores vero, bona, voluptateſque hujus mundi, quæ tam cito evaneſcent, minime proſequantur amore.

6. *Uti in Deo*

6. Lætentur quod Deus idem ſit *ſempiternus*, initio ac fine ca-

carens; quod ſit *incomprehenſibilis*, nec minimam omnium quæ in eo ſunt realitatum atque amplitudinum ulli uſquam creaturæ cogitationum repræſentatione æquare aut comprehendere detur: quod omnia & *poſſit*, & *ſciat*; quod ſolus ſit *ſapiens*, qui nos bene docere, bene regere poſſit unus: quod idem ſit & *juſtus*, & *bonus*, & omnis boni fons haud deficiens: in promiſſis (& hæc maxime ſunt gratiæ, ſunt vitæ promiſſiones) *veraciſſimus*; & in ſe ipſo immenſum in modum *felix* ac glorioſus. *æterno, incomprehenſibili, omnipotenti, omniſcio, ſapienti, juſto, bono, veraci, felici.*

7. Lætentur, quod ſolus ille Deus *dignus* ſit qui deſideretur, qui cognoſcatur, qui magnifiat, qui ametur, & cui benedicatur, quique laudetur, colatur & glorificetur in omnem æternitatem. 7. *Uti in eo qui ſolus dignus deſiderari, noſci, magnifieri, amari, laudari &c.*

8. Exultent animo quod Deus ſe naturæ noſtræ ita junxerit, ut *frater* nobis factus ſit; quodque nos ſibi in æternum ſocios cœlo ſit olim recepturus, nunc vero etiam in corda noſtra ſit venturus, inibique inhabitaturus, ſi modo nos id ipſum deſiderabimus, divinoque ejus deſiderio obtemperabimus. 8. *Qui ex immenſa bonitate nobiſcum uniri voluit.*

Tantam ejus inſignem, infinitamque *bonitatem*, & quod eam nunc jam noverint ſua gratia, quodque eâ lætentur, laudibus ac gratiarum actionibus proſequantur læti.

9. (2) Eadem ratione haud difficulter intellecturi ſunt, ſibi collætandum eſſe meritiſſimo, ſi quid ſive per nos, ſive per alios, fiat ad *Dei voluntatem*: veluti ſi *corda* menteſque noſtræ iis regantur modis quos hactenus declaravimus, & quorum uſus ſingularibus aliquot exemplis hic eſſet oſtendendus. Contrà verò, ſi quid ex propria hominis voluntate atque ad eam agatur, quamcunque etiam ſpeciem boni rectique habeat, tunc non lætitiæ, ſed potius dolori indulgendum eſſe. 9. *(2) Qui de Dei voluntate lætandum:*

10. Ex quo conſtat, acerbe mœrendum, altiſſimeque dolendum eſſe ob peccata in Deum a nobis atque ab aliis commiſſa: ſiquidem peccando, propria hominis voluntas, rejecta ac contempta voluntate Dei noſtri, perpetrata fuerit. 10. *Cur de peccatis dolendum.*

11. Simili ratione ſi quis nos exiſtimatione, ſi quis laudibus efferat, multo equidem ſi ſapimus, dolendum nobis erit magis quàm lætandum; cauſaque eſt omnino graviſſima uti Deo hic dicamus, „ Tu, Domine, præter quem nemo bonus eſt, ne„mo cauſa ullius boni, tu ſolus laudibus es extollendus: pu- 11. *Imo & de vanis laudibus. Contemtionem eſſe lætitiæ objectum coram Dei Veritate.*

 „ den-

„dendumque miſera creatura committit ſacrilegium, quoties „nomen & encomia tibi ſoli debita, ſibi attribuit. E contrario, ſi quis contemtu, ſi quis injuria nos afficiat, aut ſi forte omnia quibus ducimur & delectamur nobis pro voto non ſuppetant, iſta tum intimi gaudii argumenta eſſe deberent; quæ veluti a manu Dei tradita, eſſent animo excipienda vere contento, eaque de cauſa ad Deum dicente: „Nil ego, Domine, „præter opprobria, pœnas, rerumque omnium privationem „promerui: ea dum mihi eveniunt, juſte mihi debita obtineo: „quapropter lætor tuam, Domine, *juſtitiam* velle ita in me ap„parere. Ago gratias eam ob rem ex animo: eoque magis, „quod eo ipſo tua quoque ſanctiſſima *voluntas* ſic in me perfi„ciatur; namque hæc eſt tua voluntas, ut Chriſto tuo fia„mus ſimiles: Chriſtus autem hoc in mundo contemtu ex„ceptus fuit, male habitus, calumniis oppreſſus, rejectus, in„juriis, odio, perſecutionibus affectus fuit: non in volupta„tibus, non in commodis; ſed in ſumma penuria, in oppro„briis, in doloribus vitam hic tranſegit. Largire, Deus, „gratiam ac robur, ut dum occaſio aderit, eum ego animo „læto fortique, lente licet & eminus, tantillum ſequi valeam, „quandoquidem (a) *ſi cum ipſo patimur, una cum eo regnabimus*, „aſſeverante id Apoſtolo.

(a) 2. Tim. 2: 11.

12. Lætitiæ *erga objecta varia, uſus & abuſus perſpicua ſimilitudine fiunt evidentes.*

12. Is *lætitiæ* uſus, infantibus ſequenti ſimili evidentiſſime exponi poteſt: videlicet, quemadmodum ægrotus ſapienter agit, ſi quæ certa ſunt remedia, quanquam valde amara, cum *lætitia* ſumat; quippe quæ remedia, cum a perito Medico præſcripta ſint, certo ſequetur corporalis ſanitas: ſic etiam ii agunt uti æquum eſt, qui cum lætitia excipiunt omnes Dei erga nos agendi modos, utut valde amari nobis videantur: quando quidem nobis præſcripti ſunt a ſapientiſſimo Medico animarum noſtrarum, quæ iis acquieſcentes certiſſimam inde ſanitatem, vitamque æternum beatam ſunt adepturæ. E contrario, quemadmodum is æger ageret profecto ſtulte, qui in eo poneret lætitiam, ut quidvis palato ſuo arridens, avide devoraret, tametſi morbus inde crudeſceret, mortemque ſibi ipſe acceleraret; ita quoque ſtultiſſime agunt peccatores, qui ſpirituali morbo ægri ſunt, quando cum lætitia, quicquid eorum corrupto deſiderio ac ſenſui gratum eſt, uſurpant; cum tamen omnis, quem inde

inde reportaturi ſint, fructus, propria erit pernicies ac mors ſempiterna, docente Apoſtolo, (*a*) *id quod carni ſapit, mortem eſſe animæ.* Ubi & ſubnectit, *ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini.*

(*a*) Rom. 8: 6, & 13.

13. Quoniam vero haud fieri poteſt, ut innumeri in infantibus ſupprimantur lætandi actus, qui certe occaſione quarumvis rerum ſenſibus arridentium in iis ſæpiſſime ſe exſerunt; cumque neceſſario interdum eis nonnulla animi oblectandi cauſa ſint permittenda; duo aut tria obſervatu digna hic commendabimus.

13. *Circa lætitiam infantium obſervanda.*

14. Primum, ut ſiquando lætabuntur ſive ob aliquod donum, quod forte cibos aut veſtes aut commoda alia ſpectet; ſive propter aliud quid quod eis ſit gratum; illis tunc in memoriam revocemus, ea omnia a Deo & condita eſſe, & profecta; ſic ut idcirco Numini agant gratias, cogitentque illico, Deo infinitè plura ſuppetere, quæ ſuis elargiatur amatoribus, ſuis obſequentibus, iiſque qui illius amore parati ſunt minuſcula iſtiuſmodi omnia dimittere ſimul ac Deum id velle cognituri ſunt.

14. (1) *Lætitia in donis &c. ad Deum evehenda.*

15. Alterum erit; ut etiam atque etiam caveamus, ne teneros infantium animos ad lætitiam incitare & voluptatem ſtudeamus per hujuſmodi promiſſas, oblatas, laudatas reculas, ad quarum oblectationem a nobis provocentur, ſicuti ſæpe fit cum vel cupedia quædam, vel indumentorum ornamenta ac elegantiæ, vel nonnulli ex auro aut argento nummi, vel aliud quicquam quod ſplendidum, quod pulcrum, eis præbetur vel oſtentatur; imo ſiquando iratis permittatur in vindictæ ſpeciem nonnullos ictus in ipſas etiam res brutas, evibrare, quibus iram ſuam vel odium diſſipent, ſibique in hoc vindictæ exercitio ſatisfaciant ac complaceant: qua in re profecto idem ſpiritali modo peccatur, quod Deus olim Iſraëlitis per Regium Pſalten objiciebat: (*b*) *Filios ſuos filiaſque ſacrificarunt cacodæmonibus; inſontemque fuderunt ſanguinem liberorum ſuorum, quos Chananæorum idolis immolavere, unde inceſtata ſit terra.*

15. (2) *Lætitia in rebus non provocanda, minime vero in vindicta.*

(*b*) Pſ. 106: 37, 38.

16. Singulari quoque cura dabimus operam, ne in eis oriri aut accreſcere ſinamus propenſionem ad nummos ſive pecuniam, quæ hodie Dea mundi habetur, ad quam comparandam & poſſidendam omnes quotquot ſunt mortales unice collineant, &

16. (3) *Speciatim nec in argento. — Uſus ejus eis oſtendendus,*

Digitized by Google

& in qua cumulata omne bonum, omnem felicitatem, omnem lætitiam ponunt. Horrenda ſane idololatria, ſimulacrorum apud Ethnicos cultu haud minus mortifera ac exitioſa! Doceantur teneræ mentes, argentum quod vel nulli hominibus, vel minimo fuiſſet uſui, ſi charitate, jam, eheu, a terris exulante, regerentur, rem nullius in ſe precii eſſe, niſi quatenus confert ad nonnulla apud mundi incolas comparanda quæ ad vitam neceſſaria ſint: nec licere id ultra quam iſtiuſmodi uſûs poſtulet neceſſitas, deſiderare. Deum, ad quem, haud ſecus ac omnia reliqua, pertineat, & cui de eo ratio ſit reddenda, nobis equidem permittere, ut eo ad neceſſaria comparanda utamur; ſed eundem velle, ut quicquid ſupereſt, id egenis totum rebuſque impendatur ad divinam quæ conducant gloriam ſalutemque animarum. Quocirca, nedum infantes nummulis quibuſdam in theſauri exigui ſpeciem congerendis paulatim & reponendis aſſueſcantur, provocandi potius ſunt, ut ſi quid eis nummorum forte ſuppetat, eleemoſynas inde egenis erogent, vel ſibi quiddam quod utile ſit, librum puta pium, ad ſui inſtitutionem, comparent, deque bono iſtiuſmodi uſu pecuniæ lætentur, ut qui pro ſcopo gloriam habeat Dei, extra quem lætari quemquam, minime æquum eſt.

17. *Deus ſcopus & finis facultatis lætandi.* 17. Lætitiæ ac delectationis facultas pro Deo facta eſt. (*a*) *Gaudete in Domino*, inquiunt ſæpius David & Paulus. (*b*) *Delectare in Domino; & dabit tibi petitiones cordis tui.* Sic ad Deum Eſthera: (*c*) *Domine, qui habes omnium ſcientiam, noſti quia oderim gloriam iniquorum, & deteſter cubile incircumciſorum..... Tu ſcis neceſſitatem meam, & quod abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ: & deteſter illud ut pannum immundum, & non portem in diebus ſilentii mei.... & quod non placuerit mihi convivium regis.... & nunquam lætata ſit ancilla tua ex quo huc tranſlata ſum niſi* IN TE DOMINE DEUS *Abraham.*

(*a*) Pſ. 32: 11. Phil. 4: 4.
(*b*) Pſ. 37: 4.
(*c*) Eſth. 14: 15. &c.

18. *Cautela adverſus abuſum lætitiæ in re ſalutis & gratiæ Dei.* 18. Ceterùm quoniam *lætitia* abuſus fieri poteſt & in ipſis quidem ſpiritalibus ac divinis rebus, cumque etiam haud conducat ſecuritatis ſemina ab ineunte ætate infantibus inſinuari, enitendum eſt, ut comparativo quodam dicendi modo ad eorum captum dilucidemus; qui ſe hoc reſpectu unuſquiſque debeat moderari.

19. Con-

Digitized by Google

19. Conſiderabimus eum in finem, Deum ejuſque gratiam veluti ingentis quis pretii theſaurum aliquem conſiderat, obſervabimuſque, quî ſe quiſquis theſauro potitur pro variis occaſionum momentis ad eum quod ſpectat habiturus eſſet.

19. *Illuſtratur ſimilitudine theſauri.*

20. Qui immenſum quidem theſaurum ita plene poſſidet, ut nec eum unquam in poſterum poſſit amittere; ejus ſane lætitia pleniſſima eſt & perfectiſſima, nullo quippe admiſto timore infirmata. Iſto quoque modo cum cœlites Deum poſſideant, quem revera nunquam amittere poſſunt, ſimili etiam lætitia exultant.

20. (1) *In theſauri ſecura poſſeſſione, quî lætandum.*

21. Quando vero hujuſmodi theſaurus nondum poſſidetur perfecte, nec ita poſſidetur quin ſingulis momentis ejus jactura fieri poſſit, ſive per innumerorum adverſariorum perpetuo inſidiantium verſutiam & malas artes, ſeu per propriam cujuſque in agendo imprudentiam & infirmitatem, perque propriam negligentiam, vel arrogantiam; clarum eſt, lætitiam ex ejus poſſeſſione conceptam metu quam maxime ſerio eſſe temperandam. Atque hoc quidem modo optimi quique, quoad vivunt, ſeſe debent erga divinæ gratiæ theſaurum habere. Hinc Paulus, quando Philippenſium ſanctos adhortatur ut *in Domino gaudeant*, eos inſimul commonefacit, ut (*a*) *ſalutem ſuam cum metu & tremore operentur.* Petrus poſtquam eos quorum fides probata erat, laudaviſſet (*b*) quod in Chriſto *exultarent lætitia inenarrabili*, monet illico, ſi quidem quem *Patrem invocant*, is eorum ſit futurus Judex, *qui* ipſos æque ac ceteros, *ſit ſine perſonarum acceptione pro ſuis quoſque operibus judicaturus*, *in timore ergo incolatus ſui tempore converſentur.* Qua de cauſa exclamat quoque per Salomonem Spiritus S. (*c*) *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus!*

21. (2) *In poſſeſſione incœpta, quæ poteſt amitti, lætandum cum timore.*

(*a*) Phil. 2:12.

(*b*) 1 Petr. 1:8. & v. 17.

(*c*) Prov. 28:14.

22. Quod ſi quis ingentem hujus generis theſaurum ſua culpa amiſiſſet, nihilque aliud ejus loco haberet atque conſpiceret quàm ærumnas & egeſtatem: ei tamen reſtitutionis ſpes promiſſo facta eſſet; hac quidem lege, ut & de jactura præterita vivo ſinceroque dolore tangeretur, & in futurum quæ ei committenda eſſent ſapienter regeret: is equidem rurſum haberet unde ea (*d*) *in ſpe lætaretur*, non tamen ideo eliminandus eſſet ille mœror, culpæ jacturæque præteritæ, ac præſenti egeſtati debitus; neque dimittendus metus de futura impotentis adhuc de-

22. (3) *In theſauri amiſſione actuali, ſed cum ſpe novæ acquiſitionis ejus, lætandum cum mœrore & lacrymis.*

(*d*) Rom. 12:12.

Digitized by Google

debiliſque creaturæ agendi ratione. Ita quoque erga Deum divinamque gratiam agendum eſt. Declarat David, ſe, ubi de peccatis ſuis, deque Dei jactura cogitaret, lacrymando ac mœrendo diu noctuque confici. (a) Ipſe Deus teſtatus eſt, ſui copiam ſe facturum nulli, niſi cujus cor indigentiam *paupertatemque* ob eum amiſſum anxie agnoſcet; cujus *ſpiritus* ob offenſum Deum *contritus* erit; cujus anima ſuſceptura ſit *cum tremore ſermones* Domini, metuens ſcilicet ne eis in poſterum fideliter ſatisfaciat: (b) *Ad quem*, inquit, *reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum Spiritu, & trementem ſermones meos?* Affirmatque conceptis verbis Chriſtus, (c) *conſolationem* pro eis fore *qui ploraverint*, peccata videlicet tum ſua tum aliorum; eoſque idcirco *beatos* pronuntiat.

(a) Pſ. 6: 32. 38. 42. &c.
(b) Iſa. 66: 2.
(c) Matth. 5: 4.

23. (4) *Quibus vero omiſſis, ſola lætitia ſeductio eſt cordis cæci.*

23. At vero ſiquis ſalutifera hacce circumſpectione prætermiſſa, non niſi jucundos lætitiæ ac gaudiorum ſenſus aucupabitur; in iſtiuſmodi profecto lætitia nullo nidulabuntur negotio aſylumque collocabunt amor proprius, ſui ipſius ſecum oblectatio, miſeraque animi cœcitas, quæ corruptionis noſtræ immenſitatem nobis obvelans, obſtabit quominus de ea ſananda ſimus ſolliciti; imo tantum nobis inde ridicule ſumemus, ut ob imaginariam de poſſeſſis omnibus divitiis divinis perſuaſionem, quamque ex iſta perſuaſione capimus delectationem & lætitiam, eas reapſe a nobis poſſideri ſimus credituri, tametſi adhuc ab eis abſimus immenſum; veluti in Laodicenſium Eccleſia videre eſt, quæ ſe ſuiſque rebus contenta, alacriter cantillabat, (d) *dives ſum & locupletata, nulliuſque indigeo:* dum tamen Chriſtus ſuccineret: *atqui neſcis te miſeram eſſe, & ærumnoſam, egenamque, & cæcam & nudam!* Unde idem in Euangelio (e) *væ* denunciat, *eſuriemque*, & *luctum*, & *fletus*, omnibus iſtiuſmodi, quotquot ſunt, arrogantia *divitibus*, imaginatione *ſaturatis*, inconſiderate *ridentibus* ac lætantibus, quos (f) ad *miſeriæ* ſuæ ſenſum, ad *lamenta* & *ploratum*, ad *luctum* & *gaudii cum mœrore mutationem* appellat Jacobus Apoſtolus: alioqui futurum, Sapientis quidem ſententia, (g) ut *qui mentis ſit dura, in malum corruat.*

(d) Apoc. 3: 17.
(e) Luc. 6: 24. &c.
(f) Jac. 4: 9.
(g) Prov. 28: 14.

24. *Hacce Sapientia Dei eſſe moderanda.*

24. Quapropter lætitiam timore temperare, triſtitiam gaudio moderari poſſe, omnino cœleſtis eſt Sapientiæ: (h) *Initium ſapientiæ, timor Domini. Intellectus bonus omnibus id facientibus.* (i) *Beatus vir qui timet Dominum, & mandatis ejus (faciendis) multum* de-

(h) Pſ. 111: 10.
(i) Pſ. 112: 1.

Digitized by Google

delectatur; inquit Pſaltes, qui idem auctor eſt, ut quotquot Chriſti gratiam ac gloriam meditatione præſentes ſibi ſunt redituri hoc ſeſe ſolatio conſolantes, id animo ſubmiſſo, & timore ac lætitia temperato, faciant: (*a*) *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Quando e contrario pſeudoprophetæ (*b*) unam promiſcue lætitiam, pacem, ſecuritatem omnibus acclamitant.

(*a*) Pſ. 2: 11. (*b*) Ezech. 13: 16 &c. 1 Theſſ. 5: 3.

Sectio V.

De cultura Facultatis Agendi, *ſive exſequendi, quæ divino è motu principioque atque ad ſcopum cæleſtem dirigenda eſt, & quidem ſecundum Voluntatem Legemque Dei, cujus inculcatur epitome.*

1. Ubi facultates *deſiderii*, *intellectus* ac *lætitiæ* prout decet ordinatæ ſunt atque conſtitutæ, reliqua alia facile ſua ſponte ſequuntur. Verum tamen, quoniam ut plurimum neceſſario agendum eſt etiam prius quam intima noſtra debito modo bene ſint undique compoſita atque firmata, cumque præterea internis adjumento ſoleant eſſe externa ſæpiſſime; neceſſe erit, peculiares hic quaſdam habere regulas, quæ Actiones externumque noſtri moderamen reſpiciant.

1. *Neceſſitas Regularum* Actiones *reſpicientium.*

2. Omnium fundamentalis Canon, hic eſto. Corpus noſtrum vitaque cum ad Deum pertineant de iiſdem ad divinam voluntatem, non ad noſtram, diſponendum eſt.

2. *Canon ſive* Lex fundamentalis *quantum ad Actiones*, Voluntas Dei.

3. *Voluntas noſtra*, quandoquidem naturaliter corrupta verſuſque nos ipſos, verſus proprium *commodum*, proprium *honorem*, propriamque *delectationem* converſa eſt, cumque ita pariat in nobis *avaritiæ*, *ſuperbiæ*, ac *voluptuoſitatis* (ut ſic dicam) vitia mortifera, quæ operationibus Dei, quas ſuffocant, in nobis noſtræque ſaluti impedimento ſunt; oportet, ſiquidem hæc velimus e nobis extirpare, ut enitamur omnia *ex abnegatione omnis proprii* agere; utque adeo mature & infantiles, quoad fieri poteſt, aſſueſaciamus animos, ut quicquid ipſi acturi ſunt, id (di-

3. *Voluntatis noſtræ tria falſa agendi principia*, commodi, honoris & delectationis, *removenda per oppoſita tria*, chari-

tatis, humilitatis, ac pœnitentiæ.

Chriſtianiſmi Spiritus, quis.

(divino innixi auxilio) ex indole peragant tum *charitatis*, aliorum bonum quærentis; tum *humilitatis*, laudem & exiſtimationem ſui non cupientis nec intuentis; tum quoque *pœnitentiæ*, quâ neque animi neque corporis quærantur delectationes; ſed deſideretur potius conformitas cum Chriſto crucifixo, in palo ſine ſolamine coram oculis noſtris animam agente. Et hæc quidem vera dicenda eſt indoles, verus hic practicuſque ſpiritus Chriſtianiſmi veri *vitæ*que Chriſtianæ, qui proprii honoris, ut patet, indoli, & propriæ delectationis, propriique commodi; naturæ corruptæ, ad æternum interitum ſuaviter ac jocando quoſvis ſponte ſequentes præter exſpectationem ducenti, plane oppoſitus eſt.

4. VOLUNTAS DEI *pro principio & fine ſummo aſſignat* Gloriam Dei: *pro medio*, ſalutem *noſtram*.

DEI vero *voluntas* eſt, ut nihil faciamus niſi illi placendi gratia. *Placitum* vero ejus eſt, ut ipſe per ſalutem noſtram gloria afficiatur. *Gloria* ergo Dei noſter finis ſit oportet ſummus, abſolutus, univerſalis. *Salus* vero noſtra ut medium habenda eſt, quo ad ſummum illum attingamus finem, benedicamuſque, & æternum laudes ac gloriam tribuamus immortali Numinis Majeſtati.

5. *Gloria Dei, qui per actiones promoveatur,*

5. *Gloria Dei*, hac quidem in vita, à nobis promovetur, quando vi virtutique CHRISTI JESU *cedimus* in nobis locum, cumque a divina ejus potentia & virtute produci per nos ſancta ſinimus opera, propter quæ honoretur, benedicatur, lauderurque diviniſſima eorum cauſa, ſacra videlicet Dei virtus ac potentia, e qua quippe ejuſmodi bona profluxerunt, quæque in ſe conſequenter immenſum plura infinitè oportet ut complectatur. (a) *Si quis in me manet*, inquit Dominus, *& ego in eo, is multum fert fructum: ſine me vero nihil facere poteſtis ... in eo autem glorificabitur Pater meus, ſi vos fructum plurimum tuleritis*; (b) *ut homines dum viderint opera veſtra bona, glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.*

(a) Joh. 15: 5, 8.
(b) Matth. 5: 16.

6. *Id ad omnes actiones ſine exceptione eſſe extendendum.*

6. Atque id quidem ad omnis generis res *actioneſque*, nullis exceptis, extendi debet, quandoquidem quicquid fiat, id ad Dei gloriam debeat fieri: nihilque recte fieri poſſit niſi in *Nomine*, id eſt, in virtute, vi ac robore, in benedictione ac directione JESU CHRISTI. Ita Paulus: (c) *Sive comeditis, ſive bibitis, ſeu quid aliud facitis, omnia ad Dei Gloriam facite.* . & , (d) *quicquid vel verbis, vel re facitis, id in Domini* JESU *Nomine facitote.*

(c) 1 Cor. 10: 31.
(d) Col. 3: 17.

7. Sic,

7. Sic, exempli cauſa, is comedet bibetque ad gloriam Dei & in Nomine Chriſti, qui functiones iſtas obiturus eſt eo principio ac eo modo, quæ a Deo adepturus eſt, ſiquidem ei dixerit ex animo; „Ne me ſinas, Domine, creaturam tuam, cibo „potuque ex appetentia mere bruta, proque vita ſolùm naturali „abuti; multoque minus pro libidine luxuriantis corruptæque „naturæ meæ: ſed largire ut Spiritûs Filii tui Jeſu Chriſti vi „atque potentiâ mihi auxiliante, meque dirigente, cibi ac po„tus pro tuo inſtituto tantum capiam, quantum neceſſe ſit ad „ſuſtentandam vitam, quam amori tuo, nomini tuo ſanctiſſi„mo benedicendo, tibique uni per imitationem vitæ Redem„toris noſtri, gratia tua exprimendæ, totam velim devovere.

7. Exempla. In ſumtione cibi, cum Oratione *ante eam ad Deum, ut in Nomine Dei & Chriſti edamus.*

8. Eadem ratione ad gloriam Dei & in nomine Jeſu Chriſti loquemur, ſi petierimus ac tenuerimus ab eo vim nihil proferendi niſi quod ipſe moderetur, nihil niſi quod ſit neceſſarium utileque, atque etiam idoneum ad bona cogitata, ſuppreſſis malis vaniſque, ingeneranda omnium qui nos auſcultant mentibus.

8. In locutione. Qui loquendum in nomine Chriſti.

9. Uno verbo, cuncta fiunt ad gloriam Dei & in Nomine Chriſti, quando divinâ Chriſti gratiâ, vi, virtuteque in cordibus noſtris ante omnia prius poſtulatâ, per eandem, Dei convenienter voluntati, e principio cœleſti, ad ſcopum divinum, perficiuntur quæcunque perficienda ſunt, juxta Apoſtoli Petri admirabile hocce præceptum: (a) *Unuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alios eam adminiſtrate, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur*, loquatur *quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat*, miniſtret *tanquam ex virtute quam ſuppeditat Deus; ut in omnibus glorificetur* Deus *per* Jesum Christum, *cujus eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen!*

9. In rebus ceteris; qui ad Dei gloriam, & in nomine Chriſti ſingulæ facienda, ſecundum Voluntatem Dei.

(a) Petr. 4: 10, 11.

Hactenus in genere de Divina voluntate, *actionum* regula.

10. *Voluntas Dei* ſingulatim in Decalogi mandatis ſignificatur. Hæc ut memoria teneant pueri, curandum eſt, quæ interim, pro illorum captu, ipſis ad litteram primum explicabuntur. Ubi vero aptiores erunt, docendi erunt Legem, ſiquidem ſpiritalis ſit, auctore quoque Deo poſtulare,

10. Voluntas *Dei* ſpecialior *in Decalogo.*

11. (1) Ut nihil niſi Deum ſolum, eumque propter ſe ipſum, diligamus.

(2) Ne Deum putemus ſimilem eſſe cogitatis ac *imaginatis*

11. Decalogi præceptorum ſenſus.

Spiritualior breviter indicatur. quæ infirma noſtra & tenebricoſa Ratio humanumque judicium de eo fabricantur: neve cogitemus, cultum Deo gratum eſſe eum, qui a voluntate propria imaginationeque noſtra efficitur.

3. Ne *Dei Nomen*, ejus fœdus, notitiam, gratiam, filiorum Dei jus ac titulum *uſurpemus* aut jactemus *in vanum*, ſive fruſtra atque inutiliter, fructus condignos minime ferentes: neve fraudulenter ſacra Dei, & ejus veritatis, juſtitiæ, gloriæ, rerumque divinarum nomina, obtendamus propriis noſtris cupiditatibus, affectibus, propoſitis viiſque vanis, ne dicam dominantia in nobis, ipſoque uſu adhuc pervigentia peccata & crimina noſtra ejus miſericordiæ pallio, meritiſque Filii ſui Jeſu Chriſti diſſimulemus. Qua quidem ratione, *Domini Dei noſtri nomine* horrendum in modum abutimur.

(4) Ut ex propria voluntate *operari*, agere ac vivere *deſinamus*, quo Deus ipſe in nobis & per nos operetur, agat, & vivat.

(5) Ut *veneratione* Dei verbum, voluntatem, bonaſque inſpirationes *excipiamus*, quibus ille nos ſpiritali modo generare cupit, novaſque ex nobis creaturas facere, quæ in terra nobis ab illo danda, diutiſſime vivant, ſive, vita fruantur æternum beata in Paradiſo filiis ſuis promiſſo.

(6) Ne imaginem Dei in nobis aut aliis *occidamus*, neve animas noſtras ſpiritali vita ſpoliemus; aut animas etiam proximorum per exempla vitæ ethnicæ, mundoque ac impietati deditæ, perimamus.

(7) Nulla creatura præter neceſſitatem, & extra Dei voluntatem, pro ſola voluptate abutendum eſſe: quod id animi ſit (*a*) Jac. 4: 4. (*a*) *adulterium*.

(8) Deo, ad quem omnia pertineant, eripiendum nihil *furtoque* ſubducendum eſſe, non amorem affectuſque noſtros, non vitam, non tempus, non bona, non labores, aliò ea impendendo quam pro ipſo.

(9) Ex nobis ipſis & ſine Dei lumine *neminem a nobis judicandum*; alioqui, tenebris quum obſiti ſumus, uti omnes homines obſiti ſunt, cœcum non poterit non eſſe judicium noſtrum & temerarium, in quo graviter in Deum peccabimus.

(10) Rebus quas habemus, nos ita contentos eſſe oportere, ut

Digitized by Google

ut plura non cupiamus; omne ſiquidem aliud deſiderium, *concupiſcentia* ſit, lege prohibita.

12. Denique tenendum eſt, ea quæ a lege poſtulantur, quanquam ſint carni, per peccatum viribus fractæ, impoſſibilia: nihilominus quando Spiritum Chriſti animæ impertitur Deus, eam tunc animam per Spiritum illum Domini, aut potius ipſum Domini Jeſu Spiritum in ea anima, quicquid a lege poſtulatur, re vera efficere: quo ſine, nec Spiritum Chriſti ab homine poſſideri cenſendum eſt, eumque necdum ad Chriſtum, ceu ejus filium, aut tanquam ab eo juſtificatum, pertinere: ut docuit Paulus. (*a*) Neque idem verus quoque fidelis erit, veraque fide adhuc dum ſolide præditus, quippe quæ (*b*) fides legem non deſtruat, ſed eam ſtatuat: quæque præſtet (*c*) ut cuſtodiamus mandata Dei vincendo mundum: & ut communionem cum Deo habeamus in lumine, atque in illo ſtatu, extra quem nemo meritorum Chriſti, ejuſque mortis, particeps eſſe queat: quandoquidem (*d*) *ſi nobis cum Deo communionem eſſe dicimus, & tamen in tenebris degimus, mentimur, nec verum facimus. Sin in luce verſamur, ut ipſe in luce eſt, nobis eſt inter nos communitas; noſque* tunc *Jeſu Chriſti ſanguis, ejus filii, expurgat ab omni peccato.*

12. Qui Spiritum Chriſti habent, in illis mandata Dei vivunt & obſervantur per eundem Spiritum Chriſti, aſſerente id Scriptura ſacra.

(*a*) Rom. 8: 3, 4, 9.
(*b*) Rom. 3: 31.
(*c*) 1 Joh. 5: 3, 4.
(*d*) 1 Joh. 1: 6, 7.

13. Voluntas Dei circa ea quæ a nobis ſunt agenda, ſingulariſſime & veluti per compendium traditur in capitibus, Matthæi quidem V. VI. VII. Joannis vero XIII. XIV. XV. XVI. nec non in primis Epiſtolis tum ejuſdem Joannis, tum Petri, quæ ut infantibus ſint quam familiariſſimæ, curandum erit, addito Davidis Pſalmo CXIX. qui maximus omnium cum ſit, quoties ſacra hæc legentur, ex ejus pauſis una concluſionis loco poterit eſſe. Libellus Thomæ a Kempis de Chriſti Imitatione, omnium adeo ſuffragiis approbatus, hiſce poterit quoque conjungi.

13. Specialiora de Voluntate Dei e Scripturis & piis libris haurienda.

14. Univerſæ Dei leges, adeo ſalutares & admirandæ, quas David tam frequenter, tanto cum ardore, tanta cum admiratione concelebrat; quas omnis Scriptura ut vitalem ſcaturiginem, ut cordis lumen, ut animarum theſaurum commendat; quas Chriſtus ipſam (*e*) *vitam æternam* nuncupat; quas Spiritus Dei Chriſtianis promiſſus in animis, in quibus habitat, vi potenti ſua inſcribit atque vivificat, ad quatuor poſſunt reduci, quæ ſunt,

14. Omnes Dei Leges ſalutares ad quatuor reducta.

(*e*) Joh. 12: 50.

(1) Ama-

(1) Amare Deum.

(a) 1 Cor. 2: 2. (2) Amare Jesum Christum Crucifixum: (a) Eum, inquam, ejuſque crucem; (b) ejus calamitates, ſupplici-

(b) Phil. 3: 10. ciorum ejus communitatem, cum ipſius morte conformitatem;

(c) Coloſſ. 1: 24. (c) utque impleantur in carne noſtra, ea quæ Chriſti perpeſſionibus deſunt.

(3) Amare Proximum.

(4) Ac Semet ipsum odisse. Luc. 14. v. 26.

15\. *Amabilitas ac veneratio Legum Dei, infantibus quam primum & quam penitiſſime inculcandæ: idque ex ſcripturis ipſis.*

15\. Atque huc revera quæcunque ſunt, redeunt omnia. Quapropter eorum amorem ac venerationem infantium animis ac medullis intimis quam primum & quam penitiſſime erunt inſpiranda, hique eo animandi, tum lectione, tum precibus ac imploratione gratiæ Divini Spiritus, tum quoque aſſidua incomparabilis illius Davidici Pſalmi, modo laudati, meditatione, nec non & ſequentium e Pſalmo alio verborum quotidiana ruminatione: (d) *Lex Domini*, (lex Amoris Dei, lex Chriſti ejuſque crucis, lex caritatis proximi, noſtrique odii,) admirabilis illa ſanctaque lex, ubi intus, in cordibus per Dei Spiritum imprimitur atque vivificatur, *immaculata* lex *eſt*, *convertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis. Juſtitia Domini recta, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos: Timor Domini Sanctus, permanens in ſeculum ſeculi; judicia Domini vera, juſtificata in ſemetipſis. Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum; & dulciora ſuper mel & favum. Etenim ſervus tuus cuſtodit ea; & in cuſtodiendis illis retributio multa.* Lex denique Domini præſentiſſimum eſt veriſſimumque antidotum contra omnia peccata & mala quando eam in cordibus noſtris reponimus atque conſervamus: quemadmodum fecit David, Domino in ſignum memoris gratique ob hanc rem animi dicens, (e) *in corde meo abſcondi eloquia tua ut non peccem tibi.*

(d) Pſ. 19: 8, &c.

(e) Pſ. 119: 11.

16\. *Memores quoque faciendi fœderis cum Deo in Baptiſmo initi: item ut ſe reddant Communione ſacra non indignos ſuo tempore.*

16\. Non minus quoque inculcandum erit infantibus, ſe in Baptiſmo fœdus cum Deo pepigiſſe; in quo quidem Deus ex ſua parte, ſe eorum fore Deum promiſerit, hoc eſt, ſe ipſum, Patrem, Filium & Spiritum S. omniaque bona ſua ac beneficia cum eis communicaturum, quorum quidem jamjam receperint aliquot primitias, modo ne eas peccatis ſuis, malaque ac minime Chriſtiana vivendi ratione, deperdant, ſiquidem & ipſi ex parte ſua Deo viciſſim promiſerint, ſe totos, corpus ſuum, animam,

Digitized by Google

mam, deſideria, intellectum, lætitiam, ac delectationes, actiones, vitam ſuam omnem, omniaque ſua perpetim fore illi, omnibuſque ſanctiſſimis illius placitis, qua obedientia filios decet, penitus devota, abnegatis in totum ſe ipſis, peccato, mundoque & Diabolo; ac ad effectum adductis quæcunque hactenus expoſuimus, quippe quæ nemo omittere poſſit, quin eo ipſo Baptiſmum ſuum cum Chriſtianiſmo ejurare dicendus ſit; ſeque omnino indignum reddat qui debito tempore ad Sacram admittatur Communionem, a Chriſto Jeſu eum in finem inſtitutam ut nobis arrhabo ſit perfectæ nobiſcum ac pleniſſimæ ſui ipſius ſuorumque bonorum communionis, tum & communionis quoque quam inter ſanctos vult ſuos in Spiritu æternæ Charitatis intercedere.

Sectio VI.

Regulæ *quædam ſpecialiores, ad quas conformandos ſe habeant infantes. Opuſculi* Conclusio.

Ceterum vix dubitem quin unuſquiſque ſatis teneat communiores quaſdam regulas, unde conſtet, qua ratione infantes ſeſe erga Deum, erga parentes, erga proximos, erga ſemet ipſos etiam, gerere debeant: quæ quidem eorum officia hac de cauſa illis erunt commendanda, quod ea ſit Dei voluntas. E hujuſmodi vero regularum numero, ſequentes, opinor, fuerint; Regulæ *quædam infantibus potiſſimum inculcandæ.*

1. Reſpectu Dei. 1.

Sic vivere & ſic agere, ut qui ſemper ſimus in conſpectu Dei, nos ſanctis cum Angelis ſuis continuè intuentis, & quæcunque fecerimus, dixerimus, cogitaverimus, bona malave, in judicium ſuum adducturi, unde æternam mercedem aut pœnam reportaturi ſumus. *Quemadmodum debeant ſe gerere reſpectu* Dei.

Eum mane, veſperi, tum & ante cibum capiendum eoque item ſumto, conſtanti precum exercitio invocare.

Animum ſæpius ad Deum attollere, præſertim in omni labore & opere antequam inchoëtur; ut Dei auxilium & benedictionem in eo faciendo aſſequamur: quo peracto, Deo agendæ gratiæ, opuſque ipſum ei, ejuſque divinæ gloriæ, offerendum.

Digitized by Google

Divinas veritates tum domi, tum in templis, cum attentione ac veneratione audire; nec tamen nobis perſuadere, debitum Deo a nobis cultum eſſe præſtitum, quando eas ſolùm audivimus, aut etiam memoriæ impreſſimus: verùm inſuper Deum eſſe etiam atque etiam implorandum, ut earum ille nobis verum ſenſum impertiatur, eaſdemque ſuâ gratiâ in corde humili, ſubmiſſo, obtemperante & ſimplici animare dignetur.

2. Reſpectu Parentum ac Superiorum.

2. Reſpectu Parentum ac Superiorum.

Pro eis preces Deo offerre.

Eos cum metu & reverentia diligere.

Eis ſine obmurmuratione obtemperare, in ipſis quoque rebus quæ nobis haud arrideant, modo tamen non ſint evidenter peccatis obſtrictæ, inque Deum & mandata ejus impingentes.

Nec iis denique inſciis, ſineque eorum permiſſu, quicquam facere.

3. Reſpectu proximi & æqualium.

3. Reſpectu proximi & æqualium.

Etiam pro iis Deum precibus adire.

Diligere eos, iiſque tanquam nobis ipſis benevelle; neque iis quicquam facere, quod nobis fieri nollemus.

Nulli ſe anteponere: ſed omnes ſe ipſo meliores reputare.

Pacem cum iis colere. Eos ferre. Si qua in re nos offenderint, nunquam in eos ſeu conviciis, ſive alio quocunque modo, vindictam exercere; ac ne id quidem vel ſolo deſiderio: verùm potius eis ex animo ignoſcere quemadmodum volumus uti nobis Dominus ignoſcat; atque etiam in eorum gratiam Deo preces fundere ſingulariores.

4. Reſpectu Sui.

4. Reſpectu Sui.

De ſe ſemper demiſſiſſime ſentire. Quemadmodum ipſe de ſe Pater credentium Abrahamus, utut ſanctiſſimus, (a) *Pulvis ſum*, inquit, *& cinis*.

(a) Gen. 18: 27.

Ordinatis tantum horis cibum capere; idque & ſobrie, & indiſcriminatim ex omni quodcunque apponetur, ſive gratum iis ſeu ingratum videatur.

Non ſplendida, non copioſa deſiderare; ſed paucis contentum eſſe.

Tempus prout a Superioribus præſcriptum eſt, impendere.

Nunquam otioſum eſſe: ſiquidem eſt, ut ajunt, Otium pulvinar Satanæ.

Quic-

Quicquid agant, id quam optime poterunt, agere.

Non mentiri: non altercari: non contradicere: verba inutilia non proferre: ſicubi erratum eſt, excuſationem non quærere; ſed animo prompto ac ingenuo culpam fateri; ejuſque a Deo, ſuperioribus ac proximis, veniam deprecari; quo gratia obtineatur a Deo, qui aliàs quamdiu peccata excuſabuntur, tamdiu eadem non condonaturus eſt.

5. Quod ad infantiles objurgationes ac caſtigationes attinet, neminem fore reor, qui neſciat, erga eos quidem qui docilis, ſedatæque ac modeſtæ ſunt indolis, non tam ſeveritate, quam amicitiæ ac lenitatis demonſtratione, utendum eſſe: cum e contrario, ubi prius nequicquam lenitudine uſi ſunt educatores, magis expediat ſeveritatem oſtendere iis, quorum indoles eſt ferocior, contumax, petulans ac immorigera: dum tamen his ſignificetur, ſe non alia de cauſa non adamari, ut alioqui fieret, quam quod moribus adeo iniquis ſint præditi.

5. Qui erga eos lenitate vel ſeveritate utendum.

6. Infantes ubi probe agunt, benignuſque idcirco eis demonſtratur animus, longe ſatius eſt eò adduci, uti unum idcirco collaudent Deum, dicentes „Tu ſolus, Domine, laudandus, „quod me, recti qui nil poſſum te non auxiliante, nunc dignatus ſis ope tua ad boni quicquam faciendum: id inquam multo magis præſtat, quam ſi ipſimet directo laudentur: hinc ſiquidem immineat periculum, ne amor proprius, ſuimet in ſeſe oblectatio, ſuperbiaque, hoc modo in iis vel ingenerentur, vel grandeſcant. Sibi de ſeſe complacere, omnium eſt peſſimus animi character. Præſtaret male egiſſe, ſibique ea de re diſplicere; quam bene feciſſe, ac ſibi propterea congratulari, ſecundum illud Auguſtini: *Melius eſt peccatum humilians, quam juſtitia inflans.*

6. Beneagentes non tam laudandi, quam ad Deum laudandum inſtituendi, ne amor proprius & ſuperbia promoveantur.

7. Quidquid ab infantibus inconſulto vel ex ignorantia peccatum eſt, vel ita actum ut malum ſubeſſe neſcirent, id eis condonari æquum eſt, modo tamen de officio ſuo pariter inſtruantur: ſed ſi quæ mala cogitatò committant, atque ita ut a ſe peccari haud ignorent, eapropter pœnæ ab ipſis ſunt exigendæ, haud ſecus ac ſicubi obedire detrectent, aut cum mentiuntur, vel aliquem concutiunt, & ſiquæ ſimilia patraverint.

7. Quid condonandum, itemque non condonandum in infantibus.

8. Cum caſtigandi fuerint, ſemper opus erit, ut prius de ſua culpa quantum poteſt convincantur, ita ut capiant ſe ea ſe-

8. Infantes de ratione cur

caſtigentur, inſtituendi ſunt. feciſſe quæ a ſe minime fieri debuiſſe ſciebant; ac proinde juſtum eſſe ut propterea coërceantur; idque tum ex amore quo eos proſequimur, tum ad commodum bonumque ſuum fieri.

9. *Iſta ratio eorum captum non ſuperat.*

9. Quæ ſane ab iis percipi poſſunt haud difficulter, adeo clara ſunt hujuſmodi principia, malum videlicet Deo hominibuſque diſplicere. Idem coram Deo hominibuſque pœnas promereri. Id, niſi coërceretur, fore ut accreſceret, ut fieret inſanabile, utque tandem ſempiternæ conſequerentur pœnæ. His ut eatur obviam, animæque eorum, pro amore quo eas proſequimur, inde dum licet eripiantur, expedire, ut ipſimet ex pœnis, futuræ vitæ ſuppliciis millies atque millies levioribus, nonnihil deguſtent. Idque tunc effectui dandum eſt; moderate equidem, attamen eorum ploratûs haud habita ratione: atque ubi culpam iterabunt, non neglecta quoque coërcitionis iteratione. Eſtque hic æquiſſimus infantes caſtigandi modus veriſſimum amoris erga eos documentum; quo ſemel atque iterum opportune adhibito, id facile conſequemur, ut quas induere incœptabat formas malas tenerior animus, eas tunc omnino deponat: ubi e contrario, quando ex inſulſo erga eos amore, qui potius crudele odium dici debet, eis indulgetur, non raro quoque luctibus una cum iis hic & in futura vita erit indulgendum.

10. *Ab immoderatis coërcendi modis ſummopere cavendum; & cur.*

10. Verumtamen ex altera parte, quam maxime ab inhumanis, iracundis ac immoderatis coërcendi modis cavendum eſt; quippe qui nimia indulgentia non minus ſint noxii: efferatur ita tenerior animus; indidemque tum bonum ipſum, ad quod vi tam inhumana truditur, perhorreſcit, tum eos apud ſe execratur, quos ſibi non immerito hoſtium ſive carnificum loco habendos eſſe putabit.

11. *Plura alia Educatoribus relinquuntur, verbis & exemplis ſuis docenda.*

11. Sunt & alia haud pauca ſive erga infantes agenda, ſeu eis inculcanda, quæ omnes quibus liberorum ſuorum debita educatio uti par eſt chara erit, ſuis facile vel ex ſe ipſi ſunt inſinuaturi, aut etiam e poſitis hactenus principiis haud difficulter collecturi: quæ quidem omnia optandum eſſet, ut parentes quivis ac inſtitutores prius ipſimet propria praxi ſtabilirent, propter ſalutem tum propriam, tum liberorum ſuorum, cum hæc non minus ſuarum quam animarum propria eis debet eſſe commendata: qua de cauſa proinde divinam gratiam indeſinenter implorare tenentur, ut per eam & ſe ipſos, & ſuos, debito modo

do poſſint gubernare; neve actionibus & exemplis ſuis ea evertant, quæ ſolis aliàs verbis, per facta contraria enervatis, fruſtra commendarent.

12. Erunt vero fortaſſe haud pauci quibus præcepta hæcce videbuntur aut omnino impoſſibilia, aut ſaltem ridicula nimis quàm ut parvulis ſint inculcanda, vel ab iiſdem praxi obſervanda. Verùm non aliam ob cauſam impoſſibilia videri poſſunt, quam quod ipſimet a primis annis ad ea educati non fuerimus; aliàs facilſſima plane reperirentur. Neque vero ridicula cenſeri poſſunt, niſi quo modo crux Chriſti ſtultitiæ deputatur, comparate ſcilicet ad principia hujus mundi, qui tamen ipſe inimicus Dei eſt; ac ejus ſapientia, coram Domino mera ſtultitia. Hinc Scriptura de eo ad homines: (a) *O degeneres! neſcitis mundi amicitiam, Dei eſſe inimicitias? Qui vult amicus eſſe mundi, inimicus efficitur Dei.* Quænam vero hac de re præcepta nobis in divino verbo traduntur? (b) *Ne vos huic ſeculo præſtate ſimiles.* (c) *Ne amate mundum neque mundana. Si quis mundum amat, is non eſt Patris amore preditus. Nam quicquid in mundo eſt, videlicet carnis cupiditas, & oculorum cupiditas, & vita arrogantia, non a Patre; ſed a mundo eſt. Et mundus abit, & ejus cupiditas: ſed qui Dei voluntati paret, is manet in ſempiternum.* 12. *Præcedentia nec impoſſibilia nec ridicula poſſunt videri niſi male educatis Amatoribus mundi, quibus Crux Chriſti, ſtultitia eſt.* (a) Jac. 4:4. (b) Rom. 12:2. (c) 1 Joh. 2:15.

13. Infelices ergo quotquot liberos ſuos juxta leges mundi educant, eumque in finem, ut hoc in mundo fortunati ſint, ut potentia, opibus, commodis, celebritate, omniſque generis fortunæ muneribus polleant, tandemque ita cum mundo & inimicis Dei æternum pereant! Diris eos parentes perpetuis ſui proſequentur liberi in Inferno, quò adductos ſe animadvertent ab illis, qui ipſimet eodem erunt detruſi, eo quod impiorum Iſraëlitarum facinus fuerint imitati. 13. *Male educantium maleque educatorum infelicitas noviſſima.*

Quippe immolarunt filios ac filias
Ad Dæmonum aras: & ſuæ propaginis
Vovere falſis ſanguinem innocuum Diis;
Terramque ſacris polluerunt cædibus.

14. Beatos autem quotquot ſpretis Satanici ac Antichriſtiani Mundi legibus, id unum curaverint, ut ſuorum liberorum pre- 14. *Aliorum autem æterna beatitas.*

pretioſiſſimas poſſint animas ſecundum S. Euangelii crucíſque Chriſti leges educare, quo dignæ reddantur Creatore ſuo, bonorumque inviſibilium ac æternorum poſſeſſione in glorioſa Dei ſanctorumque communitate. His ſui æternum benedicent in Cœlis., omneſque ſimul Dominum indeficientibus proſequentur benedictionum votis, qui eos perpetuis ſuis benedictionibus eſt cumulaturus.

Psalm. CIII: 15, &c.

Hominis ætas ſimilis eſt graminis: floret ut flos agri, qui a vento invaſus nuſquam eſt, eumque ſuus amplius neſcit locus. At Domini *clementia ab æterno durat in æternum erga ejus reverentes, & juſtitia erga natos natorum: erga ejus fœderis conſervantes, & obeundorum ejus placitorum memores.*

Psalm. CXIX: 11.

In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.

CHRI-

CHRISTIANA E JOANNE RUSBROCHIO

Comprecatio, superius laudata.

OBſecro te, benigniſſime Deus, per immenſam miſericordiam tuam, ut præſtes mihi te amare toto corde ſuper omnia; & cunctos homines atque omnes ſtatus, tum religioſos tum ſeculares, amicos & inimicos, perinde ut me ipſum diligere. Da mihi ut omnes homines venerer, nec quenquam unquam judicem aut contemnam; ſed ut ipſe potius ab omnibus contemni & abjici deſiderem: nec unquam hominibus placere appetam niſi tibi, Domine; nec cuiquam præterquam tibi diſplicere verear & reformidem: utque in omnibus tuum ſuper omnia honorem & gratiſſimam voluntatem tuam, non aliud, exequi concupiſcam.

Oro præterea, amantiſſime Domine, ut præſtes mihi ne de me ipſo aut de propriis actionibus meis præfidam aut præſumam; ſed ut tibi, ſanctiſſimiſque tuis meritis, totus innitar, & in eis potiſſimum ſpem & fiduciam meam collocem, ac nihilominus ſemper quod in me eſt, facere non omittam.

Ad hæc, vulnera, quæſo, cor meum amore tuo, & libera me ab omni privato & corrupto ac falſo amore; & da mihi cognoſcere ac ſentire Charitatem, Miſericordiam, Sapientiam ac Omnipotentiam tuam, itemque proprium nihilum & infidelitatem meam: tenebras nempe, dementiam, malignitatem, miſeriam, impotentiamque propriam.

Rogo etiam, dulciſſime Domine, ne me unquam ſinas oblivisci Mortis & Paſſionis tuæ: ſed ut in eis ſit mihi præcipua requies & acceſſus ad Divinitatem; & ut omnes vires meas in tuis vulneribus & tua morte conſumam.

Tantam etiam, piiſſime Domine, largire mihi charitatem, ut omnia propter te & facere & omittere poſſim; & ut omnis labor tua cauſa facilis mihi ſit; utque mortales omnes, & omnis eorum conſolatio, nec non quævis naturæ meæ oblectamenta, mihi tam

tam amara & moleſta reddantur, quam mihi modo jucunda ſunt; & ut æque libens eis caream, quam eis ægre adhuc deſtituor.

Oro inſuper, benigniſſime Domine, ut me in omnium hominum, tam religioſorum quam ſecularium, cordibus extinguas; & ut cunctos homines, omneſque extraneas imagines, in meo corde occidas; nec ab ulla mihi afflictione, vel cruce, vel mœrore, parcas, quæ tibi placeant, & mihi adminiculo ſint apud te: & in omni perpeſſione & afflictione quam mihi evenire permiſeris, & quæ ab hominibus mihi poſſit accidere, præſta ut me reum agnoſcere & fateri diſcam, & ut contemnam me ipſum.

Precor nihilominus, ſuaviſſime Domine, ut mortis & vulnerum tuorum Meritis, & te ipſo toto, cœleſti Patri tuo pro omnibus, quæ unquam admiſi, peccatis meis ſatisfacias, iiſdemque omnem negligentiam & defectus meos ſuppleas. Præſta etiam mihi, ut incertam mortis horam, & horrendi ac tremendi tui judicii æquitatem, itemque negligentias & brevitatem vitæ meæ, pœnaſque graviſſimas & ſempiternas impiis & peccatoribus præparatas, ob oculos habere & formidare diſcam.

Denique, Clementiſſime Domine, da mihi ut nunquam neque pacem, neque delectationem quæram aut inveniam niſi in te, & ut tu ſis cauſa & ratio omnium actionum mearum. Amen!

Alia brevior, ex alio.

Omnipotens, æterne, juſte ac miſericors Deus, da nobis miſeris propter temetipſum, facere quod ſcimus te velle, & ſemper velle quod tibi placet; ut interius mundati, & illuminati, & igne Spiritûs Sancti accenſi, poſſimus ſequi veſtigia dilectiſſimi Filii tui, Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac ad Te unum ſola tua gratia pervenire, qui in Trinitate perfecta & unitate ſimplici vivis & regnas & gloriaris Deus benedictus in ſecula ſeculorum, Amen!

AD

Digitized by Google

AD JESUM,

ÆTERNUM PATRIS VERBUM,

DEUM *carne noſtra indutum ut* COR *ſuum in nos transfunderet.*

E Gallico Auctoris paraphraſticè redditum.

O VERBUM inenarrabile,
 Expreſſa Imago Patris,
Amor Deus, hominum ſalus,
 Et certa ſpes, IESU!
In corde fac reſonet meo,
 Te cœlitus loquente,
VERBUM efficax, quod intimis
 Avide hauriam medullis.

Tua verba tot ſuſpiriis
 Diu perexpetita
Me Spiritu beent novo,
 Novum ferente Lumen:
Quo Sole nato, frivolæ
 Erraticæque fulgur
Rationis exitiabile
 Vaneſcat & recedat.

IESU, ſalutis ancora,
 Cor cordium, decuſque,
Infunde nobis COR TUUM,
 Cor mite, gratioſum,
Cor integrum, ſimplex, pium,
 Innoxium, benignum;
Cor iſtud infantiſſimum,
 Fraudis dolique purum:

Cor pœnitentiæ ſacro
 Dolore vulneratum;
Cor humilitatis intimæ
 Senſu piè modeſtum;
Cor ſacro Amore percitum,
 Deumque ſemper ardens,
Fraterna pariter viſcera
 Paſſim omnibus recludens:

Cor molle, cor tractabile,
 Obtemperans, ſequaxque;
Cor ſobrium, cor ſedulum,
 Vigil, laborioſum:

Cor cedere malis neſcium,
 Lætis nec efferari:
In aſperis, in proſperis,
 Securum, ubique prudens:

Cor expeditum & liberum,
 Nil appetens caduci,
Cunctiſque rebus invium,
 Soli patens Amori:
Ac omnibus ſpretis ſacro
 Semper vacans Amori.

Hoc COR TUUM, Cor cordium,
 Cœleſte, ſacroſanctum,
Hoc unicum Cor expeto;
 Hæc ſola ſumma voti.

Hoc Corde ſufficio Tibi,
 Hoc Corde par Amori.
Quod unicum mihi ſufficit:
 Deficiat orbis iſte
Cœlumque, ſecurus feram,
 Plus amplius beatus,
Beatus uſque in ſecula
 Cum Corde tam beato.

O ſola Vita cordium,
 Et vera Lux, IESU,
Age, languidula ſuſpiria,
 Calidula, tremula vota
Noli ſeverus ſpernere:
 Quæ ſi ferant repulſam,
Actum eſt, nec inſanabili
 Superat medulla cladi.

Age, pius, exorabilis,
 Propterque temetipſum
Hoc unico nunc munere
 Me ſuſtine beare,
Sine quo malis tot obrutus
 Fruſtra velim beari.

Digitized by Google

Tu Conditor mihi Deus,
Stator, Sator, Redemtor:
Tu Rex fidelis & Pater,
Lectiſſimuſque ſponſus:
Tu dulce præſidium mihi,
Saluſque, refugiumque,
Cujus paterna viſcera
Amore tota fervent:
Amore quem vel quot ſumus
Tot prædicant trophæa.

Ego genus tuum audio,
Tuique pars, medullis
Natus tuis, Opus tuum
Princeps, ſacrum, perenne,
Imago non delebilis,
Exemplar æviternum,
Idemque deliciæ tibi,
Amorque, gaudiumque
Futurus admirabili
Profuſione Amoris.

Quæ tanta ſpes quum crimine
Miſere meo periſſet,
Tu verè inexſuperabili
Prodigio Amoris, alto
Demiſſus æthere, ſervuli
Viliſſimam induiſti
Speciem, comeſque & particeps
Sociuſque tot malorum,
Quibus premebar, impium
Sontemque ut expiares,
Infame ſupplicium crucis
Pro me reo luiſti.

Adeſto Vindex, & Tuum
O perge vindicare!
Adeſto, ne vaferrimus
De me triumphet hoſtis.

In me tui vi Spiritus
Ejus dolos retunde:
Mundique vires contere,
Carniſque ſanguiniſque.
Victorque tot domeſticis
Me libera periclis.

Tua Vita, vitæ lux meæ,
Cruenta Mors, dolores,
In me fluant ignifluа
Virtute, & univerſos
Senſus, medullas, viſcera,
Et intimos receſſus,
Totamque mentem & ſpiritum
Novo vigore tingant:

Vigore qui vitam mihi
Ex morte germinabit,
Ex Morte Jesu quæ meæ
Impreſſa ritè carni
Vitam abroget tot ſordibus
Mihi coinquinatam;
Ut Vita ſic puriſſima
Et innocens Iesu
In me reſurgat, ſolaque
Tandem mihi ſuperſit.

Sic ſordibus, ſic crimine
Exutus & lavatus,
Dignum Tibi Sacrarium
Servator Alme fiam:

In quo, Deus, præſens agas,
Læteris & triumphes,
Verbiſque me dulciſſimis
Doceas, bees, refingas,
Et ovans tui magnalia
Amoris, & trophæa,
Et planè inexplicabile
Nomen tuum perenni
Semper viciſſitudine
Palam probata pandas.

Sic vivat intra me Deus
Mea vita, lux decuſque:
Sic ipſe florido Dei
In corde agam quietus:

Ubi vivere, Deo eſt vivere,
Gaudere, gratulari,
Deum ſentire & (a) tangere,
Præſentem & intueri,
Cognoſcere & diligere,
Guſtare & experiri,
Noviſque ſemper laudibus
Victorias Amoris
Numenque inenarrabile
Sine fine prædicare.

(a) *Attendendum eſt ad ſenſus ſpiritales.*

O P-

OPPOSITIONES VARIORUM,

contra Libellum

DE EDUCATIONE LIBERORUM, &c.

cum

RESPONSIONIBUS AUCTORIS.

Digitized by Google

AD LIBELLUM DE EDUCATIONE.

Q. Parve liber, quid enim peccaſti, dente ſiniſtro
Quod te diſcerptum turba Sacrata velit?
R. Inviſum his dixi verum, quapropter & olim
Vel DOMINUM letho turba Sacrata dedit.

AD

Digitized by Google

AD LECTORES

De ſequentibus Oppoſitionibus & Reſponſis.

Libellus qui modo præceſſit, de Liberis Chriſtiano more educandis, cum prodiret in publicum, ſive brevior uti primùm; ſive auctior, ut deinde; nullos omnino exſpectabat adverſarios, nulloſque etiam, dubio procul habuiſſet, niſi ejus in Germanico idiomate editor, Rev. D. HORBIUS, *Eccleſiaſtes Hamburgenſis p. m. nonnullis ſui Ordinis inviſus fuiſſet. quorum primo unus inter illos præcipuus, dein & alter, tandemque uno atque altero excepto, omnes ceteri ejus vexandi cauſam quærentes, rati eum eſſe vel auctorem, vel interpretem Libelli, quem ediderat & commendabat, detorſerunt, quo ad ipſis quidem poſſibile fuit, tantum non omnia libelli dicta, in malam partem, ea ut viro probo objicerent, ac de loco propterea eum removerent. Quid ea in re utrinque actum ſit, & quid inde evenerit, non opus eſt uti hic recenſeam, quando ejus adhuc recentior eſt memoria, & multis id ſcriptis proditum ſit: dicam ſaltem, anſam iſta dediſſe ſequenti* JUDICIO, *quadraginta ferme cenſuris conſtanti: quod quamvis non ſit tanti pretii ut reſponſum propter ſe mereatur; meretur tamen exſtare tanquam exemplum rei alioqui ferme incredibilis, non dubitaſſe ſcilicet Chriſtianos Theologos ſeſe veritatibus adeo Chriſtianis ac ſalutiferis opponere, iiſque abuti, ut affectibus ſuis adverſus pium Collegam inſervirent. Aliis in locis, ubi nullus invidiæ locus erat, ipſe Liber utriſque, ut ajunt, ulnis ubique amplexus eſt, & huc uſque neque ſemel neque in una lingua editus; quod unum confutationis loco eſſe poſſet, niſi præterea in* Reſponſis *ſequentibus non pauca eſſent interſerta quæ alicu-*

Digitized by Google

jus ſolidæ utilitatis eſſe poſſint, quæque, uti denuo prodirent, poſtulata ſunt.

Eadem de cauſa additæ ſunt duæ ejuſdem argumenti EPISTOLÆ, *quæ habita temporis ratione, præcedens* JUDICIUM *prævertere debuerant: ſed relictæ ſunt eo ordine quo primum cum illo in lucem prodiere. His tamen nonnulla poſt* Coronidem *ſunt addita, quibus reſpicitur ad D.* Pfeifferi *inſulſam quandam* Epiſtolam, Operibus *ejus* Philologicis nuper Ultrajecti recuſis *ſubnexam, in qua, poſtquam minimè laceſſitus voluiſſet in gratiam adverſariorum Clariſſ. Horbii in Libellum de Educatione e ſuggeſtu declamare, fuiſſetque ea ab aggreſſione ſua depulſus, ſuas abſurdius inſultationes propugnare iterum anniſus eſt.*

Indiculus appoſitus rerum ſummam & ordinem breviter indicabit.

Quamvis recognita ſunt omnia, & quædam forte addita aut ſublata, non tamen eam voluit inducere mutationem auctor quam potuiſſet niſi ſi librum eundem, non alium quam qui primus prodiit, dare debuiſſet. Dictum eſt ceteroqui in Editione prima ipſum de Educatione tractatulum, quando impugnaretur, minoris fuiſſe molis in Editione Germanica, quàm in Latina, in qua, quæ addita erant, a reliquis ſunt diſtincta. Quam diſtinctionem qui videndi erunt cupidi eam inibi reperire poterunt: hìc non fuit obſervata, quòd ea adeo non opus eſſe, judicatum ſit.

IN.

INDICULUS SEQUENTIUM.

I. JUDICIUM R. Miniſterii Hamburgenſis, *& Auctoris in illud* OBSERVATIONES. Pag. 65

ARTICULI JUDICII RR. MM. *quibus reſpondetur*, *ſequentia* IN LIBELLO *notant*.

I. De Libelli Educationis Liberorum *Auctore*, convitio *fanatiſmi* proſciſſo. 66

II. Libellum eſſe *Fanaticum*, *Enthuſiaſticum*, aliiſque *hæreſibus* refertum. 70

III. Omitti illic *Fundamentum fidei & ſalutis*, Chriſti Meritum, Satisfactionem; Illuminationem ſupponi; homines eo abduci a Chriſto. 72

IV. Pugnare cum *Catechiſmo Lutheri*. 75

V. *Mandata* Dei illic male *dividi*. Quintum de *Parentibus* male exponi. 77

VI. *Nonum mandatum* ſic exponi, ut *Magiſtratum* in judicando minuat *officium*. 78

VII. *Amorem proprium* ordinatum male tolli. De *contemtu gaudere*, improbatur. *Laudationem liberorum* male diabolicam dici. 80

VIII. Male ſtatui *legem* omnimode à nobis poſſe *impleri*. 83

IX. Male poni, *facultatibus* deſiderii, intellectus, lætitiæ & praxeos *bene ordinatis*, *cetera ex ſe* fluere. 86

X. Per *mandata*, veluti per *externa*, internis juvamen adferri, haud recte dictum. 87

XI. *Libertatem* voluntatis illic doceri. 88

XII. *Articulos fidei* e Catechiſmo *craſſa & obſcura* fragmenta rerum Divinarum male appellari, dicique de iis *clarius quid* a Deo hac in vita eſſe *exſpectandum*. 90

XIII. *Credendum* DEO & *Sanctis* circa Divina a nobis non percepta, improbatur. 91

XIV. Craſſum noſtrum *concipiendi modum* eſſe a Deo deſtruendum, ut *puram veritatis pulcritudinem* nobis oſtendat, improbatur. 92

XV. Inde ſequi, *illuminationem* plus poſſe quam *Scriptura*. Quod improbatur. 93

XVI. Dei *Amorem & Bonitatem* limitari, cum dicitur, Deum *nolle ſalvare* illos qui nolint ipſi obtemperare. 94

XVII. Male tribui *Juſtitiæ* Dei quod bonis male, malis ſit interdum bene. 95

XVIII. *Perſonas* in SS. *Trinitate* non magis illic diſtingui quam tres animæ facultates. 97

XIX. Nihil illic de CHRISTO dici, quod non quivis Socinianus & hæreticus amplectatur. 98

XX. *Juſtitiam* imputatam omitti. 99

XXI. *Siracidem* male laudari ut qui omnia deſideranda, ſcienda & facienda contineret, tametſi in eo nihil de CHRISTO. 101

XXII. Male adſtrui SPIRITUS S. *inſpirationes*, ut quæ ad majorem ducerent cognitionem quam *verbum externum*. 102

XXIII. *Verba ſonoſque* de verbo ſine Spiritu, dici male inefficacia, fragmina obſcura, &c. 104

XXIV. *Vitam ſanctam*, *puritatem*

Digitized by Google

item *cordis*, ad intellectionem veritatis requiri, improbatur. 107

XXV. *Illuminationi* regenerationem adſcribi, improbatur. 108

XXVI. *Reſurrectionem* Corporum illic negari. 109

XXVII. Ad *novam terram* ante vitam æternam ſpem male dari. 112

XXVIII. *Orationem Dominicam* indifferentem ſtatui. 113

XXIX. *Rusbrochii* Orationem Orationi Dominicæ male adjungi. 116

XXX. De Rusbrochio nonnulla. *ibid.*

XXXI. *Pſalmos* mire de veteri Adamo exponi. 117

XXXII. *Orationem* Domini male *dividi*. Male petitionem *ſecundam* exponi. 118

XXXIII. Male *tertiam* de obedientia; *quartam* de ſpiritali cibo exponi. 119

XXXIV. Non plus *optandum* ac unuſquiſque habet: improbatur. 120

XXXV. *Baptiſmum*, *Cœnam*, *Confeſſionem*, *Abſolutionem*, male illic omitti. 122

XXXVI. In *ſcientias* male invehi. 123

XXXVII. Male & commendari *Hugenii pia deſideria*, &c. neque admodum Scripturam commendari. 124

XXXVIII. CENSURARUM CONCLUSIO: in Libello de Educatione nullam fere *lineam* eſſe ſine veneno: Libellum eſſe *undiquaque* hæreticum, & fanaticum, & ad Euangelicæ veritatis *ſuppreſſionem* tendere; adeoque eſſe a quovis Chriſtiano abjiciendum &c. Hanc concluſionem magis competere RR. Virorum Judicio ac agendi rationi, probatur ex eorum inauditis in Libellum ejuſque Editorem agendi modis. 125

XXXIX. De Dom. Paſt. HORBIO, libelli Germanico Editore. 145

XL. De Libelli Editione & ſuppreſſione *Lipſiaca*; deque Dn. Doct. MAJERI adverſus illum *Admonitione*. 150

II. EPISTOLA prima, de Doctoris MAJERI *Admonitione* adverſus libellum, in qua omnes ejus obliqui prætextus palam fiunt, & refutantur. 153

III. EPISTOLA altera, in qua Magiſtri cujuſdam J. VAKE Scriptum quod in Libellum eundem edidit, confutatur. 186

IV. CORONIS: in qua præcipuæ hujus inſtantiæ in ultimo ſuo opere publicatæ, maxime vero ejus de negata Reſurrectione argumenta diluuntur. 208

Tum *Doctoris* AUG. PFEIFFERI *Lubecenſis Superintendentis* clamores adverſus Lib. de Educatione Octo Concionibus publice dati, deinde vero typis emiſſi, paucis adumbrantur & confutantur. 222

V. ACCESSIO CORONIDIS, de Doctoris PFEIFFERI *Epiſtola* quadam inſulſa ad Auctorem, quam *Apologeticam* dicit, cum ejus *Operibus Philologicis* nuperrime recuſa. 230

Nota. *Paginæ libelli in contextu ipſo citatæ, reſpiciunt editionem Germanicam: in margine vero appoſuimus numeros qui ad hanc editionem referuntur.*

Digitized by Google

JUDICIUM ADVERSUS LIBELLUM DE EDUCATIONE, ET OBSERVATIONES IN ILLUD.

Admodum RR. MM. *Hamb.* FUNDATISSIMUM JUDICIUM *de libello* PRUDENTIA JUSTORUM *dicto, per illius* DEPUTATOS 8. *Martii* 1693. *primo quidem voce, deinde vero* 10. *ejuſdem menſis Scripto cum Spectatiſſimis Dominis* DEPUTATIS *Prudentiſſimi* MAGISTRATÛS *communicatum: Atque illico tam in Senatu, quam in Dominorum* Super-ſeniorum *Cœtu publice prælectum, &c. Impreſſum anno* 1693. *Titulus Judicii adverſus Libellum de Educatione.*

OBSERVATIONES ſuas adjecit *Libelli* AUCTOR.

ADeo parvi pependerunt amici mei quæcunque contra Libellum de *Educatione Liberorum* dicta ſunt & ſcripta, ut de iis me, extra rumores & in ſeceſſu agentem, vix dignati ſint commonefacere. Ea ego omnium pene ultimus reſcivi: inter quæ *Judicium Rev. Miniſterii Hamburgenſis* de eodem Libello, quod Ampliſſimo Magiſtratui obtulerunt, deinde etiam typis evulgarunt, longe poſt cetera ſcripta, in manus meas incidit. Judicium illud etſi aliis adverſariorum ſcriptis prioribus ſit contractius, idem tamen capitibus accuſationum longe pluribus abundat, quippe vel novem ſupra triginta continens. Equidem illis, quantum ad partes præcipuas ſatisfieri poſſit facile ex

Digitized by Google

iis quæ docti quidam Viri & Theologi ejuſdem Communionis, tum & ipſemet ego, ante hac in libellos D. Doctoris Majeri, & Mag. Fakii edidimus, quod partim ex ſequentibus duabus Epiſtolis patebit. Verum quia in hoc RR. MM. JUDICIO novæ aliquæ accedunt inſimulationes, ipſæque veteres nova interdum fulcrorum ſpecie apparent; libet ad ſingulas nonnihil obſervare, &, quod cuivis accuſato licet, quæ circa hæc vera erunt candide edicere.

Apponam primo RR. MM. contextum, ad verbum e germanico redditum: huic dein Obſervata mea ſubnectam. de iis autem, ut & de *fundatiſſimo* (uti titulus præfert,) *judicio* judicabunt

Recti tenaces ſimplicis; & quibus
Eſt grata fraudum neſcia veritas.

ARTICULUS I.

RR. MM. HH. *pag.* 3.

(a) Hunc titulum Libello præfixit D. Horbius Editor Germanicæ interpretationis.

Libellus qui dicitur PRUDENTIA *(a)* JUSTORUM in Liberis a mundo ad Dominum educandis, POIRETO *a nonnullis tribuitur, qui craſſis erroribus* ANTONIÆ BOURIGNONIÆ *addictus pro fanatico habetur.*

OBSERVATIONES.

I. PRincipio, notandum eſt ante omnia (id quod etiam vix ullum latet) eos qui e Lutheranis Theologis malevolo & rixoſo ſunt animo, (pacificos enim quoſvis ex eis cum veneratione excipio) ſolitos eſſe, idque quo magis rationibus deſtituuntur, conviciis protinus inſignire quotquot ab ipſis diſſentiunt. Jam dudum non Reformati modo (b) univerſi; ſed & ipſimet Lutheranorum Optimi: v. g. Arndius, Calixtus, & quam plurimi alii pietate ac eruditione conſpicui, cui, uſu conſuefacti ſunt ſeſe ut ab iſtis videant, *Fanaticorum, Swermerorum, Enthu-*

(b) Vide Hornbek. ſum. Contr. lib. 9.

Digitized by Google

Enthuſiaſtarum, *hæreticorumque* titulis coronari: ita ut nemini mirandum ſit rem & iſto more in præſens inchoari. Antiquum obtinet: ac dejerare quis poſſit, vel Angelum de cœlo, ſi quid diceret aut ſcriberet quod iſtorum Dominorum palato undiquaque non ſaperet, fanaticum protinus aut Quakerum auditurum. Quando ipſi interim, dum incivili iſti ac inurbano conviciandi modo indulgent, minime volunt, pro naturali æquitate, quædam liberius ipſis dici. Cum veneratione poſtulant adiri: quin ſe ipſos vel in ſui *Judicii* titulo, tum in aliis ſcriptis honorifice *Admodum Reverendos*, & *Patres ſpirituales* nominant, interea dum alios contumeliis infamant. Abſit hoc ut imitetur quiſquam, tametſi illis timendum eſſet, verba poëtæ nequis objiciat,

Falſus honor juvat, & mendax infamia terret,
Quem? niſi mendoſum, & &c.

2. Voluerunt Viri RR. ex conſideratione Auctoris invidiam libello excitare, uti evidens eſt. At ſi *Kempiſium*, quem inferius (a) dicturi ſunt *cum magno judicio legendum eſſe*, ipſimet cum aliquo judicio legiſſent, aureæ huic ſententiæ forte acceſſiſſent: (b) *Non te offendat auctoritas ſcribentis.* &: *Non quæras quis hoc dixerit: ſed quid dicatur, attende.* Ipſemet Deus in judicandis dictis & factis non reſpicit ad perſonas, an Petrus, Paulus, vel Joannes fuerit qui hoc illudve dixit aut fecit; ſed, an res ipſa dicta aut facta ſit in ſe & ex natura ſua vera aut recta, quiſquis etiam fuerit ejus auctor; Tros Rutulusve fuat. *Ecce* (c) inquit Petrus, *in veritate comperi quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui eum timet & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.* Ita quiſquis erit cordatus Lector, is de rerum, de dictorum, de ſcriptorum veritate & bonitate non judicaturus eſt ex conſideratione perſonæ aut nominis; ſed, ad imitationem Dei, in omni gente, qui veritatem dicit aut ſcribit, & recta profert, is illi acceptus erit.

(a) Artic. 37.
(b) Lib. I. cap. 5.
(c) Act. 13: 34.

3. Porro notandum eſt, Viros RR. eo fuiſſe animo, ut vel antequam ſcirent quis Libelli eſſet Auctor, decreverint, quiſquis tandem inveniendus eſſet, etiamſi fuiſſet Orthodoxiſſimus aliis habitus, eum pro Fanatico, pro Enthuſiaſta, & neſcio quo, traducere, uti patet ex libello D. Doctoris M., qui cum opinaretur

Digitized by Google

retur libellum pro auctore habere nonnullum Dn. *D. Speneri* amicum, eum nihilominus, tametſi ignotum, iſtis titulis jam diffamabat. Æquum eſt igitur ut Lectores ad primum hunc Articulum non tam reſpiciant auctorem a R R. M M. deſignatum, neque qualitatem, qua eum traducunt, quam *voluntatem malevolam* qua prius decreverant, ſe fanaticum renunciaturos quiſquis demum libelli Auctor agnoſcendus eſſet, licet etiam forte Angelus de cœlo fuiſſet.

4. Nequaquam pudet *Poiretum* ſeſe Auctorem illius Libelli profiteri; tametſi nomen ſuum prius ſilentio preſſerat ob cauſas circa finem Epiſtolæ contra Doctorem M. expreſſas. Ne autem in malam partem id malevoli verterent, is jam dudum ante omnes hoſce Lutheranos clamores, ſe Auctorem publice indicavit in Libro de (a) *Eruditione ſolida, ſuperficiaria & falſa.*

(a) De Erud. p. 330 Edit. I. hic vero pag. 421.

5. Si in ſcriptis Virginis celeberrimæ *Antoniæ Bourignoniæ*, cujus notitiæ amicitiæque nunquam me pudebit, tametſi pro falſo declarem id quod noviſſime publicavit D. Magiſter V. me *conſortem* illius ac *heredem* eſſe; ſi in ſcriptis, inquam, aut in opinionibus Virginis illius *craſſi* iſtiuſmodi, vel impii aut hæretici *errores* habeantur, quales a R R. D D. M M. nec non & ab aliis nonnullis ejuſdem Ordinis imputati ſunt, eos ego ſincere coram Omniſcio Deo, & aperte coram omnibus hominibus, deteſtor & rejicio. Sin errores iſti haud aliter illic contineantur ac in meo libello deprehendere eſt hæreſes erroreſque omnis generis mihi ab iis affrictos; ecce, vel ex hoc uno capite, quid de illa, quid de iſtis accuſatoribus a quolibet ſanæ ac liberæ mentis ſit judicandum, id lectori perpendendum relinquo. Quo modo autem res ſeſe habeat, id ad hanc litem & quæſtionem minime nunc pertinet. Scripta illius Virginis ad hoc decidendum neceſſaria, videat, ſi lubet, & perpendat apud ſe quivis rerum iſtarum curioſus cui non ſit mala mens, malus animus. Velim tantum hic liceat, (cum Lectorum venia) pro eo quod mihi de Antonia veluti dedecus ingens objiciunt V V. R R. uno verbo reponere ac teſtari, nil me in ea ejuſque ſcriptis iſtiuſmodi errorum uſquam repeririſſe; ſed ſolidas tantum ac ſalutares S. Euangelii veritates, ideo corruptis hominibus odioſas, quia ſi illas noſſent, vitia ſua cognoſcerent: ideo doctis Doctoribuſve nonnullis coram plebe traducendas, quia populus ſi eas haberet perſpectas, agno-

agnoſceret ſe per latam viam adulatorie plerumque deduci ab illis qui terrena tantum ſapiunt, & cœleſtium ſunt omnino inanes: at vero a melioribus maxime diligendas, quia quiſquis erit cui è ſalutis deſiderio charum ſit proprias cognoſcere miſerias, & ſumma cum certitudine viam detegere beatitudinis neque latam, tum tenebris mundi communibus, amoriſque proprii interpretamentis adulatoriis huc uſque obtectam, & tantum non omnibus nunc temporum ignotam, id ſalutiferæ cognitionis hauriet ex iis Scriptis emolumentum, nunquam, mea quidem ſententia, pœnitendum: quale, cum aliis innumeris, anima mea ſe inde reportaſſe ſcit, gaudet, profitetur, ab adverſariis nihil territa. Sed mittenda hæc, nunc quidem aliena, ut ad rem litis noſtræ arctius me contraham.

6. Quanquam errores quot & quales vultis, haberet Antonia, ac ipſemet ego eoſdem etiam foverem; ſi tamen imaginariorum errorum iſtorum nihil Libello huic inſeruiſſem; ſed meras tantum è S. Euangelio veritates in eo collegiſſem; illiſne ideo veritatibus detrahendum eſſet, eæque propterea abjiciendæ forent, quod ego aliis in rebus erraſſem? Hoc equidem inculcare vellent RR. MM. ac ſimili etiam de cauſa cum D. Doctore M. ipſam *Orationem quoque Rusbrochii*, *Piaque Hugonis Deſideria* condemnare. Sed quam abſurdum & iniquum iſtud fiet, quis non videat? Ethnici, teſte Paulo, legem Dei in cordibus ſuis ſcriptam circumferunt: iidem erroribus quibuſvis, vitiiſque omnis generis ſunt quoque commaculati. Ponamus ab eorum aliquo, ea ſola quæ in ipſorum conſcientiis ſcripſit Deus, deſcribi in libro. Quæro, num liber iſtiuſmodi ea de cauſa condemnandus eſſet, quod ab homine erroribus multis ceteroquin contaminato conſcriptus eſſet? Reclamat hic profecto ſana mens haud minus ac Paulus, qui eorum bona dicta non ſemel collaudavit.

7. Ergo me in caſſum hic, RR. DD. *fanaticum* dicunt, etiamſi revera (quod tamen abſit) talis eſſem. At vero (ſi ipſis fides habenda eſt) talis *habeor*. Ita quidem ab illis. Sed in hac lite, in qua partes ſunt, judicium eorum nullius eſt ponderis. Equidem non permittit mihi modeſtia, ut quid de me cordatiores & doctiores judicent, apertius huc protraham. Dicam tamen confidenter, me a nullo eorum quibus utcunque innotui, pro tali reputari. In eis vero quæ in publicum emiſi operibus

multominus fanatiſmi character reperiendus eſt, ſiquidem quicquid unquam protuli, id vel in auctoritate SS. Scripturarum, vel in ratione ſana fundatum exhibui; non vero in ulla revelatione ſingulari, multo minus in morbidi cerebri imaginationibus abſurdis, ut ſolent fanatici, fundavi. Quamobrem igitur quæſo, RR. DD. iſto me convitio perfundunt? Nempe ideo, quod credam & ſperem eos, qui mentem ſuam a peccatis, a ſuperbia, ab amore ſui & mundi emaculaverint & abſtinuerint, (quæ Dei voluntas eſt) potituros lumine ac donatione Spiritûs S. ſecundum mille Dei promiſſiones, & verba Chriſti, (a) Verum enim vero, quemadmodum olim Phariſæi ac legis Doctores, dum viæ ſalutis inſiſtere detrectarent, nolebant etiam tolerare ut per eandem alii graderentur: Sic & hodie multi Paſtores vita mundani, multique improbe eruditi, dum nolunt ſequi viam perveniendi ad lumen Dei & donationem Spiritus S. (ſine quo tamen nullus ad Chriſtum pertinet) non ferunt quoque ut alii eo tendant ac perveniant, ne ſcilicet his appareant & ſint revera inferiores. Atque quo eos inde deterrere poſſint, ſolent tum perſecutionibus & convitiis onerare, tum odio publico veluti fanaticos exponere, quotquot eò vel tendunt ipſi, vel alios provocant: & tamen ipſos fateri oportet, Fidem, Spem, Charitatem, eſſe inter lumina & dona a Spiritu S. in nos infuſa, collocanda: quo quidem modo & ſibi ſunt contrarii, & pro me, qui nihil aliud velim, ipſimet faciunt.

(a) Joh. 14: v. 16, 17, 21, 23.

ARTICULUS II.

RR. MM. HH. *ibid.*

Libellus ipſe in ſe Fanaticus eſt, & Enthuſiaſmo aliiſque hæreſibus repletus.

OBSERVATIONES.

1. NOn ſatis fuit convitia ſolita pro more inolito jam ſemel dixiſſe. Repetenda erant ilico ne laudatus mos tam cito obſoleſceret. Euge! convitia nihil conſtant; eaque reperire & adhibere multo facilius eſt, quam vel bonas rationes, vel

Digitized by Google

vel mentis æquitatem ac moderationem acquirere & palam facere.

2. Fanatiſmo & Enthuſiaſmo addit Dn. Doctor M. (in Moniti pag. 4. edit. in 4to.) & *Pelagianiſmum.* Facilè autem probabo, idque per ipſos, libellum nullis horum contaminari. Primo liber non eſt contaminatus *Pelagianiſmo.* Probo per RR. MM. qui eum de Fanatiſmo & Enthuſiaſmo accuſant: fanaticum autem eſſe & Enthuſiaſticum, non poteſt cum Pelagianiſmo conſiſtere. Sunt enim eæ hæreſes ita oppoſitæ, ut ſeſe mutuò evellant, haud ſecus ac Sabellianiſmus & Neſtorianiſmus, aut Neſtorianiſmus & Eutychianiſmus. Ergo libellus quem illi fanaticum dicunt non eſt Pelagianus. Non eſt quoque *Fanaticus* & *Enthuſiaſticus.* Probo per D. Doctorem M. (e numero eorum præcipuum, fulcrumque, ne dicam, Auctorem harum litium.) Is affirmat librum eſſe Pelagianum. Pelagianiſmus autem tollit omnem fanatiſmum & Enthuſiaſmum cum omni inſpiratione divina, ſive vera ſit, ſive præſumta. Ergo libellus per illos ipſos neque eſt *Pelagianiſmi* neque *fanatiſmi* & *Enthuſiaſmi* ſpiritu præditus. En quam facile a retibus ſeſe expediat quiſquis ab accuſatoribus ſibi ipſis contradicentibus impetitur!

Quodſi ab accuſatione Pelagianiſmi (ne verbulo quidem uno probanda, centum vero locis falſi convincenda) deſiſtere eos oportet, eaque de cauſa hic illam omiſerunt; jam publice fateantur neceſſe eſt, eum Doctorem cujus cauſam fecerunt ſuam, in omnium *prima*, omniumque *atrociſſima* adverſus libellum accuſatione Pelagiana, vehementer eſſe hallucinatum. Quod apprime notandum venit, malumque ſit omen pro tota accuſationum ſequentium farragine.

3. Libellus, quia nihil profert, nihilque pro probationum principiis adducit quam SS. Scripturas, & ea quæ cum ſaniori conſpirant ratione, neque præterea provocat ad ullas imaginarias revelationes, patet non poſſe, niſi falſo & per calumniam de fanatiſmo reddi ſuſpectum, deque omni etiam alia hæreſi.

AR-

ARTICULUS III.

RR. MM. HH. *ibid.*

Fundamentum verum fidei ſalutiſque eſt CHRISTUS JESUS *cum ſuo* MERITO, *ſuaque pro omnibus hominibus* SATISFACTIONE: QUEM *hoc ſcriptum fere vel prætermittit, vel ſi ejus ſit memor, eundem* SOLUMMODO *tanquam* EXEMPLUM *proponit imitationis. Econtrario autem* inſpirationes divinas, internamque illuminationem *pro medio ſalutis habet: atque etiam oſtendit ecqui ad eas perveniri poſſit. Ita ut titulus ſit falſus, quaſi ſcilicet libellus doceret,* liberos ſecundum veri Chriſtianiſmi principia ad Dominum educare, *cum potius eos ſecundum falſa principia a Domino* JESU *abducat.*

OBSERVATIONES.

1. Capitalem hanc accuſationem falſam eſſe, demonſtravi in Epiſtola ſequente contra D. Doctorem M. circa initium, productis e libello locis eam deſtruentibus, quibus addeſis totam *Rusbrochii* Orationem, in libello laudatam, eique ſubnexam, in qua magnificentiſſime de CHRISTO JESU, ejuſque *Merito* & *Satisfactione* fit mentio.

2. Abſurde hic opponuntur fidei, Chriſti meritis, ejuſque ſatisfactioni, *imitatio Chriſti, divinaque inſpirationes* ac *interna illuminatio.*

De fide, meritis & imitatione Chriſti, illuminatione, inſpirationibus divinis, notabilia.

Quod ut clarius pateat, ſimulque quanta pleroſque teneat fidei & annexarum rerum ignorantia eluceat, obſervandum eſt, nos a Deo proprie eum in finem eſſe creatos, ut totas facultates animæ noſtræ, mentis, intellectus, cordiſque, Deo (objecto noſtro) uniamus, ut ejus lumine virtuteque divina re ipſa fruamur. (Matth. 22: 37. Pſ. 34: 6.) Hanc cum Deo unionem (ut ita loquar) ſalutem eſſe; ſeparationem autem ab illo, eſſe damnationem: neque vero rem aliter ſe habere ullo modo poſſe: ſiquidem vel in ipſis terminis contradictio ſit ſi dixeris, men-

Digitized by Google

mentis facultates cum Deo (ſummo bono) non uniri nec communicare, & tamen eaſdem eſſe ſalvas, hoc eſt, cum ſummo bono communicantes & unitas. Quoniam autem homo peccando ſeparavit facultates ſuas ab illo, adeoque hoc ipſo & ſalutem perdidit, & damnationem, ſeu privationem ſummi boni acquiſivit, (ut ita dicam) atque inſuper tum morboſam in facultatibus impotentiam ad Deum redeundi; tum demeritum, quò Dei favore indignus, deſertione ejus dignus erat: oportet igitur neceſſario, ſiquidem homo ſaluti ſit reſtituendus, & a damnatione, necnon ab impotentia ſua morboſa liberandus, ut iterum ille ſuas jungat Deo (omnis ſalutis bonique fonti unico) Spirituales facultates. Quod cum ob morboſam ſuam impotentiam præſtare non poſſit, niſi Deus vim ipſi reddat ſalutiferam; ſit vero idem propter demeritum ſuum eâ vi, a Deo offenſo donanda, non dignus; hinc factum eſt, ut interveniret CHRISTUS, qui interceſſione meritiſque ſuis *meruit* ac *fecit ſatis* ut, primò quidem, homini demeritum ſuum indignitaſque condonarentur; ac, ſecundo, vis eidem ſalutifera a Deo impetraretur, qua vi homo iterum facultates ſuas Deo dare ac jungere poſſet; ac proinde ſalute (quæ in hac ipſa facultatum cum Deo unione eſt,) iterum frueretur. Verùm cum præterea ignoraret homo qua via, quibuſve modis ipſe hac Divina vi impetrata uti, quomodo eam applicare ac dirigere deberet; Ecce iterum adeſt CHRISTUS, qui ipſemet ſuas omnes facultates Deo applicans & tradens, exhibet & oſtendit nobis in ſe ipſo & viam & modos quibus facultates omnes noſtras dirigere ac Deo reddere & applicare debeamus: quæ quidem facultatum omnium animæ noſtræ *fida redditio*, Deo illuminatori & vivificatori noſtro, ipſa FIDES eſt.

Unde patet & ſequitur,

(1.) FIDEM eſſe ipſiſſimam IMITATIONEM CHRISTI; & τὸ CREDERE, idem eſſe ac *facultates ſuas Deo reddere ac committere; quemadmodum Chriſtus ſuas ei tradidit ac commiſit.* *Fides quî ſit* Imitatio *Chriſti?* &c.

(2.) Eam niti fundamento *meriti* & interventus CHRISTI *ſatisfactorii:* nam vis illa credendi, ſive reddendi Deo facultates noſtras, nobis a Deo non data fuiſſet niſi Chriſtus nobis meritis ſuis ſatisfactoriis & remiſſionem nobis demeritorum noſtro-

k rum

rum (quæ nos omni donatione reddebant indignos,) & ipſiſſimam illam divinam vim impetraſſet.

(3.) Eam eſſe *ſalutarem*; jungit enim facultates noſtras Deo, ſummo bono: qua in unione ſalus æterna conſiſtit, ut dictum.

(4.) Imaginationem, qua ſibi perſuadent multi ſe ſalvos fore modo credant Chriſtum pro ipſis mortuum eſſe, & ſatisfeciſſe atque meruiſſe; quamvis interim ſuæ facultates non Deo, ſed mundo applicatæ ſint & unitæ; eſſe perniciosam cordis fraudulenti ac ſibi adulantis, imo & Satanæ ipſius, ſeductionem: nam quamdiu facultates noſtræ a Deo ſeparatæ ſunt, tam diu hoc ipſo ſunt in ſummo malo & in damnatione, atque a ſalute remotiſſimæ.

(5.) *Inſpirationes Divinas*, *internamque illuminationem*, a vi divinæ *fidei* reapſe non eſſe diverſas: Nam divinam *vim credendi* ſeu fidem, infundit Deus animæ eam divine movendo ſeu inſpirando & illuminando; ſi quidem Deus ſit *lux ſpiritalis*, cujus actus ſunt illuminare & ſpirare, ſeu inſpirare.

(6.) Eaſdem *inſpirationes illuminationeſque divinas* eſſe *media ſalutis:* nam quando Deus incipit ſe communicare, eo ipſo dat initia ſeu principia ſalutis inchoatæ: principia ſalutis inchoatæ ſunt media ad ſalutem conſummatam: Deus autem non ſe communicat niſi lucendo & movendo ſpiritualiter (num. 5.) Ergo motus ſeu inſpirationes & illuminatio Dei, ſunt media ſalutis æternæ. Utinam hæc omnia cogitarentur profundius.

3. Inſpirationes autem divinas, internamque illuminationem quiſquis vellet negare, is omnino & merus Pelagianus eſſet, & manifeſtiſſimus adverſarius Scripturarum, aſſerentium, (*a*) *nos nil boni poſſe cogitare ex nobis ipſis:* (*b*) *Deum qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere*, *illucere in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei:* &c. unde ipſe Chriſtus, (*c*) *Ecce, ſto ad oſtium & pulſo* [bonos tecum communico motus, inſpirationes, lumina & cognitiones;] *Si quis audierit vocem meam* [inſpirationes meas,] *& aperuerit mihi januam* [eis non reſtiterit, ſed eas admiſerit, iiſque obedierit,] *intrabo ad illum*, &c. uniam & communicabo me cum illo adhuc ſtrictius, & perficiam ejus ſalutem.

(*a*) 2 Cor. 3: 5.
(*b*) ibid. cap. 4: 6.
(*c*) Apoc. 3: 20.

4. Ergo *titulus* libelli legitimus eſt. Nam cum imitatio Chriſti, *Deo committentis facultates ſuas*, ſit ipſa fides a Deo, in animabus

Digitized by Google

mabus agente & lucente, inſpirata per interceſſionem & propter meritum Chriſti; hæcque ſint fundamenta ſalutis; eaque in Libello commendata; *Libellus* ergo *docet liberos ſecundum veri Chriſtianiſmi principia ad Dominum educare.* Quod autem hoc appellent R R. Viri *falſum fundamentum a Chriſto abducens*, puderet eos hujus ſui judicii ſi ſcirent quid dicant.

ARTICULUS IV.

RR. MM. HH. *pag.* 4.

Nos Lutherani, ubi liberos noſtros ſecundum vera fundamenta Chriſtianiſmi educamus, Lutheri Catechiſmum ad hoc in commendato habemus: cum eo autem libellum modo dictum NULLATENUS *conſentire, e ſequentibus elucebit.*

OBSERVATIONES.

1. HActenus nil vidimus niſi judicium RR. D D. MM. falſis poſitionibus ac nonnullis præjudiciis innixum. In ſequentibus ſpondent pro fundamento judicii ſui damnatorii, *ſe diſſenſionem omnimodam a Catechiſmo Lutheri* oſtenſuros: tametſi revera nullum in poſterum ſint oſtenſuri diſſenſum niſi in una atque altera recula, v. g. de modo dividendi mandata Dei, aut numerandi petitiones Orationis Dominicæ, quæ nihil ad diſcrimen Orthodoxiæ ac Heterodoxiæ conferunt. In ceteris, pro nota diſſenſus habebunt, quod Lutherus non habeat quædam quæ ego habeo; aut quod ego non inſeram quædam quæ Lutherus habet. Quod abſurdum eſt. Quanquam enim Lutherus in Catechiſmo ſuo non habeat omnia quæ ego, illa tamen ipſe non negat propterea. Viciſſim, ego etſi non poſui in libello omnia quæ Lutherus habet in Catechiſmo ſuo, ea tamen idcirco non inficiatus ſum: e contrario, ea poſita velim quouſque cum divino verbo conſpirare deprehendentur.

2. Contra Scripturam eſt, quod aliquis ab homine, a Petro, puta, Paulo, Apolline, Luthero, aut a quocunque alio, qui pro nobis non ſit crucifixus, ſeſe nominet; idque Paulo homi-

Digitized by Google

(a) 1 Cor. 1: v. 12,13. & cap. 3: 4.
(b) Ign. ad Magneſios.
(c) Hier. contr. Luciſ.

nis *carnalis* ſignum eſt indubium. (a) Nos Chriſtiani haud ita agere debemus; *etenim* ut S. Ignatii verba adhibeam, (b) *qui alio nomine vocatur amplius ab hoc, non eſt Dei:* Cujus vero ſit, expreſſit haud mollibus verbis Hieronymus, dicens: (c) *Sicubi audieris eos qui dicuntur Chriſtiani, non a Domino* JESU CHRISTO, *ſed a quoquam alio nuncupari, ut Marcionitas, Valentinianos, &c. Scito non Eccleſiam Chriſti, ſed Anti-Chriſti eſſe ſynagogam.*

3. Atque adeo, ubi agitur de aliquo libro ad fundamenta Chriſtianiſmi examinando, non bene ad Lutheri Catechiſmum fit provocatio: Lutherus ſiquidem, ejus auctor, homo fuerit erroribus affectibuſque humanis obnoxius, non vero Θεόπνευστος. Sit Catechiſmus ejus conformis Scripturæ quantum vultis: attamen certum manet, & eundem, & omnia cetera, ad Scripturam ſacram eſſe examinanda, non autem pro Canonic habenda.

4. Quia volunt R R. M M. libellum meum cum Lutheri Catechiſmo conferre, neceſſe eſt quædam ut præmoneam de libelli ſcopo & occaſione. Occaſio hæc fuit. Cum in menſæ ſermonibus piis inter Nobiliſſ. ac Eruditiſſimos quoſdam amicos, de liberis inſtituendis ageretur quæſtio, oſtendiſſemque uno atque altero exemplo, peccari in eis ac defici nimis parentum neglectu quantum ad ea quæ interna ſunt, quæque animam principiis fructuoſis imbuere ſunt idonea; rogabar enixe, ut qua methodo pauca tunc dixeram, eadem & plura alia & præcipua deſcribere vellem, idque tum per modum inſtruendi ipſos parentes quidnam erga liberos circa hæc præcipuè debeant agere; tum per modum catechiſmi, pro ipſiſmet liberis. Utrumque primo recuſabam, tum quod parentes ipſimet liberorum ſuorum capacitatem defectuſque melius quam alius quiſquam noſſent; tum quod iiſdem (quibus tunc loquebar præſentibus) ſuppeteret ad hoc cognitionis affatim. Cumque per totos annos hoc identidem urgeretur, alterum quidem de Catechiſmo huc uſque recuſavi; alterum in epiſtola ſum breviter complexus quæ nunc libellus ipſe eſt, de cujus ſcopo itaque hæc habeantur.

(1.) Non tam ſcriptum fuiſſe ut liberis ipſis immediate exhiberetur, quam ut parentes omnium primo eum facerent ſuum.

(2.) *Interna* præcipuè in libello ſpectari, quatenus anima ejuſque facultates & actiones internæ (externorum origines) ſunt

ſibi

ſibi quidem ipſis abnegandæ; Deo autem, in eis operaturo, tradendæ: id quod, ut plurimum, non ſatis obſervatur.

(3.) Scriptum eſſe pro iis qui jam communiora Chriſtianiſmi teneant.

(4.) Pro iis ergo, qui tum ex ipſis principiis libelli, tum ex communibus quæ antea tenent, deſumant quæ cum liberis ſuis pro captu ætatis teneræ communicent: quod expreſſiſſime monui in libell. pag. 1: exemplo nutricis: pag. 72. *Ceterum vix dubitem quin unuſquiſque ſatis teneat communiores quaſdam regulas, unde conſtet qua ratione infantes ſiſe erga Deum* &c. & pag. 76. *Sunt & alia haud pauca ſive erga infantes agenda, ſeu eis inculcanda, quæ omnes, quibus liberorum ſuorum debita educatio, uti par eſt, chara erit, ſuis facile vel ex ſe ipſi ſunt inſinuaturi*, &c. ita ut incivile ſit, & abſurdum, mecum expoſtulare de omiſſione rerum quarundam communiorum, quæ Inſtitutorum, ea tenentium, officio & curæ conceptis verbis commiſſi. Vid. ad init. Lib. Sect. VI. initio. Sect. VI. num. 11.

(5.) Me, ſiquidem non agerem cum Theologis, ſed cum infantibus, infantiumve educatoribus, Theologorum terminis præpoſuiſſe ſimpliciores loquendi modos; illorum tamen uſum inter doctiores, aut ubi de polemicis agitur, minime improbando.

Hæc ad oblocutiones multas contradicentium prævertendas, neceſſaria eſſe duco.

ARTICULUS V.

RR. MM. HH. *ibid. pag.* 4.

Præcepta decem, *Calviniano more diviſa*, MIRUM *in modum pag.* 68. *&c. explicantur. Inter alia, honor parentum, quem præceptum quintum (more noſtro quartum) docet, ad honorem verbi, voluntatis, bonarumque inſpirationum trahitur, quibus Deus velit nos ſpiritali modo regenerare, & novas creaturas efficere. pag.* 69. *lin.* 24. *&c.* Sect. V. n. 11. (5) ibid.

Observationes.

1. QUamvis hoc *mirum* eſſet, non tamen ideo eſt hæreſis, aut malus error, aut repugnantia cum Catechiſmo Lutheri,

Digitized by Google

theri, qui hæc non dixit quidem; ſed neque ea negavit: multo minus cum ſcopo legis, amore Dei & proximi repugnat, voluntatem divinam ejuſque inſtinctus venerari.

2. Diviſio præceptorum dogmata non tangit: quin audio Argentoratenſem Eccleſiam Lutheranam eo more, quem hic male notant, decalogum dividere.

Sect. V. num. 10. 3. Haud recte prætermittunt R R. M M. me ibid. pag. 68. expreſſis verbis dixiſſe, *Decalogum debere prius quantum ad literam ſenſumque literalem explicari*: hæc ergo explicatio primi fundamenti inſtar prius ponitur.

(a) Matt. 23: 26. 4. Quoniam vero is qui externa juſſit, vult etiam interna, dixitque; (a) *purifica prius quod intus eſt*: idemque & ſcrutatur corda, eſtque lex ejus pro anima ac ſpiritu æque ac pro corpore, & ſcopus etiam meus fuit præſertim ad ſpiritualia manuducere; hinc ea præcepta, quæ prius commendavi ac poſui literaliter explicanda, qui eadem applicationis modo, eoque cujus pueri ſint capaces, ad ſpiritualia ſint deducenda, pauculis apertum dare volui: quæ *mira* quidem Judaicæ Legis Doctoribus, ac Phariſæis, externa ſolum reſpicientibus, videri potuiſſent: at Euangelicis Doctoribus *mira* videri, admodum mirum eſt.

5. Quod per Dei *verbum* & *voluntatem* regeneremur, novæque fiamus creaturæ, dicunt expreſſis verbis (b) Jacobus, & (c) Petrus; *Inſpirationes ipſa* ſunt vox Chriſti, (d) ſuntque adeo verbum, quo regeneramur. Iſta autem eſſe *veneranda*, vobiſne ita *mirum* appareat?

(b) Jac. 1: 18. (c) 1 Pet. 1: 23. (d) Apoc. 3: 20.

ARTICULUS VI.

RR. MM. HH. *ibid.*

Sect. V. n. 11. (9.) *Pag.* 71. *lin.* 4. *Nonum, vel, ordine noſtro, octavum præceptum, exigit, ſcilicet, ne* ſine Dei lumine *de ullo homine judicemus, ſiquidem tunc* falſo *judicamus. Id quod officium judiciarium Magiſtratus, qui illuminatione Dei careat, multum infirmat.*

OBSER-

Observationes.

1. EQuidem hac in accuſatione error notatur ſuo ſenſu perniciosſus: ſed nego eum in mente mea, in verbis meis eſſe, vel ex illis ſequi.

2. Senſi & locutus ſum de mandati applicatione ad interna, in foro animæ & conſcientiæ, in quo omnes (excepto Judice Christo) ſunt privatæ perſonæ: Scopuſque meus fuit, ut à teneris diſcerent pueri, imo & quivis homines, de altero nunquam formare cogitationes & judicia condemnantia circa ſtatum cujuſque internum ſine divino lumine, ut v. g. ſi quis judicaret alterum eſſe hypocritam, eſſe extra gratiam Dei, habuiſſe malam intentionem in quamplurimis ſoli Deo penitus notis, & infinita alia, quæ ſi vel perſona publica, vel Rex, vel Imperator, de minimo ſibi ſubjecto judicaret hoc in foro interno, peccaret utique quando id ſine divino lumine facere auderet. In hoc foro, & quantum ad interna, omnes omnino homines ſunt æquales, iiſdemque ſubjecti legibus. At, quæſo, ſequiturne inde quod Magiſtratus in foro externo, ubi lumen Rationis rectæ, & lux externa, teſtimoniaque ſenſuum ſufficiunt, non debeat de externis judicare, *Officiumque judiciarium Magiſtratus* à me eo modo *multum infirmari*? In hac conſequentia vel ſcintillam luminis non dicam Theologici & divini, ſed vel tantummodo naturalis merito deſidero.

3. Quæri hîc poſſet, annon illi, quibus ſuus Magiſtratus injungeret ut ex præcepto Euangelii charitatem Dei ac proximi, ſanctificationem ac pacem cum omnibus concionarentur, non autem Auditorum ſuorum animos ad odia, rixas, ſeditiones diſponerent per iniquas in Collegas ſuos invectivas, quibus eos pro hæreticis, hæreticorumve fautoribus ac Quakeris traducerent; & qui tamen id quod voluntati Magiſtratus ſui contrarium eſt, audacter, ſæpius, cumque populi commotionibus facerent; annon, inquam, illi ipſi auctoritatem Magiſtratûs, quantum in ſe eſt, minuerent; nec non inobedientiam Quakerianâ quavis non inferiorem, verumque adeo Quakeriſmum practicum, profiterentur & exercerent?

A R-

ARTICULUS VII.

RR. MM. HH. *ibid.*

Sect. VI. n. 3. *Cum lex poſtulet, ut amemus proximum ſicut nos ipſos, illic pag. 74. lin. 20. docetur, quod eum debeamus* majoris æſtimare quam nos ipſos: *Imo tollitur proprius amor bene ordinatus, ubi dicitur (a) p 82. l. 6. optandum à nobis eſſe ut* condemnemur & rejiciamur ab unoquoque. *Etiam orandum ſic eſſe:* Obſecro, Deus, ut me in omnium hominum tam ſecularium, quam Religioſorum cordibus extinguas. *vid. p. 86. Debere nos præterea* lætari ex animo, quando contemnimur aut injuria afficimur *pag. 61. l. 11.* (Sect. IV. n. 11.) *Quò ſpectat quod p. 14. l. 14. prohibetur, ne liberi per* laudes *excitentur; id quod* Antichriſtiana & Diabolica educandi ratio *appellatur.* (Sect. II. n. 6, 7.)

(a) *In Oratione Rusbrochii.*

Observationes.

1. SI objectiones ejuſmodi in libro anonymo aliquo legiſſem, putaſſem ſane eas ab aliquo Scripturæ ſacræ aut virtutum Chriſtianarum adverſario eſſe profectas. Nam 1. utraque hæc præcepta, *amare proximum ſicut ſe ipſum*, & eum *majoris quam ſe æſtimare*, quæ ſimul in libello exſtant, ſunt pariter expreſſa Scripturarum præcepta: & primum quidem legitur Matth. 22: 39. Alterum vero ſic exprimit Paulus, (b) *Ex animi ſummiſſione alii alios exiſtimantes ſibi præcellere.* Cur ergo id ultimum reprehendunt, alterique opponunt qui ſeſe Doctores dicunt eſſe Euangelicos? Cur mihi ea quæ ſunt in Scripturis Euangelicis, objiciunt veluti inter ſe non cohærentia? ſiquidem ſint Doctores Euangelici, defendant ipſimet atque inter ſe ea concilient quæ revera ſunt Euangelica, quæque ſi in ipſorum mentibus defixa eſſent, non improbarent utique veluti inter ſe adverſantia.

(b) Phil. 2: 3.

De Humilitate vera. 2. Si repugnat amori proprio bene ordinato ut proximum majoris æſtimemus quam nos; ergo humilitas pugnat cum rectitudine, ſecundum hanc objectionem RR. MM. quæ ipſa im-

impugnat revera & deſtruit humilitatem Chriſtianam, Virtutum quas Chriſtus a nobis (*a*) poſtulat, omnium primam. Vel igitur dicant, quid ſit humilitas Chriſtiana? An ſe ipſum tanti æſtimare quanti alios? aut alios tanti quanti nos ipſos facere? Egregiam vero humilitatem! Vera humilitas eſt, ſe ex animo omnibus intus in corde poſtponere, atque adeo omnes majoris facere quam nos. Cujus virtutis ratio & fundamentum eſt, quod cum quivis in ſpiritualibus debeat ſemper a ſe & in ſe incipere, objectum autem humilitatis ſit nihilum noſtrum; ergo quilibet debet primo proprium ſuum nihilum conſiderare, & in loco debito, hoc eſt, in inferiori dejicere; cui ſi ſuperaddit conſiderationem nihilorum (ut ſic loquar) alterorum, ſuum tamen nihilum eſt ſemper primum & omnibus ſubſtratum. Adde quod quiſque jam ſit conſcius culparum propriarum; non ita de alienis, in quibus (ex charitate) bona magis conſiderat quam mala cogitet. quod ſi plures acceperit a Deo gratias quam alii multi, plus etiam eis ſe reſtitiſſe, plus eas impugnaſſe, plus in ea peccaſſe, plus eis abuſum ſe eſſe quam omnes ceteri, ſibi conſcius eſt. Is ergo omnibus merito debet ſeſe intus in animo ſuo poſtponere. (*b*) *Spiritus qui deſurſum eſt*, inquit Hermas, Vir Apoſtolicus, *humilis eſt & quietus, & recedit ab omni nequitia & deſiderio vano hujus ſeculi; & omni homine ſe facit humiliorem.* Hoc fecit Paulus, cum ſe inter peccatores (*c*) *primum* ſive maximum collocavit. Hoc fecit ſanctiſſimus ille Martyr Ignatius Antiochenus in omnibus fere epiſtolis ſuis, cunctis iis vel quibus ſcribit, vel quorum Paſtor erat, ſeſe poſtponens: *Erubeſco*, (*d*) inquit, *ex ipſis dici, non enim ſum dignus, exſiſtens extremus ipſorum & abortivum.* Et-quiſquis id facit, quamdiu ita eſt, a lapſu tutus eſt: hinc S. Macarius, (*e*) Ὁ ταπεινὸς ἐδέποτε πίπτει. πόθεν γδ πεσεῖν ὁ ὑποκάτω πάντων ὤν; *Humilis nunquam cadit; unde enim daretur cadere ei qui ſubeſt omnibus?*

(*a*) Matth. 11: 29.

(*b*) Herm. Paſt. Lib. II. Mand. XII.

(*c*) 1 Tim. 1: 15.

(*d*) Ign. ad Romanos.

(*e*) Mac. Hom: 29.

3. *Ordinatus amor proprius* poſt peccatum non datur; ſed omnis amor proprius eſt corruptione contaminatus. quæ corruptio ex eo ejici non poteſt niſi amor proprius (vetus homo, propria adhæſio ſibi ipſi, & aliis propter ſe ipſum) ligetur, condemnetur, crucifigatur; & ita morti traditus, tandem per amorem Dei, qui poſtulandus eſt, reſtituatur, fiatque unus cum amore Dei. Hæc ſunt principia Alphabetica Chriſtianiſmi rea-

Amor proprius omnis eſt vitiatus.

 lis.

Digitized by Google

lis. Sed *animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Stultitia eſt illi, nec poteſt intelligere, quia ſpiritualiter dijudicantur.* 1 Cor. 2: 14.

Gaudium in adverſis.

4. Quia crucifixionem amoris proprii ſequitur glorioſæ vitæ Spiritûs Chriſti reſtitutio in anima, hinc quæcunque media promovent iſtam crucifixionem amoris proprii, ſuorumque fulcrorum, ea ſunt cum lætitia ſpiritûs a Dei manu accipienda. Hic eſt fons conſolationum Euangelii medias inter cruces. Sed proh dolor & pudor! id neque ab Euangelicis Doctoribus agnoſci, ſed hic loci condemnari! Et tamen legitur, (*a*) *Gaudete & exultate cum vobis maledixerint, & perſecuti vos fuerint.* (*b*) *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus* &c. (*c*) *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* (*d*) *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* & plura alia! Non tamen propterea petimus & gaudemus ab aliis in nos peccari: ſed ipſi quidem volunt peccare; at Deus peccata eorum erga nos ad noſtrum bonum dirigit; hanc autem directionem hunc fructum optamus; pro illis vero oramus ut hoc eis in peccatum non ſtatuatur. Non addam modum loquendi meum fuiſſe comparativum.

(*a*) Matth. 5: 12.
(*b*) 2 Cor. 12: 9.
(*c*) Jac. 1: 2.
(*d*) Heb. 10: 34.

De Laudibus, cautela.

5. De laudibus erga infantes, in omnium pro D. Horbio libelloque ipſo Apologeticis ſcriptis plus ſatis (*e*) dictum. Adde his, quod in Epiſtola ſequenti ad *prætextum ſecundum* dictum eſt, nempe eas tantum *laudes* quæ a corruptis erga corruptos ad corruptionis incrementum fiunt, improbari: quod & ſatisfacit inſtantiæ qua Sanctos a Sanctis laudari abſurde objectatum eſt: Sancti ſiquidem quando alios laudant, ſciunt prius divino lumine, eos qui laudantur inde humiliores per Spiritum humilitatis in ipſis habitantis, evaſuros: ipſi vero ſi laudentur ad majorem inde humilitatem inducuntur: unde S. Ignatius ad Magneſios: *Novi quoniam non inflamini: Jeſum enim Chriſtum habetis in vobiſmet ipſis. Et magis quando utique laudo vos, novi quoniam verecundamini, ſicut ſcriptum eſt, quoniam juſtus ſui ipſius accuſator.*

(*e*) Vid. Epiſt. Euangelici Eccleſiaſtæ pag. 8. Verthädigte Klugheit. p. 22, 23. &c.

6. Ergo, vi oppoſitorum, hoc velint oportet DD. MM. hac objectione ſua, nempe: Scripturæ præcepta ſibi contraria eſſe; Humilitatem cum ordinatione recta pugnare: Amorem proprium ut jam eſt (eſt autem corruptiſſimus) eſſe fovendum: Deum,

ut

ut eum in nobis erga alios, ac in aliis erga nos confirmet, rogandum: & cum cruces Deo diſpenſante nobis evenerint, eas averſatione & mœrore eſſe excipiendas; infantiumque amorem proprium & corruptum laudibus eſſe promovendum. Egregium ſane Euangelium!

ARTICULUS VIII.

RR. MM. HH. *ibid.*

Quod nos legem ex omni parte *implere poſſimus pag.* 71. *lin. ult. aſſeritur his verbis:* Spiritus Jeſu Chriſti facit in ea anima OMNE *id quod Deus jubet.* Sect. V. n. 12.

OBSERVATIONES.

1. ITa exacte diſtinxi vires hominis, quæ ſunt vel impotentia ipſa, a viribus Dei, quæ ipſa ſunt omnipotentia, ut nihil difficultatis ſupereſſe poſſe videatur. Centies in libello monui, hominem ex ſe nil poſſe quam peccare.

2. Sed ubi homo ſibi diffiſus & abnegatus, recurrit ad vires Dei, *De Mandatis Dei*
imo ſe totum credit & tradit Deo, Deuſque eum ſuſcepit, ſic ut *implendis:*
Chriſtus habitet & vivat in ipſo, & eum dirigat per ſpiritum ſuum, *notabilia.*
tunc qui in propriis viribus nihil poterat, in & cum viribus Chriſti *poteſt* jam cum Paulo (*a*) *omnia*, & facit: imo (*b*) *facit in eo Deus quæcunque ſibi grata ſunt:* Tota autem lex Dei grata eſt Deo: Spiritus S. ergo totam illam facit in tali anima. (*c*) *Charitas Dei diffuſa eſt per Spiritum S. in cordibus* vere juſtificatorum. *Charitas* autem ſive amor Dei infert amorem proximi & (*d*) *complementum legis.* (*e*) *In hoc cognoſcimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus & mandata ejus faciamus. Hac enim eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus: & mandata ejus gravia non ſunt, quoniam quod natum eſt Deo, vincit mundum. &c.* Certe quia amor Dei & proximi complectitur omnia quæ lex poſtulat; ſpiritus autem Dei producit in regenitis amorem Dei & proximi; Ergo Spiritus Dei facit in iis omnia quæ lex poſtulat. Niſi prolixitas vitanda eſſet, quam plurima huc adducerem loca e Scripturis SS. & Patribus eo facientia. Vid. Epiſt. meam alteram;

(*a*) Phil. 4: 13.
(*b*) Heb. 13: 20.
(*c*) Rom. 5: 5.
(*d*) Rom. 13: 10.
(*e*) 1 Joh. 5: 2, 3, 4.

& huc confer, ex pluribus, Scripturæ loca Deut. 20: v. 11-14. Pſal. 119. paſſim; aliaque ad calcem paginæ (*a*) notata; in quibus res magis urgetur quam in meo textu. Videſis & Epiſt. Barnabæ cap. IV. & Clementis I. ad Corinth. cap. 50. *Beatiſſumus, dilecti, ſi præcepta Domini in caritatis concordia impleverimus, ut per caritatem peccata noſtra nobis remittantur.* Et Epiſt. II. cap. 8. Adde totas S. Macarii homilias quatuor a 17 ad 20. Verba ejus (ne plura addam) hæc ſunt, Homil. XV. Τὰ δυνατά σοι προσέταξεν ὁ Θεός. *Poſſibilia tibi, præcepit Deus.* Sed non poſſum quin inſignem locum Hermæ, viri Apoſtolis coævi, & cujus liber ab antiquis veluti pars Scripturæ citatur, hîc totum deſcribam. Is ſe cum Angelo pœnitentiæ ſic introducit loquentem, (*b*) *Neſcio, Domine, an poſſint hæc cuſtodiri ab homine. Ait mihi* (Angelus.) *Hæc mandata facile cuſtodies, & non erunt dura. Sed ſi tamen in cor tuum poſueris, non poſſe hæc ab homine cuſtodiri, non cuſtodies ea. Nunc autem dico tibi, ſi non cuſtodiveris hæc mandata, & diſſimulaveris, non eris ſalvus, neque filii tui, neque domus tua; quia ipſe judicaſti, quod non poſſint hæc mandata ab homine cuſtodiri. Hæc mihi vehementer iracunde locutus eſt, ita ut me conterreret valde: vultum enim ſuum mutaverat, ita ut non poſſet homo ſuſtinere iram ejus. Et cum vidiſſet me conturbatum totum & confuſum, cœpit loqui moderatius & hilarius, dicens: Stulte & inſenſate, inconſtans, & ignorans Majeſtatem Dei, quam magnus quamque mirabilis ſit qui Orbem creavit propter hominem, & omnem creaturam ſubjecit homini, & omnem poteſtatem dedit illi ut dominetur horum mandatorum! Dominari poteſt omnium horum mandatorum qui habet* DOMINUM *in corde ſuo. Qui autem habent Dominum in labiis ſuis, & cor illorum obtuſum eſt, longe ſunt a Domino, illis mandata hæc dura ſunt & difficilia. Ponite ergo vobis, qui vacui & leves eſtis in fide, Dominum Deum veſtrum, & in corde veſtro habete, & intelligetis, quia nihil facilius eſt his mandatis, neque dulcius, neque manſuetius, neque ſanctius: & convertite vos ad Dominum Deum, & relinquite Diabolum & voluptates ejus.* Iſthæc Doctrina erat in Eccleſia primitiva adeo familiaris & recepta, ut inter impietates & blaſphemias & rebelliones

(*b*) Lib. II. Mand. XII. §. 4, 5.

(*a*) Matth. 5: 17, 19. cap. 7: 21. & cap. 11: 29, 30. Joh. 14: 16, 21, 23. Rom. 3: 30. & cap. 6: 11. &c. & cap. 8: v. 2. ad 15, & v. 37. Eph. 5: 27. Phil. 3: 15. 1 Theſſ. 5: 23, 24. 1 Joh. 2: v. 3 ad 6. & cap. 3: v. 3 ad 9. & 18 [illegible] v. 24. Apoc. 22: 14.

liones ſpirituales oppoſitam collocarent. Hinc (*a*) Baſilii verba: *Impium eſt dicere, impoſſibilia eſſe Spiritus præcepta:* Et Auguſtini; (*b*) *Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non a ſingulis poſſe ſervari.* & Caſſiani (*c*) *Rebelli Spiritu ſubjici præceptis Domini dedignantes, nequaquam ea vel obſervari debere vel impleri poſſe contendimus. Eoque ſit, ut judicantes Deum impoſſibilia vel incongrua præcepiſſe, efficiamur, ſecundum Apoſtolum, non factores, ſed judices legis.* Imo ipſa *fides* definiebatur per obſervationem voluntatis ac mandatorum Dei. *Credere ei* (Deo), *eſt facere ejus voluntatem*, ait (*d*) Irenæus. *Quid eſt*, inquit Salvianus, *credulitas vel fides? Opinor, fideliter hominem Chriſto credere, id eſt, fidelem Deo eſſe, hoc eſt, fideliter Dei mandata ſervare.* De Gubern. Dei Lib. III. Ita in Vitis Patr. lib. 7. cap. 17. *Frater quidam requiſivit Abbatem* Pimenion *dicens, Quid eſt* Fides? *Cui Senex: In charitate & humilitate ſemper vivere, & facere bonum proximo ſuo.* Quod ipſum Lutherus his verbis expreſſit: *Facere legem & implere legem, eſt credere in Chriſtum.*

(*a*) Baſ. in verba Moſis, *Attende tibi* &c.
(*b*) Serm. 191. de temp.
(*c*) Col. 16. cap. 16.
(*d*) Lib. IV. cap. 16.

Quæ omnia hoc argumento demonſtrantur.

Tradere Deo cor, intellectum, cogitationes, amorem, omneſque animæ facultates, eſt facere & implere legem ac voluntatem Dei, mandataque ejus ſervare. Marc. 12: 30. Rom. 13: 10.

Atqui credere Deo, ac ei fidere, eſt fidem habere, eſt tradere ei cor, intellectum, cogitationes, amorem, omneſque animæ facultates, (ut ex ipſis terminis patet.)

Ergo, credere Deo; ei fidere, fidem habere, eſt facere & implere legem ac voluntatem Dei, ejuſque mandata ſervare.

Hoc ſolum notandum eſt, eos qui ſub lege dicuntur, quia ſunt adhuc in corruptione ſua, & ſub lege peccati, non poſſe viribus illis ſuis propriis, quicquid conentur, legem ſervare: qui vero ſunt ſub gratia fidei, quia Spiritu Dei aguntur & reguntur, id & poſſe, & efficere per Spiritum illum Chriſti vitalem, liberantem eos a lege peccati, & implentem in ipſis juſtitiam legis, ita ut per fidem non amplius legem deſtruant; ſed eam ſtabiliant & confirment. Rom. cap. 3. & 8.

3. Non diffiteor regenitas animas eſſe alligatas corpori cui inest corruptio & tenebrioſitas, ſic ut interdum ex ignorantia aut diſtractione, hinc ad nos redundante, atque ex infirmitate ab

iis delinquatur, hoc eſt, delinquunt regeniti quia & quatenus ſunt uniti naturæ corporeæ infirmæ, eos obnubilanti, abſtrahenti, eiſque inopinatos motus nonnunquam imprimenti: verum iſta non ſunt peccata mentis, ſpiritus, voluntatis, non enim ſcientes peccant & volentes atque acquieſcentes. Poſſunt equidem & hoc, ſi a Deo ſe velint ſubſtrahere; aut ſi de ſe ipſi præſumant: ſed tunc amittunt regenerationem, vitam, gratiam ac Spiritum Dei, qui cum mala voluntate habitare non poteſt.

4. Jam quæro, an hæc ſint hæreſes, erroreſve, aut poſitiones contra Dei potentiam, gratiam, amorem, gloriam; contraque hominis nihilum, impotentiam, humilitatem, fidem vivam, ſalutem? Id ne eſſent quidem, quanquam aliquis ſtatueret; (quod tamen non ſtatuo) hominem regenitum nullo amplius modo, per gratiam Dei, peccare, atque id quidem ad mortem uſque: qua de re ſic Auguſtinus in Epiſt. 95. circa finem: *Quoquo modo ſe habeat iſta quæſtio; quia, etſi non invenitur in hac vita homo ſine peccato, id tamen dicitur poſſe fieri per adjutorium gratiæ & ſpiritus Dei, (quod ut fiat conandum atque poſcendum eſt,) tolerabiliter in id quiſque fallitur: nec diabolica impietas; ſed error humanus eſt, elaboranda & optanda affirmare, etiamſi quod affirmat, non poſſit oſtendere. Id enim credit fieri poſſe, quod certe laudabile eſt velle.*

ARTICULUS IX.

RR. MM. HH. *ibid.*

Sect. V, *initio.* *Pag. 67. lin. ult. dicitur, quod ubi facultates deſiderii, intellectus ac lætitiæ, bene ſunt conſtituta, ſequantur ſua ſponte reliqua; (quæ ſcilicet ad Chriſtianiſmum pertinent.)*

Observationes.

1. ID eſt, quando anima facultates ſuas; deſiderium, intellectum, Amorem ac lætitiam avertit a malis & a vanis, eaſque tradidit Deo, Chriſto, Spiritui Chriſti, ejus motibus, luminibus, amori, ſic ut habeat communicationem cum Deo in lumine, & charitate; ex hoc facultatum animæ ſtatu, ex his bonis

Digitized by Google

bonis per eas poſſeſſis, e virtutibus divinis, fide, charitate, ſpe, humilitate, ſanctitate, omnibuſque Spiritus S. donis ac operationibus, quæ in anima cujus facultates bene ſunt conſtitutæ, non poſſunt non ineſſe; ſequitur capacitas ſe etiam bene regendi in externis: (de his enim in ea ſectione eſt quæſtio.) *Ii eſtis*, (*a*) inquit Joannes, *in quibus unctio, quam ab eo accepiſtis, maneat: neque vobis opus eſt ut quiſquam vos doceat, quippe cum eadem unctio vos de cunctis doceat, veraque ſit & falſitatis expers.* (*a*) 1 Joan. 2: 27.

2. Hæc qui negaturus ſit, aut errorem dicturus, eum oportet ſtatuere, fidem ſterilem, charitatem ineptam, ſpem inanem, preces Chriſti promiſſis fruſtratas, lumen Dei tenebroſum, Spiritus operationes inutiles, denique Deum poſſeſſum ab anima, animæ non ſufficere, nequidem ad externum regimen. Qualem Deum impotentem ac imaginarium, cum ineptis hujuſmodi virtutibus, timeo multi ne imaginatione poſſideant.

ARTICULUS X.

RR. MM. HH. *ibid.*

Hinc quoque quod decem mandata *doceat eo tantum ſpectare, ut*, priuſquam interna bene diſponantur, PER EA, ac per externa, internis feratur auxilium. *pag. 68. lin. 3.* Sect. V. *initio.*

OBSERVATIONES.

1. APerte hallucinantur hic RR. Viri, ſiquidem eo loci nondum agatur de decem mandatis ſive præceptis Decalogi: Sed tantum redditur ratio, quamobrem infantibus, iiſque quorum facultates internæ nondum bene ſunt diſpoſitæ, regulæ legeſve quædam circa agenda præſcribendæ ſint & commendandæ: Ea ratio eſt (ceteris nequaquam excluſis,) quod *per externa* agenda, *internis ex uſu ordinario feratur auxilium.* Quid hic negandum, aut carpendum videtur?

2. Præterea, de mandatis decalogi mea mens neutiquam eſt, *eò* TANTUM *ſpectare mandata, ut priuſquam mentis interna bene diſponantur, per ea mandata, ceu per quædam externa, internis feratur auxilium*, quaſi videlicet ad illos quorum interna bene diſpoſita eſſent,

eſſent, mandata divina minime ſpectarent. Ea certe excluſiva *tantùm*, eſt ſive gloſſa, ſive additio.

3. Nolim ceterum credere, R R. M M. in animo eſſe, improbare, quod mandata ſic de externis explicantur, ut hæc explicatio relata ad externa, ſit medium ad interna. Ita enim tollerent illi ſcopum & finem legis. Nam, teſte Chriſto, (*a*) tota lex eo collineat, ut ametur Deus ex toto corde, tota anima, tota mente, tota virtute: hoc eſt, ex totis facultatibus animæ & ſpiritûs: iſtæ autem facultates, ad quas amore Dei replendas collineat lex, non ſunt externus aliquis naſus, pes, oculus; ſed ſunt facultates maxime internæ. Ergo mandata Dei ſic intelligenda ſunt de externis, ut per ea fiat progreſſus ad interna adjuvanda, ſive in amore Dei promovenda.

(*a*) Marc. 12:31.

ARTICULUS XI.

RR. MM. HH. *pag.* 6.

Sect. I. num. 11. *Voluntatis* libertas *ubique hoc in libello docetur, præſertim pag.* 8. *lin.* 16. *ubi de quatuor facultatibus animæ a Deo donatis agitur.* Sect. II. num. 1. *Huc etiam ſpectant illa pag.* 9. *lin.* 20. Janua per quam Deus cum ſanctiſſima gratia ſua ingreditur, eſt animæ deſiderium, quod cor vel voluntas alio nomine dicitur. Atque hoc ipſum vitæ animarum ſpiritalis principium eſt unicum, primaque origo [ſeu punctum ſaliens.]

Observationes.

1. SI RR. MM. diſplicet libertatem aſſeri, oportet ergo ſtatuant omnia eſſe fatalia, tum prædeſtinationem ac reprobationem abſolutam dari: a quibus tamen abhorrent ipſi.

2. Quod pace RR. MM. dixerim, videntur non intelligere quid ſit *libertas*, & quid ea ad ſpiritalem vitam conferat aut ſecus. Id verbis libet paucis dicere, mentemque meam ſimul explicare.

De Libertate. Libertas, facultas eſt vel dos ſpiritualis determinans & ſe & alias facultates ad admittendum vel non admittendum objecta ipſis oblata, quæ quidem in ſpiritualibus ſunt Deus, ejuſque lumina ac gratiæ.

Neque

Neque verò libertas, ſicuti neque facultates, ea efficiunt aut efficere poſſunt objecta; ſed admittere tantum, aut ſecus, ubi ea ſunt oblata.

Per peccatum autem remota ſunt, facultateſque depravatæ ac vitiatæ omnino.

Verum Deus ex gratia, propter interceſſionem & meritum Filii ſui, iterum ea objecta ſe videlicet ſuoſque motus, lumen ſuum & ſuas gratias obtulit mentibus, quarum itidem facultates ac libertatem euſque reſtituit, ut ſi voluerint, poſſint ipſas res oblatas non quidem efficere, ſed tamen admittere aut repulſare.

Ecce, hoc modo omnis boni cauſa efficiens Deus eſt: libertas vero, ex reſtitutione Dei, eſt cauſa tantum admittens & conſentiens, inſtar mendici, qui admittit eleemoſynam, aut homicidæ, qui conſenſu admittit gratiam oblatam: qua profecto in re non ſubeſt anſa gloriandi niſi in Deo ſolo; dum tamen ſi homo oblata repellit bona, juſte derelinquitur, ſuaque una culpa in æternum perit. Hæc cuiquam ſincero diſplicitura, haud opinor.

3. Facultas autem *deſiderii* dicitur *Janua gratiæ Dei*, ac *principium luminis & ſcaturigo vitæ ſpiritualis*, non quod deſiderium cauſetur gratiam Dei & vitam ſpiritalem, quemadmodum neque janua efficit id quod per eam ingreditur: ſed quod introducat gratiam & admittat omnium primo; quodque hinc incipiendum ſit. Sunt qui cum velint Dei gratia, lumine, veritate divina, Deoque ipſo potiri, iſta conantur admittere per Rationis ſuæ exercitationes, per ſpeculationes, per ratiocinationes, diſcurſus, & infinita alia, quibus tamen nihil acquirunt quam vanas ac tenebroſas de Deo rebuſque divinis ideas, de quibus non minus cœco & abſurdo modo quam audacter & copioſe garriunt, dum interim rerum ipſarum divinarum prorſus vacui ſunt & ignari, totique terreſtres & carnales. A *janua* aberrarunt. Debuiſſent offerre Deo, & adhibere divinis gratiæ objectis ardens, purum, humile & conſtans *deſiderium:* hoc deſiderium fuiſſet primum vas in quod gratiam ſuam Deus infudiſſet, ex quo deinde tanquam e receptaculo quodam ac ſcaturigine, ea gratia, id lumen, ceteraque divina dona, in omnes reliquas facultates refluxiſſent. Quod quidem ſi omnes feciſſemus, tunc ſciremus

Janua gratiæ, lucis, veritatis, quæ?

(a) Joh. 6: 45. experti, ecquid illud verbum Chriſti ſignificet: (a) *Erunt omnes docti a Deo.*

ARTICULUS XII.

RR. MM. HH. *ibid.*

Sect. III. num. 24. *Noſtri articuli fidei in Catechiſmo contenti deſcribuntur pag. 47. lin. 13. velut* craſſa ac obſcura fruſtula rerum divinarum. *Et pag. 53. lin. 23. docetur, nos debere iis eſſe contentos,* Sect. III. num. 31. *donec* Deo viſum ſit *clarius quid de his etiam hac in vita manifeſtare.*

OBSERVATIONES.

1. DE *articulis veſtri Catechiſmi* ne ſomniavi quidem cum *craſſas & obſcuras particulas* quædam nominavi. Loquebar ibi de iis quæ per imaginandi ac figuras ſibi corporeas repræſentandi modum infantibus cognoſcenda proponuntur: quæ qui non craſſa ac obſcura fruſtula eſſe agnoſcit, eum ad anthropomorphitarum ac craſſorum Chiliaſtarum caſtra tranſire oportebit.

Sect. III. num. 31. Quæ autem pag. 53. dicta ſunt, male a RR. MM. cum iſtis confunduntur, cum differentias ſpectent quæ ſunt inter perſonas SS. Trinitatis. Porro ſi hæc RR. DD. non arrideant, oportet ergo, vel ut dicant ſe eas differentias clare perſpicere; quod ſane verum non eſſet; vel dum fatebuntur eas a ſe non clare haberi perſpectas, declarabunt ergo ſe nequaquam contentos eſſe hac cognitionis diſpenſatione ſub ſpe clariorem hic recipiendi, ſi Deo videatur; quod quid aliud erit quam Deo obmurmurare, & beneplacitum ejus pedibus proculcare? vel denique, præter cognitionem quam ipſo facto habent, omnem aliam futuram rejiciant neceſſe erit; quod profecto eſſet præſumtio mera cum luminum divinorum rejectione conjuncta.

2. Quamvis (ut hoc addam) utrobique locutus eſſem de omnibus iis rerum fidei cognitionibus quæ quidem hic quocunque modo haberi poſſunt; attamen ſolida veraque eſſent quæcunque hic dixi, quia ſcripturis ſunt conformia. Paulus de ſuis cogni-tioni-

Digitized by Google

tionibus, (quæ ſane Lutherani Catechiſmi articulis ſublimiores erant,) ſic ait: (*a*) *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate* (hoc eſt obſcure & occaſſo modo:) *tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte*, (hæc ſunt fruſtula plenæ cognitionis:) *tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* Quod vero & in hac vita Deus interdum clariora de ſe revelet vel improbantibus RR. MM., id affirmat Chriſtus. (*b*) *Qui mandata mea habet, & ſervat ea, ille eſt qui me diligit. Qui autem diliget me, diligetur a Patre meo; & ego diligam eum*, ET MANIFESTABO EI ME IPSUM. Ita & Paulus: (*c*) *poſtulamus ut impleamini agnitione voluntatis ejus* (Dei) *in omni ſapientia & intellectu ſpirituali. . . . creſcentes in ſcientia Dei.*

(*a*) 1 Cor. 13: 12.
(*b*) Joan. 14: 21.
(*c*) Col. 1: 9, 12.

Ergo poſitio mea eſt vera, & ſcripturis conformis: oppoſita vero partim erronea & ſcripturis adverſans, partim hallucinatio & elenchi ignoratio.

ARTICULUS XIII.

RR. MM. HH. *ibid.*

Pag. 33. lin. ult. de his didactius exſtat, Quam diu animæ noſtræ oculum non recluſit Deus, quo res cœleſtes accedente divino ſuo ac ſupernaturali lumine evidenter cognoſcamus, oportet, ut ETIAM NON VIDENTES, credamus iis, quæ de iiſdem referunt tum Deus ipſe, tum SANCTI DIVINO SPIRITU præditi &c. Sect. III. num. 9.

OBSERVATIONES.

1. SI mea hæc veriſſima poſitio, RR. Dominis eſt erronea, aut falſa, (aliàs, cur eam producerent ad oſtendendum libellum eſſe erroribus ac hæreſibus plenum?) ergo oppoſita, quæ ipſorum debet eſſe ſententia, erit vera: nempe; *Quamvis animæ noſtræ oculum non recluſerit Deus, quo res cœleſtes accedente divino ſuo ac ſupernaturali lumine evidenter cognoſcamus; oportet, ut nihilominus nobis imaginemur, aliiſque perſuadeamus, nos eas noſſe; neque curemus quid Deus de his, quid Sancti referant; ſed quid mundana*

mente mundanaque ſapientiâ præditi ſophiſtæ de iis garriant. Fateor multos eſſe, etiam ex ipſo Eccleſiaſtarum numero, quorum intereſt hoc ſic ſe habere, ne alias eorum cœcitas & imperitia pateant omnibus, qui forte nolint deinceps amplius à cœcis duci, ne cœco cœcum ducente, omnes tandem in foveam incidant.

2. Petrus ipſiſſima, quæ poſui, docuit his verbis: (a) *Habemus firmiorem ſermonem propheticum* [ſanctorum Dei hominum qui e Spiritu S. locuti ſunt,] *cui bene facitis attendentes* [fidemque habentes] *quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco* [in anima caligine adhuc obducta, ac res ipſas haud clare adhuc percipiente] *donec dies eluceat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris*; hoc eſt, donec placeat Chriſto Deo, (qui eſt (b) *ſtella ſplendida & matutina*,) divinum ſuum lumen ſeque ipſum clare in anima patefacere per Spiritum ſuum.

(a) 2 Petr. 1: 19.

(b) Apoc. 22: 17.

ARTICULUS XIV.

RR. MM. HH. *pag.* 7.

Sect. III. num. 24. *Pag.* 47. *lin.* 22. *hiſce additur: craſſum noſtrum ac ſtupidum cognoſcendi modum a Deo diſſipari, quo nobis puram veritatis ſuæ cognitionem videndam præbeat.*

OBSERVATIONES.

1. NOta, me hæc dixiſſe de modo cognoſcendi per imaginationem infantilem, ut videre eſt ſi quis totam legerit paragraphum. Quo ſenſu debent Viri RR. fateri, propoſitionem meam omnino eſſe veram; ſuam autem reprehenſionem nullam eſſe, ſeque quid dixi minime intellexiſſe. Et quomodo mea recte intelligerent, ſiquidem, eorum inſtar qui biberunt pluſculum, hinc & inde in mea aggrediendo ſe ſine ordine jactent, ac obvia quævis modo hic modo illic veluti caſu arripiant, & in unum diverſiſſima confundant? A pag. 47. ad pag. 53. ſaliunt: hinc ad 33. retrocedunt, inde ad 47. iterum ſaltant; & quæ ego diverſo ſenſu ac modo de imaginatione, de SS. Trinitate, tum in genere de rebus ſpiritalibus & fide &c. dixi, ipſi *de Catechiſmo* ſuo dicta eſſe omnia ſibi imaginantur.

Ibid.

2. Quan-

Digitized by Google

2. Quanquam etiam id quod hic dixi extenderetur ulterius quam hoc in loco factum ſit, ad omnem videlicet cognoſcendi modum activitate ac induſtria noſtra acquiſitum; id tamen eſſet etiam quam maxime omnium veriſſimum, uti oſtendit pluribus Apoſtolus, (a) *Scientia deſtructur. Cum venerit id quod perfectum eſt, evacuabitur id quod ex parte eſt. Cum etam parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus: quando autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Hæc autem eum hac in vita de divinis eſſe expertum, ſic alibi aſſerit: (b) *Etſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum; ſed nunc jam non novimus*, eodem nempe modo craſſiore & adhuc carnali.

(a) 1 Cor. 13: 8, 10, 11.

(b) 2 Cor. 5: 16.

ARTICULUS XV.

RR. MM. HH. *ibid.*

Ergo interna illuminatio *plus poteſt manifeſtare quam* Scriptura.

OBSERVATIONES.

1. EOſne è ſcholis nequidem retinuiſſe rectum conſequentias eliciendi modum! iſta namque conſecutio nequaquam ſequitur ex dictis meis modo recenſitis; ſed hæc ſolum: *Ergo interna divinaque illuminatio plus poteſt manifeſtare quam craſſus & puerilis cognoſcendi per imaginationem modus.* Hæcne ſequela erit erronea, aut hæretica; propoſitio autem oppoſita (quæ RR. MM. eſſe debet) vera fuerit, ſcilicet *divinam illuminationem plus non poſſe manifeſtare, quam puerilis & imaginoſus concipiendi modus?*

2. Sin id quod RR. MM. hic diſplicet, ſit ipſa *divinæ internaque illuminationis* aſſertio: tunc placeat ipſis oportet interna cæcitas & obſcuratio; quod dolendum eſſet. Cui malo medendo nil equidem novi magis idoneum, quam primo quidem, ad teſtimonia rei veritatem evincentia aſſumere (ne hic longior ſim in citando) concordantias, quas vocant, Scripturarum, & in iis conſulere verba, *illucere, illuminare, illuminatio, lumen, lux, tenebræ, mens, intellectus, oculi, aperire, revelare*, & ſimilia; in quibus centenæ extant de divina illuminatione aſſertiones: deinde

Digitized by Google

(a) Pſal. 13: 4. (b) Pſal. 119: 18. de vero ſincere & continue dicere ad Dominum; (a) *Illumina oculos meos, ne obdormiam in morte.* & (b) *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Plura ad Artic. 22, 23, 24.

ARTICULUS XVI.

RR. MM. HH. *ibid.*

Sect. I. num. 4. *Amor at gratia Dei erga homines limitantur pag. 4. lin. 16. ubi hac exſtant verba: Deum conſiderandum eſſe ut* hominum amatorem, quorum quotquot divinæ ejus voluntati parebunt, ſit felices æternum ac lætos redditurus: ceteros vero ſuis vacuos bonis atque adeo miſeros relicturus.

Observationes.

1. HOc equidem huc uſque credidi, credamque quoad vixero eſſe Euangelii, imo totius Scripturæ, ſummam, in ſacro Codice ſexcenties expreſſam. Interim hoc ſi error ſit, Gratiamve Dei amoremque ejus male limitet; poſitio ergo contradictoria & erit RR. MM. & gratiam Dei amoremque ejus egregie extendet. Ea autem hæc eſt. *Deus non ſolum eos qui voluntati divinæ ejus parebunt felices ac lætos æternum eſt redditurus; ſed & eos quoque qui divinæ ejus voluntati non parebunt; quos neque ſuis vacuos bonis atque miſeros eſt relicturus.* Per quæ fateor gratiam amoremque Dei tam late extendi, ut & via ad cœlum jam fiat ſpatioſiſſima, & ipſe Deus declaretur peccati fautor ac remunerator. Infelices profecto qui ejuſmodi amplificatoribus divinæ gratiæ ſuam ſalutem ſunt commiſſuri!

2. Mentem meam liceat terminis nonnullis vel Theologorum Lutheranorum ita exprimere diductius. Dei quidem voluntatem eſſe, ut omnes ac ſingulos homines æternum felices reddat: verum voluntatem eam non eſſe quantum ad eventum abſolutam; ſed ſub conditione obedientiam divinæ voluntati præſtandi. Unde fit, ut voluntas Dei conſiderata citra conditionis eventum, ac ante eum (quam niſi fallor, dicunt propterea *voluntatem Dei antecedentem*) ſit ut omnes ac ſinguli fiant beati: verùm

verùm eadem ſpectata cum conditione ac veluti poſt eventum conditionis præſtitæ vel negatæ (quæ tunc nominatur *voluntas conſequens*,) vult profectò ſolos obtemperantes beatos reddere; cæteros autem, utpote rebellantes, miſeros relinquere. Hocne etiam fuerit erroneum?

ARTICULUS XVII.

RR. MM. HH. *ibid.*

Juſtitiæ Dei totum adſcribitur, quod homines (atque adeo etiam probi) *moriantur pag.* 41. *lin. ult. Etiam quod* boni morbis affligantur *pag.* 42. *lin.* 3. *quodque,* impiis *hac in vita bene ſit pag.* 42. *lin.* 20. Sect. III. num. 19.

OBSERVATIONES.

1. NIhil in hoc mundo a Deo diſpenſatur, in quo non appareant omnium ejus attributorum effecta aut ſigna & characteres, præſertim autem ejus potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, juſtitiæ & veracitatis; ſic tamen, ut pro diverſitate rerum ac reſpectuum, unum horum attributorum magis hic ſit conſpicuum, aliud alibi. Ita in morte hominis, juſtitia Dei magis apparet quam aliud attributum, etſi alia quoque illinc non abſint. Nam in morte improborum *potentia* Dei, eos ſibi ſubjicientis, eſt conſpicua; item *ſapientia*, ne diutius vivendo alios conturbent; item *bonitas*, ne ipſi diutius peccando graviores ſibi pœnas concilient; *veracitas*, quod exſequatur Deus ſententiam mortis, peccanti Adamo denunciatam; ſed illic præprimis *juſtitia* apparet, auferens homini id, quod cum ei datum eſſet gratis, eo tamen abuſus fuerat adverſus datorem; ne dicam illico eos tunc comparere coram tremendo *juſtitiæ* divinæ tribunali. In morte quoque piorum, apparent quidem & *potentia*, quatenus eripit eos ab inimicis; & *ſapientia*, quatenus ſic præcavet ne diutius vivendo eveniat forte ut corrumpantur; & *bonitas*, eos malis ita ereptos, ſuis bonis deinceps coronans; & *veracitas*, in ſententiæ mortis exſecutione; ſed in ipſa morte qua mors eſt, qua deſtructio eſt dolorifica conjunctionis animæ

cum

Digitized by Google

cum corpore & bonis externis hujus univerſi, in hoc proprie & notabiliter apparet *Juſtitia Dei*, inſtrumenta quibus peccavimus & abuſi ſumus, frangens cum dolore atque diſſolvens juſtiſſime. Hæcne apud Theologos probatione aliqua indigere, quando ſunt ſcripta a Deo in omnium hominum mentibus, illic a quovis, niſi-ſi brutus ſit evidenter legenda!

Jobus, David, Eſdras, Daniel, omnes piorum juxta ac impiorum calamitates, afflictiones, mortes, clades, conceptis verbis *juſtitia Dei* adſcribunt. Job. 9: 2, 3, 19, 20. Pſal. 145: 17. Neh. 9: 33. Daniel. 9: 14. ubi notabilia ſunt verba Auguſtini de tota illa Danielis precatione: (*a*) *Vide*, inquit, *quemadmodum peccata ſua prius dixit, & poſtea populi ſui. Et hanc Dei commendat* JUSTITIAM, *& hanc Dei laudem dicit, quia non injuſte, ſed pro peccatis eorum flagellat etiam* IPSOS SANCTOS *ſuos.* Sic Salvianus. (*b*) SANCTOS *homines caſtigatos quondam judicio Dei legimus, ut judicandos nos* DEO JUDICE, *etiam in præſenti ſeculo noſceremus.* QUIA *ſicut Deus eſt ſemper, ſic* JUSTITIA *Dei ſemper: Sicut omnipotentia Domini indeficiens, ſic cenſura indemutabilis: ſicut Deus jure perpetuus, ſic* JUSTITIA *perſeverans.* Sane Juſtitia Dei mala non eſt; ſed puriſſimo amore digna. Solus Amor proprius (ſive Vetus Adamus) ab ea abhorret; & tamen eum oportet in adorandæ illius Juſtitiæ manus incidere, illicque cum doloribus perire, ſive in hoc tempore, ſive in æternitate.

(*a*) Auguſt. Ep. 122.

(*b*) De Gubern. Dei. Lib. II.

2. Quod etiam a juſtitia Dei ſit, infideles ac malos interdum proſperis uti, locus fere communis eſt, nullis prope tironibus ignotus. Vide eum apud Auguſtinum veluti ex profeſſo tractatum in lib. V. de Civ. Dei cap. 12. & 15. ubi poſtquam pluribus oſtendit propterea Romanis proſpera eveniſſe, concludit his verbis: *Non eſt quod de ſummi & veri Dei* JUSTITIA *conquerantur: perceperunt* MERCEDEM *ſuam.* En Dei juſtitia mercedem impiis impertiens! Confer Ezech. 29: v. 18, 19 & 20.

A R-

Digitized by Google

ARTICULUS XVIII.

RR. MM. HH. *ibid. & pag.* 8.

Tres Perſonæ in Divinitate non ultrà diſtinguuntur pag. 52. *lin.* 24. *quam tres animarum noſtrarum proprietates, quæ unam tantum animam, non autem tres conſtituunt.* Sect. III. num. 31.

OBSERVATIONES.

1. Iſtud neque ſentio, neque docui. Hoc docui, Patrem, Filium & Spiritum S. quomodocunque tandem diſtinguantur, (id quod explicare non intendi, dixique Rationi incomprehenſibile eſſe,) non tamen magis tres Deos facere, quam tres animæ facultates (quomodocunque etiam diſtinguantur) tres faciunt animas. Hanc verò ſimilitudinem, plurimis Orthodoxis Theologis familiarem eſſe, oſtendi in Epiſtola ſequenti D. Doctori M. oppoſita, ad *prætextum* VI.

Notandum eſt inſuper, nulli homini ſano in mentem unquam venire, comparationes rerum ſic eſſe urgendas, ut ex iis concludendum ſit, in uno comparatorum non plus eſſe quam in altero. Hoc ſi eſſet, nemo unquam divina ex humanis aut corporeis ſimilitudinibus ſine crimine illuſtraret. Simile non currere quatuor pedibus, ſciunt omnes non-quadrupedes.

2. Quid autem ſecundum mentem meam in libello expreſſam, ſtatuendum ſit poſitive de SS. Trinitatis Perſonarum differentiis, videre eſt tum inde, quod *cum veneratione & fide aſſumendum eſſe* dixi *quicquid eà de re in verbo Dei* exſtat: quod perinde eſt ac ſi omnes differentias in Scripturis SS. expreſſas hic exſcripſiſſem; tum ex hoc, quod differentias iſtas *omni humana Ratione ac luce ſuperiores* eſſe ibidem aſſerui. Doleo in RR. Viris tantam apparere charitatis erga proximum ſuum penuriam, ut ejus publice diffamandi gratia, hæc & cetera omnia, optime dicta, tam miſere ſupprimant, mutilent, & in contrarium ſenſum detorqueant. Doceat illos Deus indolem benevolentiæ, dilectionis & veritatis erga proximos!

Digitized by Google

ARTICULUS XIX.

RR. MM. HH. *pag. 8.*

Sect. III. n. 39. *De* CHRISTO *ſuaque Redemptione agitur pag. 50., iis tamen verbis, quæ quilibet hæreticus, imo vel Socinianus, admittat: tametſi fundamentalem cognitionem Domini* JESU *infantibus præcipuè inculcari ſit neceſſarium.*

OBSERVATIONES.

1. UT judicari poſſit an hæc accuſatio vera ſit, apponamus ſi placet ipſa libelli verba, quæ ſic ſonant:

Ibid. *Cum homo deſiderium voluntatemque ſuam a Deo avertiſſet, atque ita intellectum ſuum tenebris & ignorantia, mentem autem infelicitate ac miſeriâ æternâ cumulaſſet, tunc aſſumtam a* DEI *eſſe Filio naturam noſtram humanam, eumque inter nos & vixiſſe & mortuum eſſe, tum ut* VENIAM *malitiæ noſtræ,* GRATIAMQUE *Divinam nobis* MERERETUR, *tum ut ſua doctrina, vitaque, morte item & reſurrectione, oſtenderet nobis, qui deſideria noſtra mala abnegare, propriam voluntatem dimittere, opprimere & morti dare debeamus; contra vero ad nova divinaque deſideria reviviſcere ſanctamque ad voluntatem Deo uni viventem, quæ quidem juxta eum intellectu illuminato, cordeque pace & divina lætitiâ pleno, largitur* SPIRITUS S.; *quibuſcum præſidiis rurſum omnibus unimur* &c.

2. In his verbis continentur apertè & agnoſcuntur ſequentia.

(1.) *Lapſus* hominis, ejuſque *corruptio* omnimoda, miſeriaque ac *impotentia* infinita. Contra Pelagianos & Socinianos.

(2.) *Incarnatio* FILII DEI per aſſumtionem humanæ naturæ in unitatem perſonæ. Contra Socinianos.

(3.) *Meritum* infinitum CHRISTI, vitæque ſuæ ac mortis, ad remiſſionem peccatorum gratiamque Dei impetrandam neceſſarium. Contra Socinianos.

(4.) Officium hominis in *fide pura*, viva & operante, per facultatum ſuarum a malo & falſo revocationem, earundem

dem vero traditionem Deo, Chriſto & Spiritui S. Contra Pelagianos & Socinianos.

(5.) *Gratia* DEI *intus* in corde per Spiritum S. fidem & omnia bona operans. Contra eoſdem.

(6.) *Reconciliatio* æterna hinc emergens veluti e vera ſua cauſa. Contra eoſdem.

(7.) *Immortalitas* animarum non tantum in Sanctis, ſed & in miſeris quorum miſeria æterna hic dicta eſt. Contra Socinianos.

(8.) Myſterium SS. TRINITATIS, dum expreſſa mentio fit perſonarum & quidem Filii ac Spiritûs S. explicita, implicita autem Patris, erga quem interceſſit Filius. Contra Socinianos.

3. Hiſce conſideratis, nec non & iis quæ in ſubnexa Oratione Rusbrochii hac de materia reperiuntur, judicent, quæſo, quivis integri judicii Lectores, an iſta *quæ de Chriſto ſuaque Redemtione* ſcripſi concepta ſint *iis verbis, quibus quivis hæreticus & Socinianus* poſſit uti, ac per ea ſenſus ſuos ſignificare, uti aſſerunt RR. MM. in hacce ſua accuſatione. Certe id diceres moliri velle omni conamine Viros RR. ut nemo iis poſtea fidem adhibendam eſſe judicet; videantque omnes, nil tam expreſſe, nil tam bene dici poſſe, quin id *Socinianum* & *hæreticum*; aut Socinianis ac hæreticis favens, ipſi dicant: ita ut hæreſes non ſint impoſterum in adverſariorum ſuorum libris inquirendæ; ſed in voluntate ſua malevola, per quam quemvis ipſis non arridentem velint hæreticum creare ex hæretifica ſua indole atque auctoritate. Dicunt autem Philoſophi, *propter quod unumquodque eſt tale, illud ipſum eſt magis tale.*

ARTICULUS XX.

RR. MM. HH. *ibid.*

Pag. 54. commendatur; liberis proponere Deum Filium ut qui juſtus ſit ac juſtitiæ origo, qui idcirco caro ſit facta, ut nos, qui per peccatum injuſti eramus, juſtos faceret: imputata autem juſtitia non nominatur aut deſcribitur. Sect. III. num. 31.

Observationes.

1. EAdem poſſint objici tum multis Scripturæ utriuſque Teſtamenti libris, tum Joanni Apoſtolo (Epiſt. 1. cap. 2: 24. & cap. 3: 5, 6, 7, 8.) quem aut mecum reprehendant, aut mecum excuſent R R. V V. neceſſe eſt.

2. Nil impedit quin ſub meis verbis, id quod abeſſe dicunt, includant quantum vel neceſſe eſt, vel ipſis (ſi malevolus abſit animus) videbitur; maxime poſtquam Rusbrochii orationem feci meam.

De imputatione, nonnulla notanda.

3. *Imputata juſtitia* quia non eſt pro illis qui operantur iniquitatem & committunt mendacium & injuſtitiam; ideo non ſimpliciter, ſed magna cum cautela eſt hominibus promittenda. Si quis a falſo, a malo, a vanis, a ſe ipſo ſuique regimine ſe averterit, ſeque dein totum cum omnibus facultatibus Christo tradiderit; hunc Chriſtus receptum inhabitat, ſeque totum ſic ei donat, ut totus Chriſtus fiat ejus; lumina, motus, regimen, propenſiones Chriſti, fiant ejus; tum omnia quoque cetera quæ Chriſtus eſt & habet, atque ab eo ſunt indivulſa, ſine ulla exceptione fiunt ejus. Et talem decet de Juſtitia Chriſti imputata, deque omnibus Chriſti imputatis, gloriari ac perſuaderi, ſiquidem hujus imputationis fundamentum ſit ipſemet Christus intus in nobis realiter ac inhærenter possessus, vivens, regens, operans, communicanſque etiam quæcunque egit, meruit, poſſidet, & quicquid ipſe eſt. At extra hoc fundamentum veræ & inhærentis poſſeſſionis Chriſti ejuſque Spiritus, imaginari ſibi imputationem juſtitiæ Chriſti nobis fieri, damnabilis eſt fallacia cordis ſeipſum & alios ex amore proprio & adulatorio, eque Satanæ inſtinctu, decipientis, & ad inferos deducentis. Imputatio mere externa, chimæra eſt omnium & abſurdiſſima & exitioſiſſima. Imputatio, donatio eſt: donatio, præſertim ſi ab Omnipotente Deo eſt, eſt infuſio realiſſima Spiritus virtutumque efficacium Jeſu Chriſti in Cor hominis ſeſe vera fide Chriſto Salvatori tradentis. Verùm, Amor proprius abhorret a Spiritu & virtutibus Chriſti, vult autem tantum carere doloribus & pœnis peccatum ſequentibus: & hoc abſurdum privilegium appellat, *juſtitiam imputatam*, ac imputandam ſibi, Amori proprio, inhærenter injuſto nebuloni quoad

quoad vixerit, ac in fine vitæ neſcio qua vi magica in probum ac virtute præditum mutando, imo imputative juſtificando, ac etiam ſine eodem modo ſalvando, inhærenter dum damnabitur in æternum.

Conſulatur hac de materia divinus ille Arndius de Vero Chriſtianiſmo, lib. II. & III. Et imprimantur cordibus noſtris hæc verba Joannis: *(a) Filioli, nemo vos decipiat: ille juſtus eſt qui facit quod juſtum eſt, quemadmodum ipſe Chriſtus juſtus eſt.* (a) 1 Joan. 3: 7.

ARTICULUS XXI.

RR. MM. HH. *ibid.*

Imo pag. 56. lin. 4. laudat librum Siracidæ, *ac ſi illic contineretur quicquid deſideratu, ſcitu & factu opus eſt: tametſi nil ibi de* CHRISTO. Sect. III. num. 35.

OBSERVATIONES.

1. VOluntne hinc concludere RR. Viri, hunc librum eſſe vituperandum; vel, cum Doctore M. per hanc Eccleſiaſtici commendationem Chriſtum cum merito ſuo hominibus eripi? Damnabilis ergo & ſacrilegus is liber eſſet; eumque perniciose admodum veluti Scripturæ partem laudaſſet tota antiqua Eccleſia, cum conciliis ac Patribus nonnullis, qui ita dicendi eſſent peſſime ac ſacrilega ratione *Chriſtum hominibus* ereptum voluiſſe, una cum Luthero & Lutheranis quotquot Siraciden tum Scripturis inſeruerunt, tum ſexcenties in liberorum gratiam imprimi ſeorſum curaverunt. Hac de materia videantur quæ in Epiſtolis omnium Apologeticis pro libello de Educatione allata ſunt.

2. Propter moralia laudatum fuiſſe librum Siracidæ, ex ipſis verbis libelli de Educatione fit evidens. Neque officit quod dictum ſit, in eo contineri quicquid *deſideratu*, *ſcitu* & *factu* opus eſt. Ea enim quæ mores ſpectant, ſive virtutes, debent primo *deſiderari*; eorum quoque datur theoria ſive deſcriptio, cum ſuis præceptis, quæ ſane *ſciri* & cognoſci ſpecialius debent, tumque demum *effici*: ita ut iſta *deſideranda*, *ſcienda* & *facienda*,

Digitized by Google

da, de morali materia revera ſint dicta, & de eadem intelligenda.

3. Quamvis hæc ad ſenſus mei explicationem & defenſionem abunde ſufficiant, nego nihilominus id quod aſſerunt RR. Viri, de CHRISTO *non eſſe mentionem in Siracide*. Capite I. à v. 3. ad 10. ſermo eſt de CHRISTO, de ejus æternitate, ortu a Patre, omnipotentia, deque Spiritu Sancto; & iis quidem terminis, quibus Salomo in Proverbiis cap. 8. uſus eſt. Tum caput 24. totum plane agit mirabiliter de CHRISTO, qui ipſa eſt Sapientia æterna, de ſe illic ita dicens, *Ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cœlis ut oriretur lumen* &c. Item: *Poſuit* (Deus) *Davidi puero ſuo excitare Regem ex ipſo fortiſſimum, & in throno honoris ſedentem in ſempiternum.* &c. De SPIRITU ejus v. 27. *Spiritus meus ſuper mel dulcis.* Iterum de CHRISTO ejuſque Patre agitur cap. 51: 14. *Invocavi Dominum, Patrem* DOMINI *mei:* quæ confer cum Pſal. 110. v. 1. Etiam de Chriſti *merito* & *ſatisfactione* pro hominibus verba expreſſa ſunt cap. 24. v. 39. *Videte quoniam non mihi ſoli ſic laboravi.* En labores Chriſti pro aliis! quæ verba ne a me ſolo putentur eo trahi, conſulantur novi interpretes Portus Regii in Gallia in hunc locum, qui & ipſi alienam auctoritatem laudant.

ARTICULUS XXII.

RR. MM. HH. *ibid.*

De Spiritu S. commendat hic libellus illuminationem, divinamque inſpirationem, *qua acquiratur per preces, ſanctamque vitam, nos vero ad* majorem cognitionem *deducat quam alioqui verbum, concionum frequentatio &c. faciant.*

OBSERVATIONES.

Velim tantum ſcire, quid hic carpere Viri RR. intendant? (1.) An quod aſſeruerim poſſibilitatem, naturam & eſſentiam bonarum inſpirationum & illuminationis mentis? quas quidem negare perinde eſt ac negare ſcripturæ totius veritatem, Dei amorem actualem, curamque quam habet animarum; nec non profi-

profiteri ſe Pelagianum, impium, bona vacuum cogitatione, & cæcitate mentis percuſſum eſſe.

(2.) An quod illas ad Spiritum S. veluti ad cauſam ſuam veram retulerim? Hoc negare, neque minus eſſet profanum, impium ac hæreticum, quàm quod præcedit.

(3.) An quod dixerim, precibus ac bona vita eas acquiri poſſe, & acquirendas eſſe? Hoc carpere eſſet itidem adverſari S. Scripturæ, Matt. 7: 7, 11. Luc. 8: 9. Joh. 15: 15, 16, ſeque & inter profanos & impios promiſſorum Dei deriſores, & inter hæreticos ac Pelagianos conſtituere.

(4.) An quod velim, nos per iſtas Spiritus S. operationes *ad majorem cognitionem deduci*, quam per voces externas concionumque auditionem hiſce Spiritus Dei operationibus deſtitutas? Hoc improbare, eſſet gratiam ac Spiritum S. blaſphemo ac Pelagiano modo poſtponere functionibus naturalibus; taleſque remittendi eſſent vel ad ſcholam Arndii in lib. II. & III. de vero Chriſtianiſmo; Lutheri, (vid. Epiſt. ad Spalat. in Epiſtola altera ſequenti) Auguſtini, Epiſt. 112. *Mihi videtur, plus valere in hac inquiſitione, vivendi quam loquendi modum: Nam qui didicerunt a Domino Chriſto Jeſu mites eſſe & humiles corde, plus cogitando & orando proficiunt, quam legendo & audiendo:* ne provocem ad ipſas Scripturas, in quibus conſule ſis, v. g. Pſal. 119. Joh. cap. 14, & 15, & 16. 1 Cor. cap. 1, 2, 3, &c. Eph. 1. &c.

Plus oratione & illuminatione quam lectione, Scripturas intelligi, & profectum fieri ſpiritualem.

(5.) An denique hoc RR. Viris diſplicet, quod locutus ſim de operationibus Spiritus S. & de verbo externo & audito, veluti de quibuſdam quæ interdum a ſe ſeparata ſunt? Hoc utinam triſti ac hodierna experientia (non procul forte quærenda) non plus ſatis conſtaret; quod & omnium ſeculorum, & totius Scripturæ facta & dicta confirmatum præbent; quodque ſine omnis ſenſus abducatione non poteſt in dubium revocari. Auguſt. in tract. 3. in 1. Epiſt. Joh. cap. 2. *Nolite putare quemquam hominem aliquid diſcere ab homine. Admonere poſſumus per ſtrepitum vocis noſtræ: ſed ſi non ſit intus qui doceat, inanis fit ſtrepitus noſter. Magiſteria forinſecus, adjutoria quædam ſunt & admonitiones. Cathedram in cœlo habet qui corda docet, de Domino dico. Propterea ait ipſe in Evangelio, Nolite vobis Magiſtrum dicere in terra: unus eſt Magiſter veſter, Chriſtus. Ipſe ergo vobis intus loquatur quando nemo hominum illic eſt: quia etſi aliquis eſt a latere tuo, nullus eſt in corde tuo:*

Digitized by Google

tuo: Sed Chriſtus eſt in corde tuo. Inſignis eſt locus Origenis (in Cap. 21. Geneſ. Hom. 7.) *Frequenter & nos circa puteum jacemus aquæ vitæ, id eſt, circa Scripturas divinas, & erramus in ipſis. Tenemus libros, & legimus: ſed ſpiritualem ſenſum non attingimus. Et ideo opus eſt lacrymis & orationibus indeſinentibus poſtulare ut Dominus aperiat oculos noſtros: quia & illi cæci qui ſedebant in Hierico, niſi clamaſſent ad Dominum, non fuiſſent aperti oculi eorum.* Et in Cap. 24. Exod. Hom. 12. *Non ſolum ſtudium nobis adhibendum eſt ad diſcendum literas ſacras, verum & ſupplicandum Domino, & diebus ac noctibus obſecrandum ut veniat Agnus ex tribu Juda, & ipſe accipiens librum ſignatum, dignetur aperire. Ipſe enim eſt qui Scripturas adaperiens, accendit corda diſcipulorum, ita ut dicant, Nonne cor noſtrum erat ardens intra nos cum aperiret nobis Scripturas?*

Ex his quinque eligant VV. RR. quibuſnam velint ſeſe opponere. Quod ſi nullis, tollant & hunc articulum e ſuarum accuſationum acervo; & hanc meam poſitionem ex earum claſſe in quibus aliquid videatur reprehendendum.

ARTICULUS XXIII.

RR. MM. HH. *ibid. & pag.* 9.

Sect. I. num. 6. *Verba clara ſunt pag. 6. lin.* 8. Mature teneris animis eſt inculcandum, quicquid legamus, quicquid audiamus, in cœtu aut extra cœtum, quantumcunque ſtudeamus, meditemur, ratiocinemur; id omne non poſſe ex ſe ipſo vel minimam veræ vivæque notitiæ Dei ejuſque myſteriorum ſcintillulam nobis ingenerare: Id ab uno Deo præſtari poſſe, dum Spiritum ſuum bonum, gratiam lucemque divinam cordibus eorum eſt inſinuaturus, qui eum idcirco ardenter in vota vocabunt: &

Sect. III. num. 24. *pag.* 47. *lin.* 8. Proderit eis hoc inculcare, omnem cognitionem, quam eo modo ſunt adepturi, craſſa tantum & obſcura eſſe fragmenta rerum divinarum.

OBSER-

Digitized by Google

Observationes.

1. De ultimo hocce loco ſuperius ad artic. XII. & XIV. egimus: ubi ſimul vidimus & verum loci ſenſum, & oppoſitum quoquo modo Scripturæ veritatique adverſari.

2. Primus quoque locus ſufficientiſſime vindicatus eſt in Epiſtolis meis ſequentibus tum prima tum altera. Item in Epiſtola Eccleſiaſtæ Euangelici pag. 8. aliiſque, quæ omnia tædioſum eſſet hic deſcribere.

3. Iis contextus verbis, *omne id quod in cœtu audimus*, non denotantur res ipſæ ſignificatæ, puta Deus, reſque ſpiritales & divinæ; ſed tum ſonus externus, tum perceptio noſtra naturalis & ſola, quatenus ab actibus Dei diſtinguitur & corrupta eſt. Verba itaque hæc, *omne id quod audimus*, hiſce æquipollent; *omnis noſtra auditio externorum ſonorum verbi*, *ac perceptio quam facultates corruptæ inde ſine gratia Dei ſibi excitant.*

4. Sed etſi hæc pluribus explicavi in Epiſtolis ſubjiciendis, ne tamen vel craſſiſſimo cuivis ingenio ſuperſit cavillandi occaſio, addam ſequentia. *De verbo Dei vivo vel mortuo, notanda.*

Quandoquidem Deus hominem voluit *regenerare per verbum ſuum*, (*a*) *quod eſt incorruptibile*, *vivum*, *& permanens in æternum*; patet inde, Divinum Verbum e rei veritate èque intentione Dei non eſſe duntaxat externum quendam ſonum aut characterem literalem; ſed potentiam, ac voluntatem Dei vividam, vimque operantem in animis, junctam (ex mente & parte Dei) cum ſono audito, literave viſibili, ita tamen, ut cum eo non ſit confundenda: veluti homo ex conſtitutione Dei non eſt ſolummodo corpus, ſed & ſpiritus, cum corpore junctus quidem, ſed cum eo non confundendus. Verum quemadmodum ſi quis hominem ſic apud ſe admitteret, ut ſolum corpus ejus admitteret, animam vero excluderet, is homicida eſſet; & cadaver tantum, non hominem, ſua culpa haberet: eodem modo de verbo Dei admittendo cogitandum eſt. Homines apud quos verbum eſt admittendum, quia natura ſua corruptiſſimi ſunt, impuri, vani, ſuperbi, Rationi corruptæ ac viribus propriis confiſi, quando verbum Dei cum ejuſmodi diſpoſitionibus placitis excipiunt, perinde faciunt ac ſi id cum veneno exciperent, vel cum gladiis, quibus ſpiritum ejus, quantum quidem in ſe eſt, occiderent, eumque ſepararent ac rejicerent.

(*a*) 1 Pet. 1: 23, 25.

cerent. Adeſt enim ex parte Dei vis divina & Spiritus unà cum externo ſono; ſed ipſi miſeri, culpâ ſua, armis amatæ vanitatis & nequitiæ ſuæ veluti per aliquam homicidii ſpiritalis ſpeciem, ſolvunt nexum divini Spiritus cum verbo externo, ſpiritum repellunt, atque ita ſolum cadaver, ſolam literam, ipſorum culpa tunc mortuam, admittunt tantum; aut etiam (quando facti ſunt Eccleſiaſtæ) ſic prius a ſe admiſſam, aliis quoque talem, hoc eſt, mortuam, poſtea proponunt. Verùm id ipſum nolunt agnoſcere, nolunt fateri, quotquot ſunt impii, mundani carnaleſque Paſtores, ne ita mortuæ, ſuâ culpâ, literæ (cui proprium inſuper fœtorem & venenum adjungere ſolent) adminiſtratores inutiles aut noxii, quales revera ſunt, habeantur: quapropter non minus abſurde quam pertinaciter contendere ſolent, eam Spiritus a litera ſive a ſono ſejunctionem, minime dari, neque fieri poſſe, ut inde concludatur, eos, qui literam admittunt & ſonos propagant, Spiritum quoque vitalem ſimul admiſiſſe, habere, & propagare: quando tamen eundem revera & excluſerunt & interemerunt; ac præterea ubi is in aliis per verba, ſcripta, aut facta apparet, omni eum molimine extinguere conantur, contra mandatum Apoſtoli, (*a*) *Spiritum ne extinguite.*

(*a*) 1 Theſſ. 5: 19.

A quo crimine ut in poſterum omnes tutius abſtineant, mature monendi ſunt (quod feci in libello) ut unuſquiſque quantum ad ſe admittat, & in ſe excipiat debitis modis, hoc eſt, precibus, humilitate, cordis puritate, Spiritum, ſenſum, vim ac mentem Dei, cum externo verbo ſeſe offerentem, januamque cordis noſtri pulſantem. Et de hiſce, qui ad Dei verbum animum uti decet conſtitutum afferunt, Chriſtus ita: (*b*) *Oves meæ.* (mentes bene conſtitutæ) *vocem meam audiunt, & ſequuntur me.* De aliis vero ſic: (*c*) *Vocem Patris numquam audiviſtis, & verbum ejus non habetis in vobis manens.* Quiſquis ergo verbum audit cum mente mala, homicida fit verbi, ſeparans ab eo Spiritum, & cadaver ſolum admittens: qui autem audit cum mente bona, admittit verbum vivum, & ab ejus virtute vivificatur intus, & regeneratur. Hæc qui cavillaturus eſt, is ſuam ſolummodo ſtupiditatem, opinor, aut malignitatem, deinceps proditurus eſt.

(*b*) Joan. 10: 27.

(*c*) Joan. 5: 37.

ARTI-

ARTICULUS XXIV.

RR. MM. HH. *pag.* 9.

Quod ſancta vita ad hoc præcipue requiratur, *docetur pag.* 32. Sect. III.
lin. ult: his verbis: Deus nulli oculos mentis redditurus num. 6.
eſt ac aperturus, niſi ſoli ei, cujus cor & a malo recedit, & verſus bonum propendet. Atque id quidem ſerio omnibus & a primis annis eſt inculcandum; eo propoſito, ut mature tendat animus ad Dominum, ſeque ad divinum ejus lumen deſiderii bonitate cordiſque puritate præparet: Non enim Deus arcana ſua ullis revelat niſi iis qui a malo committendo abhorrent, neque lumina ſua aliis quam qui recte eis uti volent, impertitur: quam quidem animi conſtitutionem cernere eſt in Davide, Deum ſic deprecante: *Da mihi intelligentiam, & obſervabo legem tuam, cuſtodiamque eam toto corde.* Pſal. 119. 34.

OBSERVATIONES.

1. Hic prorſus obſtupeſco, obſtupeſcentque procul dubio omnes qui iſta ſunt lecturi, non pudere Euangelicos Doctores ac Præcones poſitionem adeo veram, adeo ſanctam, adeo neceſſariam, tanquam malam aut falſam Christiano proponere Magiſtratui, imo toti Orbi, & ipſoſmet eam improbare; cum tamen a ſolis impiæ profanæque vitæ patronis ac Profeſſoribus fuiſſet improbanda, quippe quibus ſolis poſitio contradictoria vera ac chara ſit oportet, nempe, "*cum vita impietate & acquieſce, & conſiſtere poſſe rerum Divinarum, Scripturæque Sacræ veram intelligentiam ac mentis illuminationem*": tametſi conceptis verbis atteſtetur Deus, ſe eis (*a*) *qui mandatis ſuis non obtemperaverint*, ita *maledicturum*, ut *percutiendi* ſint *amentiâ*, *cæcitate* & *ſtupore mentis*, *adeo ut in ipſa meridie palpent veluti cæci in caligine.* (quod exemplis plus nimis in oculos incurrentibus quotidie pateſcit.)

Impios non poſſe intelligere ſenſus & res Dei.

(*a*) Deut. 28. v. 15, 28, 29.

 (*a*) *Secre-*

Digitized by Google

(a) Pſal. 25: 14. (b) Dan. 12: 10. (c) 1 Cor. 2: 12, 14. (d) 1 Joan. 2: 3, 4.

(*a*) *Secretum Domini eſſe pro timentibus eum.* (*b*) *Nullos impios intellecturos.* (*c*) *Animalem hominem non percipere ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitiam illi hæc eſſe; neque intelligi poſſe; quod ſpiritualiter dijudicanda ſint. Spiritualem judicare omnia:* idque ideo, *quod non Spiritum mundi acceperit, ſed Spiritum Dei, ut ſciat quæ a Deo donata ſunt nobis.* (*d*) Nos *ſcire quod eum cognoſcamus, ſi mandata ejus obſervemus.* At eum *qui dicit ſe noſſe Chriſtum, & mandata ejus non cuſtodit, mendacem eſſe & in eo veritatem non eſſe.* Multoque minus igitur eam docere alios poterit.

ARTICULUS XXV.

RR. MM. HH. *ibid. & pag.* 10.

Sect. IV. n. 11. (5) *Huic illuminationi regeneratio adſcribitur, pag. 69. lin. ult. ubi de divinis inſpirationibus dicitur*; quod per eas Deus nos ſpiritaliter regenerare, atque novas facere creaturas velit.

OBSERVATIONES.

1. PRænotandum eſt, hic de adultis agi.

2. Hoc poſito, ſi mea poſitio vera non ſit, ergo contradictoria, quæ RR. Virorum erit, pro vera deputabitur. Ea autem hæc eſt: Regenerationem *non eſſe adſcribendam bonis & divinis inſpirationibus, neque per eas nos regenerari ſpiritaliter a Deo:* Ergo *vel per malas, aut per diabolicas, aut per nullas regenerabimur.* Quæ quidem aut blaſphema & impia eſſent, aut certe vel maxime Pelagiana, ſcripturis oppoſita, quippe quæ ad (*e*) *tractum Patris* noſtram ad Chriſtum converſionem referunt. quæ Chriſtianos appellant (*f*) *lucis filios:* quæ eos dicunt (*g*) *a Spiritu Dei transformari*, atque (*h*) *a ſemine Dei vivo, incorruptibili ac æternum permanenti eſſe* regenitos. Tractus autem Patris, lux divina, Spiritus Dei operationes, & ſemen Dei vivum, unum idemque ſunt quod illuminatio Dei ejuſque inſpirationes.

(e) Joan. 6: 44. (f) 1 Theſſ. 5: 5. (g) 2 Cor. 3: 18. (h) 1 Pet. 1: 23.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS XXVI.

RR. MM. HH. *pag.* 15.

Reſurrectio carnis (*de qua articulus agit tertius*) *negatur pag.* 57. *lin.* 16. *& pag.* 58. *lin.* 3. *ubi dicitur*; nos homines in terra eſſe putrefaciendos, quemadmodum cetera in mundo peritura ſunt; *&* corpus elegans æternum quoque periturum. Sect. IV. num. 3.

OBSERVATIONES.

1. RESurrectionem carnis a me negari, manifeſta eſt in proximum calumnia, quam Deus Reverendis Viris, ut ſervari poſſint, velit condonare; eoſque, ut ejus conſequantur remiſſionem, pœnitentia tangere, propter Chriſtum.

2. Contrarium potuerunt Viri R R. cognoſcere ac colligere, (1.) Ex eo quod totum Symbolum Apoſtolicum, ut quod vera & neceſſaria contineat, aſſumſi & commendavi pag. 49.: quod perinde eſt ac ſi conceptis verbis hunc cum reliquis articulum deſcripſiſſem ac profeſſus eſſem: *Credo Reſurrectionem carnis.* Sect. III. num. 28.

(2.) Ex eo quod ibidem inter Spiritus S. opera fide credenda, recenſeam *Reſtitutionem hominis in priorem ſuum ſtatum.* Status autem hominis prior, anima & corpore conſtabat, ſimulque & immortalis erat & incorruptus.

(3.) Ex eo, quod docuerimus lætandum eſſe quod *Deus naturam noſtram* (anima & corpore utique conſtantem) *ſibi aſſumſerit, ſeque fratrem noſtrum conſtituerit, ac nos æternum ad ſe in ſanctam ſuam ſocietatem ſit aſſumturus*: quibus verbis manifeſte denotatur naturæ noſtræ quantum ad corpus atque ad animam mutua utrinque & æternùm in cœlis duratura converſatio, tam e parte Chriſti, quam e noſtra. Sect. IV. num. 8.

(4.) Ex eo quod eandem veritatem in aliis meis operibus non ſemel ſum profeſſus. *Cogitat. Rat. Lib. III. cap.* 25. §. 20. *Oecon. Divin. Lib. I. cap. XXII.* §. 10. 12. 15. *Lib. III. cap.* 12. §. 13. *&c. & cap.* 15. §. 6. *&* 10. *Item de Eruditione Lib. II.* §. 28. *& Lib. III.* §. 32. *&* §. 89. quod inquirere accuſatorum erat;

poſtquam initio teſtati ſunt ſibi Auctorem libelli non eſſe incognitum.

3. Hæc ſi non ſuffecerint, addo ſinceram animi mei coram Omniſcio Deo omnique homine declarationem, me neque unquam aliter credidiſſe, nec in poſterum (ope Divina) aliter crediturum, quam hominem quemque poſt mortem iterum reſtituendum eſſe in noviſſima die cum anima cumque corpore ex hoc ipſo, quod nunc gerimus, corpore, excitando ac deſumendo: quanquam modus quo id eventurum ſit, determinari neque poſſit facile, neque id neceſſe ſit ad integritatem fidei de hoc articulo.

4. Jam quis non exſpectaret a Viris R R. evidentiſſimas ac validiſſimas momentoſæ accuſationis ſuæ rationes, quæ tamen, quamvis ego de Reſurrectione magis quam Moſes in Pentateucho tacuiſſem, vel incommodius quam Salomo in Eccleſiaſte eſſem locutus, nullæ eſſent ſi cum rationibus modo dictis comparentur. Namque vel ipſa Romana Inquiſitio inter regulas ſuas habet, *Quando Author aliquis in uno loco loquitur clare, & in altero obſcure, reducendus eſt locus obſcurus ad clarum.* Expurgator. Roman. tit. de Correct. Libror. §. 4. Juriſconſulti vero dicunt, *in re dubia benigniorem interpretationem ſequi, non minus juſtius eſſe, quam tutius*: item, *non oportere calumniari, neque verba captare; ſed qua mente quid dicitur, animadvertere.* At vero noſtri Theologi, quorum corda charitate Dei, malum non cogitante, & omnia bona ſperante, deberent eſſe perfuſa, non hujus modo dilectionis divinæ, ſed & civilis etiam æquitatis, & Juris ipſius Inquiſitionis, teſtantur ſe eſſe prorſus vel inſcios vel immemores, dum coram Chriſtiano Magiſtratu totoque Chriſtiano Orbe hæreſin negatæ Reſurrectionis proximo impingunt, ex eo quod illum ſcripſiſſe ajunt, *homines in terra eſſe putrefaciendos ſicut in mundo omnia pereunt, corpuſque bene conſtitutum in æternum eſſe periturum.* Verum cur haſce locutiones, (etiamſi meæ eſſent) ſi quidem ipſis viſæ ſunt obſcuræ aut incommodæ, non ſunt interpretati in benigniorem partem, idque e locis evidentioribus modo oſtenſis; maxime cum ignorare non debeant, Theologos, ſaltem Reformatos, qui credunt ſubſtantiam hujus mundi non eſſe in nihilum redigendam, ſed renovandam, ſolere ſcripturarum loca in quibus omnia dicuntur eſſe peritura

(uti Pſal. 102: 27. 2 Petr. 3: 10. Apoc. 20: 11. & 21: 1.) explicare de annihilatione *quoad ſtatum* & qualitates; quam diſtinguunt ab annihilatione abſoluta & *quoad ipſam ſubſtantiam*: quam quidem eſſe meam mentem, agnoſcere utique debuiſſent vel ex ſolo loci ſcopo, ubi probare intendi, ea eſſe peritura ob quæ homines mundani ſolent lætari: non autem lætantur mundani ob ipſam corporis aut rerum hujus mundi ſubſtantiam: alioqui æque gauderent in morbis corporis, deformitate, adverſiſque accidentibus, ubi ſubſtantia utique eadem ſemper manet quà eſt ſubſtantia; ſed lætantur de illius ſtatu & accidentibus, quatenus hæc cum concupiſcentiis ſuis conſpirant. Ergo ad lætitiam iſtam deprimendam abſurdum eſt fingere, me de ſubſtantiali annihilatione loqui; & invicte patet, me de ſola ſtatus accidentiumque, de quibus lætantur, deſtructione agere; atque adeo calumniâ de Reſurrectione ex his negatâ nihil eſſe abſurdius ac imperitiùs.

5. Addo, verba contextus a R.R. Viris allata, omnino eſſe inverſa, adulterata & truncata. Nego, illic exſtare *nos homines in terra eße putrefaciendos quemadmodum cætera in mundo peritura ſunt*; conjungunt, invertunt, comparant, quæ prorſus aliter ſe in libello habent. Nego etiam, illic legi, *corpus elegans æternum eße periturum*: namque, in meo quidem originali ſcripſi, τὸ *eleganti forma eße præditum*: interpres vero germanicus dicit, τὸ *habere corpus bene conſtitutum*, id eſt, τὸ *præditum eße* non ſimpliciter corpore, ſed *corporis bona conſtitutione naturali*; quod ita clarum eſt, ut vel idiotæ ſine ullo philoſophiæ apparatu id concipere poſſint modo eam loquendi formulam negativo modo eis proponas; quando enim de aliquo dicimus, *iſte non habet corpus bene conſtitutum*, non ideo dicimus ipſum corpore carere; ſed ſolum bona conſtitutione corporis carere. Quoniam vero D. Mag. V. in noviſſimo ſuo ſcripto novas ſtrophas circa hæcce voluit denuo connectere, rogo Lectores, ut ad pleniſſimam totius rei explanationem adire dignentur ea quæ in Operis Comicide fuſius ſum proſecutus.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS XXVII.

RR. MM. HH. *ibid.*

Sect. V. n. 11. (5) *Ad* novam terram, *quam Deus* illuminatis *daturus ſit antequam vita æterna fiant compotes*, ſpes *ſit pag.* 70. *lin.* 5.

OBSERVATIONES.

1. HAcce animadverſione, ipſi VV. RR. deſtruunt hæreticam ſuam, quæ modò præceſſit, accuſationem. Nam ſi ſpem facio, adeoque ſi ipſe credo, novam terram a fidelibus eſſe poſſidendam, (id quod ſolent Chiliaſmum vocitare;) igitur non dicendus ſum carnis reſurrectionem negare; ſiquidem terra nil aliud eſt quam locus pro corporibus, qua quidem meri ſpiritus minime indigent; ac præterea eorum nullus, qui glorioſam terræ & ſanctorum reſtitutionem regnumque credunt, inficietur corporis Reſurrectionem; ſed omnes eam exſpectent, & quidem talem, quam ſecunda mors non ſit conſecutura. Itaque proprio judicio ſuo ab accuſatione præcedente abſolutus ſum.

2. Quando circa verba verſatur accuſatio, ea ipſa tunc producenda ſunt, non autem alia eis ſubſtituenda. Iſta vero verba, NOVA terra pro ILLUMINATIS, non agnoſco pro meis. *Terram* ſimpliciter dixi, in qua diu victuri ſint quotquot Dei verbo, voluntati, boniſque inſpirationibus honorem ſint præbituri: quibus verbis quilibet a rixandi ac diſputandi prurigine liber, intelligere poſſit, id quod ad ædificationem animæ ſuæ judicaturus eſt conducere, ſine reſpectu ad Chiliaſmi controverſiam. Hæc fuit mea mens: quæ vero Germanici fuerit interpretis, quando *terram* de qua egi, diſtinxit a vita æterna, aſſequi non potui. Forte viam longævam in hac terra intellexit; at in Gallico dedi operam, ut per terram eam intelligi poſſit vel patria cœleſtis, ſive cœleſtis locus vitæ æternæ fruendæ factus; vel, ſiquis malit, terra hæc glorioſa. Nolui enim, ut dixi, controverſiis ullis anſam præbere: qua de cauſa in hac Editione *Paradiſum* explicationis gratia addidi, quod hæc vox latioris poſſit eſſe ſignificationis.

3. Non tamen me pudet hic fateri (quamquam id in libello ex-

Digitized by Google

expreſſum nolui,) me in ea fide eſſe, qua credam & ſperem, regnum tenebrarum, vitiorum, corruptionis, hac e terra eliminandum eſſe, & quidem brevi, per glorioſum Chriſti Jeſu adventum, quo primum quidem tenebras, vitia, ſeductioneſque impiorum hominum ac Dæmonum, effuſione Spiritus ſui veracis & ſanctificantis ſit deleturus; deinde vero & totam Orbis corruptionem cum improbis ac ſeductoribus luminoſa ſua præſentia exterminaturus, hicque æternum cum ſanctis regnaturus. Atque admodum miror hoc ulli probo aut pio homini inviſum eſſe poſſe. Namque ſi quis Chriſtum amat, is certe, ut opera Diaboli ubique deſtruantur, Chriſti autem lux, gloria, opera, ubique reſtituantur; optare debet ex animo, necnon inquirere cupide rationes in Scriptis propheticis quibus iſta probentur; atque cum reperiuntur, impenſe collætari:

Natura rerum geſtiens,
Cunctas per artus ſentiat
Dei ſui præſentiam,
Et prompta juſſis pareat.

Jus namque veniet dicere,
A vi ſuos ut aſſerat,
Mundumque juſtis legibus
Et veritate temperet. Pſal. 96.

Nedum ab his abhorreat pius animus, & præterea fratres ſuos conſcientiaſque eorum diris adſtringat votis quo hæc adeo bona, adeo optanda habeant abominationi: id quod mihi quidem videtur haud poſſe urgeri niſi impulſu illius Spiritus qui & adverſarius eſt gloriæ ac operum Chriſti, & timet per Chriſti regnum ſuæ in alios dominationi interitum imminere.

ARTICULUS XXVIII.

RR. MM. HH. *ibid.*

Catechiſmi caput tertium, quod eſt de Oratione Chriſti, non tanquam valde neceſſarium pro infantibus proponitur: ſed pag. 25. *lin.* 5. *dicitur*, POSSE eis unam atque alteram Orationem vocalem, Dominicam præſertim, memoriæ ediſcendam commendari: *quaſi id etiam* POSSET OMITTI, *E contrario*, parva deſideria, a nobis venientia, *veluti* neceſſaria *commendantur, pag.* 23. *lin.* 3. Sect. II. num. 24. Ibid. num. 22.

Digitized by Google

OBSERVATIONES.

IN ſequente Epiſtola prima oſtendi meram hanc eſſe cavillationem tum Theologis, tum eruditis, quin quibuſvis etiam omnino indignam.

1. Quia ipſa Scriptura hoc loquendi modo utitur circa res quas nemo propterea indifferentes poni, jure cavillabitur: v.g. Marc. 14: 7. 1 Theſſ. 3: 9. Hebr. 5: 7. quibus locis adde ſis & ſequentia, in quibus omnibus τὸ *poſſe* ponitur pro *debere*: Gen. 19: 22. & cap. 24: 50. & cap. 44: 22, 26. Deut. 16: 5. Pſal. 101: 5. Matth. 9: 15. 1 Cor. 3. v. 1, 4, 11. & cap. 10: 21. & cap. 12: 21. 2 Cor. 13: 8.

2. Quia regula eſt ſine exceptione ulla, hoc loquendi modo (POSSE ALIQUID) deſignari res quam maxime debitas ac neceſſarias, ſicubi vel impotentia aliqua naturalis eas prius impediens, remota ſit; vel excuſatio alicui negligenti ſit prævertenda. Atque ita, quoniam plures ſeſe a pueris circa diſcendas orationes inſtituendis excuſare poſſent, eo quod infantes eſſent adhuc impotentes; prævertitur eorum excuſatio per aſſeverationem impotentiæ, tunc evaneſcentis, *poße* jam eos id ipſum: Sic igitur non qualificatur (ut ita dicam) Chriſti Oratio; ſed removetur impotentiæ humanæ excuſatio.

3. Honeſtis quibuſque viris in uſu eſt, hanc vocem, *poße*, adhibere in rebus quæ ſunt officii pro voce *debere*; qua ultima non frequenter (Gallice præſertim) utimur, ne videamur imperatorio, vel potius ruſtico aut pædagogico modo omnia aliis injungere; tum quoque ut ſignificetur, haud decere alios coactos aut fatali neceſſitate, ſed potius ſponte ſua ac modo libero, defungi officio ſuo: quæ etiam ratio eſt cur Scriptura S. res ſumme ad ſalutem neceſſarias, puta amorem ac gratiam Dei, hominibus ſæpe proponat ut quas admittere aut rejicere ipſis liberum ſit; quod ſcilicet Deus eos nolit ad illas cogere. vid. Deut. 30: 20. Joſ. 24: 15. Matth. 16: 24. Joh. 6: 67. Apoc. 22: 11, 17.

4. Quamvis vocabulo *debere* (quod nunc interponi curavi) maxime uſus eſſem, non tamen idcirco acquieſceret animus malevolus ac cavillandi cupidus: ſiquidem quanquam dixi, ubi de SS. Trinitate egi, eam OPORTERE vel DEBERE *a nobis credi*;

endi; nihilominus D. Doctori M. placuit objicere, (pag. 21. in 4to.) id myſterium a me *ut creditu* NECESSARIUM *non poni*.

5. *Parva ſuſpiria*, quæ dixi *a pueris ipſis proficiſci poſſe*, hoc eſt, quæ prius non fuere ita præſcripta ut memoriæ ad verbum mandarentur, ſed quæ e cordis pietate ex tempore eliciuntur, quæque apprime commendavi; tantum abeſt ut Orationi Dominicæ ſint detrimento, ut potius eam fulciant ac promoveant; quandoquidem eorum materia cum Orationis Dominici ſubſtantia eadem eſt; deſideria autem omnis Orationis anima ſunt, maxime ubi à gratia Dei neutiquam ſunt ſejuncta, uti explicationis gratia nunc a me adjectum eſt. Quæ ſiquis deinceps reprehenſurus eſt, ejus judicium de his veluti brutum contemni merebitur.

6. Quæri hîc poſſet, (1.) annon illi potius Orationis Dominicæ contemptores ſint & rejectores, qui dum ore Deum appellant communem noſtri omnium in Chriſto Patrem, ſuum tamen fratrem ac Collegam, ipſis in veritate & pietate Chriſtiana ad minimum nihilo inferiorem, renuunt ex animi odio pro fratre agnoſcere; nec illum ſolùm, ſed & alios quam plurimos ex Chriſtianis probiſſimos: in quibus dum fraternitatem recuſant colere, communem utique *Patris noſtri omnium* cœleſtis qualitatem quantum in ſe eſt abrogant, communeſque Orationis petitiones eo reſpectu evertunt? Item, (2.) annon illi petitionem quintam Dominicæ Orationis pedibus coram univerſo Orbe conculcent, qui non modo non parcunt inimicis eodem animo quo ſibi volunt a Deo condonari; ſed qui & in fratres etiam benevolos, nihil ipſis mali inferentes, hoſtili, maledico ac furioſo animo, in publicas ſugillationes, perſecutiones ac ſeditiones effuſo implacabiliter graſſantur: plebiſque Chriſtianæ mentes ſimilibus iræ, odii, furoriſque motibus per conciones ſuas ſuoſque libellos ſuccendere conantur? Denique (3.) annon iidem quando ob verbulum innocuum magnas proximis ſuis hæreſes impingunt, dum tamen ipſimet rei ſubſtantiam per facta ſua e medio tollunt, ſint ex eorum numero quibus Chriſtus exprobrat, *culices* quidem ab eis *excolari*, *camelos* vero *deglutiri*? Matth. 23: 24.

Digitized by Google

ARTICULUS XXIX.

RR. MM. HH. *ibid.*

Sect. II. num. 24.

Orationi Chriſti apponitur Rusbrochii *Oratio, quæ tamen (uti vidimus) contra* ordinatum amorem *proprium ſemel atque iterum impingit.*

Observationes.

1. MAgnam vero & ignibus expiandam hæreſin! commendare ut cum Oratione Domini ediſcatur quoque memoriter ſancta aliqua hominis pii ac ſancti oratio!

2. In ea nil eſſe contra ordinatum ſui amorem, vindicavimus ſuprà, in Obſervationibus ad articulum VII.

3. O utinam Deus RR. DD. nobiſque omnibus, aperiret oculos, ut videremus quam longe ab ordinato noſtri amore adhuc abſimus, quamque neceſſarium nobis ſit Orationis Rusbrochianæ poſtulata ad Dominum ſæpiſſime fundere!

ARTICULUS XXX.

RR. MM. HH. *pag.* 11.

Iſte Joannes Rusbrochius *in tenebroſo Papatu vixit, puta Prior Canonicorum in monaſterio vallis viridis. Anno* 1381. *fatis ceſſit. Enthuſiaſmum plurimi fecit: quapropter Gerſon ſcripta ipſius eſt inſectatus: tametſi Joannes è Schœnavia eum ſuſceperit defendendum.*

Observationes.

1. QUi de Rusbrochio plura ſcire ac veriora voluerit, is conſulat ſequentem Epiſtolam I. (a) unde patebit, quanti eum (qui Taulero Magiſter ac Superior habebatur) quivis eruditi piique viri in omnibus Chriſtianiſmi partibus ad hunc diem æſtimaverint; & quinam pro eo ſcripſerint: tametſi ipſemet

(a) Præcipue in Epiſtola de Auctoribus Myſticis, §. 6. quæ in hocce includenda eſt volumine.

met propriam pro ſe conſcripſit Apologiam, quæ in Operibus ejus ſub titulo *Samuel ſive de vera contemplatione* invenitur.

2. Convitium eſt quod RR. Viri pro more laudato Enthuſiaſmum Rusbrochio affricent. Niſi brevitati eſſet ſtudendum, oſtenderem eos & Rusbrochii ſtatum, & quid Enthuſiaſmus ſit, omnino ignorare; necnon malevoli eſſe animi, eum, quem rationibus aggredi non poſſis, convitio proſcindere.

ARTICULUS XXXI.

RR. MM. HH. *ibid.*

Poſt Rusbrochii Orationem, *Davidis quoque* Pſalmi *commendantur. pag. 25. lin. ult. attamen cum mira verborum ipſius explicatione ubi in inimicos precatur, ſcilicet illic* peccata vitiaque noſtra *intelligenda eſſe.* Sect. II. num. 25.

Observationes.

1. Suſpicor ne per hæc verba, *poſt orationem Rusbrochii Pſalmos commendari*, lectoribus inculcare velint; me Davidicos Pſalmos orationi Rusbrochii poſtpoſuiſſe: quod ſi ita eſſet, longe a vero abeſſet.

2. Explicationem literalem imprecationum quæ in Pſalmis ſunt, dare illic nolui, quæ cum reſpiceret ad homines Davidi coævos, in quos ille Spiritu divinæ juſtitiæ impulſus, precabatur, non videtur, qua talis, infantium omniumque hodie precantium uſibus inſervire poſſe, ſiquidem (ne dicam eos Dei Spiritu, quo impellantur, non eſſe præditos) objectis iſtis nunc careant. Nihilominus tamen, quandoquidem ejuſmodi Pſalmi pro lectionis, aut cantus, forte & precum exercitio ipſis interdum proponuntur, cavendumque ſit ne imprecationes illas hominibus ipſis notis, hoc eſt, proximis ſuis, applicent; non potuit tutius ab hoc malo declinari, neque magis ſalutari modo imprecationum objectum aliquod eis proponi, quam in libello factum ſit, & præeuntibus quidem SS. Patrum nonnullis.

3. Equidem opponit Lubecenſis quidam Objectator, imprecationes iſtas a nobis eſſe eo ſenſu proferendas quo David eas

proferebat. Sed quæro ex illo, utrum, non dicam eadem habeat objecta, ſed eodem Spiritu ſit præditus atque David ipſe? Si affirmet, ridebitur: ſapit enim totus carnem meram. Si neget, atque adeo ſi proferat ſpiritu humano & corrupto ea quæ nonniſi a ſingulariſſimo divini Spiritus afflatu prodire debuerint; erit ergo & ſimia Dei, ſine Spiritu actiones ejus imitatione fingens; & verus Enthuſiaſta, ſi quidem verus Enthuſiaſmus in hoc conſiſtit, ut cum quis humano ſolum ac corrupto ſpiritu præditus ſit, eos tamen agendi & loquendi modos ſibi ſumat qui ſolis a Spiritu Dei motis competunt.

ARTICULUS XXXII.

RR. MM. HH. *ibid.*

Sect. II. n. 24. *Cum* Oratio Dominica, *quæ in ſex tantum poſtulata dividitur,* pag. 25. *explicatur; ubi nos, ſecundum B. Lutheri expoſitionem, in petitione altera poſtulamus Spiritum S. quo, ejus gratiâ, ſancto ipſius verbo credamus; videtur Auctori libelli non multum in precio eſſe ſanctum Dei verbum ejuſque Eccleſiam; namque nihil aliud ipſi eſt adventus* Regni Dei, *quam ut Deus* honorari ac laudari *poſſit. vid. lin.* 16.

Observationes.

1. INgens ſane crimen, quod nihil de Dominica Oratione minuens, pro unica petitione numeraverim eam quam alii in duas dividunt! Quid ergo dicerent ſi ſecutus (*a*) Lucam, duas petitiones, uti ille, reticuiſſem, tertiam videlicet, & eam quæ vobis ſeptima eſt? Luc. 11: 2. &c.

(*a*) Juxta Vulgatam.

2. An æquum eſt, me qui Lutheranus non ſum, ad Lutheri verba a R R. V V. adſtringi? & ex eo quod illa non adhibuerim, concludere, *Dei verba* & *Eccleſiam* a me magni non æſtimari?

3. Petitionem Orationis alteram explicavi de divini honoris ac laudis completione, qua in re omnium rerum finis ſummus ac perfectiſſimus conſiſtit: Lutherus autem, de mediis ad hunc finem

finem ſummum. Unde patet, & meam explicationem, quæ finem omnium ſummum complectitur, complecti quoque media explicationemque Lutheri: ac præterea, ut finis ſummus nobilior eſt & perfectior mediis, ita explicationem, a me poſitam, explicatione Lutheri completiorem eſſe. Et tamen Lutheri explicationem meæ, media fini, opponunt; & eandem meæ, media fini ſummo, præponunt; tum concludunt, ex mea explicationem Lutheri, ex commendatione finis ſummi commendationem mediorum, tolli vel contemtui haberi; atque hoc inter propoſitiones reprehenſione dignas recenſetur, ut numerus accreſcat. Acute & prudenter omnia!

ARTICULUS XXXIII.

RR. MM. HH. *ibid.*

Ad tertiam petitionem requirit tantum obedientiam: & ad quartam, ut Deus animam noſtram gratia & amore ſuo nutriat. lin. 18. Ibid.

Observationes.

1. SUperat captum meum cenſuræ hujus pars prima, neque divinare poſſum quod malum, quod venenum, quam hæreſin ſubeſſe velint RR. Viri quando his verbis, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra*, deſignari dixi *obedientiam* Deo præſtandam: iſta namque revera æquipollent & æque patent, haud minus ac definitum & definitio, ſuntque omnino eadem. Etenim ſi *obedientiam* Deo debitam, ut definitum, per ſuam definitionem exprimere velis, dicendum erit, eam eſſe executionem voluntatis Dei in terra perinde ac in cœlis. Et cum ea obedientia dicat omnia quæcunque ſunt, in ſpiritibus, inque corporeis rebus, ad nutum & voluntatem Dei componi, quæ voluntas ſola bona eſt, omniaque bona complectitur, dicant, quæſo, Viri RR. quid hic aut boni ſit omiſſum, aut mali immixtum. Proferant ergo hac in re præter obedientiam aliquid aliud; & oſtendam ego ipſum illud eſſe omnino malum: erit enim, ſi ab obedientia diverſum ſit, obluctatio voluntati Dei atque rebellio.

Hæc ſi necdum capiant RR. Viri, legant igitur apud Auguſtinum, Epiſt. 121. hanc eandem quam dedi explicationem: *Cum dicimus, fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra, nobis ab illo pre-*

precamur IPSAM OBEDIENTIAM; *ut ſit a nobis fiat voluntas ejus, quemadmodum fit in cæleſtibus ab Angelis ejus*: quibus verbis totam petitionis explicationem abſolvit illic Sanctus Vir.

2. Quid opus fuit ut circa petitionem quartam id monerem quod nullis non venit in mentem? ſed quod admodum paucis in animo verſatur, tametſi ſit & ſalutiferum valde, & petitu neceſſarium, id a me commemorari, non reprehendendum, ſed laudandum potius fuerat.

3. Ad ſpiritualem ſenſum ducit nos Chriſtus ipſe multis aliis in locis; Matth. 6: 33. Joh. 4: 34. & cap. 6: 27, 33. &c. eundemque de hac Orationis Dominicæ petitione ſenſum ſecuti ſunt Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Athanaſius, Chryſoſtomus, Cyrillus Alex. Ambroſius, Auguſtinus, Theophylactus, Biblia vulgata (ubi ἄρτος ἐπιούσιος per *panem ſuperſubſtantialem* redditur Matth. 6: 11.) Caſſianus, Germanus, Damaſcenus, Eraſmus, Lutherus ipſe, Arndius, & plures alii, quorum nonnulli (quos inter Cyrillus) vel ipſam petitionem terrenarum rerum hinc excludi volunt, propterea, procul dubio, quod id verbis Chriſti innui ipſis viſum ſit: Matth. 6: a v. 25 ad 33. & Joh. 6: 27. Et tamen quod ſpiritualem ſenſum indicaverim; me oportuit a RR. MM. (artic. 38.) inter *fanaticos* publico convitio collocari!

ARTICULUS XXXIV.

RR. MM. HH. *pag.* 12.

Ibid.

Itaque hac in petitione removetur cibi corporei poſtulatio. lin. 18. *quemadmodum etiam videtur ac ſi omnino rejiceret bonorum temporalium deſiderium*, *ubi* (pag. 15. lin. 9.) *dicit*, hominem contentum eſſe debere utut quæcunque habet vel nulla eſſent, vel omnium minima; neque plura, quam quæ habeat deſiderare debere. *Deſiderium ad ſuperflua rejicit pag.* 75. *lin.* 12. *& pag.* 71. *lin.* 12. Plura non eſſe nobis deſideranda quam quæ habemus: omne ſiquidem aliud deſiderium, concupiſcentia ſit prohibita.

Sect. II. num. 8.

Sect. VI. num. 4. Sect. V. n. 11. (10.)

OBSER-

OBSERVATIONES.

1. DE cibi corporei petitione, in ſuperiori articulo egimus.

2. Siquidem hæc, quæ hic a RR. DD. è libello relata ſunt, minime probent, oppoſita igitur ab illis approbari conſequitur: iſta autem ſunt, *Hominem iis qua habet, contentum eſſe non debere; ſed ei eſſe deſideranda & plura, & quidem ſuperflua.* Quæ egregie ſcilicet cum doctrina Euangelica conſpirant.

3. Certe, Euangelium ſi conſulamus, *Ethnici* ſunt qui de rebus temporariis ſolliciti ſunt, eaſve cumulant. Matth. 6: 19, 32. *Phariſæi avari* ſunt qui rident doctrinam jubentem ut *uni adhæreamus Deo*, & *contemnamus mammona.* Luc. 16: 14. Chriſtiani vero ſunt qui hæc nec deſiderantes, neque curantes aut cumulantes, Patri Deo confidunt, ut qui quærentibus regnum Dei & juſtitiam ejus, reliqua adjiciat: Matth. 6: 19, 25, 31, 33. His ipſum corpus vitaque temporalis, (quæ plus ſunt utique quam temporalia bona, Matth. 6: 25.) ita ſunt oneri ut ſub illis gemant. 2 Cor. 5: 6. Bona autem temporalia ſicubi illis diripiuntur, id cum gaudio patiuntur. Heb. 10: 34. Neque vero plura cupiunt quam quæ ipſis relicta ſunt, quæque in præſenti habent, eo quod aliud genus deſiderium avaritia eſſet, ut divine Apoſtolus docet (a) *ſint mores ſine avaritia*, CONTENTI PRÆSENTIBUS: *ipſe enim dixit* (Deus,) *Non te deſeram nec derelinquam. Ita ut confidenter dicamus, Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.* Et hoc vere eſt Deo divinæque Providentiæ confidere: quam confidentiam remunerat Deus tum bonis ſpiritalibus internis & æternis, quæ animam tranquillant; tum etiam ſuis providendo ſemper de neceſſariis ad hanc vitam, ſic ut ſint certi nil ſibi defuturum, ſintque læti vel mediis in jacturis. (b) *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem in vobis & manentem in cœlis ſubſtantiam. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram* (in Dei providentia ſcil.) *quæ magnam habet remunerationem.* Quod ſi interdum inopia premi ultra modum videantur, hæc ipſa penuria & privatio res eſt eis ad ſalutem neceſſaria, & a Deo diſpenſata, eſtque portio crucis & afflictionum Chriſti, æternam gloriam parientium: quâ neceſſitate abſit ut carere deſiderent, ut potius per vim Chriſti, in

(a) Hebr. 13: 5, 6.

(b) Hebr. 10: 34, 35.

Digitized by Google

(*a*) 2 Cor. 12: 10. Chriſtianis operantem, delectentur in ea; (*a*) *Placeo mihi*, dicit Paulus, *in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus.* Atque ea vere eſt doctrina, ea eſt virtus Chriſti, quam quiſquis in illo eſt, ab eodem & didicit & exercet, Apoſtolo teſte, (*b*) *Didici in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio & humiliari, ſcio & abundare: ubique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari & eſurire; & abundare & penuriam pati. Omnia poſſum in eo qui me confortat.*

(*b*) Phil. 4: 11, 12, 13.

4. Ergo antichriſtiana eſt doctrina oppoſita, tametſi gratiſſima ſit miſeræ noſtræ corruptæque naturæ, quæ mavult in opibus quam in Deo vivente fundari ac quieſcere, quæque ſibi doctores quærit *deſideriis* ſuis ac *auribus* gratos. 2 Tim. 4: 3. *quales multi* futuri ſunt, *negantes Dominum* (ejus doctrinam ac vitam) *luxuriantes, per quos via veritatis blaſphemabitur, & qui in avaritia fictis* ac compoſitis *verbis de* auditoribus ſuis *negotiabuntur*, inquit Petrus 2 Epiſt. 2: 1, 2, 3. Miſereatur Deus miſeri ac per eos ſeducti generis humani!

ARTICULUS XXXV.

RR. MM. HH. *ibid.*

Capita cetera Catechiſmi de S. Baptiſmo, *de* S. Cœna, *ut & de* Confeſſione & Abſolutione, *ne ſemel quidem in toto libello nominantur: tametſi præ omnibus opus ſit, ut infantibus ſuum baptiſmale fœdus ſæpius ob oculos ponatur.*

Obſervationes.

Hiſce ſufficienter reſpondi in Obſervationibus ad cenſuram IV. §. 4. Pleraque horum ad infantes nondum ſpectant. Ea quæ ſpectant, veluti Baptiſmus, commiſſa ſunt inſtitutoribus, Parentibus, Suſceptoribus, qui ſe functuros eo officio publice ſpoponderunt. Denique, ſiquidem gratia Dei ex una parte, promiſſioque vitæ noſtræ Deo dicandæ ex altera, ſint e præcipuis quæ in Baptiſmo occurrunt, de iis autem agatur in ſingulis fere libelli paginis, ergo, præcipua rei ſubſtantia oblivioni neutiquam eſt tradita.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS XXXVI.

RR. MM. HH. *ibid.*

Artes & ſcientias perſtringit Auctor, pag. 30. lin. 21. iiſdem de cauſis jam dictis, pag. 36. lin. 7. Etiamſi homines univerſi &c. *vid. pag. 38. lin. 3.* Imagines omninò mortuæ iſtæ ſunt, proprie loquendo, frigidæque prorſus ac inanes ipſius rei & vere ſteriles picturæ, quibus ſi quid ſuperexſtruas, ventus erit. Sect. III, num. 4. Ibid. num. 13. Ibid. num. 14.

OBSERVATIONES.

1. SI hæc quæ pag. 30. lin. 21. perſtrinxi, pro artibus ſcientiiſque ſuis RR. DD. agnoſcant, videant igitur omnes quænam ſint ſcientiæ illæ ac artes ſuæ: etenim locutus ſum expreſſe de ſophiſtarum ac *vanorum hominum* confabulationibus, inanibus excogitatis, chimæris, fictiſque geſtis; neutiquam autem de veris artibus & ſcientiis: de quibus quid ſentiam, potuiſſent plenius e libro de Eruditione perſpicere, ſi ea fuiſſet illis mentis æquitas, ut ejus, quem judicio gravare volebant, ſenſa prius cognoſcerent. Sect. III, num. 4.

2. Porro, quæ e pag. 36 & 38. producunt, ea ad artes & ſcientias non ſpectant; ſed ad operationes Rationis corruptæ & cæcæ, quatenus illa divinis rebus ſe ipſam vult ingerere. Si hoc RR. VV. tangit, non mea profecto, ſed ipſorum culpa ſit. Cenſura interim iſthæc cum artibus & ſcientiis iſta male confudit, ac minime vere me veras ſcientias arteſque perſtrinxiſſe poſuit. Sect. III. n. 13, 14.

ARTICULUS XXXVII.

RR. MM. HH. *pag. 13.*

Cum lectio Scripturæ haud adeo juventuti ab Auctore commendetur (capitibus quibuſdam e Matthæo ac Joanne, hujuſque & Petri Epiſtolis exceptis, pag. 72. juxta cum Siracide Pſalmiſque Sect. V. num. 13.

Sect. III. num. 35. *Davidicis.* ibid. v. pag. 55.) *in primis tamen commendat Papiſtici* Hugonis Pia deſideria, Columbulam, *ubi multa de Purgatorio*; & Thomæ a Kempis *de Chriſti Imitatione libellum, qui alioqui cum magno judicio legendus eſt: ſi quidem eo ſit conſcriptus tempore quo Papiſmus erat pinguiſſimus; neque omnia in eo ab Orthodoxis recipi poſſint.*

Observationes.

1. A Veritate abeſt, eos Auctores a me pluſquam S. Scripturam commendari: namque vel oculorum teſtimonio conſtat, eos tantum a me ſemel, idque ſine elogio, ſubindicatos eſſe: Scripturam vero Sacram plus quadragies laudavi, eam Sect. III. num. 9. ipſam, ſive *ea qua referunt tum Deus ipſe, tum ſancti divino Spiritu* præditi homines, Vetuſque adeo & Novum Teſtamentum, generatim commendando; tum ſpecialius plurimos ejus libros, tum ſpecialiſſime loca inde permulta adducendo, e quibus conſtet, ſic eandem a me præ omnibus aliis libris haberi & commendari, ut cetera omnia, ſiquidem ſint probanda, aut pro neceſſariis ad ſalutem habenda, ejus teſtimoniis inniti velim.

2. Hugonis Pia deſideria, nullis bonis non grata, conſtant e meris SS. Scripturarum verbis, per nonnulla SS. Patrum loca, pioſque Auctoris verſus diductius ornatis, nec non e materia controverſiis nullis obnoxia, circa progreſſum animæ ad Deum. Si in Columbulæ libello (cujus mentio in hac editione omiſſa eſt, & qui ſub infantilis ætatis emblemate pium animæ progreſſum adumbrat) quædam RR. VV. non arrideant, ſeponant illa, & pro Apoſtoli conſilio, *quod bonum eſt retineant.* Kempiſii divinus libellus non cum humano judicio; ſed cum pia humilitate ac ſimplicitate legendus eſt: mirorque hic eum a RR. VV. quaſi ad partes & rixas trahi, tametſi eos non lateat, complures eſſe ejus editiones Germanicas ab Arndio aliiſque publicatas, in quibus nulla ineſt pro altercandi indole materia. Me vero cuivis eam voluiſſe Kempiſii editionem commendatam in qua omnia ſint profectus occaſio, nil offenſionis, vel ex ſolo libelli ſcopo patet, tum etiam inde, quod ipſemet in gratiam eorum qui Romanarum non ſunt partium, Kempiſium Gallice, (titulo Kem-

PIS

PIS COMMUN,) ſic antehac emiſi, ut omnes ex eo pietatem, nullus offenſionem poſſit elicere.

ARTICULUS XXXVIII.

RR. MM. HH. *ibid.*

Ex hactenus adductis, quæ pauca tantum ſunt ex iis quæ ceteroquì produci poſſent, ſiquidem vix ulla ſit in libello linea quæ venenum in ſe non contineat, ſatis conſtat, DICTUM LIBELLUM, OMNINO HÆRETICUM ET FANATICUM, DUCERE PRÆCIPUE AD ENTHUSIASMUM AC DOCTRINÆ EUANGELICÆ ABROGATIONEM. *Quapropter quivis verus Chriſtianus eum; prout equum eſt, ex animo rejicit, omnibuſque ſuis viribus annititur, ne iſte vel ſimiles libri in ſimpliciorum manus, ad turbandos eorum animos incidant.*

OBSERVATIONES.

EN, hoc eſt totius RR. DD. ſcripti centrum, hæc amata illis Concluſio; ad quam tantopere tendebant, ut cetera omnia videantur curſorio pede ac fere ſine affectu tranſiiſſe, quo citius huc ſe redderent, omnes vehementiorum affectuum motus hactenus diſſimulatos & reſervatos nunc ſimul & ſemel effuſuri. Verum libet eam feſtinationem & æſtuationem parumper hic remorari, & ſedatius ſuam hanc concluſionem conſiderare.

Tribus illa membris videtur comprehendi, 1. in primo dicunt, veluti collectionis more, *Ea quæ hactenus adduxere, pauca tantum eſſe ex iis quæ ceteroqui produci poſſent.* Ratio: *ſiquidem vix ulla ſit in libello linea quæ venenum in ſe non contineat.* 2. In altero, ſua exſtat condemnans in *libellum* ſententia, eum *eſſe omnino hæreticum, & fanaticum; ducere præcipue ad Enthuſiaſmum ac Doctrinæ Euangelicæ abrogationem.* 3. Tertium, executionem ſententiæ quodam quaſi narrandi modo ob oculos ponit, quando dicunt,

quod *eapropter quivis verus Chriſtianus libellum, prout æquum eſt, ex animo rejicit, omnibuſque ſuis viribus annititur ne iſte vel ſimiles libri in ſimpliciorum manus, ad turbandos eorum animos, incidant.*

I. Si præcedentes triginta ſeptem articuli, pauci ſunt eorum reſpectu quos adducere poſſent Viri RR., ergo vel centum vel ducentos, & ultra, reſiduos ſe ſervare glorientur oportet, in quibus & *venenum* contineatur. Atque id quidem dicunt ut ipſum librum ejuſque Editorem cum Auctore, magis horridos mentibus omnium exponant. At quam craſſum id, quàm falſum artificium! Poſſe eos provocare ut gloriationem iſtam thraſonicam cum aliqua rationis ſpecie effectam dare tentarent. Quis credat eos, qui ad minorem ſuarum accuſationum numerum implendum, coacti ſunt reprehendere veram humilitatem, αὐτάρκειαν, gaudium ob crucem Chriſti, judiciorum temerariorum condemnationem, laudationumque vanarum, vim Spiritus Chriſti, illuminationem divinam, neceſſitatem puritatis vitæ ad illam obtinendam, libertatis aſſertionem, juſtitiam Dei in bonis & malis hic conſpicuam, rejectionem fictionum humanarum, & multa alia: quique ad cavillationes circa vocabula *poſſe*, circa numerum petitionum Orationis Dominicæ, diviſionem mandatorum Dei, & ſimilia, rediguntur; cetera in ſenſus aperte textui contrarios detorquent; & pro negatis ea de quibus non agitur, venditant; quis, inquam, credat tales habere pro accuſationum ulteriorum materia *venenatos* neſcio quot ſibi reſervatos articulos, numerumque vel quadragenario multo majorem, quem apud ſe velint reticere? Hoc iis quidem qui mente bona in ergaſtulis privantur, perſuaderi poſſit; ſano homini non poſſit. Mira, procul dubio vidiſſemus, ſi ſuam illam examinandi & interpretandi artem, qua *ex ſingulis fere libelli lineis venenum* exprimatur, ipſa re oſtendiſſent Viri RR.: quod tamen erat apprime neceſſarium, quo ſuæ condemnanti Sententiæ vel maximum pondus adderent: niſi forte tunc debuiſſent abnegatio noſtri, amor Dei & dilectio proximi, quæ *in ſingulis ferè lineis* occurrunt, ab iis condemnari, & pro *veneno* in medium proferri.

II. Pace R R. Dominorum, ſiquidem Veritati tam inverecunde obloquantur, auſit ea ipſis non in aurem dicere, eos librorum examinandorum & interpretatione donandorum videri omnino rudes ac ignaros, (abſit ac malignos alii vere poſſint aſſerere.)

Digitized by Google

aſſerere.) Antequam tam tetra, qualis ſua eſt, imo antequam ulla in librum aliquem, ne dicam in Auctorem aut Editorem, ſententia evibretur, debuit præceſſiſſe examen longe aliud atque mera & manca laciniarum hinc inde diſcerptarum vellicatio quam hactenus vidimus. Id paucis, ne ejus ignorantia peccent continuè, illis hic ponendum eſt ob oculos; ſimulque qua in re examen hoc ſuum defecerit, & quid abſurdi loco ejus produxerint ſcripto & agendi ratione, oſtendendum.

1. In libro aliquo, præſertim quando de practicis agit, examinando, præcipue conſideranda ſunt (1) *ſcopus*. (2) *media*, (3) *mediorum applicatio*. (4) *loquendi modi*, ſeu verba. (5) adderem & *Scriptoris conſiderationem*, quando aperte conſtat eum aut probum ac pium eſſe, aut vero impium atque profanum: verum quoniam hic ſæpius intervenire ſolet humanus affectus, hoc tutius plerumque ſeponitur, ut initio monuimus; ejuſque loco melius judicantis ſive *interpretis conſtitutio* veniet pro requiſito ultimo, vel potius omnium primo, conſideranda.

Examen Librorum, quomodo faciendum, & quæ in eo conſideranda.

Hic ſi ſit rerum, de quibus quæſtio eſt, vel ignarus vel inexpertus, aut præjudiciis vel affectibus atque malevolentia præpeditus, patet eum minime idoneum fore rerum aut librorum, de quibus quæritur, examinatorem, interpretem, judicem. Sin lumine quodam ſit præditus, ſimul & boni experientia, & deſiderio divini amoris dilectioniſque proximorum; hic facillime deteget quam primum & ſine multa criſi, libri alicujus verum ſcopum, tam per conſcientiæ ſuæ ſenſum intimum lectione libri excitatum; quàm inde, quod in operis initio, medio, fine, ſcopus non uno modo indicabitur, eò tendetur, & illinc argumentis robur accedet.

Attendendum autem erit, an eo redeat *ſcopus*, ut cum Deo homines conjungantur per amorem mutuum, vel ut deſtruantur impedimenta quæ hocce negotium remorantur. Quæ ſi ita ſint, igitur ſcopus, ac proinde ſubſtantia libri præcipua, erit omnino e genere boni: ſin minus, vel vanis, vel malis accenſeri poterit. Quod ſi *media* ad bonum ſcopum, ipſa ſint vel per ſe bona, ſintque vel virtutes, vel impedimentorum remotio; eo magis ipſum opus laude dignum erit, quo magis media in eo exhibita e primariis erunt, aut obſtacula removenda e maxime præcipuis. Ac notandum eſt, non requiri ut media omnia ad ſcopum ducentia illic

Digitized by Google

illic recenſeantur. Sufficit ſi quædam, ſique præcipua: non enim omnes qui ſcribunt, eadem vel cogitationis amplitudine, vel copioſe omnia coacervandi intentione præditi ſunt: ſic ut abſurdum & iniquum ſit, quorumdam prætermiſſionem vitio vel errori vertere alicui. Sin accideret ut media quædam adducerentur quæ in ſe aut minus eſſent vera, aut minus bona: non tamen idcirco articulus aliquis erroneus aut hæreticus inde eſſet illico exſculpendus, multo minus totus liber pro erroneo aut pro hæretico exclamandus foret: ſiquidem talis eſſe non poteſt quando vere & ſincere is eſt libri ſcopus quem bonum diximus. Sed huc reſpiciendum erit, an media illa ſint ex eorum natura quæ vere ſcopum tollant, aut quæ impediant ne ad eum perveniatur; an vero ſint indifferentia quæpiam aut minutula, quæ cum eo ſcopo ſubſiſtere poſſint, imo per quæ ad illum detur accedere. Si cum ſcopo pugnarent, quando quidem id factum eſſet inſcio auctore, (cujus ſcopum ponimus bonum eſſe) non eſſet ille idcirco negati aut ſublati ſcopi ſtatim accuſandus; ſed agnita ejus bona mente, de hallucinatione per infirmitatem humanam in mediis admiſſa, benigne ac amanter monendus eſſet, ſimulque meliora docendus media; quæ ſi agnoſceret, atque ab errato reſipiſceret, eo magis utique eſſet diligendus, Deuſque propterea collaudandus: ſin vero ob mentis infirmitatem ac tenebras, penitius adhuc vel invito adhærentes, necdum agnoſceret meliora, neque errorem ſuum circa media; negaretque eo tolli verum ſcopum, quem ſcopum nihilominus vere retineret, & ad quem re ipſa ſerio tenderet; tunc & benigne ac fraterne tolerandus eſſet idem, & Deus pro eo ardenter orandus ut lumine copioſiore eum bearet; niſi tandem eſſet evidens, eum ex contemtu ſcopi ac finis ſummi, èque indifferenti erga illum animo, media ab illo ſcopo abducentia tenere atque commendare velle. Verum ſi media illa erronea ex genere rerum minutarum & veluti indifferentium eſſent, tunc ne ſeria quidem cenſura digna eſſent reapſe habenda; ſed vel diſſimulanda eſſent, vel omnino excuſanda, vel iis ſemel ac obiter indicatis quàm minime deinceps inſiſtendum. Atque huc facit apprime conſideratio tertia, quæ eſt *applicationis mediorum* ad ſcopum, hoc eſt, *bona intentio* bonuſque conatus ut ex hiſce mediis eatur ad Deum: quæ res eſt tanti precii, ut propter hanc media cœteroqui per ſe vel nulla, vel manca, non modo

modo nullam inurant operi maculam, ſed & a ſcopo ſanctificentur, ut ita dicam, roburque accipiant, quemadmodum apparet in illis qui propter Dominum diſcrimen in diebus aut in cibis ponunt, quod tamen in rebus ipſis non eſt, ut notat Apoſtolus, Rom. 14. Sic, ſiquis ex ſcopo ſimpliciores homines ad Dei obſequium adducendi, hoc medio uteretur, quod ipſæ beſtiæ eouſque ſapiant, ut & ratiocinentur ſe ſuis Dominis qui eas nutriunt debere obſequi; & couſque juſtæ ſint, ut hanc ſuam ratiocinationem fideliter in praxin reducant; is nedum ab ullo importuniore pædagogo & cavillatore reprehendendus eſſet; probari certe, ne dicam laudari, omnino deberet. Et hinc quidem omnibus iis argumentis, *quæ ad hominem* nominantur, multiſque etiam parabolis ac ipſis fabulis robur ſuum accedit.

Quibus omnibus obſervatis, nulla ſupererit utique circa *verba* vel *loquendi modos* difficultas, quando ſcopus ac media, horumque applicatio, bona erunt, & interpres ipſe aut Lector pius, ſolers, benevolus. Facile enim omnia in bonam partem & ad bonum ſcopum auctoris ilico reducet. Si verba cum SS. Scripturis eadem reperiat, optime: Si nova, bene quoque: multiplicatio namque boni uſus rerum, verborum, ſonorum, nimis ampla eſſe & optari nequit. Lætandum quod omnis ſpiritus, omnis lingua, omnis ſonus, omnis motus, impendatur ad gloriam Domini, qui idcirco dedit ſuis ſapientiam & donum loquendi, ut eas voces, eaque verba, per quæ nunquam laudatus eſt Deus, nunquam promota ſalutaris veritas, ad illum uſum reducerent, & omnia ſanctificarent: quod qui carpere volet pertinacius, demittat potius auriculas ut iniquæ mentis aſellus. Ad duriora verba quod attinet, ſique forte occurrant, ea malignos vel ſtolidos ſolum remorabuntur; non autem peritæ ac benevolæ mentis lectores, quibus ſcopi & ſenſus perceptio ſufficit, quique vel in Sacris quam plurima iſtiuſmodi ad ſpeciem dura ſine offendiculo aſſueti ſunt conſpicere.

2. Porro, quiſquis Lector bene conſtitutus, Libellum de Educatione Liberorum ad hanc voluerit Methodum examinare aut intueri, facile animadvertet, Omnem libelli vim, ſenſum ac cynoſuram, in hoc uno eſſe, ut homines in ſalutifera APPROPINQUATIONE AD DEUM & viva *Libelli de Educatione, examinati, analyſis brevior.*

DEI SUIQUE COGNITIONE per gratiam PATRIS cœleſtis in lumine CHRISTI cum operatione SPIRITUS S. promoveantur, ita ut ſuas ſuorumque liberorum FACULTATES ab interitu ad SALUTEM adducant. Hunc autem ad finem & ſcopum pro hominum facultatibus præcipuis adhiberi media ex Scriptura ſacra Doctrinaque Chriſti deſumpta, videlicet, 1. DESIDERIUM a malis, a propria voluntate, ab amore proprio, a cupiditate & a voluptate, per veram abnegationem revocare, quo impendatur Deo, ejus voluntati, ejuſque beneficentiæ ac bonitati deſiderandis, laudandis, celebrandis, implorandis cum animo ſincero, humili, manſueto & tranquillo. 2. INTELLECTUM, a falſis vaniſque avertere, quo Dei gratiam, lumenque per fidem in Dei verbum, inque Deum Patrem, Filium & Spiritum S. recipiat: *Rationis* facultatem ſcrutari non debere inſcrutabilia Dei; ſed exercere ſe circa ſalutaria & neceſſaria: *Imaginationem* & *memoriam*, & quicquid eſt in nobis quod perceptionis ſit capax, circa Dei Omnipotentis, Chriſti Redemptoris, Spiritus Sanctificatoris opera occupare. 3. ACQUIESCENTIAM etiam ac *lætitiam* ab amore vano & lætitia caduca diſſolvere, ac ad lætitiam quæ eſt in Deo, & in ejus placitis ac mirabilibus transferre. 4. Denique AGENDI FACULTATES non ad propriam voluntatem, ſed ad voluntatem Dei, ac ſecundum ejus mandata, dirigere. Ecce, hæc eſt brevis totius Libelli, ſcopi, ac mediorum ad ſcopum, analyſis, omnino eadem atque ſcopus Legis, Prophetarum; omnium, ab ipſo Chriſto Jeſu inculcatus iiſdem ferme verbis, (a) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* (deſiderio) *tuo, & ex tota anima tua*; (in eo acquieſcente ac lætante) *& ex omnibus viribus tuis*, (facultatibus practicis exſequendi,) *& ex omni mente* (intelligentia) *tua*. Ipſa media ſingulis libelli paginis ad hunc ſcopum reducuntur & applicantur. Elocutio autem ſive verborum accommodatio ac diſpoſitio, ita plana eſt & cum Scripturis conformis, ut ne minimam quidem videatur parere poſſe difficultatis umbram quæ non illico ex conſideratione ſcopi, materiæque

(a) Luc. 10: 27.

Digitized by Google

riæque ſubjectæ facillime diſſolvi queat a lectore tantulum intellectus ac voluntatis bonitate prædito.

3. Ac hæc quidem omnia niſi in Libello deprehenderint RR. DD., dolenda mentis conſtitutione ſint præditi neceſſe eſt. Sin ea illic viderint, quoniam iſta libelli totam ſubſtantiam & vim conſtituunt, debuit libellus, pro Apoſtolico præcepto; *quod bonum eſt, retinete*; a Viris R R. ſaltem eouſque comprobari ac commendari, ut qui ad finem ſummum per media a Chriſto ac Scripturis SS. commendata, lectores adduceret. Verum non iſta ſolum omnia, ſine quibus nemo ulla de re judicare recte poteſt, neglexerunt illi; ſed & inſuper in Libellum ſententiam tam confidenter ac definite dicere auſi ſunt, ut nihil poſſit cogitari temerarius; tantaque affectuum impotentia, ut nihil iniquius: qua quidem innocuum, quin & utilem & ſalutiferis abundantem veritatibus libellum, adeo indigne, adeo atrociter, adeo tetre condemnaverunt ac execrati ſunt, ut ſi vel Arrius, aut Simon Magus, aut Atheus aliquis, imo ſi Diabolus ipſe ad Euangelii extinctionem ex profeſſo ſcripſiſſet, deteſtabiliorem in modum ejus opus notari ac condemnari non potuiſſet. Totum libellum hîc, & alibi ſæpius, verbis & ſcriptis, ut omnino *hereticum*, *Pelagianum*, *Enthuſiaſticum*, *Fanaticum*, *Sabellianum*, *Socinianum*, *Papiſticum*, *Quakeriſticum*, *ſtolidum*, *ſeducentem*, *Antichriſtianum*, *Diabolicum*, *Euangelicæ doctrinæ ſuppreſſorem*, *veneno in ſingulis ferme lineis plenum*, *abominatione omnium*, quin & publica *ignis* pœna *dignum* dixerunt & buccinarunt; atque eum in ſuggeſtus ſuos ſecum delatum, populoque inde oſtentatum, talem eſſe, non ſemel, ſed per plures menſes publicis concionibus ad ravim uſque vociferati ſunt. Qua in re & ſcopum & ſubſtantiam libri cum damnaverint, hoc ipſo quoque Scripturarum ſcopum ac ſubſtantiam, appropinquationem ad Deum, ejuſque amorem, ut & media ex Euangelicis præceptis ad hunc finem in libello commendata, ſimul re ipſa damnaverunt; atque adeo hæreſin ipſimet potius ſua dignam ſententia hoc ipſo ſtabiliverunt. Ac ne optima quæque impie rejicere viderentur, interdum e non bono cordis theſauro peſſimum ſcopum ac Diabolicum, Euangelicæ doctrinæ ſuppreſſionem & a Chriſto ſeductionem, (*a*) imputaverunt. Media reſque ſalutiferas quaſi vitia (*b*) traduxerunt; cetera (*c*) diſſimularunt, torſerunt,

(*a*) Vid. Artic. 3. & 38.

(*b*) Artic. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 13. 14. 15. 16. 17. 21. 22. 24. 25. 29. 31. 32. 33. 34. 36. 37.

(*c*) In omnibus fere articulis.

(a) Art. 3. 12. 14. 19. ſerunt, (a) lacerarunt; lacinias miſere hinc inde ſine vi ac ſenſu connexorum avulſas, ſenſuque iniquo aut hæretico, ex ipſo (b) Art. 6. 12. 18. 23. 26. 28. contextu falſi convincendo, per calumniam deturpatas, (b) oſtentaverunt; aut futilia de notionibus veluti primis, de diviſionum (c) Art. 5. 32. alia (c) numeratione, de quarundam rerum (d) prætermiſſione, (d) Art. 20. 35. de aliquibus (e) loquendi modis, haud ſecus ac capitalia, carpſerunt: odioſis ac infamibus contumeliis nullatenus (f) pepercerunt. (e) Art. 12. 27. 28. 39. Ac tantum abeſt ut eorum quæ reprehendebant, idoneum ſenſum quærerent, ut etiam a nullo magis quam a favo- (f) Art. 1. 2. 38. rabili interprete abhorrerent. Paſtorem ejuſdem ac ipſi Confeſſionis Amſtelodamenſem, quod benignum bonumque præcipuis ſenſum applicuiſſet, non uno libello per unum ex ſuis proſciderunt. E Collegis ſuis alium eadem de cauſa, cum Editore, inter inimicos retulerunt, publiciſque Concionibus diſcerpſerunt. Sed nullibi magis apparuit qua animi benevolentia, qua prudentiæ circumſpectione, qua affectuum nuditate hoc in negotio egerint, quàm in modo quo erga Libelli Editorem ſeſe geſſere. Quid cum Auctore egerint, quandoquidem virtus ipſis eſt inolita contumeliis inceſſere quotquot partibus ſuis non addicuntur, nemo non poterit facile conjicere, nec non ſimul & contemnere, ſiquidem talibus diſplicere, ab iiſque vituperari ac diffamari, inter laudum argumenta merito ſit reponendum. At omnem ſuperavit expectationem id quod cum Libelli Editore, Cl. Horbio, Collega ſuo, Viro probatæ vitæ & pietatis, ab illis actum eſt. Eum, quod editum á ſe opuſculum commendaſſet, R R. Domini e privata auctoritate ſua, reclamantibus Magiſtratu, ac cœtu cujus is Paſtor erat, non auditum, non convictum, de ſenſus ſui Orthodoxia verbis ac ſcriptis teſtatum; Theologis non paucis ac etiam Academiis probatum & defenſum, nihilominus ut hæreticum, ut Apoſtatam, ut perfidum, ut Quakerum, ut officio & fraternitate indignum, ſcriptis & concionibus continuis proclamaverunt ac plebis horrori ut nefandarum hæreſium ſéminatorem expoſuerunt; ita ut plebecula iſtorum in eum concionibus furiata, & domum ejus invaſerit, & eum ipſum in publicis viis ab officio redeuntem, non ſemel probroſis clamoribus lapidibuſque tantum non oppreſſerit, ac vel concionantem convitiis obruerit. Cum autem nec pauci ſupereſſent inter alios qui veritati ac innocentiæ adhuc favebant, hinc cives in cives turbu-

turbulentis concionibus pariter ſe concitati ſunt, ut non ſemel parum abſuerit, quin gladiis aut cultris alii in alios mutuo ſævirent, reſque in lamentabilem tragœdiam; imo & in ſeditionem publicam abiret, Reverendis Dominis Miniſtris iſta ſpectantibus nec inhibentibus, quin potius pios Ampliſſ. Magiſtratus ſui ad conciliandam pacem conatus omni molimine obtundentibus. Namque juſſi ut de perſonalibus tacerent, quod partes conciliare vellet Magiſtratus, obedientiam divino jure ſubjectis impoſitam, ac Magiſtratui debitam, continuè violaverunt; edictiſque eo tendentibus publice oblocuti, non paruerunt, & quæ plura iſtiuſmodi, quæ vel in hiſtorica Relatione, Senatus auctoritate e publicis Regeſtis publice reddita, legi poſſunt diductius. Quæ omnia eſſe invicta argumenta affectuum praviſſimorum, mentibus eo in ſtatu ad judicandum ineptis dominantium, nemo non videt præter R.R. D.D., quibus ſua iſthæc agendi ratio mirâ nomenclaturâ dicitur, *Zelus gloriæ Dei, deſiderium ſalutis animarum, cura ne integritas Eccleſiæ periclitetur, ſatiſfacere conſcientiæ ſuæ*, & *Quakeros ex Eccleſia velle proſcriptos*, cum tamen hoc ipſo novum Quakeriſmum, omnium maxime Poteſtatibus immorigerum, conſtituant ipſoque facto exerceant.

III. 1. E quibus omnibus quanti ſit eorum Judicium faciendum, quanti æſtimanda *ſententia*, cunctis aliis liquet; iis ſolis dum obſcurum eſt: quippe qui eouſque cœcutiant, ut quid ipſi, quid alii, (ne dicam quid Deus,) dicant & faciant, ignorare videantur, quando addunt, *quemvis verum Chriſtianum ex animo Libellum prout æquum eſt, rejicere, omnibuſque viribus anniti ne in ſimpliciorum manus incidat.* Rem narrant juris aut facti; utramque vel oculorum teſtimoniis falſam. Omnes Chriſtianos æquum eſſe ſententiâ ſua adſtringi putant, tametſi liquidum ſit, ejuſmodi Superpapalis auctoritatis in H. Miniſterio tribunal ab Orbe Chriſtiano, quin & ab ipſis etiam Lutheranis, omnino neſciri. Verùm, vident ii circa ſe plebeculæ ſuæ partem pinguiorem, linguæ ſuæ lenociniis ac imperio capiſtratam, pro voto huc & illuc ad quævis credenda, audenda, facienda paratam, inflecti. Hac idea ſtipati ac occupati, nilque aliud cernentes, quemvis vere Chriſtianum turbæ ſuæ includi, ac facere quæ ipſi faciunt, ſuaviter ſomniant: quamvis ſi extra, imo ſi intra mœnia apertos conjicerent oculos, facile animadverterent inter Pro-

ceres, inter eruditos, inter Theologos, & Academicos, ac quosvis ubique honeſtiores, auctoritatem illam ſuam imaginariam flocci fieri; ac ubi ſententias, judicia & clamores, tragicaſque de *hæreticis*, *fanaticis*, *Quakeris*, *veræ Doctrinæ* & *Religionis inimicis* voces effundunt, id vel riſu, vel indignatione, vel etiam horrore ubique excipi: nemo ſiquidem ſit inter probos ubivis Lutheranos, qui horribilem illam in probiſſimum Collegam ſuum alioſque piorum perſecutionem ex animo non abominetur: nemo qui non indignatus ſit, ubi D. *Speneriam*, Religionis ſuæ decus & ornamentum, ab homine ἀφιλαγάθῳ, harumque turbarum tubicine, ſimilibus ac pejoribus contumeliis viderunt perfundi; nemo qui non libenter conſpicatus ſit R.R. Dominos Edicto Magiſtratus publico (*a*) notatos ut tales *quos nil deterruerit multas adverſus Actorum publicorum fidem diſſeminare imputationes iniquas, quibus cives in erronea judicia induci poſſent. Iniqua item & minime Chriſtiana incuſatione* ampl. illum e Senatu Virum, cujus calamo æquitatem ſui hac in re agendi modi Proceres promulgaverant, exceptum fuiſſe. En, quemadmodum *verus quivis Chriſtianus* MM. HH. ſententiam ac auctoritatem agnoſcit! Ac in re quidem libelli noſtri, tantopere a vero abeſt id quod narrant, *ex animo Libellum a quovis vere Chriſtiano rejici, & ne in manus ſimpliciorum incidat* præcaveri; ut potius e Chriſtianis, quin & e Lutheranis ipſis optimi quique eum, quo magis iniqua ſententia premi conſpexerunt, eo animoſius vulgaverint, commendaverint, defenderint; atque ut hactenus horum ſtudio eum viderunt Galli, viderunt Germani; ſic & Belgæ, & Angli, & complures alii cum tota eruditorum gente, iiſdem adjuvantibus viſuri ſunt: qua ſimul opera non ſine admiratione cognoſcet Chriſtianus orbis, quanti in rebus ſpiritalibus MM. HH. peritia & ſententia facienda ſit, quantum iis *Patribus ſpiritalibus* (ut ſeſe appellant) de vita & nutricatione ſpirituali ſit confidendum; quid eis *venenum*, quid *hæreſis*, quænam cauſæ perſequendi probos. Id quod non opus erit longa difficilium rerum ambiguarumve perquiſitione ſcrutari, quæ mora, quæ labore, quæ tenebris ac ſenſuum difficultate aut ambiguitate lectorem poſſint defatigare ac eludere. Tota res in plano eſt, ac in Chriſtianiſmi primis principiis, nemini obſcuris, verſatur, inque libello vel trium ſpatio horarum toto perlegendo, tum ea ſtyli

(*a*) 10 Julii 1693.

Digitized by Google

ſtyli facilitate exarato, ut nullius idiotæ captum exſuperet, ac cujus auctor præterea, Dei beneficio, & vivit adhuc mentis compos, qui de ſenſu ſuo perverſis cavillationibus traducto conqueritur; & ejus eſt indolis, ut ſi quos errores admiſiſſet, eos palam confiteri & revocare ipſum neutiquam puderet: dum contrà, hæreſes impactas nullatenus ſibi ineſſe agnoſcit, coram Deo ac hominibus contrarios ſenſus teſtatur, aſſertum probat tum ex eo ipſo libello, tum ex aliis longe antehac editis, tum etiam Epiſtolis contra adverſantium ſcripta noviſſime emiſſis, quibus illi nihil reſponderunt; ac præterea his ipſis quoque in illos Obſervationibus. Nonne hæc, uti ſincerioribus quibuſvis procuIdubio ad innocentiæ ac veritatis abſolutionem ſatis erunt, atque ad ſententiæ RR. Dominorum judiciique ſui condemnationem; ſic eadem vobis, Reverendi Domini, quorum officium eſt veritatem quærere & amare, ceteros ad eam ducere, a falſo horrere, docere cœlo maledicos excludi, charitatem ſectari ac manſuetudinem, agnitionem peccatorum confeſſionemque & emendationem omnibus commendare; nonne iſta, inquam, vobis ſatis eſſe deberent ut iniquam ſententiam veſtram revocaretis & ex animo rejiceretis, veritati inſonti daretis manus, agnoſceretis eam huc uſque a vobis fuiſſe male traductam; vos eo (ſi quæ excuſatio pro vobis proferenda ſit) ab unius e Collegio veſtro vehementioribus motibus pellectos eſſe, & facilius ac par erat, abductos: illum iracundo nimis affectu in Libelli Editorem, eundemque Collegam, impulſum ac captum vel antequam libelli contenta conſpexiſſet; quæ quidem ſemel feſtinante judicio improbata, poſtliminio deinceps & continue improbari ab eo debuerunt, ne puderet agnoſcere erratum, neve affectibus ſuis obtentus deeſſet. Nullum autem hominum eſſe quin quandoque per affectus a recta via ſeducatur: Proinde id venia & oblivione coram hominibus obliterandum eſſe, haud ſecus ac coram Deo, qui nos mutuo placabiles, offenſarum immemores, imo & veniæ pro aliis erga ſe deprecatores eſſe velit, quandoquidem ipſe offenſas in ſe a nobis commiſſas ad eum modum ſit remiſſurus quem erga alios tenebimus? Quam agendi rationem ſi inire velletis, RR. DD. is eſſet profecto honeſtiſſimus ſaluberrimuſque coram Deo ac hominibus vos expediendi modus. Vobis omnes ignoſcerent: vos cuncti precibus

ſuis

Digitized by Google

ſuis ad Dominum adjuvarent mecum, qui non ſemel Deum veſtris noſtriſque omnium peccatis propitium precatus ſum, quo omnium mentes in pace ac lumine per dilectionis ſuæ vinculum reſtaurentur.' Et profecto viva haccce animi Chriſtiani praxi, hoc aperto Chriſtianæ doctrinæ ex animo creditæ ac amatæ documento & exemplo, plus utilitatis ſaluberrimæ cœtibus ac Eccleſiis veſtris procuraretis, quam infinitis poſſit fieri concionibus, iis maxime, per quas ſuggeſtus in theatra potius videantur affectibus propagandis dicata conſecrari, quam in loca e quibus Dei ac hominum dilectio cordibus inſtilletur.

2. Huc ſi redeant Viri RR. calamitatibus procul dubio Deus medebitur: ſin, ut hactenus, reſtiterint, & (ut cœptum) ferociores indies animos ſumſerint, ad extremum tamen ſe cauſa cecidiſſe ipſi certo experientur, utut vel totam vitam triumphaſſent coram ſua plebecula, cujus favor, (quem pro linguæ blandientis aut fulminantis regimine ipſi ſciunt prolectare) unum pertinacioris ſui agendi modi fulcrum eſſe videtur. Miſerum vero adverſus veritatem ac æquitatem fundamentum! Namque, quamvis omnes etiam mortales vobis adſtipularentur, Rev. Domini, vobis tamen ſemel moriendum eſt: quo facto, nil vobis totius Orbis favor ulterius erit profuturus. Etenim ab ipſa Veritate, a Deo ipſo, certiſſime eritis judicandi. Hic plebeculæ affectibus non obſcuratur; ſed ſuum unicuique pro vera animi actorumque natura incorrupte tribuit. Illa (Veritas) immutabilis eſt, nec pro hominum ſententia ac judiciis variat: atque adeo veſtram licet ſententiam de libello hæretico, abominando, & cum ejus auctore atque Editore abolendo, omnium mentibus inſculpſiſſetis; id tamen in ipſa rei veritate nihil immutaret; neque ego propterea libelluſque fieremus alii atque in re & veritate ſumus: ſed manerem cum illo idem qui revera ſum, quem & Deus novit & ego me cum veris animi mei ſenſibus ſine diſſimulatione declaravi. Vos autem quanto animas veſtras affeceritis damno, tunc eritis deprehenſuri; ſimul & quantorum præmiorum materiam illis præbueritis, quos adeo æſtuantibus vexaveritis perſecutionibus, modo eas illi cum patientia pertulerint, & cum dilectione Deum vobis comprecentur propitium, pro occaſione tum profectus animarum ſuarum, tum veritatis ulterius promovendæ, a vobis ſubminiſtrata.

3. Si

3. Si quis autem rebitur id patientiæ aut dilectionis non eſſe, quod errata hic quædam veſtra enarraverim; eum profecto oportebit admodum cœcutire. Neque enim occulta quædam ac ignota a me revelantur: ſed quæ ipſimet RR. DD. publice geſta ac nota eſſe voluerunt, ac de quibus etiam gloriantur, relata ſunt. Tum JCtorum axioma huc apprime conducit, *Peccata nocentium nota eſſe & oportet, & expedit.* Oportet, e juſtitia: expedit, e charitate; idque tum ipſis nocentibus, qui erratorum nebulis obnubilati, ea quamdiu non cernunt, ab iis quoque reſipiſcere non poſſunt; tum etiam aliis non paucis, qui veritatem non ſine damno a nocentibus depravate ac corrupte eis exhibitam, vel perſequerentur, vel ad minimum contemnerent, neque ſua inde ſalutaria commoda, (quod alioqui potuiſſent,) elicere curarent. Adde, e veritate a nocentibus diffamata, nec tamen detectis adverſantium fraudibus defenſa, præjudicia fieri generalia unde ipſa in poſterum ſine examine rejici poſſit: id quod juſtitiæ adverſatur. Exempli gratia, cùm H. Miniſterium ante aliquot annos celeberrimam Virginem, Antoniam Burignoniam, Hamburgi tunc privatim agentem, de ſimilibus, quorum nunc Libellum accuſant, apud Proceres criminati eſſent, id, quia nullus eam adverſus falſas accuſationes defendebat, arcebanturque per RR. MM. a lectione ejus librorum univerſi, ab univerſis quoque creditum fuit; qui nedum inde proficerent, oppreſſiſſent forte illam Miniſtris inſtigantibus niſi ſe ipſa a perſecutione inchoata ſubduxiſſet. Inde præjudicium univerſale illic invaluit, quicquid ab ea, aut ab aliquo ei olim familiari proficiſcitur, id protinus tanquam erroneum rejici debere, quod quidem, ceu palmarium in tractatulum de Educatione telum, ipſi RR. Domini ab initio Articulorum Judicii ſui objecerunt, ut ſupra vidimus. Igitur ſi, poſtquam me Libellumque meum omnis generis hæreſium & impietatum iidem quoque inſimulavere, tacerem indefenſus, non eſſet ſane mirandum, ſimile ſi de me Libelloque fieret præjudicium univerſale, quo in poſterum ſine examine non ego ſolus Libelluſque, ſed & omnes etiam alii cujuſcunque auctoris libri, quando veritates eaſdem continerent, ſi non uſtulandi, ad minimum ut nullibi tolerandi duceremur: quo reſpicit quoque clauſula RR. MM. Judicii, volentis *unumquemque omnibus vi-*

S *ribus*

ribus anniti ne SIMILES LIBRI *in ſimpliciorum manus incidant*. Atque eo pacto quicquid Euangelicam veritatem evidentius accuratiuſque proponeret, quàm ut adulatorum gloſſis enervari poſſet, id e manibus omnium qui inde proficere poſſent, facile excuteretur.

Cui malo ut obviam iretur, poſtulavit neceſſitas ut ſilentio hic renunciarem, oſtenderemque nil in accuſationibus veritatis, nil caritatis, nil æquitatis ineſſe; ſed omnia illic falſa, odioſa, perverſa. Aperiat Deus RR. MM. oculos, ut in ſe agnoſcant ad quæ extrema ſoleat animarum inimicus mentes compellere quando affectibus illæ propriis ſeſe permiſerunt! fieri inde ut omnis veri, omnis boni, omnis æqui memoria ex animis ferme tota deleatur, ſic ut miſeri vel in principia propria ſcopumque ſuum miſere impingant. Hoc enim (quod neutiquam intenderant) tot falſorum profuſione conſequentur, ut deinceps nullam apud omnes qui eos noverint, fidem ac exiſtimationem ſint habituri; haud ſecus ac quiſquis eorum pectora immortalibus perſpiciet odiis ſcatentia, non facile ſibi perſuaſurus ſit, gratiam amoremque Dei univerſalem ſeria ab ipſis profeſſione doceri, ſiquidem in fratres proprios non minus infenſo ſunt animo, quam ſi eos veluti abſoluto decreto reprobatos, taleſque quos nulla amplius complecteretur divina dilectio, conſiderarent. Atqui Deus, qui nos omnes ad propriæ vitæ profuſionem dum adhuc ejus eſſemus inimici, dilexit, quique nil aliud diſcipulis ſuis inſpirat, nil aliud commendat, quam dilectionem, nil aliud reliquit quam pacem, aliter profecto debuit imitatione exprimi ab iis qui ſe *bonitatis* DEI *univerſalis* vindices, ſe pacifici Fœderis cuſtodes & promotores profitentur.

IV. Hactenus in *ſententia* RR. Virorum res conſideravi magis quam tragica verba de *veneno*, de *hæreſi*, de *fanatiſmo*, de *Enthuſiaſmo*, de *perturbatione ſimplicium*: quos clamores ut inanes ſinam vagas evaneſcere in auras. *Venenum* in Libelli lineis fere quibuſvis ſi quod fuerit, erit illud procul dubio ejus generis quo ſerpentum progenies interimi poſſit. *Hæreticum* niſi calumnioſe dici nequit id, quod finem ſummum per media Euangelica ſic proponit, ut omne bonum Deo Auctori per Chriſtum in Spiritu S. tribuat. Nullam rem *turbat*, niſi ipſum opus Dæmonis, quiſquis id vere agit. *Fanatiſmum* ſuperius rejeci (Art. I. & II.)

Supereſt,

Digitized by Google

Supereſt, ut quia de *Enthuſiaſmo* nil dixi hactenus, de eo aliquid ſubnectam, eo magis, quod qui Theologi non ſunt, dum neſciant quid forte monſtri ſub ea voce latitet, facilius ut ingenuis reum criminis eum ſuſpicentur quem Eccleſiaſtæ ſui Enthuſiaſtam eſſe exclamant.

DE ENTHUSIASMO.

1. *Enthuſiaſmi* impacti cauſam ut ſpeciatim reddant RR. DD. hoc dicunt, (*a*) *commendari*, (ab Enthuſiaſtis ſcil.) *Dei lumen Spirituſque divini operationes & inſpirationes* EXTRA ET PRÆTER SCRIPTURAM. Quæ verba ego nunquam adhibui; & vero cum ambigua ſint, non poteſt per ea quiſquam alterum aggredi quin ſophiſma committat æquivocationis, cujus ſi ſenſuum diverſitas perſpicue explicetur, nihil aggreſſoribus præter irritum conviciandi conatum, aut abſurdi erroris ſui manifeſtationem, erit ſuperfuturum.

De Enthuſiaſmo objectato, ejuſque obtentu.

(*a*) In aliis D D. M. V. & Pfeiff. Scriptis.

Namque ſi per hæc aut ſimilia, *Dei lumen Spirituſque ejus operationes extra & præter Scripturam non dantur*, (quod adverſantes contendunt,) id velint, lucem operationeſque divinas, verbum vivum & internum, eandem rem eſſe cum Scripturæ charactere aut vocis ſono; abſurdum & ridiculum tenebunt errorem: litera enim Scripturæ atramentum eſt & charta; ſonus vero vocis, aëris eſt in ore & aure motio: quæ omnia & peritura ſunt, & bipedum nequiſſimis communia ſunt; (*b*) *Verbum autem Dei manet in æternum, ac animas regenerat* & vivificat. Sin id velint, Spiritus illuminationem divinamque operationem illic adeſſe ex parte Dei ubi adeſt Scriptura & verbum externum, hoc eſt, Deum, quando vel loqui vel ſcribi ad aliquos curat, paratum eſſe ſimul ex ſua parte in eorum animis lucidas ſuas operationes inſinuare; ſic ut hæ ex parte Dei cum litera vel ſono præſententur; id veriſſimum quidem erit; ſed nec oppoſitum meæ ſententiæ. Sin hoc intendant, Dei illuminationem adeſſe ex parte hominis tum cum adeſt verbum, ſonus aut ſcriptura, hoc eſt, eos homines qui audiunt aut legunt, habere & ſimul operationes divinas in animis ſuis præſentes; nil hac opinione falſius eſſe, rationes modo dictæ, cum experientia quotidiana & ferme univerſali, convincunt. Quod ſi meas RR. DD. hæc

De Spiritus Dei lumine & operationibus extra & præter Scripturas.

(*b*) 1 Petr. 1: 23, 25.

hæc fuerit, illuminationes operationeſque divinas illis non dari qui verbi externi aut Scripturæ uſu careant, præſertim per impedimenta quæ ab iis ſuperari non poſſint, tametſi aliunde bono fuerint erga ſuum Creatorem animo; certe & Scripturæ, & experientiæ, propriæque etiam ſententiæ ſuæ erunt hac in re oppoſiti: iis enim qui inter Chriſtianos vel cœci, vel ſurdi, vel infantes ſunt, operationes Dei internas ipſimet RR. MM., uti equidem opinor, non negabunt: tum Paulus in Ethnicorum intimis revelationem divinam legemque Dei, ſecundum quam ſint olim judicandi, inſcriptam eſſe aſſeverat. Non quæro hic utrum ea illi bene an ſecus utantur, modo hinc agnoſcatur, a Dei lumine ac operatione percelli intus mentes etiam ſine externis literis ac vocibus: qua in re crediderim Ethnicorum multos præ Chriſtianis, imo præ Doctoribus literalibus haud paucis, divinæ vocis internæ eſſe auditores, luminiſque ſuperni compotes. Si denique is eſſet allatæ propoſitionis ſenſus, eos qui lectis quidem olim vel auditis interdum eſſentialibus Scripturarum, poſtmodum tamen *extra* harum actualem lectionem plerumque verſantur, & plus temporis meditando vel orando quam legendo impendunt; eos, inquam, non poſſe Dei lumen operationeſque *extra* & *præter* actualem Scripturæ lectionem vel ſoni auditionem adipiſci; id ex pinguiſſimis eſſet erratis craſſiſſimorum literaliſtarum, qui nullos præter Scribas ac mulierculas ſemper audientes ſeu diſcentes, & nunquam ad veritatis cognitionem pervenientes, vellent eſſe ſalvos. At ex utriuſque Teſtamenti exemplis innumeris contrarium evinci poteſt. Quot enim quovis tempore non fuere, qui vel ſemel audito Dei verbo, vel ipſo etiam Chriſto, diſcedentes, verbi praxi cum oratione ad Deum incumbendo, utut id poſtea non amplius audirent aut legerent, vel nequidem hoc poſſent, nihilominus Deo grati, ejuſque Spiritu pleni evaſerunt? Dixit Auguſtinus: (a) *Homo fide, ſpe, & charitate ſubnixus, eaque inconcuſſe retinens, non indiget Scripturis niſi ad alios inſtruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in ſolitudine ſine codicibus vivunt.* Ipſe Chriſtus inquit: (b) *Qui mandata mea habet* (hæc eſt auditio vel lectio) *& ſervat ea* (hoc eſt, orat, credit, ſperat, amat, juſtitiæ dat operam: quod ſane aliquid eſt ultra auditionem & lectionem) *ego manifeſtabo ei me ipſum:* En aliquod tertium, præter auditionem & obſervationem verborum

(a) De Doctrina Chr. Lib. I. cap. 39.

(b) Job. 14: 21.

Digitized by Google

borum Domini, nempe illuminationem, ſive actionem Chriſti, animarum lucis, in mente, quando hæc non in lectione & auditione mandatorum hæſit; ſed ultra ad eorum executionem progreſſa eſt, cui executioni ſuperaddit Chriſtus veluti aliquod lectione & obedientiâ poſterius, *manifeſtationem ſui*, omni eâ clariorem manifeſtatione quæ antea obſcurius & generalius habebatur. Plura non crediderim opus eſſe uti addantur ad probandum, *præter* & *extra* verbi ſonum & literas, illuminationem Divinam prolato ſenſu communicari. Monendum tamen & iſtud eſt, calumniæ prævertendæ gratia, negandam eſſe eam Dei *præter* & *extra* Scripturas illuminationem quando per iſthæc verba ſignificantur quædam a Deo *contra* Scripturarum veritates, aut *contemptis* & *rejectis* Scripturis, exſpectanda eſſe. Quæ quidem ſive exſpectatio ſeu jactantia, merito Enthuſiaſtis ac Fanaticis adjudicanda fuerit.

2. Non tantum in vocularum PRÆTER & EXTRA ambiguitate accuſationibus de Enthuſiaſmo iniquis cauſa & prætextus quæri ſolet: ſed nec minus huic ſubſervit fraudi æquivocus vocum *Scripturæ* & *Enthuſiaſmi* ſenſus. Scripturam modo externam literam *atramento* deſignatam, modo internam actionem *in cordibus per Spiritum viventis Dei ſcriptam*, ſignificare, ex Apoſtolo (2 Cor. 3: 2, 3, 6, 7, 8.) diſci poteſt: unde pro varia hujus ſenſus uſurpatione, cum vocibus *præter* & *extra* complicata, aſſeri poſſit aut negari divina illuminatio præter & extra Scripturas; atque, aſſertori aut negatori in crimen imputari vel ſecus a quolibet, prout quivis perſonam fœdi criminatoris aut honeſti viri voluerit repræſentare.

3. Ad *Enthuſiaſmum* quod attinet, ejus duæ ſunt ſpecies: una veri ſive boni, altera falſi ſive mali Enthuſiaſmi. Primus, item eſt duplex: Extraordinarius quidem, quando Deus hominem inſtinctu ſuo divino ita adflat & tangit, ut hic velut extra ſe poſitus, aut in ecſtaſin raptus, nec libertatis ac ſenſuum rector, divina proferat dictamina: quo Enthuſiaſmi boni genere Prophetarum plerique nonnunquam adfecti ſunt. Ordinarius autem eſt, quando mentes fidelium ſordibus mundanis ac vitioſis liberatæ, atque ad Deum aſpirantes, eique adhærentes, *Spiritum ejus ſanctum*, diu poſtulatum, ſecundum ejus fideliſſima ac Sanctiſſima (*a*) promiſſa recipiunt (*b*), *aguntur* (ut cum Paulo loquar,)

Enthuſiaſmi non una ſpecies, & quidem, primo, boni.

(*a*) Luc. 11: 13.
(*b*) Rom. 8: 14.

(a) Epheſ. 4: 18. (b) Rom. 8. v. 15. (c) Iſa. 11: 2. (d) Gal. 5: 2. (e) Gal. 2: 20. (f) 1 Cor. 6: 17. (g) 2 Petr. 1: 4.

quar,) *ab eo*, & vivunt (a) *vita Dei*, qui in ipſis ut in templo ſuo inhabitat, in eos, ut in membra ſua, influit, (b) producit in eis bona cogitata, in eorum deſideriis ſanctos motus, in intellectu cognitionem lucemque divinam, in affectibus virtutes, in regimine directionem, uno verbo, omne verum, bonum, æquum, quibus opus habent ut coram Deo & hominibus inculpatim prudenterque ambulent in fide, ſpe & Charitate, prædití (c) donis ac fructibus (d) Spiritus ſancti, ut veros decet Chriſtianos. Talem Dei Spiritusque divini in mentibus inhabitationem & operationem divina Scriptura paſſim tantopere commendat, ut neminem ſine ea ad Chriſtum pertinere aſſerat, dicatque Paulus propterea, non ſe, ſed Chriſtum in ſe vivere (e), fierique hominem cum Deo (f) unum Spiritum. Petro illud idem eſt ac (g) fieri divinæ naturæ participem: Macario, aliiſque Patribus id ipſum eſt θεῶσαι, ἀποθεῶσαι, θεοποιῆσαι, Deificari, diviniſari, ut ſic dicam: unde etiam Chriſtiani Eccleſiæ primitivæ, Ignatius, ac Patrum Sanctiores, appellabant ſeſe θεοφόρους, χριστοφόρους, πνευματοφόρους, ναοφόρους, ἁγιοφόρους, θεουμένους: *Deiferos*, *Chriſtiferos*, *Spirituferos*, *Templiferos*, *ſanctiferos*, *deificatos*, &c. & hoc modo rem ipſam ſi conſideremus, quiſquis non erit vero ac ſano ſenſu ejuſmodi Enthuſiaſta, hoc eſt, Deo diviniſque motibus intime præditus, nec inhabitantem & viventem atque regentem Deum in ſe habiturus, aut ſaltem eo ex intimis adſpiraturus; eum revera oportet Deo æque ac Chriſtianiſmo, ſalutique ſuæ, ex profeſſo renuntiare.

4. Dixi hoc ita ſe habere *quantum ad rem ipſam:* nam ad nomen *Enthuſiaſmus* vel *Enthuſiaſta* quod attinet, idem ei accidit ac vocibus *Magus*, *Tyrannus*, *Sophiſta*, aliiſque non paucis, quæ cum olim in bonam partem uſurparentur, nunc non niſi in malam plerumque uſu veniunt, ſalva tamen rei, quæ prius per eas deſignata eſt, veritate & bonitate: quod de Enthuſiaſmo quoque tenendum eſt, tametſi nunc ea voce vitioſum ut plurimum ac falſum Enthuſiaſmum deſignari conſtet.

Enthuſiaſmi mali ſpecies etiam duæ.

5. Dantur autem *Enthuſiaſmi mali*, quemadmodum & boni, ſpecies duæ. Et extraordinarium quidem Enthuſiaſmum in genere mali conſtituunt illi, qui, ſive a Dæmone, ſeu a mentis inſana quadam intemperie correpti, ac veluti furore abrepti, neque ſui compotes; divinum, quaſi ſimiæ, afflatum mentiuntur,

tiuntur, vel etiam quælibet impia, inſana, indecora, tanquam a Deo inſpirata, in medium jactitant & patrant. Tales erant olim inter Judæos quam plurimi falſi prophetæ; inter Gentiles ipſi idolorum Sacerdotes; inter Chriſtianos vero illi quos Epiphanius (a) *Euchytas* dicit, quos (ut cetera omittam nomina) *Enthuſiaſtas* etiam alii appellarunt, de quibus ita Hiſtoria Eccleſiaſtica (b) *Enthuſiaſtæ dicuntur propterea quod Dæmonis cujuſdam vim recipiant, quam Spiritus S. præſentiam eſſe putant.* Similes fanaticos in ultimis hiſce ſeculis & fuiſſe & fore, nemo eſt, ut opinor, qui non ſit multis de cauſis animadverſurus.

(a) Hær. 80.

(b Theodoret. lib. IV. cap. 10.

6. Sed & dantur ordinarii Enthuſiaſtæ, qui utinam ab omnibus bene & animadverterentur & præcaverentur. Hi ſunt illi, qui ſe a Deo miſſos, i. e. Dei legatos, ſe e ſpirituali ordine, ſe ſpiritales patres eſſe, ſibi reſiſti (c) perinde eſſe ac Spiritui S. reſiſti, dicunt & præ ſe ferunt, tametſi Spiritum Dei ac Chriſti minime habent; ſed potius Spiritum mundi, ne dicam Satanæ, in eis & per eos quævis vana, falſa, rixoſa, odioſa ac Deo contraria & proximo exitioſa operantis: qui ſibi loquentibus volunt haud ſecus credi ac ſi divina prædicarent, aut quaſi numine divino eſſent afflati; quando tamen ea quæ dicunt neque ex ſano Scripturæ ſenſu, nec e ſana ratione confirmant: qui res Scripturaſque divinas ſe profitentur eo explicare modo quem tanquam ex ore Dei audiri, & cui haud ſecus ac Deo fidem haberi exigunt; dum tamen ipſimet ſciunt & omnibus facto comprobant nil ſibi divini ineſſe, ſeque a Dei Spiritus poſſeſſione ac illuminatione immenſum eſſe disjunctos. Qui quando ſermones proprios, affectuſque & errores ſuos ac rixas aliis propinant, verbum Dei ſe pronuntiare audacter aſſerunt. Ecce, hi omnium pernicioſiſſimi ſunt *Enthuſiaſtæ*, qui cùm divinum officium, munus, ſtatum, jure merito a Spiritus divini poſſeſſione indivulſum, male ſibi vindicando ac uſurpando, criminis ſui ſint intus ſibi conſcii, nec ignari ſe interim omni indole divina carere, ſolaque tantum Scripturæ litera per corruptæ ſuæ Rationis actus explicanda an depravanda pollere; eos, a quibus ſe in divinis ſciunt antecelli, livore ac odio iniquo proſequuntur; iiſdemque proprios ſuos Enthuſiaſmi titulos impingunt in hunc finem, ut quoniam nunc ab hac voce, in malum delapſa ſenſum, abhorrent omnes; ſic & abhorreant ab illis

(c) Vid. Protocoll-mäſſiger Bericht. lit. B. p. 7.

probis

Digitized by Google

probis quos iſti peſſimæ notæ genuini Enthuſiaſtæ ſuo nomine ac odio obnubilant.

Non potui quin hic fuerim aliquantum prolixior, quando animadverto, id nunc a Satana potiſſimum agi, ut

Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui.

ac ſub titulo *Enthuſiaſmi* per ordinarios hujuſce generis ultimi Enthuſiaſtas, contemtui vel odio exponat quotquot ſunt qui diviniores ac maxime ſalutiferas de internis Dei operationibus veritates nunc temporis profitentur atque commendant. Metuit ſcilicet vafer animarum hoſtis ne per eas veritates redeant homines ad intimos animi receſſus, ubi Deum in Spiritu ac veritate Scripturarum SS. vera ſenſa pandentem audiant, detegantque ac rejiciant deinceps Ordinariorum horumce divina mentientium Enthuſiaſtarum technas, fraudes, falſamque & inanem ſapientiam ſuam ſcholaſticam ac Sophiſticam, qua divinæ Scripturæ vim totam ac ſententiam inverterunt, & mundum occœcatum, imperio ſuo ac regimini hucuſque ſubdiderunt.

7. Porro, cuivis nunc relinquo diſpiciendum, quo jure quave injuria RR. MM. HH. Enthuſiaſmum mihi publice non ſemel impegerint. Equidem ego in nonnullis Enthuſiaſmum tam boni quam mali generis & olim & hoc tempore agnovi: at eum in aliis agnoſcere, id non facit aliquem Enthuſiaſtam niſi is illum de ſe ipſo profiteatur. Quod nunquam a me factum eſt. Nunquam enim mihi dona Dei extraordinaria ac enthea ſcriptis aut verbis arrogavi: agnovi potius, me, culpa mea, ne ordinariis quidem uti vellem, adhucdum præditum eſſe, quanquam divino auxilio ad ea, hoc eſt, ad Spiritus Dei eam communicationem, quâ omnes ſalvandi ac Deum viſuri, participes eſſe debent, quæque in eis, operante eodem Dei Spiritu, Fidem, Spem & Charitatem efficit, ex animo adſpirem, cui quidem ſine extraordinariorum deſiderio ac requiſitione, contento acquieſcam animo. Quod ſi vero me ſenſu malo RR. Viri, annumerent iſtiuſmodi Enthuſiaſtis qui vel Dæmonis, vel inſanæ mentis furore aguntur, divinum interim afflatum jactitantes, manifeſta id erit adverſum me calumnia, qui ne quidem ita de divinis ſpiritalibuſque rebus ſcripſerim unquam aut locutus ſim, ut dictis meis ab ullo credi voluerim ſine ſolido e Scriptura S. aut e ſaniori ratione deſumto ac prolato argumento: uti ex omnibus

Digitized by Google

bus ſcriptis meis evidentiſſimum eſt. Ipſorum potius RR. DD. eſſet in ſeſe deſcendere, illicque diſpicere, num forte ad numerum falſorum Enthuſiaſtarum, quos ultimo ordine recenſui, propius quàm id injuria mihi exprobrant, ipſimet jure merito accedere judicandi eſſent.

8. Ceterum apprime notandum eſt, Enthuſiaſmum, quo ſenſu RR. DD. eum aliis impingunt, neutiquam in ſe hæreſeos materiam fieri poſſe. Nam quemadmodum ſi quis diceret, obedientiam, quam Magiſtratui ex animo præſtat, ſibi à Deo immediate inſpirari; is pro rebelli aut ſeditioſo minime habendus eſſet, modo ne præterea per dogmata aut facta ſpecialia obedientiam Poteſtatibus debitam labefactaret: Sic etiam quando aliquis dicit, lumina ſibi, bonaque cogitata quæ habeat, a Deo immediate immitti, id tametſi præſumptio eſſet aut error, hæreſis tamen eſſe non poſſet, modo præterea nulla alia ſpecialia haberet dogmata quam quæ ſunt vera; ita ut inanis ſit, imperitaque ac calumnioſa ea quæ fit de Enthuſiaſmo vociferatio quaſi de re hæretica & ſummopere periculoſa, quando tamen à fundamentis fidei non diſceditur. Modo hæc aliquis vere ac ſolide teneat, quid opus erit cum illo rixari circa modum quo ea a ſe haberi opinabitur? Namque qui ſubſtantiam veritatis re ipſa tenet, is reipſa Orthodoxiam tenet. Igitur non niſi imperite aut maligne ob modos receptionis ejus, hæreſeos criminatione inceſſitur.

ARTICULUS XXXIX.

RR. MM. HH. *pag.* 14.

Cum autem Paſtor HORBIUS *eum* [libellum de Educatione] 1, *hic excudendum curaverit.* 2, *liberis ac juventuti communicaverit.* 3, *eundem diligenter legendum commendaverit.* 4, *compellatus a R Miniſterii Deputatis, nullam propterea pœnitentiam teſtatus ſit; ſed potius dixerit, ſe ſolum dolere, idque cum lacrymis, quod liberos ſuos ad methodum hujus libelli (in quo accurate lecto nil repererit erronei) non educaverit.* 5, *quamvis addiderit; (quod minime ſufficit) ſe omnia* [illic

contenta] *intellecta velle ſecundum Scripturam libroſque Symbolicos: (ſiquidem hoc modo ipſe etiam Alcoranus admitti poſſet.) 6, Præterea fuerit idem olim, cum Trarbaci Paſtor eſſet, de quibuſdam punctis erroneis ſuſpectus, ſeque officio ſuo, Academia Argentinenſi conſentiente, abdicaverit. 7, Quamdiu hic Hamburgi concionatus eſt, ſuſpectus fuerit ob multos loquendi modos. 8, Inſuper de conventiculis quibuſdam clandeſtinis ſpargitur rumor. 9, Ne dicamus informationem noſtram de hocce libello minime ab eo curatam eſſe; ſed eum ad Dn. D. Speneri informationem (quam exſpectat) provocaſſe: His de cauſis non videt R. Miniſterium cur ulterius Paſtorem Horbium pro fratre queat agnoſcere &c. &c.*

OBSERVATIONES.

1. PRoliziorem hunc articulum, multiſque partibus conſtantem, quia non me, ſed R. D. *Horbium* reſpicit, vix opus eſt ut tangam; ipſemet ſiquidem D. Horbius ſufficientiſſimam contra accuſationes ſibi intentatas, numeroſque objectatos Apologiam promulgavit, uti & D. *Colerus*, apud Amſtelodamenſes nuper, nunc apud Hagienſes Auguſtanos Paſtor, in tertio præſertim ſcripto ſuo Apologetico, ubi R R. M M. in hocce negotio agendi rationes æquitati omni, veritati ac charitati adverſas eſſe luculenter coram demonſtravit; ne dicam id ipſum ex edita e Protocollo authentico, ſive e publicis Ampliſſ. Magiſtratus tabulis relatione, Edictis quoque & Apologiis pro eadem, nec non & ex Academiarum aliquot, *Giſſenſis* præcipue, reſponſis clariſſime & invictiſſime conſtare. Et quanquam iis R.R. D.D. reſponſa tentaverint opponere nonnulla, nemo tamen cui in ſincipite ſint oculi, non animadvertit, R.R. Viros perinde hac in re facere ac ſi quis ad rerum ſubſtantiam & fundamenta reſpondere prorſus impar, circumſtantiolam unam atque alteram, vix recenſione dignam, intacta rerum medulla & eſſentia, e medio arroderet; aut circa externum quid & adventitium, rebuſque nullatenus eſſentiale, vel circa loquendi formulas cavillando, tenebras oculis conantur offundere, rei ipſius fundo-

fundo profsus diſſimulatio. Equidem quotquot e plebe nil aliud quam album & nigrum in libris percipiunt, rerumque ipſarum ſunt ignari, putabunt recte reſponſum eſſe ubi chartas cum titulo *Reſponſionum* conſcribillatas conſpexerint. At vereor ne ceteri mentis ſanæ judicent, iſtiuſmodi reſponſatores aperte modis hiſce fateri, tum nullam ſibi legitimam excuſationis rationem ſupereſſe, tum obfirmato non minus inemendabilique quam iniquo perſiſtere animo decreviſſe.

2. Ecquis enim inter æquos rerum æſtimatores non ſentiat quam parum cum ratione, ne dicam quàm parum juſte, ſibi non paſſi ſint ſatisfieri Viri RR. quando D. Horbius teſtabatur; *ea, quæ in libello* de Educatione continentur, *a ſe haud alio ſenſu intellecta velle quam eo qui cum Scripturis Sacris, libriſque* Auguſtanorum *Symbolicis concordet*? Hoc modo, objectant Viri RR. poſſet vel Alcoranus ipſe admitti. Hocne ergo ii velint, tantundem convenire Alcorano cum Scriptura Libriſque ſuis Symbolicis, quantum libello cum iiſdem convenit? Certe hoc oportet ab illis vel ſtatui vel ſubinnui, niſi ſi inſtantia ſua pro inepta ſit agnoſcenda.

3. Neque minus abſurdum videbitur, eos in D. Horbio præcipue criminari *quoſdam loquendi modos*, quaſi propterea jure merito ſuſpectus eſſe deberet. Si *loquendi modos* libeat RR. DD. condemnare, certe in ſe ipſi ferunt ſententiam neceſſe eſt: ipſis enim in ore ſunt perpetuo & in ſcriptis duri, odioſi, ac, judice Chriſto, ignis pœna expiandi *loquendi modi*, proximorum ſcilicet ac fratrum condemnationes, ſugillationes, hæreticæ pronuntiationes, ob quos quidem merito dubites utrum qui eis dediti ſunt, pro vere Chriſtianis haberi poſſint. At in rebus dogmaticis, quis unquam, (præter Sophiſtas & cavillatores) de verbis litem movit quando de ſenſu Auctoris clariſſima ſcriptis ac voce proſtat expoſitio? *De intelligentia*, (inquit (a) Hilarius) *hæreſis eſt, non de ſcriptura* [ſive litera]; *& ſenſus, non ſermo, fit crimen*. Tum ad quid ſua quam in ſcholis didicerunt, Logica & Hermeneutica, ad quid eruditio & ſcientia, niſi ut loquendi modi ipſis nulli officiant, ſed clare & facile omnes pateſcant? Ad quid humanitas omnibus communis, ad quid Charitas Chriſtianis veris infuſa, niſi ut omnia in bonam partem, quantum fieri poteſt, a fratribus dicta aut facta interpretentur; neve ſibi

(a) Lib. II. de Trin.

nt; alii offendicula illic quærant unde occaſio benigne cogitandi deſumenda erat? Ad quid Scripturarum exempla, in quibus mille obſcuri, mille incommodi, mille quantum ad ſpeciem inter ſe contradicentes loquendi modi, (quorum ob quoſdam Lutherus duriſſimo loquendi modo, quem reticeri ſatius eſt, Jacobi Epiſtolam habuit, ut leniſſime loquar, pro rejectanea) ad quid inquam iſta omnia, niſi ut vel ſaltem inde diſcant Theologi *non criminari in fratribus, id quod toties in ſanctiſſimis; imo & in Scriptura S. & in ipſo Chriſto loquente, videre potuerunt*, cujus loquendi modi, utut ille inter Judæos lumine haud adeo affuſos verſabatur, non reprehendebantur tamen ab ullo proborum; ſed ſolum vel a Phariſæis Scribiſve malignis, vel a Pſeudodiſcipulis quibuſdam craſſis, abſurde ſubmurmurantibus, (a) verba ejus duriora eſſe quam ut ferri poſſent? Quid quod vel omnes ferme Scholarum loquendi modi, nec non e Libris ſuis Symbolicis quàm plurimi, Scripturæ totique antiquitati ſint inſoliti ac ignoti; multi etiam quos ipſimet duros, & uſitato ſive ſtricto ſenſu ſumtum non falſos agnoſcere debent, veluti quando in illis dicitur (b) *Miſſam ab ipſis retineri, & ſumma reverentia celebrari*: item, (c) *bona opera meritoria eſſe*: tum poſtea, eadem (d) *non eſſe dicenda ad ſalutem neceſſaria*; ne jam ex Lutheri libro *de Servo Arbitrio* quam plurima haud minus incommoda producam, e quibus omnibus erit facile ipſoſmet ad incitas redigere ſi ſuæ legi de urgendis *loquendi modis* erit inſiſtendum: quando e contrario, quam plurimi, quos in Myſtica, ſive ſpirituali ac internè practica Theologia improbant, termini, ipſorum ſint termini Scripturarum, uti vel in hoc, de quo agimus, D. Horbii argumento patet, in quo cum libelli cujuſdam ab eo editi titulum reprehendiſſent R R. D D., eo quod de *purificatione*, de *illuminatione*, deque *unione* cum Deo illic fieret mentio, ipſis ab illo in Apologia (e) ſua oſtenſum eſt, iſta eſſe Scripturarum divinarum vocabula: quemadmodum & ſuperius ea quæ a R R. M M. in libello meo reprehenduntur, ipſa eſſe Scripturæ & verba & documenta non ſemel comprobavi.

Quam injuſte vero ex quibuſdam *loquendi modis*, iiſque innocuis, vel etiam orthodoxiſſimis, *hæreſes horribiles* ſoleant exſculpere Viri R R. eaſque fratribus ſuis impingere, vel uno ſaltem,

eoque

(a) Joh. 6: 60.

(b) Vid. Confeſſ. Aug. in Concordia edit. Lipſ. anni 1654. p. 24.

(c) ibid. p. 96.

(d) ibid. p. 590. & 704.

(e) pag. 9.

Digitized by Google

eoque noviſſimo exemplo, commonſtrare libet. Scripſit in Catechiſmo ante decennium edito D. Horbius, ubi de conceptione Chriſti per Spiritum S. agebat, *Spiritum S. ex utraque natura* (divina ſcil. & humana) *feciſſe hominem*, ſcil. *Chriſtum.* Quo in argumento nullus Theologiæ tirunculus ignorat, per verba concreta *Deus*, *homo*, perſonam totam Chriſti ex utraque natura conſtantem, non autem naturam unam ſolam ſignificari: ita ut idem ſit, *Homo ille* (ſcil. Chriſtus) *conſtat ex utraque natura*, divina nempe & humana; &, *ex utraque natura* conſtat ſive *factus eſt Homo ille*, ſive Chriſtus, quæ ipſiſſima D. Horbii verba ſunt, eaque orthodoxiſſima, & ad ſubjectum ſuum, quod erat de exprimenda Chriſti conceptione, maxime idonea. Et tamen inde RR. DD. in recentiori quodam (*a*) ſcripto ſuo *horribilem hæreſin* exſculpunt & imputant Orthodoxo Paſtori, ac fratri ſuo, quaſi non teneret, *Redemptorem noſtrum Deum eſſe & hominem in una perſona*, aut quaſi arbitraretur, *Divinam naturam in humanam eſſe mutatam*, *noſque meri hominis, non Dei ſanguine redemptos eſſe*. O quam orthodoxus ſit oportet vir ille, in quo ardentiſſimi adverſarii nihil niſi ipſiſſimam Orthodoxiam torquent per artificia & accuſationes in quibus neſcias utrum inſcitia an malevolentia primas teneat partes? Quid ergo non *horribilium hæreſium* affricuiſſent homines non benevoli ſi ipſe omnium primus dixiſſet, *Verbum factum eſt caro*, quæ verba cavillationibus ſtrantium multo magis obnoxia ſunt quam præcedentia? Hinc enim dubio procul tranſmutationem divinæ naturæ in humanam; nec in humanam, ſed in ſolum corpus carneum, ſine humana anima, perperam eliciuiſſent.

(*a*) Vid. Ubel-eingerichtete Species facti. art. 8.

Neque tantum D. Horbio ſuos, ſed & aliorum *loquendi modos* in fraudem ei convertunt (*b*) RR. Viri: exempli gratia, quod ejus auditorum dixerit unus, *homines ex ipſius concionibus debere vel atheos fieri, vel deſperabundos*. Ubi non ſatis mireris eorum qui talia exprobrant imprudentiam. Illud enim, ſive ex ore amici ſeu inimici profluxerit, perinde tamen eſt ac ſi vir ille, quiſquis fuit, faſſus eſſet: „ à Domino Horbio tam clare tamque „ invicte homines de neceſſitate pœnitentiæ agendæ convinci, „ ut qui immutari & morem gerere noluerint, debeant vel Deo „ ipſi ejuſque verbo fidem abrogare, atque ita Athei fieri; vel „ de ſalute, quamdiu immorigeri erunt, nihil ſperare. „ qua-

(*b*) Ibid. artic. 3. & D. M. contra Acad. Altorff. judicium.

Digitized by Google

quidem laude, vel in ore inimico, nulla ſane pro vero Concionatore laus major eſſe poſſit. Sed quid in vocabulis & vocibus & aliorum dictis nos diutius detineri patimur? Ignoſcite, R R. D D. indignæ profecto vobis ſunt, quin & omni Chriſtiano animo, iſtiuſmodi circa verba vaniſſimæ vitilitigationes, neque injuria Hilarii (*a*) locum vobis adduxero: *Dum in verbis pugna eſt, dum de nominibus quæſtio eſt, dum de ambiguis occaſio eſt, dum de auctoribus querela eſt, dum de ſtudiis certamen eſt, dum in conſenſu difficultas eſt, dum alter alteri anathema eſſe cœpit, prope jam nemo Chriſti eſt.*

(*a*) Lib. II. ad Conſt.

Quanquam & illud ex occaſione moroſæ hujus circa verba inquiſitionis ſemel monendum eſt: ſcilicet, Scripturam ſacram, dum commendat *ſaniorum ſermonum ſ[illegible] retinendam*, utque *idem omnes loquantur*; hoc non intellectum velle de vocibus & ſyllabis, quippe quibus vel pernicioſiſſimi errantium adhærere poſſint; ſed de vivo & ſalutifero ſenſu. *Non putemus* (inquit (*b*) Hieronymus) *in verbis Scripturarum eſſe Evangelium; ſed in ſenſu. Non in ſuperficie; ſed in medulla: Non in ſermonum foliis; ſed in radice rationis.* Sic ut unicuique liberum ſit ſuo more, ſeu (ut cum Scriptura loquar) *ſua lingua* loqui, dummodo Dei magnalia, divinum amorem proximique charitatem promoventia, (in quibus ſcopus & ſubſtantia Scripturarum conſiſtunt) eloquatur & ſignificet.

(*b*) in Galat. I.

4. Porro, minime Chriſtiana eſt, R R. D D. de D. Paſtore Horbio Concluſio ac Declaratio: *Eum*, propter nonnulla optime ab illo facta & dicta, alia etiam indifferentia, quædam & inique ei imputata, *non poſſe* ab illis *pro fratre* deinceps *agnoſci*; hoc eſt, eos charitatem fraternam erga illum in cordibus ſuis extinxiſſe. Cum autem Joannes aſſerat, *eum qui fratrem ſuum non diligit, eſſe in morte*; quid aliud hic concludunt, totique orbi declarant, quam ſe in morte jacere, ac proinde, niſi reſipiſcant, neque poſſe fieri ſalvos, neque efficacia eſſe inſtrumenta, ſive *Patres Spirituales*, quibus alii ad vitam & charitatem adducantur? Notabilis certe ſcriptionis ac Judicii ſui concluſio. Invertat etiam illam Deus, ad ſalutem eorum æternam!

XL.

Addiderunt Auctarii loco R R. Viri, nonnulla e neſcio cujus Lipſienſis Theologi Epiſtola, ubi dicitur (idque cunctis perſuaſum

Digitized by Google

ſenſum vellent) approbationem ſive cenſuram Libello de Educatione in Lipſienſi Editione præfixam, fuiſſe ab aliquo Hamburgenſi, qui libelli legitimationem cupiverit, expetitam, eandemque ſubreptitiam; tum Libellum ipſum fiſco illic addictum: denique *Admonitionem* D. Doct. *M.*, Libello meo oppoſitam, illic quoque & recuſam eſſe, & publice proſtare. In quibus (tametſi parvi admodum momenti iſta ſint) non ſemel deſideratur veritas. Somnium eſt, approbationem interventu Hamburgenſis alicujus procuratam eſſe; ſiquidem Lipſienſis Editio novam contineat Libelli interpretationem ab aliis elaboratam & publicatam quibus nulla cum Hamburgenſibus intercedebat notitia. De ceteris, non ſemel ea aliter ex eodem loco relata eſſe ab aliis, oſtenderunt ſcripta D. Coleri alterum & tertium, haud ſecus ac verba iſthæc ex Epiſtola Doctoris cujuſdam Theologi Lipſienſis illic relata: *Poireti libellus, a Majero tot clamoribus damnatus, hic cum cenſura D. Mebii, hoc tempore Decani, recuſus eſt. Mebius noſter eundem laudavit; eſſe pium & utilem libellum.* Quanquam ſi poſtea libellus apud Lipſienſes oppreſſus fuiſſet, *Monitumque* D. M. oppoſitum, ab iiſdem fuiſſet commendatum; id non tam Libello meo infamiam, quam Dominis illis dedecus inureret. Libellus ipſus ſatis & ſe commendat, & me defendit, poſſimque de eo Scripto ſine jactatione verba Poetæ mea facere:

Æque pauperibus prodeſt, locupletibus æque.
Æque neglectum pueris ſenibuſque nocebit.
Reſtat, ut his ego me ipſe regam, ſolerque elementis.

At *Admonitio* D. M. contra ipſum talis eſt, ut ſi quis eam approbare poſſit, hoc ipſo teſtatum faciat, ſe aut non debita mentis attentione uſum eſſe; aut judicio vel probitate omnino deſtitui: quod ut vere dictum appareat, libet hic iſtius Admonitionis, nec non & D. Doctoris hoc in negotio agendi rationis ideam ac analyſin paucis exhibere. [*Vide ſis, Editionem primam: namque tadet me improbas iſtiuſmodi atque inutiles lites ac agendi rationes, dudum præteritas, hic denuo vel legere, vel lectori legendas proponere. Subjungi tamen patiar ea ipſa de re Epiſtolas ſequentes, poſtquam has ad Judicium RR. MM.* Observationes *concluſere*

cluſero verbis CYPRIANI, *quæ Deus jubeat eſſe omnibus ſalutifera atque ſanantia.*]

(*a*) Cyprian. de Zelo & livore.

(*a*) Ad palmas & coronas ut tu pervenire etiam poſſis, qui fueras zelo & livore poſſeſſus, omnem illam maliciam, quâ prius tenebaris, abjice; ad viam vitæ æternæ veſtigiis ſalutaribus reformare. Evelle de pectore tuo ſpinas & tribulos, ut te Dominicum ſemen fertili fruge locupletet; ut divina & ſpiritualis ſeges in copiam fœcundæ meſſis exuberet. Venena fellis evome. Diſcordiarum virus exclude. Purgetur mens quam ſerpentinus livor infecerat. Amaritudo omnis, quæ intus inſederat, Chriſti dulcedine leniatur. Si de Sacramento crucis & cibum ſumis & potum, lignum quod apud Mara profecit in imagine ad ſaporis dulcedinem, tibi in veritate proficiat ad mulcendi pectoris lenitatem: nec ad medelam proſperandæ valetudinis labores. Unde vulneratus fueras, inde curare. Ama eos, quos antea oderas. Dilige illos quibus injuſtis obtrectationibus invidebas. Bonos imitare, ſi potes: ſi ſectari non potes, collætare certe & gratulare melioribus. Fac te illis adunata dilectione participem: fac te conſortio charitatis & fraternitatis vinculo cohæredem. Dimittentur tibi peccata quando tu ipſe dimiſeris. Accipientur ſacrificia tua cum pacificus ad Deum veneris. Senſus atque actus tui divinitus dirigentur quando ea quæ divina & juſta ſunt, cogitaveris, ſicut ſcriptum eſt, *cor viri cogitat juſta, & a Deo dirigentur greſſus ejus.* Habes autem multa quæ cogites. Paradiſum cogita, quo Caïn non redit qui fratrem ſuum peremit. Cogita cœleſte regnum, ad quod non niſi concordes atque unanimes Dominus admittit. Cogita quod Filii Dei hi ſoli poſſint vocari qui ſint pacifici, qui nativitate cœleſti & lege divina ad ſimilitudinem Dei Patris & Chriſti reſpondent adunati. Cogita ſub oculis nos Dei ſtare, ſpectante ac judicante ipſo converſationis ac vitæ noſtræ curricula decurrere: pervenire nos tunc demum poſſe ut eum videre contingat, ſi ipſum nunc videntem delectemus actibus noſtris; ſi nos dignos gratia ejus præbeamus; ſi placituri ſemper in Regno, in hoc mundo antè placeamus.

AUCTO-

AUCTORIS Libelli de Liberorum Educatione

EPISTOLÆ DVÆ ad AMICVM.

PRIMA, de D. D. J. F. M. Admonitione adverſus dictum libellum:

ALTERA, de D. Mag. J. V. ſcripto contra eundem.

JAC: III. ℣. 14-18.

Si Zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris: nolite gloriari & mendaces eſſe adverſus veritatem. Non eſt enim iſta Sapientia deſurſum deſcendens: ſed terrena: animalis, diabolica. Ubi enim Zelus & contentio; ibi inconſtantia & omne opus pravum. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, non judicans, ſine ſimulatione. Fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem.

EPISTOLA I.

De Admonitione D. D. M. contra Libellum de Educatione.

CLariſſime Domine & Amice,

Geſta apud HH. ex occaſione libelli *de Liberorum Educatione*, Germanice ſub titulo, *Prudentia juſtorum* editi, ſerius ac quiſquam reſcivi; ſerius libellum ipſum cum *admonitione* adverſante D. Doctoris M. accepi, ſimul & *Epiſtolam* aliquam alterius cujuſdam *Eccleſiaſtæ* Euangelici Apologeticam, mihi caſu exhibitam, perlegi, quæ ſola licet diſpellendis difficultatibus mihi ſufficere videatur, dicam tamen, quia id cupis, quæ mihi circa hæc in mentem venerint, ubi & haud paucos mecum etiam in his concordes, pro certo ducito.

Libellus, quia ſcopum habet cum Euangelio communem, homines ſcilicet, eoſque a teneris, abducere a ſe corruptis ad

 incor-

incorruptum Deum, eorum Creatorem, Redemptorem ac Sanctificatorem, idque per vera abnegationis ſui media, divinarum autem rerum, & facultatum animæ noſtræ circa eas exercitium ac uſum; non poteſt ſane non approbari eatenus utroque pollice a quolibet probo, ſi modo affectibus pravis ac præjudiciis ſit liber. Cui rei probandæ quia lectio libelli, qui brevior eſt, ipſa ſatis eſt; ea cuivis rem experturo ſolum eſt commendanda.

Sed quia *impedit ira animum ne poſſit cernere verum*, hinc evenit, ut ſi quis lector in libri alicujus editores aut fautores irâ percitus eſſet, eiſque male vellet, non mirum eſſet ſane ſi quæcunque optima & veriſſima fuiſſent ab eis adducta, peſſima ipſi ac falſiſſima viderentur; aut ab eo in malam partem detorquerentur. Id evidenti ſeculorum omnium plus ſatis conſtat experientia. Quævis vera & ſacra, Chriſtus ipſe, ſanctique ſui, Dei & proximi amor, dilectio paxque ſanctior, non a quovis tantum, ſed & ab Eccleſiaſticis, dum Zelum quidem veritatis ac Dei nomen & cauſam creparent, attamen omnia affectui ſuo litarent, non ſemel fuere & proſcripta, & eliminata.

Scriptorem autem *Admonitionis* in libellum eo in caſu, ea in mentis diſpoſitione eſſe, nedum diſſimulet, fatetur ipſus aperte, quando Virum a longo tempore non minus Chriſtianæ doctrinæ nomine, quam ob pietatem & charitatem omnibus inter illos ipſos probis ὁμολογουμένως undique probatum, D. D. Spenerum, initio declarat ſe ira & odio proſequi, ac chartis etiam inimicis ſibi eſſe proſequendum: nec ſolùm eum, ſed & omnes ejus fautores atque amicos: inter quos cum Editorem libelli, de quo agitur, merito annumeret, (quippe ei affinem,) quid aliud omnia, quæ in libello veriſſima ſunt atque optima, ipſi videri debuerunt quàm odioſa, hoc eſt, falſa ac mala? idque eo vehementius ſi iſto pacto conſequi poterit, ut quos odio proſequitur, illi hoc pacto lædantur, & damno forte aliquo conſpicuo poſſint affici?

Hæc una ac vera cauſa eſſe videtur cur D. Doctori prava ſint & talia eſſe proclamentur ea, quæ in libello jam ante aliquot annos idiomate alio in publicum emiſſa, & omnibus probitate & doctrina ubivis conſpicuis comprobata, is ipſemet, opinor, approbaſſet quoque, ſi ſolum eadem a viris ipſi non odioſis, &

cum

Digitized by Google

cum circumſtantiis ipſius, auctoritatem agnoſcentibus, fuiſſent publicata.

Viro ita compoſito, ut libellus odioſus idcirco fuit, ac propterea *omnis generis hæreſibus erroribuſque perplenus* appellandus, nec non *ſeductitius*; eadem quoque conſecutione libelli Auctor *hæreticus* nominari debuit (pag. 9.) quarum denominationum quandoquidem D. Doctori honeſtum non fuiſſet pro cauſa adducere mentis ſuæ affectus modo dictos, iramque ſuam; obtentus idcirco aliqui in cauſæ ſpeciem erant conquirendi, quos tamen nequidem ſine morbi indicio, ſine affectuum & malevolentiæ violentis motibus, potuit in medium proferre.

Eos prætextus libet paucis expendere, tum D. Doctoris gratiâ, is ſi forte in charitatis & pacis elementum vellet ſe recipere, (extra quod nil circa hoc ab eo erit exſpectandum;) tum maxime propter illos qui ſalutis ſuæ cupidi, nolent ſe participes reddere tanti peccati atque eſt innocentes viros, ipſamque veritatem, criminari, judicare, condemnare, ſeque adeo ipſos reddere obnoxios ſententiæ ac condemnationi Chriſti, declarantis, *In quo judicio judicaveritis, judicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Item, *qui dixerit fratri ſuo, raca; reus erit conſilio: qui autem dixerit, fatue; reus erit gehennæ ignis.* Matth. cap. 6. & 7.

Quod libri Auctorem appellet *hæreticum* D. Doctor, id nullo fulcit prætextu: affirmare in ejus libro omnis generis errores ac hæreſes ineſſe, non ſufficit: quamvis enim ineſſent, ſi quis tamen errores ac hæreſes vel inſcius teneret: vel, admonitus, paratus foret emendari; is, omnium Theologorum conſenſu, inter hæreticos numerandus non eſſet, niſi ab eo qui & charitati renunciaret, & ſe calumniæ culpa reum conſtitueret. *Hæreticum* faciunt tria ſimul concurrentia, 1. Error fidem & ſalutem in fundamento evertens: 2. monitio prævia & convictio de errore: &, 3. pertinacia iſtiuſmodi errantis convicti. Atqui cum nullum horum requiſitorum circa libelli Auctorem præceſſiſſe liquidum ſit, dicere eum hæreticum, convitium eſt, Charitate ac veracitate Chriſtiani Theologi prorſus indignum, & a Chriſto, Matth. 5: 22. ſummopere condemnatum.

Quid quod e libri hujus lectione evincatur eum ne poſſe quidem hæreticum eſſe? Omnis hæreſis ab humana Ratione cor-

rupta, ideis pravis, judiciiſque perverſis proficiſcitur. In libello autem non ſemel commendatur, hominem circa divina corruptæ Rationi ſuæ, ideis judiciiſque propriis, non debere pertinaciter adhærere: ſed eis tanquam craſſis, infirmis, imperfectis diffidere; atque a Deo lumen verum & gratiam humiliter ac ardenter poſtulare: qua in mentis diſpoſitione quiſquis vere fuerit, impoſſibile eſt eum eſſe hæreticum; ſiquidem Deus verax promiſerit ſe ejuſmodi petentibus largiturum id quod petierint, imo Spiritum ſuum bonum, (Matth. 7: 7. &c. Luc. 11: 13.) qui eſt *Spiritus veritatis*, docetque omnem veritatem. Joh. 16: 13.

De Hæreſibus quas D. D. prætendit in libro contineri, ait (pag. 9.) *illic undique perſpici Spiritum hæreticum Pelagianiſmi, Papiſmi, Socinianiſmi, Quakeriſmi, Arminianiſmi*, & quid non præterea? Age ſiquid ejuſmodi libello vere ineſſe oſtendi poſſit; ſpondeo, qui Auctor, id omne me ex animo publice eſſe revocaturum. Videamus ergo quænam ad id oſtendendum media a D. Doctore adhibeantur.

De Socinianiſmo, Arminianiſmo, Quakeriſmo, videbimus poſtmodum. *Pelagianiſmi* accuſationem ne verbulo quidem colorat D. Doctor, quanquam ſciat apud nos perinde non eſſe atque apud nonnullos Caſuiſtas, quibus auctoritas gravis cujuſpiam auctoris pro omni ratione ſufficiat. Sed quæſo, qui de Pelagianiſmo ſuſpectus eſſe poſſit libellus in quo expreſſe legi-
Sect. I. 6. tur, pag. 6. *Veram vivamque Dei cognitionem ab uno Deo ingenerari*
poſſe, dum ille Spiritum ſuum bonum, gratiam lucemque divinam cor-
Sect. I. 7. *dibus inſinuaturus eſt.* pag. 7. *Id omne malum eſſe quicquid ſine illo,*
Sect. I. 10. *ſine ejus gratia auxilioque facimus.* pag. 8. *Eum eſſe omnis boni fon-*
tem, qui animam efficiat bonam, ad bona facienda potentem, ſapien-
Sect. I. 16. *tem, virtutibus ornatam, juſtam, veracem, &c.* pag. 9. *Nos ſic*
eſſe per peccatum depravatos, ut niſi Deus, ſola cauſa omnis boni, ani-
mis noſtris illabatur qui deſiderium noſtrum, intellectum, lætitiam item
Sect. II. 4. *praxinque noſtram adjuvet, nil unquam recte ſimus facturi.* p. 11, 12.
Propria hominis deſideria, omnia eſſe mala, vitiata, ac originem omnis
mali: prout e contrario, ſolum deſiderium, unaque Dei voluntas, omnis
Sect. II. 6. *boni ſcaturigo eſt.* pag. 13. *Hominem ex ſe ipſo ac ſine Deo nihil quic-*
in fine. *quam boni facere poſſe, omniaque noſtra deſideria propria tantummodo*
ibid. *mala eſſe.* pag. 14. *Nos vere eſſe nihil, ac creaturas iniquas & malas.*

pag.

pag. 15. *creaturas quæ ex ſe ipſis non tantum ſint nihil, ſed & mala, & ipſo nihilo pejores, & quæ nil mereantur.* pag. 19. *Sine Dei continua bonitate nos totamque rerum univerſitatem in confuſionem inque perditionem ſingulis momentis lapſuros; veluti vaſculum fragile niſi continue fulcro ſuſtineretur, caderet ilico, ac fruſtatim comminueretur.* pag. 20. *Poſtulanda eſſe à Deo gratiam ſuam, Spiritum ſuum bonum, cognitionem ſui vivam, ſolidam virtutem, cor ſincerum, humile, ſubmiſſum, obſequens, fidele, manſuetum, benignum, rebuſque contentum quibuſvis, ac erga Dominum tenera gratitudinis affectu præditum.* p. 21. *Nos eſſe gratia & bonitate Dei indignos.* pag. 24. *Petendum a Deo cor humile, utque non credamus nos ullo alio meliores, ſed infra omnes nos abjiciamus. . . . Nos nihil promereri niſi infernum: proinde minima omnium eſſe meritis noſtris potiora.* pag. 25. *Poſtulandum eſſe a Deo ut nutriat animas noſtras gratia ac dilectione ſua.* pag. 32. *Intellectum* (quantum ad divina) *in omni homine ab admiſſo peccato eſſe prorſus occluſum: nos & eſſe & naſci ad divina prorſus cæcos: ſolum Deum poſſe ſanare, aperire ac illuminare mentium noſtrarum oculos, quo res ſpirituales cognoſcamus. Nunquam nos poſſe divina cernere niſi Deus reddat animæ ſpiritales oculos, nunc quidem effoſſos.* pag. 34. *Deſiderandum eſſe a Deo ut oculos mentis nobis aperiat, & divinum concedat lumen, quibus divina perſpiciamus.* pag. 36. *Homines univerſi etiamſi de rebus divinis cogitarent, ratiocinarentur, diſſererent, quantacumque etiam virium ingenii ſui contentione; nequaquam tamen propterea vel Deum ipſum, vel divina ulla noſcituros. . . . Debere a Deo mentibus alios oculos, aliud longe lumen ſubminiſtrari atque illud eſt quod a propria noſtra activitate procedit: quæ quidem donec abfuerint Rationem humanam omnem ridendarum chimærarum, merorumque hominis cæci figmentorum officinam eſſe.* pag. 37, 38, 39. *Ideas, repræſentationes ac argumenta Rationis noſtræ de Deo rebuſque divinis, nullatenus poſſe nobis vera lumina veramque virtutem impertiri, neque etiam animis ſolidi quicquam nutrimenti viriumque ſuppeditare, quibus divinam vivamus vitam, divinam exſequamur voluntatem. Humanam Rationem ſine Dei gratia ejuſque ſupranaturali lumine, ſtolidum quempiam cæcum eſſe, qui rerum quas neque vidit unquam, neque videre poteſt, fictas duntaxat imagines format.* pag. 44. *Solum Deum eſſe bonum ac ſapientem: nos autem a nobis eſſe meram impotentiam, ignorantiam, ſtultitiam, ac malitiam*; & totidem alia ad finem uſque, quæ, ne libelli dimidiam fermè partem deſcribam, prætermitto, hacce

Sect. II. 8.
Sect. II. 14.
Sect. II. 15.
Sect. II. 17.
Sect. II. 23.
Sect. II. 24.
Sect. III. 6.
Sect. III. 7.
Sect. III. 10.
Sect. III. 13.
Sect. III. 14.
Sect. III. 16.
Sect. III. 20.

una contentus prolixiori citatione, quæ tum pro ceteris articulis exempli loco ſit, tum accuſationem graviſſimam de Pelagianiſmo, omnium teterrima hæreſium, iniquiſſimam eſſe, oſtendere poſſit. Nam poſt luculenta adeo teſtimonia tot & tanta, nec minora omiſſa, cuinam, quæſo, in mentem venire potuiſſet, qui affectibus non eſſet contenebratus, libellum eſſe refertum Spiritu ejuſmodi hæreſeos, quæ in eo conſiſtit, ut hominis corruptio ac impotentia, divinæ vero gratiæ ac lucis intus operantis veritas & neceſſitas diſſimulentur atque negentur?

Hic obiter annotabo, optandum fuiſſe ut D. Doctor ſibi aliquantum magis in accuſando attendiſſet. Hic de *Pelagianiſmo* libellum accuſat, alibi de *Enthuſiaſmo:* quæ accuſationes ſimul ſubſiſtere non poſſunt. Nullus Pelagianus poteſt eſſe Enthuſiaſta; nec ullus Enthuſiaſta Pelagianus: nam Pelagiani operationes internas Spiritus Dei negant, quas Enthuſiaſtæ ſibi, (etſi male) in omnibus arrogant. Ergo idem facit D. D. ac ſi aliquem accuſaret, quod eſſet ſimul avarus & prodigus, ater & albus, lethargicus & inſomnis. Verum, ſic res ſe habent, ut qui *feſtinanter* ſcribunt, non ſemper tempus habeant proſpiciendi ne ponant contradictoria. *Canis feſtinans*, ut eſt in Proverbio, *cæcos parit catulos.*

Papiſmum quoque (ut loqui amat) nullo illic commonſtraturus eſt argumento, ſiquidem a quolibet adverti poſſit, in libello datam eſſe operam ne ulla ex iis quæ inter Catholico-Romanos atque Proteſtantes controverſa ſunt, interſererentur. Quod ſi vero ob nonnulla ex Catholico-Romanis libris aſſumta ac laudata, propter veritates omnibus receptas, ibidem contentas, idcirco Papiſmi conviciosa larva ſit alicui impingenda; Theologorum ac Chriſtianorum nullus erit non ſolum ab ea, ſed nec a Judaïſmi, aut etiam ab Ethniciſmi titulo liberandus. An quia veritates vel in hoſtibus ſunt, ideo illæ contemnendæ ſunt ac repudiandæ? Si hoc ita ſit, ergo hominum hoſtilitas atque odium veritati præponenda erunt, veritaſque propter animoſitatem ac inimicitias rejicienda ac condemnanda: quo ſane principio D.D. hoc in toto negotio proceſſiſſe videtur.

Sed forſan probationis loco erunt quæ ibidem ſequuntur, in libello *fundamentum fidei ſalvificæ*, CHRISTUM, *cum ſuo Merito, vel prorſus taceri, vel frigide tantum proponi.* pag. 9. Atqui illud

Digitized by Google

illud *vel*, *vel*, ſe ipſum ſubvertit: perinde enim eſt ac ſi dicat, Chriſtum cum ſuo merito illic vel non proponi, vel (quod contrarium eſt) proponi. Imo, hoc ipſum eſt, proponitur; quod autem id dicat *frigide* fieri, epitheton eſt animi affectum non benevolum ſolummodo conteſtantis. Verba libelli ſunt, pag. 50, 51. ubi de ſecunda Symboli Apoſtolici parte ſive de Jesu Christo agitur: *Dei Filium aſſumſiſſe humanam noſtram naturam, vixiſſeque, & mortuum eſſe inter nos, ut veniam malitiæ noſtræ, ac gratiam divinam nobis mereretur* &c. Cui addenda ſunt ex laudata Rusbrochii Oratione loca luculentiſſima, inferius ſubjicienda. Sect. III. 29.

Nihilominus tamen addit D. D. (pag. 10.) in libello 1. *duci homines ad juſtitiæ propriæ pannum ſordidatum.* 2. illic *juſtitiam Chriſti prorſus oblivioni tradi.* 3. *impotentiam bonorum operum ibidem taceri.* 4. *damnabilis infirmitatis ſeu impotentiæ noſtræ cognitionem non urgeri*; uti *neque* etiam, 5. *meriti Chriſti neceſſitatem.* Rogantur quotquot memoria aliqua aut oculis pollent, ut ex modo allegatis locis judicent, an vel meriti Chriſti neceſſitas, vel agnitio impotentiæ maximæ tum noſtri, tum noſtrorum operum, (non autem operum Dei in nobis) taceantur aut non commendentur; aut utrum in homine (de tanta impotentia modò convicto) propria juſtitia ſtabiliatur, juſtitiaque Chriſti oblivioni tradatur, dum tamen hæc conceptis verbis exſtent p. 54. *Deus Filius* conſiderandus eſt *ut juſtus juſtitiæque principium, qui carne noſtra indutus ſit, ut nos per peccatum injuſtos exiſtentes, juſtos redderet.* Sect. III. 31. & pag. 8. Deus animæ inhabitans dicitur eam *reddere juſtam.* Sect. I. 10. Quoniam autem juſtitia Chriſti, (quæ Apoſtolo etiam dicitur *juſtitia Dei*, Rom. 10: 3.) bonorum eſt maximum, maximaque Dei gratia; quoties igitur Deus in opuſculo commendatur tanquam omnis boni atque omnis gratiæ auctor & fons; toties homines a juſtitia propria ad juſtitiam Dei ac Chriſti implicité adducuntur, etiamſi vocabulum illud explicite ibi non exſtaret, quod ne ſemel quidem in totis quibuſdam Apoſtolorum Epiſtolis exhibetur, qui tamen nequaquam dicendi ſunt a D. D. Juſtitiam Chriſti, fundamentumque adeo fidei, oblivioni prorſus tradidiſſe: Siquidem illi ubique juſtitiæ Chriſti meritique ejus ſubſtantiam atque effecta, implicite ſatis comprehendant.

Jam libet ſpecialiores D. Doctoris prætextus, libello condemnan-

Digitized by Google

demnando obtenſos, inſpicere. Eorum ille decem adducit, præter duos alios ex Rusbrochii precatione deſumtos.

I. Prætextui primo anſam ſuppeditant libelli verba pag. 6.
S:A. I. 6. *Id mature, & quoad fieri poteſt teneris animis eſt inculcandum, quicquid legamus, quicquid audiamus in cœtu aut extra cœtum, quantumcunque ſtudeamus, meditemur, ratiocinemur, ea non poſſe per ſe ipſa nobis vel minimam dare ſcintillam veræ ac vivæ cognitionis Dei; ſed id ſolum a Deo fieri poſſe, quando Spiritum ſuum bonum divinamque gratiam ac lucem daturus eſt cordibus humiliter ac inſtanter precantium.* Weigeliana hæc eſſe ac Schwenkfeldiana, verbumque Dei minime decentia, exclamat D. D. pag. 11. allegatque ex Scripturis multa, quæ verbi divini efficaciam in mentibus bene diſpoſitis atteſtentur. Sed quid hæc ad rem noſtram? Neutiquam agitur hoc in loco de ipſo verbo Dei, ejuſque vi ac efficacia; ſed de actibus noſtris legendi, audiendi, ſtudendi, ratiocinandi, deque iis in & PER SE conſideratis, hoc eſt, phyſice conſideratis, & prout ſunt actus ſolius creaturæ peccatricis, ab actibus Dei, & a gratioſa ac bona mentis diſpoſitione ſeparati, quales nunc, eheu, plus nimio in omnibus fere deprehenduntur. Tria circa verbum Dei occurrunt: 1. litera Scripturæ; ſive ſonus vocis: 2. efficacia, ſive operatio Dei per lumen ac amorem: 3. Activitas intellectus humani, ideas & ratiocinia excitantis. Ad primum recipiendum ſufficiunt facultates oculorum vel aurium, ſine quibus id non admitti poſſet. Ad alterum admittendum opus eſt facultate ardentis deſiderii, ſive cordis precantis atque humilis, ſine quo, efficacia verbi divini luminoſa ac viva non admittitur: At tunc Ratio corrupta ſeu intellectus humanus ei ſubſtituit actus ſuos meros, ideas, opiniones, ratiocinia, lumine ac amore Dei deſtituta, qualia reperiuntur in doctis impiis. Certe ejuſmodi actibus corruptis luminoſam ac vivam Dei cognitionem effici, Pelagianum eſſe fatebitur, ni fallor, ipſe D. Doctor, mentemque adeo meam veram, ipſemet, niſi Pelagianus velit eſſe, comprobabit; quæ etiam inde patet, quod hæc inculcanda dicam ex occaſione loci Matth. 11: 25, 26, 27. ubi Chriſtus ait, *Nemo novit Filium niſi Pater; neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*, cum prius dixiſſet, *Patrem abſcondiſſe hac a ſapientibus & prudentibus*, qui ii ipſi ſunt quorum exercitia frequentiſſima erant

Digitized by Google

erant tum externæ Scripturarum lectiones & auditiones, tum Rationis ſuæ ſtudium & actus ratiocinandi, cum quibus tamen remanebant, (teſte Chriſto quidem olim, quotidiana vero experientia in ſimilibus,) cœciſſimi, veræque cognitionis Dei ignariſſimi. A quo pernicioſo ſtatu ut declinent mature homines, monet libellus, ne a teneris confidant actibus ſuis humanis ac corruptis circa ſacra; ſed ad Deum cum bona humilique diſpoſitione mentis, recepturæ in ſe efficaciam Dei operantis ac loquentis, recurrant quoties ſacra leguntur, audiuntur, tractantur. Verba mea ſunt, pag. 73, 74. *Inculcandum eſſe liberis, ut reverenter & attente veritates divinas ſive privatim ſeu in Templo audiant; neve credant ſe Deo cultum exhibuiſſe quod eas ſimpliciter audiverint, aut memoriæ mandaverint: ſed & orandum eſſe Deum ut earum det illis intelligentiam veram, eaſque vivificet in corde humili, ſummiſſo, obſequente.* An igitur oportuit tam egregia monita convicio Schwenkfeldianiſmi ac Weigelianiſmi a Theologo Chriſtiano compenſari? Videat, quæſo, ipſemet has eaſdem veritates pluribus in D. *Arndii* lib. I. de vero Chriſtianiſmo, capp. 36, 37, 38. demonſtratas; ubi oſtendit vir egregius, *eos qui Chriſto cor ſuum non tradunt, neque ei vivunt, etſi externam Scripturæ literam poſſideant, illius tamen vi ac cognitione verâ non modo carere; ſed & in tenebrarum & errorum ac hæreſium* abyſſo ac fonte adhuc jacere. Sect. VI. 1.

II. Prætextus alter. Ex pag. 14. hæc producuntur, quæ, uti & cetera citanda, ad verbum exprimam. *Utinam liberi mature ac perpetim ad hoc* (humilitatem ac ſui contemptum) *aſſueſierent, pro eo quod e contrario educentur modo prorſus antichriſtiano ac diabolico, dum eis & privatim, & in ſcholis, & ubique, laudum toxicum mortiferum in cor inſtillatur, unde miſera enaſcitur ſuperbia, inimicos Dei eos efficiens &c.* Hæc Diabolo, ſanctitatem ſimulanti, a D. Doctore (pag. 12, 13.) tribuuntur, & *diabolica* atque *antichriſtiana* exclamantur: quibus opponit, a Chriſto laudatum fuiſſe Joannem, laudandos in ultima die ſanctos; a Paulo itidem pios & morigeros, quibus ſcribit, laudari &c. quæ omnia prorſus ſunt extra oleas. Improbo ego eum morem, quo homines corrupti infantibus, in quibus corruptio emergit, nedum devicta ſit, laudibus intempeſtivis eam inſpirant mentis pravam diſpoſitionem, ex qua ſuperbi fiant, & ab humilitate Sect. II. 7.

removeantur. Hiſce, (quæ an diabolica & antichriſtiana aſſeverare velit adhuc D. D. ipſe viderit) opponit, ſanctos a ſanctis eſſe tamen laudatos & laudandos. Quid hoc ad rem? Hocne eſt, corruptos a corruptis ad corruptionis incrementum laudari? Equidem non negaverim, quin juventus tempeſtive ac cum diſcretione interdum poſſit laudari, ſi nempe dona ac gratiæ Dei in ipſis laudentur, ut ii inde Deo retribuant gratias, honorem & gloriam, ſibi vero humiliationem; ſic ut cum ſanctis coronas ſuas ad pedes Dei projicientibus dicant, *Dignus es, Domine Deus noſter, accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu feciſti omnia*. Apoc. 4: 11. Et, *Non nobis, Domine, non nobis; Sed Nomini tuo da gloriam*. Pſal. 115: 1. At laudare liberos quando patet eos ſeſe idcirco elaturos; atque inſuper laudes terminare ad eos, non ad dona divina eorumque datorem; & præterea de futilibus atque nugacibus eis laudes, ut fere ſemper ſit, dicere; id ſane vereque antichriſtianum eſt, & omnino diabolicum, ut pius quoque oſtendit *Arndius* in capite ultimo libri de vero Chriſtianiſmo, & paſſim alibi. Quid, quod quotquot ſerio ad Deum convertuntur, omnes laudes, ob fragilitatis & indignitatis ſuæ ſenſum, vehementiſſime refugiant, hancque viam omnibus ſeſe abnegaturis ſerio & ſollicitius commendent? Sed quid prima ſolidæ pietatis rudimenta adeo ſollicite defendam?

Sect. II. 24. III. Prætextus tertius. Dixeram (pag. 25.) *Infantes doceri poſſe aliquot orationes verbales, præcipue vero Orationem Dominicam, cui alia quædam e Rusbrochio precatio poſſit etiam adjungi.* Hîc clamat D. Doctor, (pag. 14.) *rem horrendam!* rem *antichriſtianam!* rem *qua animæ in periculum ſint præcipitandæ!* Ecquî vero hoc? Scilicet, 1. hac phraſi, *Orationem Dominicam doceri* POSSE, ſtatuitur, Orationis Dominicæ inculcationem eſſe indifferentem, non autem neceſſariam: *poſſe quidem doceri; ſed poſſe etiam omitti:* hac enim voce, POSSE, res faciendas deſignari indifferentes. Quæ vero hæc eſt circa verba cavillatio non minus futilis quam aperte falſa! Nam & uſui univerſali, & fundamento vero, ſuperſtrui poteſt hæc generalis de hujuſmodi loquendi formulis regula: ſcil: *Quando res aliqua debita ac neceſſaria aut nondum facta eſt, aut omiſſa fuit, ob impotentiam aliquam naturalem in ſubjecto ſive agente ſeu recipiente; poſtmodum vero impotentia illa tollitur; tunc proprie*

dicen-

Digitized by Google

dicendum eſt rem POSSE *fieri*, oppoſite ad impotentiam præcedentem. Ex: gr: Paſtor aliquis ac Paterfamilias ob morbum omiſit Eccleſiæ ac domus ſuæ curam habere; domeſtici vero ejus deſierunt ab eo mandata de eis quæ agant, poſtulare; & auditores ſui eum audire: impotentia morbi ſublata, nonne dici ſolet, idque bene, eum jam *poſſe* ſuæ Eccleſiæ ac domui proſpicere; & auditores *poſſe* nunc eum audire, ut & domeſticos *poſſe* ab eo directionem poſtulare? An hoc loquendi modo ſignificabitur res eas eſſe indifferentes & non neceſſarias? Infinita omnino iſtius loquendi modi exempla in medium proferri poſſent. Atque hinc eſt, quod cum infantes ſtatim a nativitate non poſſint doceri orare, ob naturalem virium ſuarum impotentiam; ſimul ac iſta impotentia evaneſcit, tunc dicendum ſit vere ac proprie, *poſſe* eos doceri Orationem Dominicam aliaſque. Quid quod Scriptura etiam hac voce utatur in eis quæ talis impotentia naturæ non præceſſit? Ex. gr. Marc. 14: 7. *Semper pauperes habetis vobiſcum, & cum volueritis,* POTESTIS *illis benefacere.* Hicne proponit Chriſtus tanquam rem indifferentem & quæ omitti poſſit, τὸ *benefacere pauperibus*, cum tamen ex hujus rei prætermiſſione aut praxi judicium gloriæ aut gehennæ ſit olim pronuntiaturus? Sic 1 Theſſ. 3: 9. *Quam enim gratiarum actionem* POSSUMUS *retribuere Deo pro vobis*, &c.? Hicne etiam Paulus rem adiaphoram, & quæ omitti poſſit, vult deſignare? Omitto plura. 2. Subjungit D. D. *horribiliter ac contra honorem Chriſti, precationem Rusbrochii adæquari Orationi Dominicæ*, dum dicitur, *Dominicæ precationi poſſe addi Rusbrochii precationem.* Ubi obſervandum, D. D. hîc in ſuam ipſius gloſſam agere. Nam ſi, ex ejus principiis, τὸ POSSE *aliquid*, denotat rem adiaphoram, & quæ poſſit omitti: Ergo, ex eo quod dicitur *Orationi Chriſti* POSSE ADDI *Orationem Rusbrochii*, concludere debuit, per ſuum principium, hanc Orationem Rusbrochianam haberi pro re adiaphora & accidentali ad Orationem Chriſti, cujuſcunque demum hæc habenda ſit dignitatis. Dici autem aliquid alicui rei *indifferens* & accidentale, ac, hoc ipſo dici eidem rei *par dignitate*, manifeſte pugnant. Ergo D. Doctoris accuſationes invicem deſtruunt ex ſuis principiis ac fundamentis. Non itidem opus eſſe præterea monere, ea ex uſu omnibus communi non idcirco ejuſdem dignitatis æſtimari quæ aliis dicuntur adjun-

Digitized by Google

jungenda, aut quæ ipſo facto adjiciuntur. Cum inſtitutores ſuis commendant diſcipulis, ut dum precantur, Orationi Dominicæ addant aliquot alias, aut eam aliis adjungant; vel cum ipſimet Paſtores hoc publice agunt; an idcirco Orationi Dominicæ illas alias adæquant, & adæquandas commendant? Pudet ſane ejuſmodi nænias ſerio recenſere.

Quæ de Rusbrochio interſerit D. Doctor, ſuo loco examinabimus.

Sect. II. 25. IV. Prætextus quartus. Ex his libelli verbis, pag. 26. *Plurimos Davidis Pſalmos liberis ediſcendos proponi poſſe, modo ſimul moneantur, imprecationes quæ illic fiunt in inimicos noſtros, quorum excidium a Domino poſtulatur, ſpirituali modo eſſe intelligendas, de veris videlicet animarum noſtrarum inimicis, qui peccata & vitia noſtra, propria voluntas, proprius amor, noſtra ſuperbia ac vanitas, verbo, vetus noſter homo, noſtraque ſunt corruptio, quorum interitum & deſtructionem à Domino petere debeamus. Alioqui Pſalmos nobis in venenum verti ſi quæ ſunt ibi imprecationes, ea in proximum, qui nobis amandus eſt, dirigantur.* Ex hiſce Socinianiſmi & Arminianiſmi ſpiritum, omnes Religiones tepide tolerantem, tribuit mihi D. Doctor, uti & Scripturarum petulantem depravationem, (pag. 16. &c.) Ipſe vero e contrario, imprecationes haſce vult in homines hæreticos ac Seductores contorqueri. Atque adeo, pro ejus Chriſtiana mente, liberi ſic erunt inſtituendi, ut ex Pſalmis diſcant precari in eos quos quidem pro hæreticis ac Seductoribus ſui Doctores eis indicabunt: hoc erit ergo in Auctorem & in fautores libri de Educatione Liberorum, item in Spenerianos & Calixtinos, ne dicam in Calviniſtas, Pontificios, ceteroſque, quorum excidium, & fulminea in abyſſum præcipitatio, erunt precibus tenerarum mentium e pſalterio efflagitanda. Catholici viciſſim, ex eodem principio, ſuos edocebunt ſimiles imprecationes in Lutheranos, qui ipſis ſunt Seductores & hæretici; & Reformati in utroſque. Eja, hoc illud eſt, liberos a prima ætate ad Chriſtianiſmi Spiritum, dilectionem ſcilicet, præparare ac inſtituere; atque ad mentem illius adducere qui dixit, *Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus vos!* Quid ſenſui & praxi Davidis cum impia ejuſmodi mentium diſpoſitione commune? David e ſingulari motu Spiritus S. juſtam iis ac Deo placitam retributionem optabat, vel potius prædicebat, quos

Dei

Dei lumen ut voluntarie & pertinaciter omni bono reluctantes, ei detegebat, imo quos Spiritu prophetico prævidebat fore in ſerie temporum voluntarie, malitioſe ac perſeveranter Dei & Sanctorum hoſtes, quin & Diabolico pacto ſponte ac irrevocabiliter implicitos: Ergo homines a teneris hinc docendi erunt, proprio motu iis imprecari, quos ſuorum Doctorum humanus, corruptus ac petulans Zelus pro hæreticis ac Seductoribus traducet! Quàm vero magis Chriſtianum eſt, teneros ita inſtituere animos, uti omnes homines, ſuoſque etiam inimicos, diligant; errantium autem (de quibus tamen erga mentes ad hæc minus idoneas tacere ſatius eſt,) miſereantur; nec non & cum Pſalmos lecturi ſint, ſiquos ipſi ex rixis privatis habeant adverſarios, ſentiantque iræ in illos ac odii motus quoſdam erupturientes, ſummopere ac ſub damnationis periculo caveant, ne ex iſtis motibus Davidicas imprecationes in ſuos hoſtes pronuncient. Atque hæc eſt mens Libelli noſtri; cujus alioqui ſcopus non fuit literalem Pſalmorum interpretationem tradere; ſed eorum pravæ duntaxat applicationi per bonam ac ſalutarem obviam ire applicationem, ideo commendandam quòd cum ſcopo Euangelii & ſpiritu Chriſtianiſmi conſpiret, adeoque ab intentione Spiritus Dei nequaquam abludat. Qua in re ſæpius præeuntem habemus Arnobium juniorem, ſeculi quinti Scriptorem, ut ex ejus in Pſalmos commentariis abunde cuilibet videre eſt.

V. Prætextus quintus, ex quo Quakeriſmum Libello affricat D.D. ex eo eſt, quod pag. 30. extet, infantium *intellectum non debere applicari cognitionibus dictorum, vanitatum, fictionum, chimerarum, factorumque hominum vanorum ac corruptorum. Mature reſiſtendum eſſe ei curioſitati ac diſtractioni, quæ mentem obſcuritate & tenebris replent, redduntque inhabilem ac inſenſibilem erga veritatem ſolidam lucemque divinam. Quantum damnum, ſordibus replere vas* (intellectûs) *precioſum, quod ſolummodo creatum eſt ut Deum admitteret ejuſque puriſſima lumina, quæ quidem cum impuris depravatæ mentis hominum corruptorum ac mundanorum fictionibus ſubſiſtere non poſſunt!* Sect. III. 4. His opponit D.D. (pag. 18.) Scientias ita abrogari. Deum tolerare cum ſui notitia inventiones intellectus humani: id in Moſe & Daniele patere; & huc ſpectare quæ Doctores de bonis artibus ac ſcientiis contra patronos ignorantiæ ac Quakeros protulerunt. Mirum, ab illo non animadverti, hæc nihil ad

Digitized by Google

rem facere : in textu non agi de utilibus veriſque artibus ac ſcientiis: ſed de inutilibus, noxiis, vaniſque corruptarum mentium ſermonibus, narrationibus, fabulis, fictiſque factis & cogitatis, &c. Attendatur ſolummodo textui, ſi placet.

VI. Sextus Prætextus. Ubi de *Müntzero* (pag. 19.) neſcio quæ ſubinnuit, animum ſuum plura in peſſimam partem detorquendi ſe reprimere teſtatus, pergit ad opuſculi locum p. 52, 53, quem Sabellianiſmi, Socinianiſmi, Arminianiſmi, Quakeriſmi accuſationibus obtendat. Locus ad verbum ſic ſe habet. *De* Sect. III. 51. *SS. Trinitate breviter illis dici poteſt, Patrem, Filium, & Spiritum S. de quibus in Symbolo & in Scriptura, non eſſe niſi unum eundemque Deum, veluti in nobis deſiderium, intellectus & lætitia ſeu gaudium animæ, non tres, ſed unam ſolum conſtituunt animam. Differentiam quæ inter illos eſt, non impedire unitatem naturæ Divinæ, quæ eadem & una eſt in omnibus tribus: at differentiam iſtam talem in Deo eſſe, ut nulla eam Ratio, nulla lux humana, poſſit & debeat comprehendere. Oportere eam credere ſubmiſſe ex verbo Dei, tametſi non ulterius cognitam, exſpectando donec placeat Deo de ea aliquid clarius ſeu in hac ſeu in futura vita noſcendum præbere, contenti interim ſi pro captu noſtro repræſentemus nobis Deum Patrem ut Auctorem omnium, Filium ut Redemptorem, Spiritum S. ut Sanctificatorem*, &c. &c.

Dicit hîc D.D., (pag. 20.) 1, Subeſſe Sabellianiſmum, quo „ tollatur Trinitas perſonarum, qua quidem voce (quam verum „ *Schibboleth* dicit, ac criterium orthodoxe credentium,) noluerit „ ideo uti Libelli Auctor. Patere Sabellianiſmum tum ex faculta„ tum animæ comparatione, Sabellio etiam uſurpata, tametſi tres „ animæ facultates non faciant tres perſonas, veluti differentiæ in „ Deo tres perſonas faciunt: tum inde etiam, quod in explican„ do tres perſonas non diſcernat eas Auctor per proprietates „ perſonales; ſed per beneficia diverſa. quod concederet etiam „ Sabellius.

Hanc accuſationem undique falſam eſſe, faciliime ex quibuſvis contextus verbis oſtendi poteſt.

Error Sabellii (*a*) Epiphanio eſt, *Patrem, Filium & Spiritum S. ſic eundem eſſe, ut in una ſubſtantia ſint tantum tres nomenclaturæ.* (*b*) Hieronymo, *in tribus vocabulis trinominem credere Deum.* (*c*) Sulpitio Severo, *Trionymam ſolitarii Dei unionem credere.* Conſtat ergo, Sabbellium credidiſſe, *eundem eſſe Patrem, & Filium & Spiritum*

(*a*) Hær. 62.
(*b*) in Lucif.
(*c*) Hiſt. L. II.

Spiritum S. & tantum inter ſe nominibus diverſos fuiſſe. Sic ut tota differentia tantum in nominibus, non in re ipſa fuerit.

Ego vero profiteor, *Eſſe differentiam* INTER EOS, ſcil. inter Patrem, Filium, & Spiritum S., non inter eorum nomenclaturas. 2. *Eam differentiam eſſe* IN DEO, non extra Deum, & in nominibus meris. 3. Eam *differentiam in Deo talem eſſe ut nulla Ratio, nulla lux humana* POSSIT *eam comprehendere*, quod dici non poteſt niſi de diſtinguente realitate aliqua quæ & poſitiva ſit, & infinita: abſurdum enim eſſet de differentia mera nominum, quam vel ſtupidiſſimus intellectus comprehendere poteſt, aſſerere, nulla eam luce ac ratione humana capi poſſe. 4. Eandem differentiam non poſſe modo, ſed nec DEBERE comprehendi a Ratione & luce humana. An ergo ſi Sabellianus eſſem, ita inſanirem, ut dicerem, non debere comprehendi, diſtingui ac exprimi tria nomina, ſeu differentiam mere nominalem? 5. Eandem in Deo differentiam *credi debere ſubmiſſe ex verbo*, vel (ut in Originali Gallico) *ob verbum Dei*. An ergo differentia nominum talis eſt, ut perſuaſio de ea non ſit fundata niſi in fide, cui *ſubmiſſe* mens debeat ſubjici? An non cujuſvis aures ſentire poſſunt ſine fidei auxilio differentiam quæ eſt inter tria nomina? 6. Eandem ſic credi debere *tametſi non ulterius cognitam*. An ergo trium nominum differentia quamvis revelata, eſſet præterea dicenda *ulterius incognita*? 7. *Exſpectandum eſſe ut placeat Deo de ea aliquid clarius ſeu in hac ſeu in altera vita noſcendum prebere*. Quid opus eſſet exſpectatione ſeu ſpe, vel ad alteram vitam dilata, pro cognitione differentiæ trium nominum? Egregium pro hac & pro æterna vita objectum, cognitio trium nominum, eorumque differentiæ nominalis? 8. Nos *interim* debere *eſſe contentos ſi pro captu noſtro repræſentemus nobis Deum Patrem, ut Auctorem omnium &c. Filium, ut Redemptorem mundi* &c. Quis unquam de cognitione differentiæ quæ eſt inter nomina tria, dicat, ſe illam ad *interim* & *pro captu ſuo*, hoc eſt, imperfectiſſime, capere, hancque cognitionem imperfectam debere adjuvari ex conſideratione effectorum rei ipſius, de cujus diſtinctione agitur?

Videat nunc & miretur quivis ſincerus, quanta cum æquitate charitas Theologica eliciat hæreſes ex iis dictis, e quibus contrarium invicte demonſtrari poteſt.

Quod

Quod ad ſimilitudinem ex facultatibus animæ deſumtam attinet, ſi Sabellianiſmus ex ea ſit concludendus, erunt igitur Sabelliani Theologi ferme omnes, cum antiqui tum recentiores, Catholico-Romani, Lutherani, Reformati, tametſi omnes *Schibboleth* illud D. Doctoris ex æquo pronuntiant. Infiniti fere eſſet operis eos & eorum loca adducere in quibus iſtiuſmodi ſimilitudo occurrit. Unum atque alterum e quavis claſſe indicabo ſolum. Ex antiquis videatur Auguſtinus, de Trin. lib. IX, X. & XV. de Civit. Dei, lib. XI. cap. 26. item Confeſſ. lib. 13. cap. 11. Ruffinus Expoſit. Symb. Apoſt. Ex mediis Bernhardus lib. de anima, cap. 1. §. 6. Thomas in Prim. P. Quæſt. 27. Scotus Erigena, de diviſione Naturæ lib. 2. pag. 85. E recentioribus Catholicis, myſtici ferme ad unum omnes, ac Taulerus paſſim. Savonar. Triumph. crucis lib. 3. cap. 3. Rusbr. Ornat. Nupt. Lib. II. cap. 51. Harph. Theol. Myſt. Lib. I. cap. 130. & in Præfat. Libri II. Suſo in append. ad Dialog. Verit. cap. 19. pag. 336. Hugo Victorinus apud Thom. a Jeſu de Contempl. lib. 4. cap. 18. Bernieres, Chrét. inter: Liv. IV. chap. 6. E Lutheranis, Gerhardus in locis comm. ubi de Trinit. Arndius de vero Chriſtianiſmo, lib. 1. cap. 1. E Reformatis Pleſſæus, de verit. Rel. Chriſt. cap. 5. circa finem. Keckermannus, in Syſtem. Theol. cap. de Trin. Alſtedius, Theol. Sect. 3. loc. 3. in Encyclop. Abbadie de la Rel. Chret. Tom. II. Sect. IV. p. 468. &c. mitto ceteros innumeros. Ergone illi omnes erunt a D. Doctore pro Sabellianis proclamandi?

At objicit ille, tres animæ facultates non conſtituere tres perſonas, uti differentiæ in Deo tres veras perſonas conſtituunt. Quaſi vero tres perſonæ in Deo conſtituerentur ad modum trium perſonarum humanarum, ſive trium ſubſtantiarum individuarum, ſic ut in tribus perſonis divinis eſſet differentia veluti inter tres ſubſtantias individuas ſive tres perſonas humanas! quod ſane ipſuſmet Tritheiſmus eſſet. Tum ea uſus ſum comparatione negativo ſenſu, nempe hoc modo: Quemadmodum tres potentiæ in anima diſtinctæ tres animas non conſtituunt, ſed unam; ita tres differentiæ in Deo non faciunt tres Deos, ſed unum tantùm: neque hîc volui comparationem ulterius ad poſitiva extendere: tametſi omnes fere Theologi, de quibus modo, non tantum ad poſitivam perſonarum in SS. Trinitate differentiam

tiam illuſtrandam ejuſmodi comparationes adhibeant ; ſed & ad oſtendendum quomodo Filius per modum *intellectus* ſive Ideæ intellectualis gignatur a Patre, Imaginem ſui *deſiderante* ; Spiritus S. vero ab utroque per modum *Amoris acquieſcentis* ac *lætantis* procedat. *Mille Theologi celebres & magni nominis* (ut cum Mareſio, *Schibboleth* hîc dicente, atque adeo hic Orthodoxo, loquar, Syſt. Theol. maj. pag. 117.) *poſſent proferri quibus hoc non diſplicuit* : Quod mirum eſt D. Doctorem latuiſſe, vel forte ab eo diſſimulatum eſſe ut locus eſſet Sabellianiſmi accuſationi iniquæ, quâ eorum famam læderet in quos iratus videtur.

Sed neque ea fuit Sabellio in uſu comparatio, ſi Epiphanio fidem habeamus, referenti, Sabellium comparatione uſum eſſe horum trium, *corporis*, *animæ*, & *ſpiritus* : quæ tum longe alia eſt ab ea de qua in libello fit mentio ; tum quoque haud obſcure ſubindicat, mentem forte aliam Sabellio fuiſſe ab ea quæ illi imputatur a diſputantibus, ſententiam ejus forſitan, ut ſæpius fieri ſolet, haud recte percipientibus. Nam *corpus & anima*, quibus in ſimilitudine utitur, nequaquam quadrant ad differentiam mere nominalem dilucidandam, ſiquidem differant & realiter, & plus quam opus ſit ad diſtinctionem veram quæ in SS. Trinitate eſt, illuſtrandam. Forte omnis ejus hæreſis in eo erat, quod nollet uti voce *perſonâ* aut trium perſonarum ſive hypoſtaſium, eo quod per perſonam ſeu hypoſtaſin forſitan intelligeret ſubſtantiam ſingularem, timeretque ne tres ſubſtantias ſingulares in Deo, ſive tres Deos ac Tritheiſmum, ad Judæorum ac infidelium ſcandalum, ſtabiliret ; alii vero per *perſonam* aliud intelligerent : ita ut cum ſeſe mutuo non caperent, logomachia tantum hic fuerit. Neque dubito quin ſi ab ea voce (quanquam in Scripturis S. non occurrente) omnes incommodæ ſignificationes removerentur, ullus eſſet qui recuſaret proferre illud *Schibboleth* quod D. D. ab Auctore videtur exigere : *Unus eſt Deus quoad eſſentiam : ſed in illa una eſſentia ſunt tres diverſæ perſonæ*. Equidem Coccejani Theologi, quanquam hoc in articulo Orthodoxi, ab iſto *Schibboleth* plerumque abſtinere ſolent : Quod ad me vero attinet, certe jam dudum illud in nonnullis meis operibus publice protuli. Vide meas Cog. Rat. Edit. II. pag. 272. unde diductius patebit ſimne de Sabellianiſmo accuſandus ; uti & ex *Oeconomia Divina*, Lib. I. capp. 2. 13, & 14.

Y ubi

Digitized by Google

ubi de differentiis quæ inter Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. intercedunt, magis a fundamentis agitur, quam hic loci.

Quod autem in explicando illo Myſterio non loquar de proprietatibus quæ perſonales vocantur & intimæ; ſed de perſonarum operationibus *ad extra*, id inde eſt, quod Symbolo Apoſtolico, de cujus explicatione ago, me accommodaverim; quod Syſtema Theologicum non conſcripſerim; quod *captui* eorum, quibus ſcripſi, iſta nimis eſſent ardua: denique tantum abeſt ut Sabellianiſmus hinc ſit evincendus, ut potius nulli Theologo ſit ignotum, perſonarum diſcrimen intrinſecum ſpectari quoque ſuo modo, appropriative ac œconomice (ut loquuntur) in operibus *ad extra*; referendo Creationem Patri, Redemptionem Filio, ac Sanctificationem Spiritui Sancto, & ſimilia ejuſmodi, vel ipſis Theologiæ tironibus familiariſſima.

Hactenus de iniqua Sabellianiſmi accuſatione. Huic ſubjungit D. Doctor, Socinianam ac Arminianam hæreſin, (ut p. 21. loquitur,) qua ſcilicet de Myſterio SS. Trinitatis ſtatuatur, id haud adeo eſſe curandum. At contra, modò dixi, OPORTERE ID SUBMISSE AC REVERENTER CREDERE *ex verbo Dei*; verùm *Rationem humanam non debere illud comprehendere, neque* etiam *poſſe*: hæreſes enim ac blaſphema monſtra hinc extundit Ratio tenebroſa, quando activitate ſua corrupta, ejuſmodi myſteria pertractare ſibi ſumit. Ubi ergo hîc vel umbra Socinianiſmi? Ceterùm, quod plus eſt, ſic habeo, myſterium SS. Trinitatis tale eſſe, ut quando Deus gratiâ ſua oculum mentis aperit; appareat, illud eſſe clavem ac fundamentum omnium omnino prorſus rerum, tam in ſpirituali quam in corporeo mundo, tam in natura quam in gratia atque in gloria æterna.

Addit tandem D. Doctor (ita liberalis eſt) & Quakeriſmum huic articulo, quaſi ſcilicet Libellus exſpectandam profiteretur de hoc myſterio majorem explanationem præter vel extra id quod in verbo Dei exſtat. Verum hæc accuſatio cum priori de Sabellianiſmo ſubſiſtere non poteſt. Nam ſi credam, prout placet D. Doctori, eſſe in Trinitate *tria tantum nomina*, quomodo poſſim exſpectare Quakerorum inſtar *illuminationem* de iſto *Myſterio*, & quidem *majorem* ordinariâ, quæque ſit *extra verba* Dei? Exſpectare de meris *verbis* ac nominibus *illuminationem* tanquam

de

de *myſterio*, eamque *extra verba*; quid quæſo hoc erit ænigmatis? Contradicunt ſane ſibi accuſationes D. Doctoris, & neſcit revera quid dicere debeat ut accuſare poſſit. Verùm, (quod monuit in titulo) *feſtinando* ſcripſit: tametſi Jacobus moneat, hominem debere *lentum* eſſe *ad loquendum*; atque adeo & multo magis lentum ad accuſandum, quando loquela & ira ſimul concurrunt. Mea autem mens (ut ad rem redeam) hæc eſt: Ea quæ Deus de ſe Trino in verbo manifeſtavit, non poſſe recte capi ſine gratioſa ac luminoſa ſua in anima operatione: gratiæ autem illius ſuæ, qua pateſcat ſenſus verbi, & myſterii per verbum deſignati, communicationem ac menſuram pro Dei placito exſpectandam eſſe.

VII. Prætextus Septimus. *Calamum Autoris papiſticum* nominat D. Doctor, quod *Hugonis pia deſideria* ſive *emblemata* commendaverit. (pag. 21.) Commendaverunt ea, e Latino verterunt, verſibus novis ac commentariis ornarunt, ediderunt ſæpius ipſimet Proteſtantes utriuſque partis. Continent ea nil controverſi; ſed viam totius vitæ Chriſtianæ, internam maxime; ejuſque progreſſum in fide, ſpe & charitate, in gratia ac operationibus Dei in homine & cum homine, egregie ob oculos ponunt; idque e Scripturæ ac S. Patrum locis illuſtrioribus. Equidem D. Doctor hic objicit veluti abſurdum, quod *pro ſcopo habeat Hugo homines adducere ad Deum per bona opera*. At ne D. Doctor pro inimico bonorum operum (pro antiqua de quibusdam Lutheranis ſuſpicione) habeatur, hæc crediderim ſic eſſe diſtinguenda: Homines adducere velle ad Deum per *bona opera*, hoc eſt, per opera quæ videntur cœco intellectui ac corruptæ Rationi *bona*, per opera propriæ voluntatis noſtræ, propriarumque virium præſumtarum ac depravatarum, malum equidem eſſe: at non ita per *bona opera* quæ ipſe Deus, Spiritusque ac gratia Dei, in homine operantur: ſive quæ homo in lumine Dei in viribus Chriſti, & cum gratia Spiritus S. operatur: per hæc quippe bona opera, hoc eſt, per Deum bene operantem in homine & cum homine, adducitur homo ad Deum, ſeu, ipſe Deus ea operatur in & cum homine quæ ad ſe hominem adducunt. Atque hanc eſſe mentem Hugonis ex ſingulis patet emblematibus: in unoquoque enim eorum repræſentatur hinc anima, tum Deus cum illa & in illa operans omne bonum,

num, gratioſaque ſua operatione eam attrahens atque ſequentem adducens. Quis vero hoc non approbet & amplectatur? Fuerit præterea auctor ille Jeſuita, ſcripſerit in Doctorem Menzerum, quid hoc ad *pia deſideria*? At jam ſupra vidimus, timendum eſſe, ne D. Doctori hoſtilitatis odium plus ſit cordi, quam veritatis dilectio, tametſi omnibus cordatis ſit *laudanda virtus in hoſte*.

Sect. III. 35. VIII. Prætextus octavus. Librum Eccleſiaſtici ſive Siracidæ quia commendavi è libris Scripturæ veluti pretioſum theſaurum ad memoriam infantilem exercendam, eo quod divinam, incomparabilem ac ſufficientem contineat pro moribus doctrinam; abſurde quærit idcirco D. Doctor (pag. 23.) *Num igitur noſter* JESUS *cum ſanguine morteque ſua nil amplius valeat*? Præ-
„ ferenduſne ſit divinis ac Chriſtianis de fide libris liber in quo
„ nihil de Jeſu Chriſto deque ejus merito occurrit; liber non Ca-
„ nonicus, & in quo quædam inſint non vera? Num Paulus ſuffi-
„ cienter viam ad vitæ ſanctitatem cum Chriſto ſimul, ob oculos
„ in Epiſtolis poſuerit? Cur ergo is non eligatur? Timendum
„ eſſe, ne Auctor ac Editor JESUM velint hominibus *occultare*
„ ac *ſurripere*, ut deinde propriam ſanctitatem exaltent. Initium
„ iſtis verbis jam turpiter ſatis eſſe factum, &c. In quibus conſecutionibus nil præter D. Doctoris malevolentiæ affectum videre eſt: alioqui ipſus animadvertiſſet, hic de moralibus tantum agi, dixiſſetque ad ſummum, hyperbolice nimis libri elogium fuiſſe factum: quod tamen laudandi genus innocuum ſolent interpretari omnes, præſertim ubi aliquid boni infantibus eſt commendandum: ne dicam alia è Scripturis utriuſque Teſtamenti neutiquam fuiſſe omiſſa (ut ſubinnuit D. D.) ſed commendata, puta, capp. e Matth. 5, 6, 7. & Joh. 13, 14, 15, 16. cum Petri

Sect. V. 13. & Joannis Epiſtolis, ac Pſalmo 119. (vid. pag. 72.) Adde, Lutheranos Theologos quam plurimos Siracidem cum Luthero ipſo egregie laudaſſe, eos illum libris ſuis manualibus ſæpe inſeruiſſe, & Scripturis in unum Syſtema adjunxiſſe; ſic ut non ſolum veluti Syſtematis Scripturæ pars laudari poſſit, ſed &, ſi modo ſuperior D. D. gloſſa valeat, *ea quæ ſimul adjunguntur* (ut Dominica ac Rusbrochiana oratio) *dignitate æquiparari*, omnes illi Theologi ab eo dicendi ſint, Siracidem ceteris Scripturis æquiparaſſe, atque idcirco iiſdem D. Doctoris conſequentiis,

quæ

quæ hic exſtant, erunt gravandi, cum antiquiori quoque Eccleſia, quippe quæ ante plus mille & ducentos annos eundem librum in Concilio (*a*) Carthaginenſi inter libros canonicos recenſuerit, Auguſtino etiam annotante, (*b*) *eum, & Librum Sapientiæ, in authoritatem maxime ab occidentali antiquitus receptos Eccleſia.* Quod ſi quæpiam minus vera a quibuſdam habere putetur, eadem tamen alii cum veritate conciliant; quemadmodum haud pauca in aliis Scripturæ libris ejuſmodi difficultatibus quoque obnoxia, conciliari ſolent; ne dicam iſta difficilia moralitatem, de qua hic agitur, minime reſpicere.

(*a*) Conc. II. Carth. Can. 47. *Salomonis libri quinque.*

(*b*) De Civ. Dei lib. 17. cap. 20.

IX. Prætextus nonus. Ut ſpiritum Quakeriſmi, eumque melancholicum, imputet D. Doctor, pag. 29. ait, me in libelli pag. 58. *nolle ut quiſquam ob aliquid temporale lætetur.* Atqui hoc nequaquam ibi exſtat; ſed potius principium ex quo contrarium ſano ſenſu ſequitur. Nam cum illa dixerim, *lætandum eſſe cum de Deo, tum de ejus voluntate, hujuſque voluntatis executione*; ſequitur inde, quod ſi res temporales ad Dei gloriam fiant, ſique ſecundum ejus voluntatem atque ad eam dirigantur, de hoc utique gaudendum eſſe. At extra hunc ſcopum de iis gaudere, id non modo brutum eſt, ſed & contra Chriſtianiſmi principia pugnans, veruſque lætitiæ abuſus. Hinc ea Thomæ Kempiſii precatio: (*c*) *O Deus meus, dulcedo ineffabilis! verte mihi in amaritudinem, omnem conſolationem carnalem, ab æternorum amore me abſtrahentem; & ad ſe intuitu cujuſdam boni delectabilis præſentis male allicientem.* Vide & ſimilia copioſius apud *Arnd.* de *vero Chriſtianiſmo*, lib. IV. cap. 37 & 38. Quæ loca ex Eccleſiaſte & Siracide addit D. Doctor, nedum contra libelli mentem ſint, pro ea militant: volunt enim ut homo his quæ poſſidet ita contentus ſit, ut eis veluti *donis a manu Dei diſpenſatis*, non torvo ac murmurante, ſed placido ac tranquillo animo, bene agens ac Deo gratus, moderate utatur. Quæ cum principiis meis quam bene conveniant, quis non videt?

Sect. IV. 3.

(*c*) De Imitat. Chriſt. Lib. III. cap. 26.

X. Prætextus decimus. Me iterum Quakeriſmi accuſat, p. 25. quaſi ego honorem, quo diverſos hominum ordines affici decet, ſublatum optarem, adverſante Dei ordinatione, ac verbis e Scriptura productis. At fallit D. Doctoris probatio, dum aſſeverat, ſcriptum eſſe in libelli pag. 60. *quaſi omnis honor ac amor* (laus debuit verti) *ex voluntate humana fierent, atque de his contri-*

Digitized by Google

ſtari oporteret. Hæc non ita à me dicta ſunt: non aſſerui poſitive, honorem atque amorem (ſive laudem) a voluntate humana eſſe, de quibus poſtea nos contriſtari oporteat: ſed conditionaliter ac hypothetice ſcripſi, *Si*, ſeu, *quando aliquid ſit ex propria hominis voluntate* (oppoſite ad voluntatem Dei, de qua illic,) tunc, hoc in caſu, ac ſub hac conditione, *magis dolendum eſſe quam gaudendum*; *quemadmodum quando honoramur ac diligimur*, ſeu, *laudamur*; hoc eſt, quando honor ac amor nobis delati ſunt hocce modo, atque in iſtis circumſtantiis; ſic ut homines nos non propter Deum ejuſve voluntatem honorent, neque in nobis Dei ordinationem reſpiciant; ſed ſolum id agant propter commoda aut incommoda quæ a nobis timeant aut ſperent; tunc nobis dolendum eſt eos ita divinum principium divinumque finem omittere, quo ex corrupto principio ac ſcopo ſeſe dirigant, faciantque propter homines id quod propter Deum facere debuiſſent.

Sect. IV. 9, 11.

Præterea notandum eſt, non agi hoc in loco de honore activo, ſive de perſonis honorantibus, adeoque nil poſſe hinc contra honorem activum, quo alios afficimus, concludi, quin curratur extra oleas. Agitur ſolum de honore paſſivo, ſive, de honore qui recipitur, & de iis qui honorantur; qui ſane ſi Chriſtiano modo ſeſe gerant, honorem ſibi exhibitum in ſe non terminabunt, neque gaudebunt quod honore afficiantur; ſed illum protinus remittent ad Deum, cujus vel perſonam (ut ſic loquar) repræſentant; vel honoranda dona conſecuti ſunt; gaudebuntque, quod obſequium Deo debitum, honorque gratioſis ejus muneribus habendus, perſolvantur modis Deo placitis. Libet hic verba Auguſtini apponere, quibus iſta dilucidentur: (a) *Timeri & amari velle ab hominibus, non propter aliud, ſed ut inde ſit gaudium* (*quod* tamen *non eſt gaudium* verum,) *miſera vita eſt, & fœda jactantia. Hinc fit vel maxime non amare te* (o Deus) *nec caſte timere te. Ideoque tu ſuperbis reſiſtis, humilibus autem das gratiam: & intonas ſuper ambitiones ſeculi, & contremiſcunt fundamenta montium. Itaque nobis, quoniam propter quædam humanæ ſocietatis officia neceſſarium eſt amari & timeri ab hominibus, inſtat adverſarius veræ beatitudinis noſtræ, ubique ſpargens in laqueis, Euge, euge: ut dum avide colligimus, incaute capiamur, & a veritate tua gaudium noſtrum deponamus, atque in hominum fallacia ponamus; libentque nos amari & timeri non propter te, ſed pro te* (hoc eſt, loco tui, ſubſtituendo

(a) Confeſſ. Lib. X. cap. 36.

ſtituendo nos pro te;) *atque iſto modo ſui* (Satanæ, adverſarii,) *ſimiles factos, ſecum habeat, non ad concordiam charitatis, ſed ad conſortium ſupplicii.* Hæc ſunt de quibus dolendum nobis eſſe, cum Auctore dixerit merito quivis cordatæ mentis. Similia reperies apud *Arndium* de Vero Chriſt. lib. II. cap. 22. per totum.

De honore autem activo, quo alios afficimus, quid ſentiat libellus, videre potuit D. Doctor ex pag. 74. ubi hæc leguntur: *Inculcandum eſſe infantibus tanquam voluntatem Dei, ut, quantum ad parentes ac Superiores, eos ament cum timore ac veneratione, eiſque ſine obmurmuratione obediant.* Qua conſcientia igitur a D. Doctore potuit dici: *Spiritus Quakeriſticus non audet aperte loqui: ſubmurmurat tantum, ac explorat quo res ſit deventura;* & ſimilia, quæ aperte ex inſpectione libri poſſunt, ſicut & cetera omnia, falſitatis convinci? Sect. VI. 2.

Veniamus nunc ad RUSBROCHIUM, cujus precationem laudavit Auctor.

Eſt Rusbrochius D. Doctori (pag. 15.) *papiſta*; eſt ei *horribilis Enthuſiaſta*; eſt *hæreticus* vel *Gerſoni* etiam ipſi Univerſitatis Pariſienſis Cancellario; eſt *veluti Beelzebub*; eſt *hæreticus Dei immemor, à quo horrendum ſit preces mutuari.*

Reſpondeo; Quod Rusbrochius fuerit Catholico-Romanus, non autem Lutheranus, id vitio ac fraudi ipſi, non niſi abſurde verti poteſt; ſiquidem plus centum annos ante Lutherum natum (*a*) ſit mortuus. Vixit autem tempore Tauleri, qui Rusbrochio familiariter utebatur; ut ex eo, veluti ex præceptore ſuo ac inſtitutore, in divinis proficeret. Quapropter de Rusbrochio, Taulerum ipſum vel ſuperante, jure merito dixeris quicquid de Taulero dixeris. Taulerum autem ipſemet Lutherus tanti fecit, ut eum nedum papiſtam, horribilem Enthuſiaſtam, hæreticum Dei oblitum conviciaretur, eum potius VIRUM DEI appellaret, ejuſque ſcripta ut (*b*) *quæ ſanam, divinam, ſalutarem continerent doctrinam ac ſapientiam, omni ſcholarum doctrinæ ſuperiorem*, commendaret: *tam ſanam doctrinam illic ineſſe, ut omnis ars hodierna illi comparata, ferrea ſit ac terreſtris.* De eodem ajebat Melanchthon, *impios eſſe Sophiſtas qui Chriſtianam Tauleri doctrinam contemnerent.* Dr. Arndius conciones Taulerianas edens, inter ſumma elogia quibus eas commendabat, inquit, *Spiri-*

(*a*) 1381.

(*b*) Luth. von ablaſs. item Epiſt. 16. & 25. ad Spalat.

Spirituali ſapientia ac pietate ſic abundare, ut inde precioſa animæ medicamina deſumi poſſint. Ecce, talis erat vir qui ſe Rusbrochio inferiorem, ejuſque diſcipulum, agnoſcebat. Qualis ergo ac quantus ipſemet debuit eſſe Rusbrochius? Certe inſignis ille pietate Thomas a Kempis, Rusbrochium dicit, *Virum magnæ ac celebri fama venerabilem: ſanctum & devotiſſimum Patrem: vocem ejus gratioſam, eſſe veluti organum aut fiſtulam Spiritus S.* (Kemp. in vita Gerh. Magn. cap. 10.) Alii (ut Gerh. Magnus, Dionyſius Carthuſianus &c.) Kempiſio donis gratiæ non minores, Rusbrochium *virum mirabilem, divinitus unctum, Doctorem divinum; cujus ſcabellum pedum tam in hac vita quam in futura fieri concupiſcerent*, declararunt. Idem noviſſime a D. *Cave* in Chartophylace Eccleſiaſtico (*a*) *Doctor divinus* appellatur: Quod autem Gerſoni hæreſeos ſuſpectus fuerit, ut ait D. D. ſimile & Taulero accidit, qui a quibuſdam ſuarum partium etiam hæreſeos inſimulatus eſt: ſed ut hunc probi defenderunt; ita etiam pro Rusbrochio contra Gerſonem haud pauci defenſionem ſuſceperunt, inter quos Surius, Hamonius, Joannes Schonhavienſis, G. Placentinus, & (annotante Bellarmino, qui Rusbrochium dicit *Virum divinæ contemplationi addictiſſimum*, in lib. de Script. Eccleſ.) Dionyſius Carthuſianus. Hi omnes Rusbrochii mentem a Gerſone neque perceptam fuiſſe, neque potuiſſe capi oſtenderunt: Gerſon ſiquidem inſida ac perverſa operis cujuſdam Rusbrochiani interpretatione, in qua multa contra mentem Rusbrochii tum addita, tum mutata erant, eſſet abuſus, ne dicam eum per ſcolaſtica ſtudia non parum fuiſſe impeditum ne ad ſublimiſſima ac diviniſſima Rusbrochiana poſſet attingere.

(*a*) pag. 329. Edit. Lipſienſ. an: 1687.

Quod ſi quis velit ſcire ex ipſo Rusbrochio utrum ejus animæ diſpoſitiones fuerint *hæreticæ*, vel *Dei immemores*, vel *horribiles* & cum *Beelzebub* comparandæ, attente conſideret vel ſolam ejus Orationem, ob quam ejus facta eſt mentio.

Jam quid mali ſi ex tanto viro una precatiuncula publico proponatur ac commendetur; quando Lutherus, Arndius, Gerhardus in Meditationibus ſuis, multique alii pii ac Euangelici Doctores, ubi Tauleri atque Kempiſii opera ſæpius laudarunt, commendarunt ac ediderunt, hoc ipſo non unam tantum precationem, ſed & doctrinam copioſam, & quam plurimas preces, ex iis toti Chriſtianiſmo propoſuerint ac commendarint? An

An ergo etiam illi nos ad papiſtas, ad horribiles Enthuſiaſtas, ad Beelzebub deduxerunt, ut ex hæreticis Dei oblitis precationes mutuaremur, quemadmodum de admirabili loquitur Rusbrochio D. Doctor noſter? Optandum, ut Deus id ei ignoſcat: neſcit enim revera quid dicat cum tantum virum talibus convitiis proſcindere non veretur.

Ex turbato quoque affectu videtur ea quæ in Rusbrochii precatione continentur, recte legere haud potuiſſe: vult enim nobis perſuadere, ea quæ illic *de Christo* ejuſque *merito* exſtant, *ad exemplum præcipue ſpectare*. pag. 25. Primo, quamvis hoc ita eſſet, quid eſſet mali, iſtud aliquo in loco præcipue conſiderari? Nonne Petrus præcipue ad exemplum Chriſti reſpicit eo in loco ubi dicit, (*a*) *Chriſtum paſſum eſſe pro nobis, relinquens exemplum ut ſequamur veſtigia ejus?* Notatu dignum eſt, quando gratia Dei ſic hominibus proponitur, ut ipſis illico dicatur, *Chriſtum pro ipſis meritum eſſe & ſatisfeciſſe; ſupereſſe tantum ut credant*, experientiâ conſtare, multos hac methodo abuti, & ſub hoc prætextu, cum fide ſterili ac mortua in peccatis ſuis manere, atque adeo æternum perire, ſiquidem (*b*) *qui Filio non obtemperat* (ὁ ἀπειθῶν) *non videbit vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum.* At ubi urgetur exemplum Chriſti, nulla fraus ſubeſſe poteſt: nam (*c*) *qui ſequitur Chriſtum, is non ambulat in tenebris: ſed vitæ lumen habebit.* Lux autem illa ei deteget, Chriſtum meruiſſe ac ſatisfeciſſe pro ſuis imitatoribus, ſive, (*d*) *factum eſſe omnibus* OBTEMPERANTIBUS *ſibi*, CAUSAM *ſalutis æternæ.* Memorabile eſt verbum Irenæi lib. IV. de Hæreſ. cap. 28. *Sequi Salvatorem, participare eſt ſalutem: & ſequi lumen, participare eſt lumen.*

(*a*) 1 Petr. 2: 21.
(*b*) Joan. 3: 36.
(*c*) Joan. 8: 12.
(*d*) Hebr. 5: 19.

Interim quia nunc agitur de Rusbrochii ſenſu in ſua precatione circa meritum Chriſti, & D. Doctor ait, ea quæ de illo dicuntur, *ad exemplum præcipue ſpectare*, inſpiciat, quæſo, lector, totam Rusbrochii orationem, & attendat quid in ea hæc ſint; *Oro, amantiſſime Domine, ut præſtes mihi, ne de me ipſo, aut de propriis actionibus meis præfidam aut præſumam; ſed ut tibi, ſanctiſſimiſque tuis meritis totus innitar, & in eis potiſſimum ſpem & fiduciam meam collocem .... Rogo etiam, dulciſſime Domine, ne me unquam ſinas obliviſci Mortis & Paſſionis tuæ; ſed ut in eis ſit mihi præcipua requies, & acceſſus ad divinitatem, & ut omnes vires meas in tuis*

 vul-

vulneribus & tua morte conſumam. . . . Precor, ſuaviſſime Domine, ut Mortis & Vulnerum tuorum MERITIS, *&* TE IPSO TOTO, *cœleſti Patri tuo pro omnibus, quæ unquam admiſi, peccatis meis*, SATISFACIAS; *iiſdemque omnem negligentiam & defectus meos* SUPPLEAS. Judicate, quæſo, vel ex hoc ſaltem exemplo, an D. Doctoris aſſeverationibus & gloſſis multum fidei adhibere æquum ſit!

Duo in ſpecie reprehendit D. D. in oratione Rusbrochii.

1. Primum eſt in his verbis. *Da mihi ne quemquam judicem aut contemnam; ſed ut ipſe ab omnibus potius contemni & abjici deſiderem*, pag. 82. Hæc vota, quia res ipſa forte D. Doctori non eſt cordi, judicat ille *a malo Spiritu* ſuggeri. pag. 26. Scilicet ſummæ humilitatis ac patientiæ deſiderium erit a Diabolo! Quàm bene ſpiritus novit diſcernere D. Doctor, an ſint e Deo! Annon Spiritus Euangelii inſpirat, (1.) ut nemo alium judicare velit. Matth. 7: 1. Rom. 14: 10, 12, 13. (2) Ut quiſquis ſe ipſum judicet ac contemnat. 1 Cor. 11: 31. Luc. 14: 26.? Atque adeo, annon mavult, comparativo modo, judicium ac contemtum pati, quam efficere & dare? quæ Chriſtiana diſpoſitio cum non ſit a naturæ corruptione, ſed ſit donum Dei; conſequitur, eam debere poſtulari ab Auctore omnis boni: quod hic facit humilis ac pius Rusbrochius. Quoniam autem quiſquis ſe ipſum judicat & contemnit, mavultque judicari & abjici quam judicare & contemnere, lumen gratiæ a Deo adipiſcitur, is hoc ipſo quoque detegit in ſe impotentiam, tenebras, vitioſitatem, corruptionemque tantam, ut juſtiſſimum eſſe videat ſe contemni ac judicari a veritate, per quemcunque illa judicium dicat, per illum ipſum, per Deum, per quoſvis alios; ita ut ejuſmodi homo non reſpiciat contemptum ac judicium per alios in ſe veluti aliquid injuſti; ſed veluti rem juſtam, a Deo manantem, & non ab hominibus injuſtis ſed juſte ab ipſa veritate diſpenſatam: adeoque non deſiderat eo ipſo (quod objicit D. D.) *fieri* adverſum ſe aliquid injuſti, ſeu, quod peccatum ſit; ſed potius aliquid juſti: neque eo ipſo *poſtulat ſe manere in malis ob quæ judicatur & contemnitur*; ſed contra, ex odio mali a ſe admiſſi adorat Dei, eum per alios judicantis, judicia, quibus & a malo defendatur, & in humilitate conſervetur. Quando Chriſtus vult ut propter perſecutiones atque calumnias nobis

illatas

illatas collætemur (Matth. 5: 11, 12.) vult ne eo ipſo ut lætemur ideo, quod alii & in nos, quos proſequuntur, peccent impendio, & ſibi ipſis ſimul pœnas inferni cumulent, ut objicit Rusbrochio D. Doctor? Minime vero. Sed nullo ad perſecutores, ſeu ad perſecutiones ac contumelias active conſideratas reſpectu habito, reſpicit ſolum illas paſſive, quatenus animus noſter per eas conſervari poteſt in virtute Chriſti ac humilitate vera: extra quem ſtatum hæcce bene capi neutiquam poſſunt; ſed ſtulta & abſurda potius homini naturali videbuntur.

3. Alterum quod D. D. e Rusbrochii oratione diſplicet, eſt, quod rogaverit ille, *ut affectus erga ſe naturales omnium hominum, tam Religioſorum quam ſecularium extingueret Deus; utque ex corde ipſius imagines hominum & rerum deleret.* Hæc D. D. ornat paraphraſi quâ infantes petant amorem ſuum erga parentes, & parentum erga liberos, extingui: tum quærit, *annon hoc ſit a Diabolo, ordinationis divinæ vituperatore?* Vellem D. Doctor paraphraſi etiam explicaret illa verba Chriſti, Luc. 14: 17. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quicquid hic allaturus eſt D. D. quominus aliquis calumniator hinc concludat, ut ipſe de Rusbrochio, iſta a malo ſpiritu profecta eſſe, & ordinationem divinam deſtruere; is erit ſenſus verborum Rusbrochii: quem ſi ita elicere non placet; age, cum ex D. Arndii libro III. de vero Chriſtian. cap. 8. producemus: Sic ille: *Aureum hoc monitum, mortales, animis infigite. Quicunque veſtrum cor creaturarum imaginibus vacuum habebit, eum Deus, (cœlo & omnibus relictis) non poteſt non aſſiduo inhabitare & implere. E contrario, quicquid agatis, quicquid moliamini, quoad creaturæ in vobis ſunt futuræ, Deo vobis carendum eſt. Quantum enim quiſque voluptatis & delectationis capit ex creaturis, tantum odii ſibi conflat apud Deum. Etſi autem difficile & grave ſit omnibus creaturis valedicere, manet tamen & manebit, non per delitias, ſed per crucem ad Deum perveniri.* Unde idem ſic precatur in Orationibus, quibus hunc librum tertium concluſit: *Conquieſcant in te, quæſo, omnes ſenſus mei. . . . Tolle (Deus) e corde meo* OMNE ID QUOD TU NON ES.... *Tolle ex corde meo quicquid impedit amorem tuum. Exſpolia animam meam amore mundi &* CREATURARUM: *fac illam* NUDAM *& puram ab omnibus rebus terrenis,*

renis, quo tu ſolus illam tibi unire ac deſponſare, tu ſolus illam habere ac poſſidere valeas. Hæc B. Arndius.

Amor affectuſque noſtri tolli poſſunt duobus modis; vel per odium, aut indolentiam, vel, ſi vis, inſenſibilitatem aliquam Stoïcam; & hoc malum ac vitioſum eſt; vel per charitatem Dei ſuccedentem, & eorum locum occupantem; qua divina charitate poſtmodum amantur motore Deo, ac excellentiſſimo modo, ea, quæ antea more ſolum bruto ac ſine virtute Deo accepta diligebantur. Atque hoc modo poſtulat Rusbrochius tolli ex corde ſuo humanas inclinationes & ideas. Quid hîc non ſanctiſſimum atque diviniſſimum? Hoc autem ita eſſe, evidentiſſime patet vel ex primis Rusbrochianæ orationis verbis: *Obſecro te, praſtes mihi Te amare toto corde ſuper omnia, &* CUNCTOS HOMINES *atque* OMNES STATUS, *tum religioſos, tum ſeculares, amicos & inimicos, perinde ut me ipſum* DILIGERE. *Da mihi ut* OMNES HOMINES VENERER. En, ut amare poſtulat ac venerari omnes homines eo amore qui ſit ipſi a Deo infuſus! Hocne erit divinæ ordinationis ſublationem poſtulare?

Ex his omnibus patet, quæcunque a D. D. huc uſque ſunt feſtinanter allata, frivolos tantum eſſe prætextus, quibus non tam liber fiat inviſus, quam libri editores ac fautores è malevolo affectu aliorum odio exponantur, ut initio annotatum eſt. Quapropter quicquid D. D. protulit, non diris tantum hæreſium omnium nominibus inſignivit; ſed & paſſim cuncta tragicis interſperſit exclamationibus, quæ tamen nil aliud revera ſunt quam clamores vani, nullſum quidem in animo lumen ingenerare apti, verùm muliercularum ſolummodo tenebricoſos ac maleſanos affectus excitare pares, nec non infantulorum animos objecta veluti terrifica larva percellere. E cordatis enim viris nemo attentus non poteſt vel ex ſe ipſo, vel e hactenus dictis, inanitatem ſcripti monitorii agnoſcere, & ſimul quam inique totus de Educatione liberorum libellus traducatur ob futiles illos decem aut duodecim prætextus; cum tamen præterea vel centena in eo bona atque ſancta dogmata & præcepta, a malo ad bonum, a mundo ad Deum ducentia, contineantur. Nonne ex Pauli præcepto oportuiſſet, *quod bonum eſt, id retinere* ac commendare; atque ſecundum Chriſti parabolam frumentum bonum a zizaniis (ſi ea ineſſent) ſeparatum, condere & cuſtodire, non

autem

Digitized by Google

autem id perdere ac deſtruere? Sed nedum illic inſint zizania, vere aſſerere audeo, nihil in libello eo contineri quod Scripturæ non ſit ac ſanctiorum ſcriptis undique conſonum, præſertim aureis *Joh. Arndii* libris *de Vero Chriſtianiſmo*, quorum aliquam veluti epitomen videtur repræſentare, nec non totius Chriſtianiſmi ſubſtantiam præcipuam brevibus ob oculos ponere, *brevibus* inquam, ne ei vertatur fraudi quod materiæ in eo vel diductius & in omnes partes non ſint expanſæ, vel quædam etiam ſint prætermiſſæ, & inſtitutorum curæ ac induſtriæ relictæ & demandatæ, libello ipſo indicante, pag. 76. *Supereſſe adhuc plura quæ quotquot liberorum ſuorum educationi ſerio incumbent, vel ex ſeſe eis inculcabunt, vel e principiis poſitis poterunt deducere.* Id autem Sect. VI. 11. fieri aliter non poterat in brevi Epiſtola, qualis revera libellus fuit, non vero plenior aliquis tractatus; quando ſimul etiam data fuit opera ne aliquid controverſi intefereretur. Quod autem ex contentis ejus jam controverſias, imo & falſa efficere velint contentioſi, id libelli veritatibus minime controverſis nequaquam officit. Quis neſcit vel e Scriptura ſacra, cujus tamen veritates in ſe ſunt certæ, omnis generis abſurda per malas conſequentias elici poſſe, & quidem ab illis qui eas non infenſo legunt animo, ut patet in diverſis Chriſtianiſmi partibus? quid ergo ab iis non fieret qui maligna eas mente inſpicerent, & abſurda inde elicere in animo haberent? Non igitur mirandum, ſi e ſcriptis, ejuſdem quidem cum S. Scriptura ſententiæ, minoris vero infinitum auctoritatis, malos ſenſus ac protervas conſecutiones educere poſſit animus male favens, forte ideo veritati infenſus, quòd videat ſe ab illa nudum ſibi & vel ipſis etiam pueris ſiſti, ſeque adeo & bonis carere mentis diſpoſitionibus a veritate oſtenſis, & animo addictum eſſe vanis quæ eadem detegit; imo, ſe ne doctrinam quidem verbis ac theoriam hujuſmodi primariam hactenus docuiſſe, aut ut decuit, urſiſſe ſatis. Quæ etiam cauſa fuit, quod olim contra pios *B. Arndii* libros a Doctoribus nonnullis ejuſdem cujus ipſe Religionis, imo & ab aliquibus e Miniſterio Hamburgenſi, ejuſmodi impetus factus ſit. Quam rem, cum non intempeſtivum fuerit in memoriam nunc revocari, eam e relatione & verbis Cl. Werdenhagen, Juriſconſulti, in ſua de Republ. Synopſi, conclusionis loco apponere lubet. Sic autem ille Lib. VI. cap. 4. Q. 14.

„ Ante aliquot annos, cum inſigne adminiculum ferme intermortuo Chriſtianiſmo pro reſuſcitatione cordium adhibuiſſet B. *Joh. Arndius*, vir undiquaque ſanctitati & veritati vitæ in dilectione vivida ſtudens, inque ejus rei gratiam inſignem librum *de Vero Chriſtianiſmo* conſcripſiſſet; confeſtim exurgit maligno fervore quidam ſe nec minus Theologum, ſed alio habitu ethnico & perquam impie conſuto, venditans, ἀνὴρ ἱερὸς, *Luc. Oſiander*, qui tam impudenti ac maledico ſcripto conatus eſt contra omnem boni viri conſcientiam, extra limites honeſtatis ubique & ferme in ſingulis verbis, ac falſis inſimulationibus divagando, aureum prorſus & pietatis cœleſtis plenum libellum ita infeſtare, & quæque recte dicta invertendo arrodere auſus eſt, ut tandem coacti ſint plures præſtantes viri tantas blaſphemas impoſitiones & pluſquam iniquas, debite, pro avertendo ſcandalo publico, vindicare, uti etiam paulo ante obitum p. m. hunc Sophiſtarum omnium maximum in hoc acute, præclarus ille Vir, D. *Joh. Affelmannus*, Theol. Doct. & Profeſſ. Acad. Roſtochianæ publicus, tetigit; deque negotio & maligno hoc Oſiandri attentato, tale judicium ex conſcientiæ ſtimulo concitatus, ad M. Henr. Varenium, Presbyterum nunc Eccleſiæ Uliſſenſis, in literis ſuis ſic tulit.

„ Optimum ARNDIUM (inquit) ab Oſiandro judico exceptum fuiſſe peſſime; pacificum, ſchiſmatice; veracem, mendaciſſime; humilem, ſuperbe; &, ut verbo dicam, pium, impie. Quis non miretur inſulſas & elumbes Oſiandri conſequentias? Quis non crimina falſi? Quis non ejuſdem commatis alia periſtragula, quæ ubique prominent ut in Æſopi aſino auriculæ? Candori, modeſtiæ & piæ doctrinæ jam ante Oſiander nuntium remiſit in certamine cum Gieſſenſibus. Mirum ergo non eſt, in eriſtico ſcripto contra B. Arndium vix ulla candoris, modeſtiæ & piæ doctrinæ, reperiri veſtigia.....

„ Velut etiam (pergit Cl. Werdenhag.) aliud de tali informi iſtius ſcripti Oſiandrici monſtro judicium publicum exſtat, quod ita ſe habet. Hic libellus (Oſiandri) nil niſi calumnias, nugas, mendacia, inverſiones veritatis, inſimulationes falſas, undique crimina falſi ſpirantes, irriſiones mordaces Spiritus Dei, condemnationes perpetuas carnalitatis & mortuæ literæ in verbo, atque proterviæ cujuſdam encomia dira evibrat; cum undique author

author ex cauteriata conſcientia garriat, & ſibi contradictorius "
ſit paſſim. "

Sic eodem modo (pergit idem) cum B. ille *Arndius* ob *Verum* "
ſuum *Chriſtianiſmum* indignantiam quoque habitualem alicujus "
M. *Jacobi Werenb. Hamburg. Paſt.* promeritus fuiſſet; ac iſte "
(Hamburgenſis Paſtor) mortificari in carne ſua Chriſto nollet, "
non minus quidem fulmina exſpuere cœpit. Sed cum optimus "
vir, D. M. *Mart. Brelerus*, Franc. Medicus inſignis, hunc *My-* "
ſterio ſuo *Iniquitatis Pſeudo-Euangelicæ* in gyrum ſanioris mentis re- "
vocare inciperet, mox ita pudore convictus abiit in ſe confuſus, "
ut morte Deo culpam deprecaretur. Hactenus ille. "

Hæc nunc juvabit meminiſſe, ne aut impoſſibile videatur, aut omnino novum, Doctores ac Eccleſiaſtas inſurgere ſeu in Collegarum ſuorum probiſſimos, ſive in libros Doctrinam Chriſtianiſmi puriſſimam complectentes, quam cum deberent ipſimet verbis ac opere docere, commendare & promovere, ſuis illi potius relationibus perverſis ac tetris calumniis nefandum in modum pro hæretica, vel diabolica etiam, traducant. Quæ cum in ipſa urbe Hamburgenſi olim memorabili exemplo acciderint, eorum erit, quorum de his agere ac judicare intereſt, providere ne ſimile quippiam denuo forte etiam accidat, neve ſi accidere inceperit, incrementum ſumat iniquitas non modo in innocentiæ ac veritatis detrimentum & ſuppreſſionem, vel etiam condemnationem, ſed etiam forte in auctoritatis quidem Eccleſiaſtarum augmentum majus ac æquum eſſet; in diminutionem vero jurium Magiſtratuum ſuorum. Certe cum D. D. anno proxime elapſo in Belgio eſſet, ex ejus ore auditum eſt, quæſtionem *de jure Epiſcopali Hamburgenſi*, penes quem illud eſſet, peneſne Magiſtratum an penes Miniſterium, indeciſam adhuc eſſe, nec liquido conſtare. Hoc ſuum ejuſmodi prætenſum jus velitne nunc fulcire aut decidere per facta quæ nil minus quam dominationis ac juris Epiſcopalis exercitium & uſurpatio videntur eſſe; qualia ſunt, Collegas proprios, libroſque cum ſcriptis quotquot placet, exponere probris publicis, anathemate ferire, hæreſeos condemnare, proſcriptos atque exterminatos velle, fuſque deque habita Superiorum voluntate; judicandum relinquitur nobiliſſimis iis prudentiſſimiſque Dominis, quorum intereſt diſpicere, utrum ipſis hoc ſit indifferens.

Quoniam

Digitized by Google

Quoniam vero D. Doctor monitorium ſuum ſcriptum claudit comprecando mentis illuminationem & pœnitentiam Auctori & fautoribus *hæretici*, ut inquit, *libelli* de Educatione, quem eo ſcriptum dicit *ut Eccleſia Chriſti perturbetur*, viderit ille, an non Eliæ reſponſum Achabo factum hîc apprime quadret (3 Reg. 18: v. 18.) Sciat etiam libellum (qui alioqui nil niſi Epiſtola privata primo fuit,) ad gloriam Dei & promotionem veri Chriſtianiſmi compoſitum & editum eſſe, idque ideo ſine Auctoris nomine, ut plures ſine partium ſuſpicione emolumentum animæ ſuæ ex eo elicerent; deinde Auctore inſcio in Germanicum idioma verſum, ac ſub titulo *Prudentia juſtorum* fuiſſe a viro pio editum, ad eundem omnino divinæ gloriæ ſcopum: Et ad me quidem ſingularius quod attinet, teſtificor in animi ſinceritate coram Deo cunctiſque quorum intereſt, me prorſus alienum eſſe ab omnibus iis hæreſibus ac erroribus, qui libello in admonitione D. Doctoris perperam ſunt impacti, tum ab iis etiam qui verbis meis in poſterum imputari poſſent: atque inſuper profiteor, me, ſi quid minus verum, & cum Euangelio ac tota Scriptura ſacra minus concordans à me propoſitum fuiſſe ex divino verbo oſtendatur, paratum eſſe, Deo auxiliante, id revocare ac emendare. E quibus patet, judicium D. D. circa me totumque hoc negotium, temerarium eſſe, & a veritate ac charitate aberrare. Interim ea ipſa quæ aliis (id grato animo audientibus) vovet, & quibus ipſemet quoque non parum opus habet, *lumen divinum* ac *pœnitentia*, ei ex animo peroptantur: atque pro *hæretici* convitio, quo voti oblati ferculum condire voluit; explicatiunculam, *quid coram Deo & practice ſit verè hæretica animi diſpoſitio*, ei pro clauſula remittemus.

Diſpoſitio animi hæretica ipſaque praxi viva, ea eſt, quæ pertinaciter & ipſis factis tollit Chriſtianiſmi fundamentalem proprietatem ſine qua nullus ſit vere Chriſtianus, neque ſalvus fieri poſſit. Talis autem fundamentalis requiſitio eſt CHARITAS, aſſeverante Chriſto, (*a*) *in hoc cognitum iri nos eſſe ipſius diſcipulos ſi dilexerimus nos invicem*. Hæc charitas ad conſtitutionem hominis Chriſtiani ac ſalvandi ita neceſſaria eſt, ut, teſte Paulo, (*b*) *Si quis loquatur linguis hominum & Angelorum* (hoc eſt, ſit eloquens orator & concionator, & divina ſæpe teſtetur ac clamet nomina Dei, Jeſu, ſanguinis Chriſti, fidei, ac ſimilia,) *charitatem autem*

(*a*) Joan. 13: 35.

(*b*) 1 Cor. 13.

...non habeat, factus eſt velut æs ſonans & cymbalum tinniens ac vacuum. Cum autem, eodem teſte, *charitas* ſit, inter alia, *patiens; benigna, non agens perperam, non irritabilis, non cogitans malum, non gaudens ſuper iniquitate; ſed congaudens veritati; omnia ſufferens, omnia credens, omnia ſperans*; conſequitur, eos omnes qui ſunt e contrario impatientes, malevoli, injuriam facientes ac famoſos hæreſium titulos immeritis impingentes, iræ & odiis dediti, optima in malam partem interpretantes, gaudentes quod iniquos aliquot prætextus inveniant quibus aliis nocere poſſint; moroſi & irati ſiquando oſtendatur ineſſe dictis aut ſcriptis nonnullis veritatem, a quibus eam vel abeſſe, vel abſentem credi optarent; non ſufferentes ſi quid boni a fratribus forte minus accurate, aut non obſervatis ſcrupuloſius omnibus circumſtantiis factum ſit, ſed id cum gravaminibus quotquot poſſunt, evulgantes; non credentes nec ſperantes omnia in bonum ſenſum & ad bonum ſcopum a proximis ſcripta, dicta, & facta eſſe; ſequitur inquam, eos omnes nullo modo habere Charitatem Chriſtianam; atque adeo non eſſe veros Chriſti diſcipulos ac Chriſtianos; ſed, ſi pertinaciter in his animi diſpoſitionibus permanſerint, coram Deo inque praxi ac re ipſa, pro VERE HÆRETICOS & *antichriſtis* reputari, qui jamjam principia inferni ac tenebroſæ ſocietatis Diaboli, uti & ejus mortiferarum qualitatum, in ſe contineant: ſiquidem, teſte Joanne; (*a*) *qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* &, *qui non diligit, manet in morte: omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem.* Appareat in cordibus noſtris JESUS CHRISTUS, Dei Filius, qui in nobis deſtruat opera Diaboli, impediatque ne Satanas animos noſtros, maxime verò Concionatorum (unde veræ dilectionis ac pacis fluenta in omnes deberent derivari,) veneno odii ſui Satanici ſic corrumpat, ut inde (quod abſit!) & diffametur ſanctificans Euangelii veritas, & omnis generis profluant iniqua ac turbulenta facta, quibus Euangelica & Chriſtiana Religio toti mundo cum Eccleſiaſtico ſtatu fiat fœtida ac abominanda, atque beſtiarum inſtinctui vel ab Ethnicis poſtponenda, quando cum Juliano & Ammiano Marcellino gentilibus, ex Eccleſiaſtarum odiis ac rixis obſervaturi ſunt & dicturi, *nullas infeſtas hominibus*

(*a*) 1 Joan. 2: 11. & cap. 3: 15.

Digitized by Google

beſtias, ut ſunt ſibi ferales plerique Chriſtiani. (Amm. Marcell. Hiſt. lib. 22. cap. 5.) quod Deus etiam Iſraëlitis olim exprobraverat, (a) *Nomen Dei per eos blaſphemari inter gentes*. Quin potius pax Domini in ſanctificante veritate ac Charitate ſit ſemper nobiſcum omnibus, adeoque & tecum perpetim, Cl. Domine. Vale in Chriſto. 1. April. 1693.

(a) Rom. 2: 24.

EPISTOLA II.

De Scripto cujuſdam D. Mag. J. V. contra eundem libellum.

DOMINE ET AMICE IN CHRISTO DILECTE,

POſtquam vidi tum ea quæ a D. Doctore contra libellum de Educatione Liberorum ſcripta ſunt, tum nonnulla quæ ei ſunt reſponſa, inciderunt in manus meas chartæ cujuſdam D. Magiſtri J. V. Archidiaconi & Concionatoris itidem H. in eundem libellum publicatæ, poſt quas veluti poſt *parvum aliquod lumen*, ſequi poſſet brevi eadem de materia opus aliquod *perfectius ac magis fundamentale clarique Solis inſtar fulgidum, ſcilicet eruditi cujuſdam Theologi* &c. ut in Præfatione promittit. Utrum de ejuſmodi adverſantibus magis mihi gaudendum ſit, an dolendum, dubius ſane hæreo. Gaudendum ſcio non una de cauſa: ob me, qui cum nil in libello conſcribendo intendi præter Dei gloriam animarumque ſalutem per veritates quas omnibus probis putavi minime controverſas nec oppoſitionem unquam paſſuras, dignus tamen habear propterea convitia & calumnias ſuſtinere; ob veritatem, quia, quo clamoſius ea vituperabitur, eo latius manifeſtabitur; quo turbulentius vellicabitur, eo ſplendebit lucidior; quo vehementius impugnabitur, eo probabitur ſolidior: ſic ut obſervare poterit quivis rectæ mentis, ſe, poſtquam per clamoſa, confuſa & iniqua ſcripta nonnihil veluti per Sophiſticas quaſdam inanes technas fuerit fatigatus & obnubilatus, ſi modo pro omni alexipharmaco, pro omni reſponſo & Apologetico, velit relegere a capite ad calcem egregias libelli de *Educatione Liberorum* veritates, ſentiet ſibi & lucidum, & certum, & tranquillum reddi judicium, nullo relicto illi dubio

quin

Digitized by Google

quin eæ veritates cum Euangelicis & divinis veritatibus, per quas nos oporteat ſervari, vere conſpirent: quod etiam in ſua præfatione agnoſcit D. Magiſter Archidiaconus, *libellum ipſum laudibus ac encomiis doctiſſimorum etiam virorum ita commendari, ut plures ſint, quibus perſuaderi non poſſit eum eſſe rejiciendum.* Ea certe eſt ſolidæ veritatis indoles quæ Solis & lucis. Si quis Sophiſta ſpinoſis ſuis ſophiſmatis vellet ſimplicioribus perſuadere Solem non eſſe lucidum, aut ſe lucem non videre; illi forte argumentis ejus Sophiſticis reſpondere verbis quidem eſſent impares, neque ex uſu lucis aptitudinem haberent argutis ejuſmodi Sophiſtarum garrulitatibus verba reponere: ſed tamen propterea minime dubitarent ſe Sole lucido, ſe luce vera affici: riderent ſolummodo mente tranquillâ, ac flocci facerent, locutulejorum caſſam iſtam & inanem verborum copiam; Ita etiam ii qui ſolidæ veritatis luce afficiuntur, quia per eam vivide in intimis ſuis, operante Deo, tanguntur, de eadem quoque minime dubitant ob aliquot Sophiſtarum inſulſas tricas, quas ridere ſolùm, non autem verbis diſſolvere, omnino ſufficit: quæque cum ad memoriam veritatis, per ſe lucidæ & tranquillantis, mentem revocent, ideo etiam aliquid habent utilitatis, ac materiam lætitiæ ſuppeditant.

Attamen non minor eſt ſe contriſtandi cauſa quando videmus eos quorum officium eſſet veritates, quæ a vanis ad Deum, a vita naturæ corrupta ad vitam Chriſti adducunt, laudare ac propagare; eas potius vituperare, impugnare, & e medio ſublatas velle; idque ut ceteri omnes efficiant, omni molimine anniti: quod ut peragant ſecurius, veritates pervertere ſolent tum ſenſibus falſis quos intrudunt, tum verbis perverſis, tum audaci eorum aſſeveratione quorum tamen contraria ex inſtrumentorum inſpectione facile deprehendas. Quibus modis cum veritati fructuoſæ non obſiſtant ſolum, ſed & renuncient charitati, dum ea quæ proximus ſuus in bonam partem & fecit & dixit, ipſi haud poſtulata ejus mente in malam partem trahunt; eum, cujus non ſunt judices, judicant ac damnant, & falſarum criminationum atque convitiorum infamia afficiunt; evidens eſt, ſe iram Dei in ſe concitare, immemores tremendi illius verbi: (*a*) *quo judicio judicaveritis, eodem judicabimini.* & hujus, (*b*) *maledici regnum Dei non poſſidebunt.*

(*a*) Matth. 7: 2.
(*b*) 1 Cor. 6: 10.

Doleo ex animo, ita facile ab hominibus Deum, proximum & conſcientiam propriam lædi, animamque ſuam pretioſam æterna vitâ privari, ac in prædam, proh dolor, Satanæ præparari. Deprecor Dominum, hoc malum ne ſerpat diutius, condonentur ipſis ſua male commiſſa, & aperiantur oculi, ut videant quo in periculo ſeſe conſtituant, & quid ſe facere deceat ut in viam & ſcopum omnium, amorem Dei ac proximi, tuti ſe recipiant. Hæc eſt omnis, quam de eis deſidero, vindicta, pro affectu minime benovolo quo me cum libro, hæretici titulo, hunc vero igne abolendum proclamant, quam maxime immeritò. quippe qui illis adeo nil mali unquam intuli, ut neſcire poſſim, quid animoſi ſui in me libellumque affectûs cauſa eſſe poſſit, niſi forte quod vel contineat liber veritates, quæ (cum ipſimet forſan in ſe deprehendant animi diſpoſitiones oppoſitas) ipſis reprehenſionis loco ſunt, adeoque odioſæ ſunt, ſiquidem hoc modo, *Veritas odium parit*; vel quod forſitan timeant, ne ſi infantes a teneris eo quem ſcripſi modo, educarentur, ii per praxin ſalubrium illarum veritatum, fierent iſtis doctoribus ſuis doctiores, prout olim David; (*a*) *ſuper omnes docentes me, intellexi, quia teſtimonia tua, meditatio mea: Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſivi*, vel, ſecundum Luther. & Hebr. *obſervavi.* quo pudore ipſi ſuffundi nolint; vel denique, quod libelli Editores & fautores ipſis cum ſint inviſi ac odioſi, eorum quoque facta & ſtudia, hoc eſt, libelli editio & exiſtimatio, odioſa ſint oporteat; qui miſer ſane animæ ſtatus eſt: nam (*b*) *qui non diligit* fratrem, *eſt in morte.*

(*a*) Pſal. 119: 99, 100.

(*b*) 1 Joan. 3.

Quas eorum animi conſtitutiones cum neutiquam poſſim immutare, palam eſt, quamdiu ipſi ad æquitatem ſe recipere ſunt recuſaturi, me reſpectu eorum fruſtra ſcripturum quicquid ad veritatis & ſenſus mei explicationem ac defenſionem conſcripſero: nam quemadmodum quicquid boni præbeas araneo, non tamen inde mel, ſed venena, pro ſua indole, compoſiturus eſt; ſic nil adeo bene dici poteſt, quod in ſenſum pravum a malevolis perverti non poſſit: ſunt enim ipſi veri percipiendi perpetim incapaces, ſiquidem (*c*) *qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc.* Et (*d*) *qui non diligit, non novit Deum.* Qui autem non novit Deum, primam veritatem, fontem & clavem ceterarum, veritates alias, utpote a Deo manantes, quî poſſet

(*c*) 1 Joan. 2: 9.

(*d*) Ibid. cap. 4: 8.

Digitized by Google

poſſet idem noſſe? Sic ut noſter Archidiaconus maxime fallatur, ratus *parvo ſuo* (ut ſcriptum ſuum appellat) *lumini* imaginario deberi aliquam reſponſionem. Nam quid cum eo ageres cujus principium eſt, ipſo fatente, pag. 17. *mihi non fieri injuriam quando mea verba non in meliorem partem interpretabitur*, hoc eſt, ipſi juſtum videri, dicta mea in malam partem interpretari, & aranei inſtar, venenum ex eis conficere? Ergo pro omni, qua dignus eſt, reſponſione, ſufficiat ei, me adverſus omnia quæ de meo libro retulit, & in me congeſſit, nude proteſtari tanquam adverſus dictorum meorum interpretationes non *malas* ſolum, ſed & *malignas*, hoc eſt, quas ille ſciens & ſtudio minus bonas attulerit. Similes ſi pluribus ſibi reſponderi velint, adeant ſi placet, quæ in lib. 1. de *Eruditione* a §. 36. ad finem libri, & in lib. III. a §. 77. ad 83. ſunt reperturi.

Forte tamen probi nonnulli quiddam hic deſiderarent ſpecialius. Et hos ad præcedentia ſatis quidem eſſet remittere: ſed cum Juriſconſulti dicant, *ſuperflua non nocere*, huic me nunc axiomati in eorum gratiam aliquantum accommodabo, & brevibus quædam de materia libri D. Magiſtri noſtri examinabo.

Obſervo primum, D. Magiſtro placere, libellum de *Educatione Liberorum* ad Methodum locorum communium Compendii ſui Theologici & Scholaſtici revocare, ut ex ejuſmodi comparatione concludat, ei haud pauca deeſſe. Scilicet deſcribere debuiſſem, quemadmodum nutriculæ, materculæ, & quivis è plebe, queis infantium cura aliqua incumbit, locos eis communes Compendii Scholaſtici cum pappis inſtillaſſent! Illumne ut ſe, ſic ceteros extra Locos communes nil ſapere poſſe, opinari? Locos autem eos, ad quos libellum eſt revocaturus, ſic ordine diſpoſuit. (1) De Scriptura, ratione, & lumine divino: (2) De Deo. (3) De SS. Trinitate. (4) De Chriſto. (5) De Juſtificatione. (6) De unione ſpirituali. (7) De Regeneratione. (8) De lege Dei. (9) De pœnitentia. (10) De Imitatione Chriſti. (11) De Oratione. (12) De Reſurrectione.

Quæ circa hæc annotavit, generatim huc poſſunt reduci omnia.

I. Multa producit ille, quæ nil ad rem faciunt, de qua quæritur.

 II. Non-

Digitized by Google

II. Nonnulla ſunt quæ inutiliter repetit ex Admonitione D. Doctoris, ut videre eſt pagg. 3. 7. 16. 38.

III. Alia, quæ a me male omiſſa eſſe prætendit. pagg. 1. 15. 18. 19. 20. 36.

IV. Quædam, quæ vel ambigue, vel obiter nimis dicit tacta, alia nimis communia, alia falſa aſſerit. pagg. 2. & 3.

V. Plurima quæ falſo vel mihi imputat, ſive (ut cum eo loquar) *in partem meliorem non interpretatur*, ſed in pejorem; aut quæ etiam vel aperte ab illo falſata ſunt; vel quæ ex ſe falſa ſunt aut abſurda: & talia occurrunt tam in præfat. tum in pagg. 1. 2. 4. 6. 9. 12. 23. 24. 27. 36. 41. &c.

VI. Quibus adde, eum etiam falſo dicere, libellum Symbolicis ſuis libris adverſum eſſe. Iſta omnia eo jam ordine perluſtrabimus.

I. *Ad rem nil* faciunt quæcunque is paſſim de virgine *Antonia Bourignonia* ex quodam Colbergio producit. De libello meo agendum eſt, deque ſenſu meo quatenus ibi exprimitur; non autem de aliis, deque Antonia ejuſve ſententiis, quas cum Colbergius ſuus procul dubio æque fideliter retulerit ac D. Magiſter retulit meas, juſta hinc omnibus ſuſpicio eſſe poſſit, ne virgo illa teneat contraria omnino eis quæ ipſi imputantur, doceatque veritates æque ſolidas & Chriſtianas atque eæ ſunt quæ in libello de Educatione Liberorum reperiuntur; id quod earum rerum curioſis, ex ipſis Virginis Scriptis, non autem ex aliquo Colbergio, diſpiciendum relinquo: nam, ut dixi, iſta extra quæſtionem de qua nunc, evagantur.

II. *Repetitiones* D. Magiſtri ex Admonitione D. Doctoris, de Scripturæ ac Verbi Dei efficacia, de libro Siracidis, de SS. Trinitate, de Orationis Dominicæ indifferentia, reſponſiones ſuas habent in Epiſtola præcedenti.

III. De querelis omiſſorum, 1. notandum eſt (ex Epiſt. Sect. VI. 11. præced.) libellum ipſum fateri pag. 76. *Supereſſe adhuc plura, quæ quotquot liberorum ſuorum educationi ſerio incumbent, inculcabunt vel ex ſe ipſis, vel e principiis poſitis poterunt deducere.* 2. Aliter non potuiſſe fieri in Epiſtola breviori, & quæ nil controverſi debuit continere. Iſtis ergo quæ libellus infantulis inculcanda ad alios remiſit, annumeretur & *Baptiſmus*, non tam omiſſus, quam aliis com-

Digitized by Google

commiſſus, aut etiam implicite, ſeu aliis verbis; bona ex parte expoſitus, quatenus eſt, teſte Petro, *ſtipulatio bonæ conſcientiæ cum Deo per reſurrectionem Chriſti*, 1 Petr. 3: 21. hoc eſt, promiſſio quod ſancte Deo obtemperabimus, & Spiritum Chriſti ſinemus reſurgere & vivere in nobis: ad quod totus tractatus dirigitur, eſtque nil aliud quam expoſitio promiſſionum a nobis in Baptiſmo factarum, etſi nomen Baptiſmi illic non adſit. Quin ut facto oſtendam quam docilis velim eſſe erga eos qui me benignius monere dignabuntur, ſpondeo, ſi meâ cura liber ſit iterum publicandus, illic infantes eſſe monendos, ſe in Baptiſmo gratiam Dei eſſe adeptos, quam peccatis amittere non debeant; promiſiſſeque abnegationem ſui, mundi, dæmonis, & obſequium Deo, juxta omnia quæ in libello exſtant, quæque ſine ſui Baptiſmi & Chriſtianiſmi ejuratione, non poſſint omittere.

Quod *Euchariſtiæ* mentionem conqueratur omiſſam, eam non tantum omiſi ut controverſias evitarem; ſed & quod hæc materia ad infantes nondum ſpectet. Quid, quod praxis libelli ſit pro omnibus optima ad S. Cœnam præparatio? addo, úti de Baptiſmo, ſic de ea in Libelli noviſſima Editione aliquid eſſe dicendum, (ut quidem ſupra factum eſt.)

Quod autem paſſim dicat D. Magiſter modo me omiſiſſe *fidem*; mox *meritum* Chriſti; jam *filiationem* ſeu *adoptionem*, & *pœnitentiam*, & forte quædam alia, ne nunc generalem annotationem repetam; ne dicam de merito Chriſti expreſſe aliquoties mentionem fieri, (pag. 50, 51, 83, 87.) item & de filiatione, (pag. 58, 59.) hallucinatio D. Magiſtri inde venit, quod circa hæc attenderit tantum ad nomina, non autem ad res ipſas: alioqui vidiſſet in toto libello res ipſas ſæpiſſime deſignari, etſi aliis nominibus, iis tamen quibus in Scriptura deſignantur. v. g. *Fides* in Scriptura denotatur ſæpiſſime per invocationem Nominis Dei, per deſiderium, famem, ſitim Dei, juſtitiæ, vivæ aquæ, &c. per lucem animæ, cordium, Dei, Spiritus S., dare ſuum cor Deo, & plura ejuſmodi. Ita *pœnitentia* nominatur, deſinere a malo & facere bonum; abnegare ſe ipſum, tollere crucem & ſequi Chriſtum; odiſſe ac mortificare ſe, propriam voluntatem, deſideria ac propenſiones ad carnem, ad mundum, ad ſuperbiam, &c. quæ omnia cum æquivaleant & eadem ſint in ſubſtantia quæ fides, & pœnitentia, clarum eſt, ea in unaquaque

Sect. III. 29, 30. & pag. 55, 56. Sect. IV. 8.

quaque fere libelli pagina apparere. Sic etiam eſt de *adoptione* & *filiatione* Dei: nam amare & timere Deum, eique obtemperando ab eo amari, idque in Chriſto, eadem omnino res eſt cum adoptione; & de ea ergo ſæpius in libello revera ſermo eſt quantum ad ſubſtantiam rei ipſius. Atque hæc & ſimilia agnoſcent facile omnes quorum cognitio ſolida eſt, inque rebus ipſis, non autem, pſitacorum inſtar, in litera ſolùm aut in ſono fundata, ac prorſus ſuperficiaria.

IV. Quæ *ambigua* eſſe dicit D. Mag. (pag. 2.) forte ex eo dicit, quod de ſuo advocet ambiguitatem, quærens in meis, (ut loquitur) *interpretationem quà non ſit optima. Obiter* ipſi multa tractata videntur (Obenhin und ſchlecht) quia forte non diſcutiuntur ad methodum Compendii ſui Scholaſtici, aut quod per locos Communes tribus aut quatuor voluminibus in folio non diffundantur. Mirum autem, quod (pag. 2. & 3.) inter fundamentalia Chriſtianiſmi non approbet a me ea recenſeri quæ nobis cum Judæis & ſanioribus Ethnicis ſunt *communia*, *Deum eſſe erga omnes beneficum*, *omnium Creatorem & conſervatorem*, *cui animo grato obtemperare*, *quem amare*, *quem laudare omnes debeamus.* Quis unquam, præter D. Magiſtrum, audeat mihi vitio vertere, me mentionem facere inter eſſentialia Chriſtianiſmi, eorum quæ tamen ſunt ſcopus & finis omnium, in tempore & in æternitate? Certe, libidine omnia *in partem non meliorem trahendi* nimis occœcari ſe patitur D. Magiſter.

Ut inter fundamentalia Chriſtianiſmi in libello contenta *falſis* annumeret *lucem divinam ac ſupranaturalem*, aſſüit ibidem, eam poni *ſine* & *ſupra*, vel *præter Scripturam à Deo hominibus dari*. Sed id in libello non exſtat: addidit de ſuo, ūt poſſet, pro æquitate ſua, non in meliorem partem trahere quæ libellus continet.

V. Jam ad *falſo imputatorum* & falſatorum claſſem pergamus, & ad ea quæ vel falſa in ſe ſunt, vel etiam abſurde adducuntur: ubi quidem, ob copiam, nos ordini ſuo Scholaſtico accommodare lubet.

De Scriptura S., Verbo Dei, ejus efficacia, Enthuſiaſmo &c.

(1.) De *Scriptura*, *verbo Dei*, ejus *efficacia*, *Enthuſiaſmo*, *luce ſupranaturali*, luce *rationis*, multa undique coacervat, ut additis de ſuo quæ placet, interpretationes erroneas pro ſua favorabili propenſione inde eliciat. Ea, etſi in præcedenti epiſtola

ſatis

ſatis ſint explicata, hic tamen adhuc diſtinctius paucis ſubjiciam.

In Scriptura duo ſunt conſideranda, 1. litera, ſeu ſonus, 2. ſenſus.

Litera, ſeu ſonus, quia tenetur etiam ab impiis, a Diabolis, ab hæreticis quibuſvis, patet quod per ſe & ſola non ſit lux & cibus animæ, quemadmodum oratio de luce aut cibo corporis, non eſt ipſa lux aut eſca corporis; corpuſque ſolum, ſine anima, non eſt homo, ſed cadaver.

Senſus autem eſt duplex, aut triplex. 1. Eſt ſenſus qui ab humana ratione corrupta, ejuſque actibus & ſtudiis corruptis, deducitur. Ac hîc quoque evidens eſt, literam ſeu ſonum, cum hoc humano ſenſu, non eſſe vivam & ſalutarem cognitionem rerum divinarum. 2. Eſt ſenſus qui ab operatione & gratia Spiritus Dei literæ ſeu ſono in anima jungitur. Et hic quidem ſenſus, eſt vera & ſalutaris cognitio Scripturæ ac verbi Dei; eſt lux & cibus animæ, eſt efficacia, veritas, ſubſtantia, animaque verbi Dei, & ſeparatur evidentiſſime a litera in dæmonibus, in hæreticis, in impiis, profanis & mundanis hominibus ac Concionatoribus, qui culpâ ſuâ ſolam literam mortuam admittunt & habent, quoniam per impietatem ſuam & ſuperbam de Ratione ſua corrupta confidentiam reſiſtunt operationibus Spiritus Sancti, quem debuiſſent pro intelligentia Scripturæ in animi & vitæ puritate, humilitate, charitate & pietate invocare. Et hæc ſunt quæ hac de re libellus paſſim, quantum ad ſubſtantiam proponit. (3. De tertio quodam ſenſu hîc non agam; quia cum ſit utriuſque horum commixtio, quid de eo ſit ſtatuendum, cuivis ex principiis hiſce deducendum relinquo.)

Atque has immenſum neceſſarias veritates poſſem mille Scripturæ, Patrumque Sanctiorum auctoritatibus comprobare: ſed ſolum hîc ſufficiat audire Lutherum. Sic ille in Epiſt. 3. ad Georg. Spalatinum. *Cum poſtulas dirigi in iis quæ pertinent ad perſcendas ſacras literas, longe ultra meas vires exigis negotium: quippe cum nec ipſe mihi ducem tantæ rei uſpiam invenire velim præter* SPIRITUM S. . . . . *Primum id certiſſimum eſt, Sacras literas* NON POSSE VEL STUDIO VEL INGENIO *penetrari. Ideo primum officium eſt, ut ab* ORATIONE *incipias, tali videlicet, quæ ores, ſi Domino placuerit per te aliquid fieri in gloriam ſuam, non in*

tuam, non in ullius hominis, tibi CONCEDAT *miſericordiſſime verum ſuorum verborum intellectum.* NULLUS *enim eſt divinorum verborum magiſter præter ipſum verbi ſui* AUCTOREM: *ſicut dicit: erunt omnes docibiles Dei,* θεοδίδακτοι. *Igitur de tuo* STUDIO DESPERES *oportet omnino, ſimul &* INGENIO; DEO *autem* SOLI *confidas, &* INFLUXUI SPIRITUS. *Experto iſta crede.* Plura alia omitto brevitatis cauſa.

Huic duo extrema opponuntur, 1. eorum qui adhærent literæ ſine Spiritu. 2. eorum qui Spiritum jactant rejecta litera.

Primi ſunt plerumque tum Pelagiani, qui corruptionem naturæ noſtræ negantes, aſſerunt, nos è Scripturæ litera & Ratione humana ſalutarem veritatis notitiam ſine interna illuminatione Spiritus Dei, per ſe in anima operantis, acquirere poſſe; tum impii literati doctique, qui Spiritu & lumine interno deſtituti, ac tantùm litera ſola turgidi, nil crepant niſi literam & vocalem ſonum, abſurdeque literam contendunt eſſe omnia, eſſe & ſemen vivum, & lumen ipſum, & ab operationibus ſalutaribus inſeparabilem, quamvis ipſi cum litera nil faciant niſi ſuperbire, acquirere temporalia commoda, ſerere rixas, errores ac tenebras; adulari mundanis, in probos invehi, verbo, ſpumam quaquaverſum jactare, ut bene inquit Lutherus his verbis, in Pſalm. 11. *Sicut ac ſpuma argenti ſplendet, & ſe in fraudulenta ſpecie adſpici ſinit quaſi argentum ipſum referret: Ita quoque ſe res habet cum illis qui Sacram Scripturam abſque vero & genuino intellectu Spiritus tractant: ibi certe* NON VERBUM DEI, *ſed ſaltem* HUMANUM VERBUM *eſt; ſicuti nec quid, niſi ſpumam & ſordes ſuas, docent. Ideoque nec per id poteſt quicquam purgari, probari, aut meliorari; de quo Iſa. 1. argentum tuum in ſpumam evaſit.* Imo ſimiles a litera occiduntur, juxta Epiphanii dictum: *Litera occidit imprudenter ad literam accedentem, & non habentem ſpiritum interpretantem, qui literam aperit.* Epiph. in libro anchorato. Auguſtinus autem eos veritatis incapaces pronunciat his verbis, quæ videntur totius libelli mei epitomen ob oculos ponere: *Errat quiſquis putat veritatem cognoſcere ſe poſſe cum adhuc nequiter vivat. Nequitia eſt autem mundum iſtum diligere, & ea quæ naſcuntur & tranſeunt pro magno habere, eaque concupiſcere, & pro his laborare ut acquirantur, & lætari cum abundaverint, & timere ne pereant. Talis vita non poteſt illam ſinceram & incommutabilem videre veritatem, &* in-

Digitized by Google

inhærere illi. Aug. de agone Chriſtiano. Solam igitur literam, qua ſe & alios decipiant, poſſident iſtiuſmodi tenebricoſi literaliſtæ.

Alterum extremum, eorum eſt, qui jactant ſe Spiritum habere, ejuſque inſpirationes & lumen; & tamen rejiciunt ac contemnunt literam, imo contra eam multa proferunt, ex inſtinctu Diaboli. Et hic eſt *Enthuſiaſmus* ille periculoſus, de quo Lutherus ait in loco quem D. Magiſter præfationi ſuæ inſeruit, *non eſſe ab antiquo Dracone, & cauſam omnium hæreſium* &c.

Hic ergo habemus tres varios ſtatus qui nequaquam ſunt confundendi; duo in extremis ſunt, & unus medius. Alter jactat literam & contemnit Spiritum: alter jactat Spiritum & contemnit literam: medius autem admittit literam cum Spiritu.

Atque apprime hîc notandum eſt, illis qui ſunt in extremis odioſos eſſe eos qui ſunt in medio, quibus illi per convicium ſemper exprobrant alterum extremorum. Sic Enthuſiaſtæ ſolent iis qui ſunt in medio, & qui cum Spiritu literam adhibent & æſtimant, exprobrare quod ſint literaliſtæ: & e contrario, literaliſtæ meri ac craſſi ſolent iiſdem Spiritûs Dei ac lucis internæ cum litera poſſeſſoribus & æſtimatoribus, exprobrare quod ſint Enthuſiaſtæ, ſatius ducentes, eos hominum contemtui ſic exponere, quam iis agnitis & approbatis, ſemet ipſos, ut pote Spiritu ac lumine divino deſtitutos, ad Spiritualia & divina haud adeo aptos agnoſcere, & ita forte coram aliis vileſcere.

Et hinc eſt quod inſurgat D. Magiſter tum adverſus libelli fautores, tum contra libellum ipſum de Educatione Liberorum. Vidit ex quam plurimis ejus locis Scripturam S. illic commendari, laudari, & in probationem eorum quæ proponuntur adduci: at quia ibidem additur, debere cum Scriptura adeſſe lumen Spiritus S. a Deo humiliter poſtulandi (& hic eſt medius ille ſtatus, extremis odioſus) ea propter ille libellum, de Enthuſiaſmo accuſare paſſim non veretur. Quod tamen ut faciat cum aliquo colore, per quem eis rebus, quas impugnat, ſpeciem malam ſuperinducat, ipſe initio præfationis ſuæ fraudulentam aliquam Enthuſiaſmi profert deſcriptionem, quæ ſtatui medio, de quo dixi, videatur convenire, & tamen revera non convenit. Dicit D. Magiſter, *ſubtilem quendam dari Enthu-*

Digitized by Google

thuſiaſmum, ubi quidem INITIO *Scriptura S. tanquam Dei verbum obtenditur, deque Bibliis ac Bibliorum lectione magna res agitur: ſed* POSTMODUM *homines ad internam lucem atque inſpirationem Dei deduci.* Fraus eſt in verbis INITIO, & POSTMODUM. Inſinuare vult D. Magiſter, primo quidem de Scriptura ſolùm, ſine lumine interno ac divino, fieri mentionem: deinde verò lumen internum ſolùm, ſine, imo rejecta Scriptura, proponi ab iis, contra quos acturus eſt. Addit, ut pluribus rem deſcribat; *in hoc* Enthuſiaſmo *proponi Deum qui ſine verbo externo ac Sacramentis per ſe ipſum immediate operetur in anima hominis, quo ea illuminetur ac ſanctificetur.* Atqui Deum operari in anima immediate & per ſe ipſum, etiamſi verbum externum actu ceſſaverit nec aures amplius circumſonet, nec Scripturá tunc actu legatur, ſitque homo extra actualem Sacramentorum uſum, nemo niſi merus Pelagianus ac literaliſta pinguis eſt negaturus; cum & libri Lutheri, & tertius plane totus J. Arndii de Vero Chriſtianiſmo, de hac interna, immediata, & ab actu literæ, vocis, & mediorum externorum diſtincta operatione Dei, loquantur clariſſime. Lutherus (de ſervo arbit. circa finem,) expreſſe diſtinguit *tractum Dei internum à tractu externo verbi*: hunc impiis concedens, illum ſolum iis *quibus Pater donat Spiritum ſuum*, & quibus *interne monſtrat Chriſtum per operationem Spiritus S.* Ut autem D. Magiſter ſub ſuis ipſius verbis latere poſſit & accuſare, per ea inſinuare vult, excludi ac contemni media externa ab iis, quos falſo Enthuſiaſmi inſimulaturus eſt. Hinc ait, (pag. 4. 9. &c.) commendari in libello *Dei operationem, & lumen* SINE & PRÆTER *Scripturam, &* EXCLUSIVE *ad verbum auditum*: id quod minime verum eſt. Vocula autem exclu-
Sect. I. 8. ſiva *ſolum*, vel *unum* (quæ ſemel eſt in libelli pag. 6. *ab uno Deo* &c.) non excludit verbum externum tanquam *inſtrumentum interveniens*; ſed excludit id, & omne aliud, tanquam *cauſam phyſicam* & PER SE *efficientem ac propriam* illuminationis ſalutaris, quæ ſane ſolus Deus eſt, quanquam inſtrumento externi verbi ordinarie junctus in bene diſpoſitis animabus.

Dico autem *ordinarie*: nam alioqui præter communem ordinem ſolet Deus interdum ſine externo verbo lumen & operationes ſalutares cum haud paucis communicare, cum illis v. g. Chriſtianis qui per locorum abſentiam, per morbos, per capti-

vita-

Digitized by Google

vitatem, per externam cœcitatem aut ſurditatem & alia, impediuntur; aut etiam ſanctioribus ac purioribus quibuſdam animabus, quando Deo viſum eſt. Sed notandum, cum iis nunquam ita communicari quicquam, quod contrarium ſit Scripturarum veritatibus: ac præterea, omnium rerum, quocunque modo revelandarum, fundamentalem ſubſtantiam in Scriptura deſignari quidem; at earumdem in omnes partes, circumſtantias & concluſiones deductionem & explicationem ſingulariorem, illic non exſtare explicito modo, neque (ut loquuntur in ſcholis) formaliter; ſed a lumine Dei mentibus Deo gratis aperiri & diduci. (Joh. 14: 21. & cap. 16: 12, 13. Epheſ. 1: 17. Epiſt. 1. Joh. 2: 20, 27.)

Huic materiæ diutius inſtiti, quòd ea bene percepta, machinæ præcipuæ D. Magiſtri, quas e nebulis Enthuſiaſticis ut pluimum conflavit, facile diſſolvantur.

Nunc ad ſingulariora.

Dixeram (pag. 47.) *omnes cognitiones quas infantes per imaginationem ſint acquiſituri, tantum eſſe craſſas quaſdam & obſcuras picturas rerum divinarum, quarum ne milleſimam quidem vel minimam partem, prouti res eſt, ipſi norunt.* Hæc de infantium imaginatione, & de cognitione craſſa per eam, cum dicerem, opinabar fore neminem qui his non aſſentiretur, quique non potius diceret cum Auguſtino, imaginationem quantum ad divina removente Epiſt. 222. *Quicquid tibi cum iſta cogitas, corporeæ ſimilitudinis occurrerit, abige, abnue, nega, reſpue, abjice, fuge.* At dicta mea, pro ſua in interpretando æquitate, fingit D. Magiſter (pag. 6.) dicta eſſe de omni cognitione, intellectuali quoque, quam quivis homo ex Scriptura, etiam bene intellecta, acquirere poſſet: tum loca infideliter profert & miſcet, ut inde blaſphemiam, quæ tantum ex ejus in pervertendo audacia ſequitur, poſſit mihi affricare. Sect. III. 24.

Poſſem hîc forte oſtendere, quî nulla etiam cognitio humana, ut ut excellens & intellectualis, hac quidem in vita, poſſit res ullas divinas cognoſcere *prout ſunt*, h. e. adæquatè, & ita ut non ſit plus in re ipſa quam in conceptu noſtro: ſed neque id hujus eſt loci, neque ipſum forte concipi poſſet *prout eſt* a D. Magiſtro *non optimas interpretationes* quærente, ac ſibi imaginante, idem eſſe, *rem non concipere prout eſt*, ac *rem falſo concipere*;

cum tamen id ſit tantum, *rem non adæquate concipere*. Sed abſtineo.

Sect. III. 18. Simili modo, falſò mihi imputat (pag. 8.) *Lumen Rationis ac naturæ prorſus a me rejici*: Cum e contrario ejus uſum rectum pag. 40., & ſeqq. clariſſime oſtenderim. Deinde, quæ de corrupta Rationis activitate dixi, fingit ille a me dicta eſſe de impreſſionibus quas paſſive recipit intellectus a Deo, & juxta quas regitur, de quibus Paulus Rom. 1: 19, 20.

Pag. 9. abſurde diſtinguit *lumen divinum* a *lumine Scripturæ*, quaſi duo lumina eſſent. Scriptura externa non eſt proprie lumen, ſed eſt teſtimonium & admonitio de lumine, à Deo intus poſtulando; ſine quo divino lumine, abſurdum eſt ſtatuere lumen in Litera Scripturæ, & loqui de *lumine Scripturæ externæ*; ſiquidem hæc ſola, ſine interno lumine & Spiritu, ſit (ut in impiis apparet & mundanis, cœco modo & fruſtra eam crepantibus) tenebræ & corpus ſine vita, vel, ut cum Luthero dicam, *ſpuma, non verbum Dei*, in illorum ore: quemadmodum & ſanctiſſimæ preces pronunciatæ ſine ſenſu & animo precum, non ſunt preces; ſed potius irriſiones Dei. Cetera hic male relata & aſtricta, jam ſupra indicavi.

(2.) De Deo, & quidem de ejus *juſtitia*, pag. 13. miror qui non capiat D. Magiſt. *juſtum* eſſe coram Deo ut boni puniantur, vel, ſi mavult, caſtigentur, & peccati amaros fructus deguſtent: quemadmodum juſtum quoque eſt ut Deus, qui, non ex merito (ut prave mea intelligit) ſed ex bonitate promiſit ſe compenſaturum omne bonum, ex juſtitia promiſſum teneat, compenſetque etiam id quod infideles aut impii facere interdum potuerunt auxilio Dei, nemini, quamdiu vivitur, ſe prorſus ſubducentis. De *miſericordia* ait, (pag. 15.) omiſſam eſſe illic *fidei in Chriſtum* mentionem. Similes multas prætermiſſiones in infinitis Scripturæ locis inveniet procul dubio ſi velit D. Magiſter. In hoc vero loco *Fides* per vocem *invocare* notata eſt: & cum nondum, ex ordine eſſet occaſio de Chriſto hic explicite loquendi, id in locum ſuum (pag. 50, 51.) remiſſum eſt.

Sect. III. 28. &c. (3.) Illis, quæ circa SS. TRINITATEM male imputat D. Magiſt. pag. 16. ſatisfactum eſt abunde in Epiſtola præcedente.

(4.) De CHRISTO, fatetur D. Magiſter me *videri Orthodoxum*,

durum, (pag. 16.) & nihilominus tamen vult me, paulo poſt, habere ſuſpectum; atque ibi aperit egregium ſuum mea interpretandi principium, *non fieri mihi injuriam dum quiſque mea verba non interpretabitur in partem meliorem.* Querelæ, quæ illic fit, de prætermiſſione, jam reſponſum eſt.

(5.) De *Juſtificatione* (pag. 18.) querelæ ſunt de omiſſis, quibus reſponſum eſt ſupra.

(6.) De *Unione Spirituali* cum Deo, (pag. 19.) præter ejuſmodi querelas aliquot abſurdas, falſaque imputata, ac ſi contemnerentur media externa Sacramentorum & verbi; non approbat, (pag. 20.) animæ *deſiderium*, *cor*, *bonam voluntatem*; item & humilitatem, dici *portam gratiæ*, & *principium vitæ ſpiritualis*. Atqui tria prima in Scripturis æquivalent ſæpius *veræ fidei*; & humilitas vera indivulſo modo eſt connexa, vel etiam (materialiter ſaltem, ut loquuntur) eadem eſt cum *vera fide*, quam non negat eſſe *portam gratiæ*, quod & de precibus, quæ cum *deſiderio* coincidunt, nemo negaturus eſt. Neque hîc ad rem facit quod opponit D. Mag. *Baptiſmum eſſe primam portam gratiæ.* Non capit D. Mag. quid intelligatur per *portam gratiæ*: non ſic deſignatur *oblatio* gratiæ ex parte Dei, ſed gratiæ *admiſſio* ex parte creaturæ: quæ admiſſio etiam in Baptiſmo ipſo fit per deſiderium ac fidem, cujus vel ſemen eſt in infante, vel actus in parentibus ac ſuſceptoribus, qui cupiunt gratiam Baptiſmalem pro infante, & teſtantur pro eo ſe cupere Deo obedire, ac deſiderare Chriſto vivere: tametſi hic loci non agitur de præveniente & prima gratia baptiſmali, quam omnes fere ilico amittunt peccando: ſed de gratia ſubſequente & recuperanda, deque virtutibus acquirendis e gratia Dei per bonum facultatum noſtrarum uſum ac exercitium. Quod autem opponat *deſideria, humilitatem, & ca... eſſe media gratiæ acquirendæ*, itemque ea, & *amorem*, eſſe *ſigna unionis*, & præcedi ab unione; &c. non eſt meum pluribus oſtendere quam ſint periculoſa, noxia, & falſa.

(7.) De *Regeneratione*, p. 24. movet quæſtionem circa praxin eorum, quæ lex jubet, & quæ dixi cum Scriptura, fieri *per Spiritum Chriſti* in juſtificatis. Sufficit me cum Scriptura veritatem dixiſſe, nec libuit quæſtionem in libello ulterius extendere. Hic autem libet circa legis adimpletionem, verba Lutheri adſcribere: ſic ille: *Fides eſt vivida Spiritaliſque flamma qua corda*

per

Vid. Luth. Tom. II. Germ. pag. 35. Item Tom. I. Lat. p. 293. 307. 409.

per Spiritum S. inflammantur, regenerantur, & penitùs convertuntur, ita ut nil aliud deſiderent, velint, expetant, faciant, ſeu aliquid aliud ſint, quam quod Moſes verbis poſcit & præcipit ſuis, unde talis impletio legis facit bona opera; ac juſtus ita factus facit juſta. Item: *facere legem & implere legem, eſt credere in Chriſtum.* Et: *Ita hominem ſupra carnem & ſanguinem evehi oportet, & pluſquam hominem fieri, ſi juſtus coram Deo eſſe cupiat.* Confer, quæſo, cum hiſce Irenæum de Hæreſ. lib. IV. cap. 26. & 27. Cui addas velim S. Macarium, qui ubi dixit initio homiliæ 18. *Quicunque reperit ac poſſidet apud ſe cœleſtem theſaurum Spiritus, ille* OMNEM JUSTITIAM PRÆCEPTORUM, *ac* OMNEM OPERATIONEM *virtutum abſque* OMNI REPREHENSIONE *& macula* EJUS OPE *peragit; & quidem nullo negotio nec vi ulla:* id pluries & repetit & comprobat in tota illa ac ſequenti homilia: nec non & in aliquot aliis, quæ quidem longioris eſſet operæ hic recenſere. Hoc Apoſtolo eſt, *induere novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Eph. 4: verſ. 24.

Pag. 27. conqueritur deinde D. Magiſter, *virtutes & acquieſcentiam* (in Deo) *nimis a me magni fieri*, quod dixerim, aſſuefaciendo infantes ut illas petant a Domino, plantari ita in animis eorum *ſemen vitæ æternæ:* hoc dixi, quia aſſuefactionem ad preces concomitatur gratia Dei, quæ eſt ſemen vitæ æternæ. Acquieſcentia in Deo, eſt ipſa fides in ſummo gradu. Sed ſit id etiam de ipſis virtutibus dictum, quid tum poſtea? *An ergo* (petit D. Mag.) *vita æterna fructus eſt virtutum?* Quidni, ſano ſenſu! *At arbitrabar* (inquit ille) *eam eſſe donum Dei in Chriſto.* Et ego quoque id arbitror: ac inſuper arbitror, & virtutes ipſas eſſe donum Dei in Chriſto, effectuſque ac operationes gratiæ; ita ut Deus petentibus donet gratiam, & per gratiam virtutes, & per virtutes vitam æternam. Hoc appellet jam, *papiſticum*, ſi lubuerit. Sufficit mihi quod ſit verum.

(8.) *De lege & mandatis* Dei. Primo carpit (pag. 28.) modum ea numerandi. Magna hæreſis! Deinde, ubi dictum libelli pag. 66. *Deum, ad quem opes pertineant omnes, velle ut poſtquam inde nobis de neceſſariis providerimus, cetera ad pauperes ac gloriam divinam impendantur;* improbavit, ac (quod olim Phariſæi avari in Chriſto ſimilia docente deridebant, Luc. 16: 14.) irriſit,

Sect. IV. 16.

Digitized by Google

ſit, addiditque, Colbergiana fide fretus, quæ nihil ad rem libelli noſtri faciunt, pergit (pag. 31); & quæ de judiciis privatis ac temerariis dixeram infantibus eſſe inculcanda, uti ea reprehendat, de Magiſtratibus & publicis perſonis contra mentem meam abſurde interpretatur. His jungit (pag. 32.) exilia quædam ſophiſmata contra meum de præcepto ultimo ſenſum, ſenſui Pauli (Hebr. 13: 5.) conformem, ubi non advertit, inter *ea quæ habemus* contineri induſtriam labore ſuo neceſſaria acquirendi. Ipſe autem mavult infantes doceantur, plura ab ipſis poſſe concupiſci quam habeant, deſideranda eſſe etiam, tum Ehren-pfenning / tum Noth- und Spahr-pfenning / idque conditionibus contradictoriis, hoc eſt, *modo Deus velit* id, quod tamen non vult. Matth. 6: 20, 21. Hebr. 13: 5. Tum demonſtrat eleganter, quomodo Eccleſiæ alicujus Patrono Concionatorem pro loco vacuo quærenti, Miniſterii Candidatus per concupiſcentiam legitimam ſenſu accommodato dicere poſſit, Sihe! hie bin ich: ſende mich. Optime! nec minus prudenter & œconomice, quam ad rem noſtram.

(9.) De *pœnitentia.* (pag. 36.) eam prorſus omiſſam conqueritur: & tamen ipſemet ibidem notat paginas libelli 5. 21. 76. ubi de ea fit mentio. At quæ illic extant (ſunt autem, invocatio miſericordiæ Dei pro remiſſione peccatorum, cum amore Dei & ceſſatione a peccato juncta; item, in agnitione propriæ indignitatis ardenter poſtulare remiſſionem peccatorum, & gratiam ea in futurum non committendi, &c.) hæc dicit D. Magiſter, *non eſſe pœnitentiam ipſam, ſed fructus ejus*, hoc eſt, veram pœnitentiam non requirere pro natura ac eſſentia & conſtitutione ſua invocationem illam divinæ miſericordiæ, Dei amorem, ceſſationem a peccato, agnitionem indignitatis, ardentem petitionem remiſſionis peccatorum &c. eam poſſe acquiri, & primùm eſſe ex natura ſua ſine his, hæc vero poſtmodum ſequi. Quæ quidem abſurda an non ad animarum damnum magis conferant quam quicquid hæreſeos perperam libello imputatum eſt, cuivis oculato judicandum relinquo. Sect. I. 4. II. 17. VI. 4.

(10.) In *Imitatione* CHRISTI, infantibus ex cruce ejus quoad vixit, continua, maxime inculcanda; reprehendit D. Magiſter (pag. 36, 37.) male omiſſum eſſe, *Chriſtum nuptiis interfuiſſe, bonum vinum bibiſſe, laute aliquoties in conviviis exceptum fuiſſe,*

 quin

Digitized by Google

quin & *pedes ungi pretioſo unguento* paſſum eſſe; ut ſciant *credentes, ſe ſimilibus delectationibus frui poſſe*, ſeque *maximum jus habere*, quo *omni utantur abundantia*. Nempe ſic opportune admodum ac provide temperandus eſt a teneris indomitus ille & indies ingraveſcens inter Euangelicos alioſque Chriſtianos ſeſe mortificandi ardor; ne forte omnes inde in lethalem abſtinentiam ruant, & ſic tota gens miſere tandem intercidat.

Porro, an D. Magiſter hic de *bono vino bibendo* deque *lautis conviviis* non obliviſcendis loquatur ex cordis abundantia, aut propenſione, an ex opponendi libidine tantum, abſit ut determinem. Hoc ſaltem ſcio, hominibus ægris a prudente Medico non commendari ut ſanos imitentur in largiter comedendo omnis generis cibos, quos quidem hi in ſuam perniciem ilico corrumperent, illi vero laboribus magnis deſudandis digerunt ac impendunt ſano ſtomacho. Sic nec a prudente Concionatore ac inſtitutore commendandum eſſe hominibus corruptis ac ægris imitari quæ Chriſtus ſanctiſſimus non niſi ex ſano ac ſancto principio, ſine adhæſione cordis, ſine delectatione propria in illis, ex ſolo ſcopo naturæ ſuæ laboribus ſanctis fractæ ac defatigatæ ſuccurrendi, ac etiam homines in voluptatibus volutantes inde ereptum eundi, ad Deumque adducendi, interdum peragebat: quæque ipſi mortales ægerrimi non niſi ex principio amoris proprii ac corrupti, & cum adhæſione cordis, ac animi in his delectatione & peccato admittere, & in ſui perniciem corrumpere poſſent, quando quidem nec ſibi ſunt abnegati, nec dum corruptioni naturæ ſuæ cum Chriſto mortui: id quod prius & unice ex Chriſti cruce iis eſt a teneris inculcandum: cetera vero, ad quæ natura corrupta ex ſe pronior eſt, nedum iis commendare ſit opus, omni molimine eſſe potius reprimenda, ac exceptis neceſſariis diſſuadenda, niſi animarum interitum libeat iis procurare. Hanc adeo ſanam Euangelii doctrinam, miror ſane qui Concionatori Euangelico reprehendenda videri poſſit.

(11.) De *Oratione*, & quidem *Dominica*, præter repetitionem inutilem falſæ inſimulationis, contendit, (pag. 40.) ejus materiam non ad ſex, ſed ad ſeptem petitiones, idque contra Calviniſtas, eſſe referendam. Hoc ſcilicet eſt libros de hæreſibus & de oppoſitione ad libros Symbolicos convincere! Addit, *fanaticorum* eſſe, petitionem quartam *de ſpirituali cibo* interpretari, quæ de

de *corporeo* SOLUM ſit intelligenda. Certe & (*a*) Cyprianus, & Auguſtinus non de cibo corporeo *ſolum*; ſed & de ſpirituali & Euchariſtico intellexerunt: Et Eraſmus, qui profecto *fanaticus* non fuit, ſic in Paraphraſi ſuper Matth. 6. interpretatur: *Ale, Pater, quod genuiſti: proſpice ne nos deficiat panis ille tuus doctrinæ cœleſtis, ut eo quotidie ſumto; confirmemur & adoleſcamus, vegetique reddamur ad tua juſſa perficienda*: & ſuper Luc. cap. 11. *Ut te quotidie nobis largiente* CŒLESTEM ALIMONIAM GRATIÆ *tuæ, ſemper proficiamus in melius, donec perveniamus ad perfectionem Euangelicæ pietatis*. Quæ vero hæc eſt uſtulatione libelli vindicanda hæreſis, quod mentem illius qui dixit, *Operemini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam* (Joh. 6.) applicuerim ſuæ Orationi, ſecutuſque ſim pium Ephræmi monitum: *Quandocunque corpus eſurit & nutrimentum appetit, cogita & animam tuam ſuo nunc cibo neceſſario refocillari velle?* Ephr. ſerm. de Compunct.)

(*a*) Cyp. de Orat. Aug. Ep. 121.

(12.) Tandem ut favorabiles interpretationes ſuas concludat D. Magiſter, ipſi lubet de *Reſurrectionis* negatione me pro cumulo accuſare, (pag. 41.) idque ex eo quod dixerim, (p. 57.) *nos in terra debere putrefieri; omnia eſſe peritura & vana, & quæ igne ſint delenda: non gaudendum eſſe quod hominibus placeamus, ab iis exiſtimemur ac laudemur, neque de eleganti, ſeu bene diſpoſito corpore &c. quod omnia hæc æternum ſint peritura*. Atque ut orbi notum faciat ſe puerilia ſophiſmata adhuc in forma Scholaſtica poſſe proponere, duos tornat Syllogiſmos, ut tandem concludat; *Ergo, ſecundum mentem Aucthoris, corpus bene diſpoſitum, nunquam reſurget*. Teſtificor coram Deo & hominibus mentem meam eſſe omnino contrariam: & miror D. Mag. tam inania ſophiſmata, vel a pueris ſub nomine *fallaciæ à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter* exſibilanda, audere coram publico jactitare, atque diſtinctionis oblitum eſſe quam hac in materia, & ex occaſione loci Pſal. 102: 27. tironibus Theologiæ ſuggerere ſolent, diſtinguendam eſſe *annihilationem quoad ſtatum* & qualitates, ab *annihilatione* ſimplici & *quoad ſubſtantiam*: hancque negari, illam concedi: quæ diſtinctio applicata ad propoſitiones majores ſyllogiſmorum D. Magiſtri, utraſque efficit falſas. Equidem multa illic addit etiam alia; ſed quæ omnia ad materiam in libello contentam nihil pertineant: tum urget pro accuſationis cauſa voces *reſurrectionis* HUJUS *carnis*, eſtque præ-

Sect. IV. 3.

Digitized by Google

ſidium ſuum in vocula HUJUS, eo quod nonnulli quædam ab ipſo diverſa, non de reſurrectione ipſa corporis, ſed de modis ejus ſingularioribus circa hanc carnem opinentur. Atqui Paulus ipſemet dixit, ſine formidine inſtantiæ *hujus* D. Magiſtri, & ſine metu ſuorum ſyllogiſmorum, *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt?* (1 Corinth. 15: 50.) Quis neſcit, eodem teſte (cap. 6. v. 13.) partes quaſdam abolendas eſſe? tum quid de iis quibus partes fuerunt ſuperfluæ, & de aliis quibus deficiebant, ne dicam de anthropophagis? Ergo in hac carne, ſeu in hoc corpore, ſunt quædam quæ non reſtituentur nec reſurgent, quædam quæ reſurgent, quædam vere ei inſuper addentur. Jam de modis ſingularioribus quibus hæc ſint eventura, opinionum diverſitas, problematica eſt; nec hæreſéos materia, niſi iis qui omni charitati renuntiarunt.

VI. Reſtat ut videamus, ſitne libellus *libris* Eccleſiæ Lutheranæ *Symbolicis* (ut in titulo, totoque ſuo ſcripto jactat) oppoſitus. Non jam dicam me illis libris minime obſtrictum eſſe: Verùm, quia nullo modo in mente habui uti illis me opponerem, non opinor quoque me adverſus illos quicquam in libello de Educatione liberorum propoſuiſſe: idque patebit ſi ea inſpiciamus loca, in quibus D. Magiſter me illis oppoſitum aſſerit. Sunt autem loca omnia, ni fallor, in ejus libri paginis 5. 12. 15. 16. 22-23. 25. 27. 28. 40. 41. 42.

Locis pag. 5. 15. 16. 27. 42. de interventu verbi; de remiſſione peccatorum per fidem in Chriſtum; de SS. Trinitate; de ſalute per fidem, ex gratia; de Reſurrectione carnis, prorſus conſentio; nec potuit a D. Magiſtro mea mens dici illis oppoſita, niſi eam pervertendo.

Locus itidem pag. 12. de Enthuſiaſmo, quia D. Mag. mihi imputat mentem a mea alienam, dici non poteſt mihi oppoſitus.

Locus 22-23. cum loquatur de iis quibus Scripturæ & Sacramenta demandata ſunt, atque adeo de iis qui jactant Spiritum verba & Sacramenta contemnentem ac rejicientem; is locus, eo ſenſu (quem & genuinum ſenſum loci eſſe credo, & qui Lutheri ac Arndii ſenſui conformis eſt,) non eſt mihi adverſus, nec ego illi, niſi aut loci ſenſus, aut mea mens, ab interprete pervertatur.

Locus

Digitized by Google

Locus pag. 25. de peccatis & impotentia regenitorum, neque facit contra me. Namque vel maxime regeniti nihil per ſe poſſunt: ſed in eis omnia bona agit ſolus Spiritus S., qui ſi eos relinquat tantiſper, ii plus minuſve peccatorum & erratorum admittunt, prout plus minuſve deſeruntur. Verbo, locus de operibus hominum loquitur, ego verò de operibus Spiritus Sancti.

Loci pag. 28. & 40. de modo numerandi mandata Dei & Orationis Dominicæ petitiones, ridicule proferuntur veluti oppoſitionis jactandæ materia. Non eſt hic diſſenſus circa materiam & rem ipſam. Eſt conſenſus in re: Diverſitas in modo & nomine numerorum. Ita fit, ut in diverſis Scripturarum S S. exemplaribus capita & verſiculi interdum diverſimode numerentur; an tamen propterea Scripturæ ſunt dicendæ ſibi oppoſitæ? Non notabo quam imprudenter dicat *Lutheri Catechiſmum Canoniſatum* is, qui conqueritur, Siracidem a me quaſi partem Scripturæ canonicæ laudatum eſſe: neque tangam, prætermiſſionem quandam in Catechiſmo quantum ad decalogum, huic forte diverſitati occaſionem dediſſe. Quid autem hæc, & ſimilia, ad errores in fide, quorum ſolorum excludendorum gratiâ libri quivis Symbolici ſunt coagmentati?

Denique loci pag. 40, 41. de ſenſu petitionis quartæ in Oratione Dominica, menti meæ non adverſantur poſitive: nam etſi non faciant mentionem de pane ſeu cibo ſpiritali, eum tamen non excludunt, multo minus excludendum ſub pœna erroris ſtatuunt. Et cum omnes, ne excepto quidem D. Magiſtro, negare nequeant gratiam Dei cibum animæ eſſe, eumque cibum optime poſtulari; quid mali, quid erronei, quid hæretici, quid fidei Symbola oppugnantis, ſi ejuſmodi optima poſtulatio ſimul includi intelligatur in petitione quarta Dominicæ Orationis, quæ perfectiſſima ut eſt, ita omne bonum includere cenſenda eſt? maximè cum ipſe J. Arndius (quem *libris Symbolicis* non dicet adverſari D. Magiſt.) *omnia dona Dei* ac *virtutes univerſas*, quæque *nobis* SPIRITUALITER *vel corporaliter utilia ſunt*, in hac petitione includat. De Vero Chriſt. lib. IV. cap. 19. Quem vero non pudeat ex ejuſmodi futiliſſimis prætextibus quærere ac clamare oppoſitiones cum ſuis libris Symbolicis!

Ecce, hactenus vidimus quænam libello de Educatione Libe-

Digitized by Google

rorum cum parvo admodum lumine objicienda habuerit D. Magiſter. Nunc legatur ſi placet denuo ipſe libellus cum iſtis comparatus, & perpendat inde quivis liberi ac æqui judicii Lector, an propter nonnulla ejuſmodi adeo falſo, adeo ridicule objectata, totus libellus purioris omnino Chriſtianiſmi ſubſtantialiora continens & commendans, debeat paſſim voce & ſcriptis, e cathedris, è titulis, e præfationibus, e ſingulis contextus paginis proclamari *erroneus*, *hæreticus*, *libris Symbolicis oppoſitus*, abominandus & *flammis ſufflaminandus*? An non potius inde timendum ſit, ne iſtiuſmodi cenſores, ſeſe veritatum Euangelicarum in toto libello contentarum, ac eò a me ibidem redactarum ut quis animæ ſuæ facultates, ſeque totum a mundo & malo ſeparet, Deoque uni reſtituat, vel hoſtes declarent, vel ab omnibus declarandos exhibeant? neve forte etiam Satanas, ſolidæ ac ſanctificantis veritatis hoſtis, per eos (forſan fraudis hujus Satanicæ inſcios) hoc efficere intendat, ut quicquid animas ad emendationem ac Chriſtianam vitam incitare magis eſt idoneum, id e via non removeatur ſolùm, ſed & pro re peſſima ac fugienda traducatur? Spero autem, quemadmodum iſtud probis vehementer diſpliciturum ſcio, ita eorum neminem fore, qui non malit contraria procedere via. Et hinc eſt quod haud pauci ut omnem iſtius iniquæ agendi rationis ſuſpicionem a ſe & a ſuis avertant, ſeque non mero titulo, ſed affectu & opere *Euangelicos* præbeant; divinas Euangelii veritates, ubicunque reperiantur, atque adeo & in hoc libello, aveant promovere; ac notatione dignum eſt, illis ipſis, eaque de cauſa, libelli totum ferme negotium & deberi, & fuiſſe cordi; dum eorum alii, ut componeretur, incitamento fuerunt; alii, me inſcio, in Germanicum converterunt; alii in publicum ediderunt; alii, & quidem (ſi credamus præfanti D. Magiſtro) e doctiſſimis publicatum commendarunt; alii impugnatum, ſcriptis publicis defenderunt, quod etiam e D. Magiſtri concluſione diſcere licet factum fuiſſe in Epiſtola publicis typis emiſſa ab Euangelico Eccleſiaſte Amſtelodamenſi, de quo tamen dubitat D. Magiſter, ſitne ille ſcriptum illud ſuum pro ſuo agniturus. Non video ſane cur Rev. D. Colerum (ſi ipſe ejus ſit Auctor) illius ſui ſcripti deberet pudere, ſiquidem eo Charitatis Chriſtianæ, malum non cogitantis, omnia in bonam partem interpretantis, veritati

(ad

(ad cujus ideam omnia refert) congaudentis, & omnia bene ſperantis ac credentis, luculentum exhibeat documentum. Non *excuſat* ille ibi (uti incuſat eum D. Magiſter) *errores manifeſtos*: ſed optime oſtendit, eos illic non contineri, me, tractatuli auctore, explicationum ſuarum cum ſenſu meo conſenſum aperte confirmante. Quid hîc contrà hiſcere audebit D. Magiſter, quo *ſua in corde jam* (ut ait) *concepta reſponſioni*, colorem vel minimum conciliet? Sene ex principio æquitatis ſuæ, *mea non in meliorem partem interpretandi*, verius ſcire quæ mens mea ſit, atque egomet ipſe eam coram Deo & hominibus atteſtor? Dediſcat, dediſcat potius ipſemet ſuam illam male Chriſtianam interpretandi artem; ac librum ipſe ſuum, potius quam meum, flammis conſulat ultricibus tradi, quo judicium Chriſti, igne gehennæ damnantis qui fratrem temere dicit fatuum, (quod minus eſt quam proclamare hæreticum) poſſit ſalutariter evitare. Quod ſi eos qui ex charitate Chriſtiana ad veritatem reducunt & interpretantur quæcunque eo referri poſſunt, imitari nolit, pudeat ſaltem eis adverſari, ne forte ab eorum aliquo verba Auguſtini pro omni Apologia audiat: *Eſſetne quiſquam tam improbus, qui mihi ſuccenſeret quod homo de homine in re dubia bene potius exiſtimarem, etiam cum malè diceret?* (Aug. de util. cred.) Quid ergo in re non dubia, & ubi nihil dictum eſt in ſenſu malo? Ceterùm, ſi diverticula quærens, de aliis meis opinionibus extra materiam libelli deinceps quæſtiones movere volet, neque eos, qui libellum meum defenderunt, teneri ſciat alia ſenſa mea defendere; nec ego patiar materiam hîc ſubſtitui aliam ab ea, de qua in libello agitur. Deum comprecor ut velit illum, & ſui ſimiles, ſolida ſua veritate ac Charitate implere, noſque omnes pacificis Spiritus ſui donis in concordia ſancta æternum beare. Vale in Chriſto.

CO-

Digitized by Google

CORONIS

Ad inſtantias nonnullas in ultimo libro D. Mag. *V.* quem, *Falſum interpretem* nominat,

Item de Libro quodam D. Doct. AUGUSTI PFEIFFERI, *Superintendentis Lubecenſis, octo conciones clamorum adverſus Libellum de Educatione continente.*

ADverſantium propoſitum, Lectores ad ſiniſtra de optime cogitatis, dictis ac factis judicia propellendi, eoſque obducto falſorum metu a ſaluberrimis veritatibus revocandi, quin & adverſus ea perverſis affectibus commovendi, caſſum reddere hactenus ſum conatus, quòd ei ſuo propoſito nullus ſine animæ ſuæ damno obſecundare queat; cum e contrario, cuivis charitate prædito lætandum ſit tolli ſibi offendicula quibus ad fugam vel odium boni fiebat proclivis. Utinam id & ipſis adverſantibus, quò e periculoſo animarum ſuarum ſtatu emergerent, prodeſſe poſſet! At quam parum id ſperandum ſit, vel e noviſſimo quodam M. V. libello Germanico plus ſatis elucet, in quo nihil æque ac obfirmatum in malo illo propoſito pergendi animum, reperire eſt. Non igitur ob illum, ſed ob meliores, ne offendiculis ab illo appoſitis lædantur, pauca de his ſubjicere viſum eſt.

Falſum illum *interpretem* dabit in ruborem verior alius, dubio procul. Ego ex iis quæ me illic ſpeciatim reſpiciunt, quatuor recenſebo. Unum erit generale, circa interpretandi negotium. Cetera tria ſingulariora ſunt, nempe, de aſſertis a me, ut ait, Enthuſiaſmo, & Perfectioniſmo, deque negata Reſurrectione. Reliqua ne memoratu quidem digna ſunt.

I. Viri nonnulli Clariſſ. libelli mei ſenſum per cavillationes adverſantium detortum, defenderant, adducta verborum meorum interpretatione ſana. Hanc ad mentem meam eſſe declaraveram ego; cui proinde, ſiquidem quiſquis verborum ſuorum optimus eſt interpres, acquieſcendum ſit. Magiſter noſter, ne hoc modo adſtrictum ſe agnoſcat ad reſipiſcendum a malis judiciis ſuis propoſitiſque, ita conatur ſe expedire. Negat

„ (*a*) unum-

„ *(a) unumquemque ſuorum verborum debere eſſe interpretem*; vultque, „ ut verba ſumantur in ſenſu non quem auctor declaret; ſed (in-„ quit) quem ipſa ſecum ferant verba. Idque hac ſubtili admo-„ dum comparatione dilucidat. Si quiſpiam diceret alicui, *tu es* „ *nebulo*; deinde coram Judice poſtulatus, cauſaretur evitandæ „ mulctæ ſuique excuſandi ergo, ſe interpretem debere eſſe ſuo-„ rum verborum, atque adeo, ſe per *nebulonem*, intellexiſſe *vi-* „ *rum probum*, illene interpretandi modus admittendus eſſet? Iſta D. Magiſter ad libellum vult & ad me applicare; verum ut hoc rectè poſſit facere, contendat neceſſe eſt hæreſes, errata, malaque, libello impacta, tam clare in libelli verbis contineri, quam clare contumelia in verbis *tu es nebulo*, contineatur: interpretationeſque alias, verbis libelli per me applicatas, tam violentas eſſe, verborumque communi ſignificationi ita adverſas, atque ea eſſet interpretatio per quam verba *tu es nebulo*, ſignificare dicerentur, *tu es vir probus*. Qua in re profecto D. Magiſtrum omnem eruditionem ſinceritatemque ſuam, defendendæ ſuæ Sophiſtices gratia, oportet ejurare coram univerſis. Omnes enim (præter D. Mag. & aliquot ſui ſimiles) & jam dudum, & nunc temporis, & ubique locorum, e verbis libelli mei ſenſum elicuerunt non favorabilem tantum, ſed & adeo bonum ac ſalutarem, ut libellus eis propterea cum carus ſit habitus, tum dignus qui deſcriberetur ſæpius, linguiſque pluribus donaretur. Retulerunt & fide digni, Eccleſiaſtas quoſdam Lutheranos, ob turbas Hamburgenſes ejus legendi avidos, eo lecto ita fuiſſe affectos, indignatione quidem adverſus accuſatores, exiſtimatione vero erga ipſum libellum, ut protinus ex eo ſuos in Templo docuerint catechumenos: ac pro certo habeat D. Magiſter, extra eos, quorum mentes, (mulierculrum (*b*) earum inſtar de quibus Paulus) territarunt & conſtrinxerunt vociferationibus ſuis, vix ullum reperiri qui perlecto libro non miretur DD. *Patres ſpirituales HH.* eouſque quodam veluti ſcotomate percuſſos eſſe, ut vel in ipſa rerum bonarum meridiana luce circa verborum parietem quaſi coeci palpare videantur, ſenſui incluſo vim, integritati ipſius adverſam, ſipote illaturi; aut illos imitaturi de quibus Apoſtolus in 2 ad Timoth. cap. 3. v. 8 & 9.

(*a*) pag. 8, 9, 10.

(*b*) 2 Tim. 3: 6.

Equidem libenter ſcirem unde D. Magiſter hanc ſuam legem, de non interpretandis verbis ſecundum declarationem mentem-

que Auctoris, vel depromſerit, vel probet. Si ex ſe ipſo; pace ſua, ejus auctoritati æquare auſim ad minimum e Chryſoſtomo hanc aliam: (a) *Non nuda verba ſunt examinanda, neque dictio ſimpliciter & abſolute excutienda; ſed reſpicendum eſt ad mentem ſcribentis.* Profecto vulgariores interpretationis leges ignorare videtur D. Magiſter: *Non e verbis aut ſententiis ſolis e libro diſcerptis; ſed e toto orationis corpore, ac e ſcopo Auctoris, e ſcriptis item ejus aliis, vivaque voce, ſenſum eſſe deſumendum: præterea, nil a quoquam ita bene ſcriptum ac dictum eſſe, quin ſi malevolus accedat interpres, facile ſenſum falſum inde eliciat*, ut e floribus venenum facit araneus, & Scriptura ipſa omnis generis hæreſes hæretici. Malevolum autem animum ſuum minime celat D. Mag. dum fatetur, *ſibi haud iniquum videri mea ſi in meliorem ſenſum non trahat.* Addo, Veritatum divinarum, de quibus agitur, eam eſſe, quibuſcunque verbis ſignificentur, naturam, ut non tantum a malevolis naturaliumque affectuum ſequacibus concipi non poſſint; ſed & eis ſtultitia erroreſque videri debeant: *animalis enim homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, ut pote quæ ipſi ſint ſtultitia, neque ea poſſit intelligere, quod ſpirituali modo* (non craſſo ac malevolo literæ morſu) *ſint intelligenda*, teſte Apoſtolo. Quod autem hoc in negotio D. Magiſter ſuique Socii affectus naturæ animales ac corruptos adhibuerint, e ſuperius enarratis tam clarum eſt quam quod clariſſimum.

(a) In cap. I. ad Gal.

II. Enthuſiaſticam ſuam inſtantiam (b) (ut ad ſingularia deſcendam) ſtatuminare molitur, aſſeverando iterum, me ab operatione Dei interna & illuminante, verbum ſive Scripturam Dei *excluſiſſe*. Mira D. Mag. pertinacia! Age, ſi quæ abunde hac de quæſtione ego aliique explicuimus & declaravimus non ſufficiant, adhibeat ſaltem oculos, & in libello (c) locum ipſum inſpiciat. Videbit illic, ſubjectum orationis eſſe ipſiſſimam Scripturam ſacram. Quis unquam ita abſurdus erit, ut ipſum enuntiationis ſubjectum dicat ab enuntiatione excludi? Quæritur, de Scriptura ipſa, cujus ſententiæ eo in loco, & ante & poſt, & in medio, & in prolatis reipſa e Scriptura verbis, commendantur ediſcendæ, earumque ſenſus acquirendus. Quocunque modo quæſtioni reſpondeatur, patet abſurde objectari; Scripturæ interventum excludi, modumque acquirendi Scripturæ ſenſum poni, qui ſit *ſine & præter* medium Scripturarum, iiſque excluſis, de quarum tamen affectione agitur. At-

(b) ibid. pag. 71.

(c) Educ. Sect. I. §.

(d) in-

„ (d) inquit, dicitur illico, *quicquid audiamus, in cœtu aut extra cœ-* (d) p. 13. &c.
„ *tum, ... non poſſe ex ſe vel minimam veræ vivæque notitiæ Dei ejuſque my-*
„ *ſteriorum ſcintillulam ingenerare: id ab uno Deo præſtari poſſe.* En ver-
„ bum Dei, auditum, ſine vi! en omnia præter unum Deum exclu-
„ ſa! Verum, hæc alia eſt quæſtio, quæ ad Enthuſiaſmum nil facit; tum ejus occaſione D. Magiſter confundit quæ non ſemel diſtinctiſſima eſſe oſtendi. Verbo Dei, quatenus in eo linguæ, aëris & aurium commotio conſiderantur, quatenus item ex hoc auditu ſonorum externo mens profana cogitationes aliquas in ſe excitat, eatenus nullam ſalutiferam vivamque Dei ingenerari cognitionem, explicui, docet experientia, ſentiunt quoque omnes tum Catholici, tum Reformati, qui tamen propterea de Enthuſiaſmo criminandi non ſunt: neque aliam eſſe ſententiam ſaniorum Lutheranorum non poſſim mihi non perſuadere, ſi quidem rei veritas undiquaque ſit evidentiſſima. Quod autem attribuendo uni Deo operationem & phyſicam cauſationem notitiæ verbi internæ ac ſalutaris in bonis mentibus, idcirco tollatur interventus verbi externi; nemo, præter D. Magiſtrum, iterum atque iterum oggerendi idoneus fuerit.

Habet & (a) aliud, idque novum, Enthuſiaſmi ſui affricandi argumentum. (a) pag. 69. 71. Scilicet, bona deſideria, preces, purificationem animæ, ante ejus illuminationem, veluti media ante rem acquirendam collocavi. Hæc autem ei eſt methodus Enthuſiaſtica; a qua ut tuto recedat, contendit, illuminationem mentis acquiri ante ejus purificationem, preces, bonaque deſideria: hæc demum eſſe effecta illius cauſæ, prius in mente poſſeſſæ. Certe ſi D. Magiſter ſuique ſimiles, ſua lumina ac notitias hoc modo acquiſiverint, ſine præviis deſideriis bonis puritatiſque ſtudio, (de quibus revera in Scholis, ubi cognitiones ſuas acquirunt, nil ſunt vulgo ſolliciti,) haud mirum eſt eos in divinis rebus ita peritos ac illuminatos eſſe, tamque eximia effecta ex ea mentis illuminatione quotidie prodire. Poſſem, niſi brevis eſſe laborarem, facere palam, ex hac D. Magiſt. methodo omnis generis errores, hæreſes, & vitia inter Theologos qui ea utuntur, emerſiſſe. Sed forſitan ipſe quid dicat, neque rem neque terminos intelligit.

Qui de animæ *purificatione, illuminatione, unioneque* agunt Theologi, non intelligunt per has voces aliquos actus tranſitorios, &,

ut ita loquar, præparatorios, quibus anima ad ſui inſtaurationem aut excitetur aut prævenlatur: quo ſenſu nullus vel bonum deſideriolum habet, vel de ſe purificando cogitat, quin radiis quibuſdam divinæ lucis prius afficiatur: omnia enim bona, preces, ipſamque etiam mali manifeſtationem efficit in homine divina lux: verum ea lux non propterea intus in anima adhuc poſſidetur; neque idcirco tenebris ſuis mens adhuc eſt libera, rerumque divinarum clara & penitiori cognitione imbuta, id quod proprie *illuminatio* dicitur. Scilicet non actus inſtabiles, ſed tres ſtatus mentis ſolidos ac principes deſignant cum Scriptura Theologi per voces *puritatem cordis*, (Matt. 5: 8.) ſeu animæ, *illuminationem* mentis (Eph. 1: 18.) & *unionem cum Deo* (Joh. 17: 11, 21.): quos eo ordine ut natura collocatos, ſic a nobis adeundos eſſe, non modo evidenter docet Apoſtolus; *Evigila qui dormis, & ſurge e mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Eph. 5: 14. ſed & ipſa Chriſti verba, prima æque ac ultima, *Beati*, inquit, *qui puro ſunt corde* (hæc eſt purificatio) *quoniam Deum videbunt*, ſive clare cognoſcent: iſta eſt illuminatio. Tum pauliſper ante mortem ubi dixiſſet Dominus, Diſcipulos ſuos jam eſſe *puros* (Joh: 13: 10.) orat deinde Patrem ut *ſanctificentur in veritate*, (Joh. 17: 17.) hoc eſt, ut eorum purificatio perficiatur & compleatur donatione luminis veritatis ſeu Spiritus Sancti, a quo demum erant illuminandi, (Luc. 24: 45.) poſtulato addit Chriſtus tanquam ſcopum & coronidem omnium, unionem cum Deo & cum ipſo, *ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me & ego in te* &c. Quid plura, quid (ut fieri poſſet) innumera producam e Scripturis divinis, eque Theologis antiquis loca, ſiquidem vel unus ſufficiat Orthodoxus Arndius, ad cujus Scholæ januam ſatis eſto D. Magiſtrum manuducere, ut illic (in Præfatione ad librum 3. *de Vero Chriſtianiſmo*) verba hæc legat & diſcat: *Quemadmodum vita naturalis noſtra ſuos gradus ſuaſque ætates habet, pueritiam, virilem maturitatem & ſenectutem: Ita vita ſpiritualis & Chriſtiana pro pueritia & Tirocinio habet ſalutarem* POENITENTIAM, (quæ eadem eſt ac purificatio) *per quam homo in dies ſe emendat: quam excipit major* ILLUMINATIO, *velut adulta ætas, per divinarum rerum contemplationem, orationem & crucem, per quas divina dona augentur & adoleſcunt. Ultima & perfecta ætas ea eſt quæ conſiſtit in* UNIONE *firmiſſima & ſtrictiſſima per charitatem, quam B. Paulus appellat* virum perfectum & menſuram ætatis ple-

nitu-

Digitized by Google

nitudinis Chriſti. Quem ordinem *nos tribus iſtis libris, quoad licuit, obſervare ſtuduimus, ſic ut exiſtimem totam Chriſtianiſmi Doctrinam illis contineri.* Ecce tres eos gradus! ecce eorum ordinem! Ecce ordinis ab Arndio approbationem & obſervationem! Ecce ob ordinem obſervatum plenitudinem Syſtematis de Doctrina Chriſtiana! Et tamen quod D. Horbius id in libelli cujuſdam titulo, ſecutus Theologum Hamburgenſem ipſius D.D. Majeri anteceſſorem, indicaverit; quod ego idem in libello de Educatione ſignificaverim, uterque a D. Magiſtro Enthuſiaſmi inſimulandus erit, atque eo (a) *preces publicæ*, in quibus *prius de petitione illuminationis quam purificationis* agatur, in auxilium erunt advocandæ! Optime! quaſi vero preces ordinem methodicum ſemper reſpicerent; aut potius, quaſi D. Magiſter ſciret quid effutiat! Nam eo ipſo quod preces ſint ea quæ profert, & quibus illuminatio poſcitur, ſequitur mentem prius *precantem* & *bene deſiderantem* eſſe debere, quam *illuminationem* adipiſcatur: preces autem *pura mente puriſque manibus* eſſe faciendas ut gratæ Deo ſint, quis negare audeat? Ecce ergo iterum ordo idem! quem ſi D. Magiſter non teneat, fateatur neceſſe eſt ſe publicas preces ad futuram mentis illuminationem obtinendam dum recitat, ſine bonis deſideriis puritateque mentis prævia fundere, eſſeque Pſittacum frigidum quo minus ſit Enthuſiaſta: aut eum ordinem ſi teneat, ſi illuminationem obtinendam, adeoque futuram, poſtulet animo bonis deſideriis & ſtudio puritatis affecto; tunc aut ipſemet, ſecundum principia ſua, erit Enthuſiaſta; aut ſi non erit propterea, nec erit etiam D. Horbius, neque libellus meus hac premendus accuſatione: quæ itaque inanis ac caſſa futura eſt, niſi quod palam faciat in ejuſmodi objectantibus animi conſtitutionem quam ferme dixeris profanam, atque ab impietate haud procul remotam, quando produnt, ſe mentis puritatem tam parvi facere, ut qui eam ſpeculationibus præponunt, voluntque divinas ſine ea notitias acquiri non poſſe, pro *Enthuſiaſtis* traducant. Notent hinc univerſi, Dominos iſtos cum aliquem appellant *Enthuſiaſtam*, id perinde eſſe ac ſi dicerent, *mentis purificationem ab eo ante ejus illuminationem* collocari. quanta hæreſis!

(a) M. Vak. p. 69.

III. Urget pro altero errore libelli *Perfectioniſmum* D. Magiſter. Velim Lectores recurrere ſi placet ad ea quæ de iſthoc argu-

 gu-

gumento in Obſervationibus ad Artic. VIII. RR. MM. protuli: obſerventque ipſimet, 1. Iſtam doctrinam ſæpius a Chriſto, Paulo, Petro, Joanne, totaque Scriptura propoſitam & commendatam eſſe. 2. Eam antiquioribus Chriſtianis ac Patribus, quin & interdum Luthero, familiarem fuiſſe. 3. Eam ab illis Patrum, qui ſubjecta conformia haud eſſe reperienda credebant, nedum inter noxios errores ſit numerata, laudabilem ac tolerabilem dictam fuiſſe. 4. Nihil revera in ea periculoſi eſſe, (1) modo non fundetur in præſumptione humanarum virium; ſed in ſola divini Spiritus vi & potentia; (2) modo non ſtatuatur, eos qui illuc non pervenerunt, propterea a ſalute æternum excludi, ſi tamen in via ad perfectionem ſint & promoveantur, atque ad eum ſcopum ardenti ſerioque deſiderio adſpirent; (3) modo ex eo ſtatu non excludatur poſſibilitas peccandi, imo & pereundi. (4) modo agnoſcatur, perfectionem eam, non graduum perfectionem eſſe, omniumque imperfectionum expertem. Quid quod Scriptura dicat, (homonymice cum libello loquens) quoſdam ita coram Deo juſtos eſſe, ut *ambulent inculpati in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini?* Luc. 1: 5. Plura omitto ſimilia quæ cum in Scripturis non damnet D. Magiſter, cur in libello idem non fecit, niſi ſi rixas & anſam cavillandi quæſivit? Addo, doctrinam eandem vel ex principiis D. Magiſtri ſequi; vel eum abſurde in propria principia ſua pugnare. Docet, Deo nihil eſſe impoſſibile; (a) *Spiritum Sanctum velle, ſive intendere, in credentibus operari quæcunque lex jubet*; (b) ſe etiam in concionibus ſuis hortari populum ad perfectionem uti tendat. Ergo aut ad impoſſibilia hortatur, quod ſapientiæ non eſt: aut ſi ad poſſibilia, agnoſcat igitur veritatem, a ſe eo pejus impugnatam, quo melius Dei hac de re potentiam & voluntatem agnovit.

(a) pag. 54.
(b) pag. 59.

Equidem pro ratione dicit, ejuſmodi effectum ideo ſequi non poſſe, quod cum Deus irreſiſtibiliter non operetur, anima vero coöperari debeat, hujus operatio non poſſit non peccato originali infici, ac Deo reſiſtere. Verum cogitare debuiſſet D. Magiſter, non peccari actualiter ab homine a peccati originalis corruptione impulſo quando impulſui iſti conſenſu libero non obſequitur; ſed ei reſiſtit: Deinde vero duplicem eſſe animæ cum Deo coöperationem, alteram activam, qua conatur facultates

ſuas

Digitized by Google

ſuas ipſamet cum Deo exercere; alteram, paſſivam, qua ſe ſuaſque facultates totas divino tradidit regimini, cum quo per ſolum conſenſum operatur, ceteris abſolute Deo traditis. In qua anima, Deo ſoli ſic derelicta, Deus ſolus ita vivit, ut ipſa ſe, cum Paulo, deinceps vivere neget; ita operatur, ut liget in ea fortem armatum fortior, armaque ejus univerſa auferat. Cumque Deus ſit fortior Diabolo ac peccato, haud dubio Spiritus ejus effecturus eſt in tali anima omne bonum ſine malo, quando Diabolus antehac illic effecit omne malum ſine bono. Hanc doctrinam adeo deſiderandam, adeo ſanam, adeo Spiritu Dei Sancto dignam, non potui quin cum horrore viderim a D. Magiſtro traduci ut ſeducentem, ut torquentem, ut fallentem, quando ibidem docet, (contra Chriſti Doctrinam) arbores optimas fructus ferre peſſimos, ſive, ut ait, „ fideliſſimos quoſque „ innumera quotidie *peccata (a) mortalia perpetrare*. Quod quidem dogma non alio videtur excogitatum, quam ut impii quique ac facinoroſi ſibi perſuadeant, ſe peccatis ſuis nihil obſiſtentibus eſſe regenitos: utque animi omnium a ſerio proficiendi ſtudio, tum a confidentia in Omnipotente Medico ponenda revocentur. Faxit Deus ut D. Magiſter alia methodo aliam illuminationem acquirat in poſterum.

(a) pag. 61.

De *Chiliaſmo* (quem interſerit D. Magiſter) non quidem craſſo illo & voluptario qui perperam multis imputatus eſt; ſed de eo qui conſiſtit in ſpe, venturum tempus ubi opera Diaboli ex animabus & natura eliminanda ſint per ſucceſſura Chriſti intus & foris glorioſa beneficia, id quod etiam per priora quatuor ſecula Patrum Sanctiſſimis in primitiva Eccleſia fuit creditum; ea doctrina adeo deſideranda eſt, adeo amanda, ut lugendum probis cunctis foret, ea ſi eſſet minus vera. Quamvis autem res etiam non eſſet futura, non video tamen quid effectus noxii illa inferre poſſet, quo tanquam pernicioſa traduci mereretur: ſiquidem ex ea non detur bonæ menti quicquam promtius colligere, quàm ut dum in Spiritu videt eum diem Chriſti, ſancta afficiatur lætitia, annitaturque ut per puritatem omnimodam ac ſuſpiria, quæ Dominus a Sponſa exſpectat, felix illud tempus quantum in ſe eſt acceleret, juxta petitionem a Chriſto commendatam, *Adveniat regnum tuum*, & verba Joannis: *Etiam veni, Domine Jeſu!* Ob quam beatam ſpem fratres ſuos calumniis proſcindere,

dere, & perſecutionibus affligere, præſcriptiſque formulis, *ſub pœna divinæ gratiæ in mortis articulo non recipiendæ juratu*, ad condemnationem ejus illorum conſcientias cogere velle, animorum eſt Chriſti gloriæ & proximi dilectioni omnino oppoſitorum. Non jam repetam me controverſiæ iſti locum in libello meo minime dediſſe; ita ut ἀλόγως mihi ex ejus occaſione obloquatur D. M. ejuſque Collegæ.

IV. Supereſt calumnia *negatæ Reſurrectionis*, cui quidem diſpellendæ libelli contextum, proteſtationem meam, diſtinctionem inter annihilationem quantum ad ſubſtantiam, & quantum ad ſtatum ac qualitates, ſatis eſſe ratus eram. At D. Magiſtro, iſta partim diſſimulanti, partim nondum capienti, aliter viſum (a) pag. 61. &c. eſt. Deſiderat (a) ille ſpeciales ad Syllogiſmos ſuos reſponſiones. Age, igitur, videamus, num ubi rem totam exactius diduxero, ex hallucinationibus ſuis eum extricabimus.

Contextus meus in Germanica interpretatione (quam aggreſſus eſt, etſi hîc utcunque manca ſit) ſic ſe ad verbum habet. pag. 57.

Valde neceſſarium eſt liberis proponere, quam primum quidem fieri poterit, quod quemadmodum homines, peccatores ſunt, ignorantes, impotentes, & in terra putrefaciendi; & quemadmodum quicquid in mundo eſt, ſimiliter periturum eſt, & vanum eſt, igneque deſiturum; nemini igitur in iſtis lætitia quærenda ſit. Non lætandum eſt quod hominibus placeant, ab illis æſtimentur & laudentur, corpus habeant bene conſtitutum, quod bene ſint veſtiti, deque omnibus rebus bene ipſis ſit proſpectum: omnia enim iſta æternum ſunt peritura.

Ex his patet cuivis, 1. Scopum meum eſſe, id evincere, noſtram lætitiam non debere poni ullis in rebus hujuſce mundi conſideratis in ſtatu in quo nunc ſunt, quem Paulus dicit, τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου. 1 Cor. 7: 31.

Ad hoc evincendum, omnes res mundi ad duas claſſes refero; hominum ſcilicet ipſorum; deinde ceterarum præter hominem rerum.

Utramque claſſem duobus iterum modis conſidero, primum in ſe; deinde quatenus aliæ aliis afficiuntur.

De prima claſſe, quæ eſt hominum in ſe quoad ſtatum hujus vitæ conſideratorum, dico PRIMO & SEORSUM (idque propter cavillationes futuras notandum eſt) *eos eſſe miſeros peccatores, igno-*

ignorantes, impotentes, & in terra putrefaciendos. Quod negabit nemo verum eſſe, idque ad ſcopum meum, de lætitia in illis non ponenda, conducere.

De aliis præter hominem rebus, in ſe quantum ad ſtatum præſentem conſideratis, ſecundo & ſeorſum dicitur, *eas eſſe ſimiliter perituras, vanas & igne deſituras.* Ubi notari velim, 1. quod ſi interitûs harum rerum cum præcedentis hominum claſſis interitu comparatio quædam hic agnoſcenda ſit, in ea comparatione ſubjectum primum & poſitivum, cui res comparabitur, eſſe hominum interitum; ſubjectum vero alterum cum primo comparatum, ſive res interitui hominum comparatas, eſſe res alias mundi quaſcunque: non autem inverſo ordine, rerum aliarum interitum primo & poſitive poni & conſiderari; deinde vero illarum interitui interitum hominis comparari. 2. Notandum ſecundo, comparationem illam, (ſi quædam ſubſit) non fieri niſi in generalibus, quatenus res ceſſant ex hoc mundi theatro apparere, perduntque hujus ſeculi χῆμα; non autem ad ſpeciales interitûs modos extendi, quemadmodum patet ex eo quod de hominibus dixerim eos in *terra putrefaciendos*; de rebus autem mundi, *igne eas eſſe perituras*: unde evidens eſt, non fieri a me comparationem ſpecialem & quantum ad modos; multo minus quantum ad ea quæ poſt ſubjectorum illorum interitum, in alio ſeculo vel in æternitate ſequentur, quippe quæ ad præſentem meum ſcopum nihil faciebant. 3. Tertio denique notandum, eam vocem quæ hîc comparativa videtur, (*ſimiliter*) in originali perinde eſſe ac *itidem*; *de même*, dixi Gallice: quæ vox copulam ſermonis notat potius quam comparationem: neque ſcio utrum idem de voce Germanica, Dergeſtalt / qua interpres uſus eſt, dici poſſit. Interim, concedamus comparationem aliquam intercedere, ne difficiliores videamur.

Nunc D. Magiſtri noſtri armata in haſce enunciationes argumenta inſpiciamus. Primum eſt tale. pag. 61. & in primo lib. pag. 43.

Quicquid eo modo (ſimiliter) *periturum eſt, & vanum, & per ignem deſiturum prout omne id quod in mundo eſt; illud non rediturum eſt neque reſurget ad vitam æternam.*

Atqui corpus hominis quod in terra putreſcet, eſt, ſecundum auctorem, ita periturum & vanum, igneque deſiturum, ſicut quicquid in mundo eſt.

Ergo corpus hominis quod in terra putreſcet, ſecundum opinionem auctoris non redibit neque reſurget in vitam æternam.

Ecce, victus ſum a formidabili illo adverſario, qui libello propterea, victoris inſtar, inſultans, eum appellat *Stolidam Prudentiam*. Cum potius Magiſtri noſtri argumentum, eo ſit titulo digniſſimum, in quo nulla propoſitio non inſigni vitio laborat! nam,

1. Propoſitio major falſa eſt ſi ſumatur (uti debet) in ſenſu quo ego de interitu ſum locutus, conſiderando eum in genere, prout per eum res ceſſant ex hoc mundi theatro apparere, perduntque hujus ſeculi χῆμα. Falſum enim eſt, Quicquid diſparebit ex hoc mundo, ſuumque ſchema mundanum perdet uti ceteræ res mundi illud perdent, id non rediturum unquam ſub alio ſchemate vitali & æterno, ſeu non reſurrecturum ad vitam æternam. Nego hanc propoſitionem.

Si vero major propoſitio argumenti intelligatur de interitu quantum ad ſpecialia ſua, modos conſecutioneſque ejus reſpectu alius ſeculi, tunc a ſenſu meo eſt aliena; atque adeo,

2. Falſa eſt aſſumta propoſitio minor. Negatur, corpus hominis quod in terra putreſcet, eſſe, ſecundum me, periturum, vanum, igneque deſiturum omni eo modo ſpeciali & iiſdem conſequentiis ac cetera omnia in mundo peritura ſunt. Quis, præter malevolum affectum, adeo excœcavit D. Magiſtrum ut hanc propoſitionem mihi tribueret? Nonne videt ſe eam conſarcinaſſe ex terminis ſibi oppoſitis, ſeque ea conturbaſſe quæ ego de diverſiſſimis rebus ſeorſum dixeram? *corpus hominis in terra putreſcet*, & tamen, *igne deſiturum eſt*: abſurdum! ubi ego hæc compoſui, & de eodem ſubjecto dixi?

3. Adulterat ac invertit & falſat D. Magiſter in hac ſua minore propoſitione quicquid recte, diſtincte & vere de rebus iſtis dixeram, aut ſi vis, comparaveram. Supponit acſi in comparatione poſuiſſem pro primo termino ſive ſubjecto poſitivo, res hujus mundi intereuntes; deinde pro ſubjecto altero & comparato, hominem, cujus interitum dicerem fieri eodem modo ac fit interitus rerum ceterarum. hinc ſua propoſitio, *hominis corpus putreſcet* ſeu peribit *prout quicquid in mundo eſt*: quæ proterva eſt contextus mei inverſio ac depravatio. Siquidem, ut modo annotavi, clare ex contextu pateat, me non interitum hominis comparaſſe

paraſſe interitui rerum; ſed potius contra, interitum rerum eſſe a me comparatum cum hominis interitu: ita ut dexterior aliquis Sophiſta debuiſſet magis appoſite ſtrophas ſuas contra me connectere hoc modo;

Quicquid eſt interiturum ſimili modo ac corpus hominis, illud reſurget in vitam æternam,

Atqui omnes res hujus mundi perituræ ſunt, juxta Auctorem, ſimili modo ac corpus hominis.

Ergo omnes res hujus mundi reſurgent in vitam æternam.

Hoc Sophiſma (quod facile ſolvitur ex conſideratione interitus quoad generalia & χῆμα mundanum ſpectati) videretur ſaltem ad contextum meum aliquam habere relationem; verum concluſio ejus non eſſet forte telum ad mentem D. Magiſtri ſatis venenatum quo libelli Editorem ac Auctorem pro voto feriret.

Hactenus egregium D. Mag. argumentum primum conſpeximus: pergamus ad alterum.

Diſtinxi (ut dictum) in contextu meo ſubjecta de quibus loquebar, in claſſes duas; & in unaquaque dixi, ſubjecta a me conſiderari tum in ſe, tum quatenus alia ab aliis afficiuntur. De primo ea conſiderandi modo hactenus egi, & contextum a strophis Sophiſticis vindicavi. De altero modo, hæc in libello leguntur. *Non lætandum quod hominibus placeant, ab illis æſtimentur & laudentur, corpus habeant bene conſtitutum, quod ſint bene veſtiti, deque rebus omnibus bene ipſis ſit proſpectum: omnia enim iſta æternum ſunt peritura:* Hic non homines ipſos, non corpus, non veſtes, non res ipſas conſidero; ſed modos quibus homines reſque mundi ſeſe invicem afficiunt hoc in ſeculo, nempe hominum gratitudinem, exiſtimationem, laudes quibus ſeſe mutuo proſequuntur; item corporis affectiones, quibus quidem a ſe ipſo per ſanitatem & per elegantiam; ab aliis vero per veſtes & per commoda cetera afficitur. Hæc omnia, has omnes affectiones, in quibus univerſi pene ſuam ponunt lætitiam, (non autem in ſubſtantia ipſa rerum) dico eſſe perituras æternum; & inde concludo, in eis gaudendum non eſſe. Quid hîc non verum? quid non optimum? quid non cum Scriptura conſonum? *Mundus* (inquit Joannes) *perit* (hoc de rebus) *ejuſque concupiſcentia*, ſive affectiones: unde concludit *amorem* ab eo avertendum.

Nunc D. Mag. ex his ita in me altero ſuo argumento irruit.

Digitized by Google

Quicquid æternùm periturum eſt, illud nunquam reſurget.
Corpus bene conſtitutum, æternùm periturum eſt, ſecundum mentem auctoris.
Ergo, ſecundum ejus mentem, corpus bene conſtitutum nunquam reſurget.

Diſtingue ſi placet, diverſos rerum ſtatus quoad utrumque ſeculum: diſtingue modos ſeu affectiones rerum a rebus ipſis: intellige interpretem Germanicum: confer originale Gallicum; & omnia in argumento patebit eſſe partim falſa, partim caſſa & inania.

1. In majore. *Quicquid æternùm periturum eſt* quoad ſchema & formam hujus mundi, *illud nunquam reſurget* in forma alia & æterna. falſa propoſitio.

2. *Quicquid æternùm periturum eſt* quoad ſchema & formam hujus mundi, *illud nunquam reſurget* in ſchemate & forma hujus mundi. Hoc argumentum contra me, nullum eſt; concedo illud totum.

3. *Quicquid æternùm periturum eſt* quoad ſubſtantiam rei, *illud nunquam reſurget:* Concedo; at ſic minor falſa eſt, corpus hominis perire quoad ſubſtantiam; neque mea hæc eſt propoſitio.

4. *Quicquid æternùm periturum eſt* quoad modos & affectiones hujus mundi, *illud nunquam reſurget.* Nego iterum falſam iſtam propoſitionem: tum quia ſubjectum ob modos non perit quoad ſubſtantiam; tum quia poteſt in aliis modis & affectionibus reſurgere quamvis priores æternum evanuerint.

Hæc ad majorem: Nunc ad minorem,

5. *Atqui corpus bene conſtitutum, æternùm eſt periturum*, quoad ſubſtantiam, falſa propoſitio; quam nego eſſe menti meæ conſentaneam.

6. *Corpus bene conſtitutum, æternùm periturum eſt* quoad formam & ſchema hujus mundi: ergo nunquam reſurget quoad formam & ſchema hujus mundi. Concedo propoſitionem & concluſionem, inania contra me tela.

7. *Corpus bene conſtitutum, æternùm eſt periturum ſecundum mentem auctoris:* nego hanc eſſe meam meique interpretis propoſitionem. Non dixit ille ſimpliciter, *corpus bene conſtitutum*; ſed *habere corpus bene conſtitutum*, hoc eſt, eſſe præditum ſeu affectum bona corporis conſtitutione; quod, perinde ac habere veſtes, ſeu

eſſe

eſſe bene veſtitum, habere nummos, ſeu eſſe pecunioſum, ad prædicamentum habitus, vel ſi mavis, qualitatis pertinet; utut ipſum corpus, veſtes, nummi ſint ſubſtantiæ. Ergo minor vel in ipſis terminis falſa eſt; Nec intellexit D. Mag. interpretem.

8. Multo minus Gallicum originale conſuluit, ubi pro verbis, *habere corpus bene conſtitutum*, legitur, (*a*) *eſſe bene compoſitum* ſive factum. Equidem nolim ei dare vitio quod forte neſciverit opus Gallice conſcriptum eſſe: interim tamen id a me hic reticeri non debet, quod ad innocentiam ſenſus mei palam faciendam apprime conducit.

(*a*) *être bien fait.*

Ceterùm, nihil eſt quod D. Magiſter oggerat (ut facit) *bonam corporis conſtitutionem*, ejuſque, ſi velit, poſſeſſionem, *æternum non eſſe perituram*, *ſiquidem ea in hoc conſiſtat ut corporis membra magnitudine, appoſitione, vigore coloreque debitis ac aptis polleant, quæ in futura vita & reſtituentur & perficientur, nedum æternum pereant.* Confundit per generales illos & metaphyſicos terminos D. Magiſter bonam corporis conſtitutionem quæ ſupranaturalis eſt & cœleſtis, cum ea quæ hujus eſt mundi, quæ corrupta eſt ac naturalis, quæque præ altera illa, deformitas eſt & quidem monſtroſa, imo ipſa mors eſt, in victoriam, ut verbis utar ſacris, abſorbenda: ſic ut bonæ iſtius generis ultimi conſtitutionis perfectus interitus, alterius conſtitutionis ponendæ fundamentum ſit; haud ſecus ac in ſcholis dicitur, unius corruptionem, alterius eſſe generationem.

Tertium D. Magiſtri contra me argumentum, negativum eſt, eque ſilentio meo deſumptum. Scilicet nihil de corporis Reſurrectione in libello dictum eſt: hinc eam a me non agnoſci concludit. Verum id argumenti genus invalidum eſſe, tum in eo falſum aſſumi, atque adeo utramque Magiſterialis Syllogiſmi propoſitionem falſam eſſe, cum ſuperius (*b*) demonſtraverim, ab ejus nunc inanitate prolixius detegenda ſuperſedebo.

(*b*) Supr. Artic. IV. num. 4. & Art. XXVI. num. 2. &c.

Arbitror, ex iis quæ hactenus dicta ſunt, quibuſvis ſani judicii Lectoribus ſatis ſuperque conſtare, quam vane ac ridicule de ſuorum Syllogiſmorum robore gloriatus ſit D. Magiſter; & quam inutiliter etiam meo tempore lectorumque otio abuterer ſi ceteras ejus cavillationes eadem accuratione ac diductione deberem examinare: quod etiam nec ipſuſmet forte exſpectat, ſiqui-

Digitized by Google

dem nos *a parvo* ſuo *lumine* remiſerit ad *lucidum ipſum Solem, cum pleno ſuo lumine exoriturum, quando Theologus aliquis ſublimiter eruditus, & in hiſce rebus admodum exercitatus, perfectiorem & funditus diductiorem ſcriptionem, eamque ſumme neceſſariam, in hunc libellum editurus eſt.* Fateor a me lucidi iſtius Solis ortum hactenus expectatum eſſe: verum ne pictum quidem adhuc vidi; ſic ut neſciam, quid officiat cur Sol ille lucidus nobis non exoriatur.

De Doctoris AUG: PFEIFFERI *clamoribus adverſus Libellum de* EDUCATIONE, *in Concionibus publice datis.*

DE Campaniæ populis ferunt, eos, ubi Lunam viderent Eclipſin pati, aliquos conſueviſſe adhibere qui æris, cymbalorum, tubarum, ſimiliſque organicæ Muſices ſonitu, Lunam ab Eclipſi liberarent ac revocarent. An D. Magiſtro ejuſque ſociis in hac ſui Solis Eclipſi venerit in mentem populos iſtos imitari, equidem non mihi liquidum eſt: nihiloſominus tamen diceres, eos depellendæ iſtius Eclipſeos Solaris gratiâ, evocaſſe idcirco e vicinia Lubecenſi quendam Tibicinem, ſi poſſet ſuo hic ſtridore Solem promiſſum ab Eclipſi excitaret. At bonus iſte vir, non modo nihil tale cum omni ſuo conatu potuit peragere; ſed & Hamburgenſis melodiæ diſſonantiam raucâ fiſtulâ ſuâ adauxit potius: nedum ſit ipſemet aut debeat eſſe *lucidus ille Sol* promiſſus, *ſublimis ille Theologus, in rebus hiſce* (ſpiritualibus) *ſumme exercitatus*, cujus *Scriptio adverſus libellum* meum futura ſit *perfecta* quædam, & *neceſſaria* ac *funditus explicita* harum rerum *diductio*. Atqui credo, id nemini, cui quidem D. Doctor *Auguſtus Pfeiffer* ejuſve ſcripta innotuerint, ullatenus de eo perſuaſum fore, tametſi D. Magiſter noſter in ultimo ſuo ſcripto auctoritatem ejus maximopere prædicet, quæ tamen (ne per eam veritati fraus fiat) tam levis eſt ponderis, ut merito dubites utrum ad res ſpiritales interioreſque percipiendas ac judicandas ullus ſit in toto eruditorum orbe Doctore iſto ineptior, quippe qui mentem & ætatem totam occupatus triverit circa iſtiuſmodi objecta quæ non divinas animæ facultates, non intellectum, non rationem ipſam, non judicium, ſed memoriam ſolam exercent,

un-

ut plurimum, circa rerum nempe ac circumſtantiolarum cortices externos, circa linguas exoticas, verba orientalia, numerationem *nominum plus octoginta* quibus *mel*, plus *ducentorum* quibus *ſerpens*, plus *quingentorum* quibus *leo*, plus *mille* quibus *enſis arabice* appellentur: *quot ſint* item *in Alcorano Medinenſi literæ*, quot *vocabula*, quot *verſiculi*; & hujus farinæ ſimilia, uti è libris ejus apparet, in quibus abunde omnis iſtius generis farragines, immaneſque citationum judicio ſecluſo coacervatarum cumulos reperturus eſt quiſquis iſtiuſmodi rhapſodias vel tantillum reſpicere dignabitur. In eo vero libello quem contra meum edidit (quique nihil aliud eſt quam Syntagma octo concionum quas prius in me libellumque meum, minime a me læſus, imo mihi incognitus, publice habuerat,) tam parum ſpiritualitatis, ne dicam pietatis vel æquitatis, tanta judicii & rationis penuria, imo tam parum decori & honeſti apparet, ut interdum nil minus te putes audire quam gravem Theologum concionantem. Contumeliis non raris, ludicris loquendi modis, inſultationibus puerilibus, proverbiis inſulſis totum ſcriptum ſuum, (totaſve conciones) ſubinde interſperſit. Luſit paſſim e ſuggeſtu in ſono vocabulorum ac pronunciatione literarum: me, ob titulum libello ab aliis præfixum, nominat neſcio quoties klug & ſuper-klug! atque id quidem, ut putat, magno cum acumine. Libellum meum adhuc acutius appellat, fliegender Brieff ohne f; quod argutandi genus neſcio utrum inde habeat, quod olim inter ſcholares forte audiverit Geſell ohne g. Eo quod Dominicæ Orationis contenta paucis verbis contraxerim, quaſdam etiam alias preces juxta commendaverim, arguit auctorem *ſuper*-klug de non intellecta Oratione Domini; ac protinus venuſte ad auditores ſuos exclamat, *ſed quid ad vaccam moſcata?* Tum concionatur quomodo illa & illa dicantur Græce, Hebraïce, Rabbinice. Uno verbo, *Solis* iſtius radioſa ſpicula adverſus Libelli de Educatione liberorum veritates Chriſtianas, quarum ſolide capiendarum minime idoneus eſt, ita obtuſa ſunt, ita inepte jaculata, ut merito dubites, utrum Magiſtri noſtri *parvo lumini*, *Solis* hujus *lucidi lumen plenum* non ſit jure merito poſtponendum, & vel minus quid quam lunaticum reputandum. E triginta circiter quæ libello meo objecit, eorum vel viginti quatuor dudum exſtant inter Hamburgenſes objectiones, quas ſive

expi-

Digitized by Google

expilavit, ſive denuo poſt alios ſuccinit; ſic ut ea ulteriore non indigeant reſponſione. Cetera ſex aut ſeptem, quæ ſuperſunt, vel aperte falſa ſunt, ut quando ait, (*a*) me Lutheri Catechiſmum voluiſſe è manibus excutere; me (*b*) rejicere modum catechiſandi per quæſtiones & reſponſiones; me (*c*) Academiis & Scholis (abuſui earum debuiſſet dicere) inimicum eſſe; (*d*) rejicere diſputationes (cœcorum debuiſſet addere) de rebus fidei: vel ſunt ridicula, ut quando poſt falſo relatam ſententiam meam de non retinendis niſi neceſſariis, objicit ludicre, (*e*) hoc furibus auctoritatem dare ſuperflua aliorum diripiendi; & cum contendit (*f*) male infantibus comedenda urgeri ea, a quibus averſo ſint animo; tametſi de horrore vincibili ac ſanitatem non lædente ſum tantum locutus; vel ſunt inter ſe pugnantia, veluti cum dicit, (*g*) a Deo poſtulari perfectam Spiritus obedientiam, ubi paulo ante (*h*) deriſorio modo reprehenderat in libello meo ſpiritalem mandati ſexti explicationem: vel ſunt carnalitatis murmurationes, ut (*i*) cum *horrendam* appellat acquieſcentiam in privatione honoris aut commodorum in qua Deus juſte permittit ut interdum derelinquamur: quod acquieſcentiæ præceptum abſurdius adhuc ad dæmones aut damnatos applicare vult objectator, nec non & falſo inſinuare, id quod comparate de contemtu dixi, præ laudibus ab animo humili eligendo, non abſolute tantum, dictum eſſe a me, ſed & eo ſenſu, ac ſi contemtus cauſæ ac occaſiones affectandæ eſſent ac præbendæ, idque etiam ab iis qui aliis præſunt, ut a ſubjectis ſuis contemni poſſint: vel denique talia ſunt, ut arguant in D. Superintendente cognitionem admodum tenuem rerum maxime (*) trivialium; v. g. cum objicit, (*k*) male in libello voluntatis culturam præponi culturæ intellectus; male deſiderium ante cognitionem collocari; id eſſe, *equos currui poſtponere*; *ignotique nullam eſſe cupidinem*. Verum longe melius faceret profecto D. Doctor ſi ſe impoſterum potius occuparet in numerando, quot ſint ſyllabæ in *Talmude*, quam ut refutare ea ſibi ſumeret ad quæ intellectus ejus minime conſtitutus eſt: etenim vel pueri ſciunt, cognitionem rerum quarumvis diſtinctiorem & penitiorem ne-

ceſſari

(*a*) pag. 34.
(*b*) pag. 37.
(*c*) pag. 77.
(*d*) pag. 116.
(*e*) pag. 95.
(*f*) pag. 152.
(*g*) pag. 40.
(*h*) pag. 39.
(*i*) pag. 96, 97.
(*k*) pag. 38.

(*) Triviale *eſt etiam in Scripturis Sacris, bonam voluntatem præire debere ſpecialiorem rerum divinarum cognitionem, teſte vel ipſo Chriſto*; Si quis voluerit voluntatem Dei facere, cognoſcet de Doctrina mea. Joan. 7: 17.

Digitized by Google

ceſſario præcedi a deſiderio maxime ſerio eas indagandi, utut prius generalior & confuſior debuerit antecedere cognitio quod res illæ dentur, & quid eæ ſint generatim. Ita dixi ego in libello, ante omnia habendas eſſe notitias quaſdam generales tum de Deo ejuſque attributis, tum de Anima ejuſque facultatibus; poſtmodum vero, ut ad ſpecialiora indaganda & penitius excolenda deſcendatur, deſiderium voluntatemque debere neceſſario præcedere. Hoc poſſit D. Doctor vel experimento ſuo aliquatenus capere: nam antequam ſpeciatim cognoſceret *dari literas 323015 in Alcorano Medinenſi*, debuit ſane prius cognitio hæc ſua præcedi a deſiderio & voluntate iſtud indagandi, cognoſcendi, & labores ac vigilias ad notitiam adeo momentoſam ſubeundi; tametſi hoc deſiderium debuit viciſſim præcedi ab alia notitia, quod ſcilicet detur alicubi Alcoranus Medinenſis: verùm hæc confuſior ac generalior notitia nil ad cognitionem ſpecialiorem ſola contuliſſet; conſtat enim omnes qui Alcoranum dari ſciunt, non tamen propterea euſque ſapere ut ſciant quot ſint in eo literæ. Cur? quia defuit ipſis tantæ ſapientiæ ac cognitionis deſiderium efficax, ſeriaque voluntas, quæ neceſſario præcedere debuiſſent numerationem & ſpecialem cognitionem literarum Alcorani Medinenſis. Videt ergo D. Doctor *equos non* ideo *poſtponi curru*, quod in anima excolenda intellectus poſtponatur deſiderio & voluntati. Atque utinam hanc Methodum D. Doctor, multique cum ipſo alii, in divinis rebus adhibuiſſent, & deſiderium ſuum cum ardore, humilitate & puritate, prout in libello docetur, circa eas res exercuiſſent! Tunc illis eæ alio ſane modo ac factum eſt, ſapuiſſent; indeque didiciſſent, illas non contemptu, non irriſione, non conviciis, non ineptis objectiunculis, non depravationibus perpetuis coràm plebe odioſas reddere: ſed eas potius quam maxime ſerio auditoribus ſuis, ceteriſque omnibus, commendare: quod faxit Deus ut ad ſalutem & propriam & communem, ipſi agant in poſterum, vera malegeſtorum pœnitentia tacti, & ſalutari anteactorum pudore ſuffuſi.

Sin minus, non tantum olim (at nimis ſero) deprehenſuri ſunt, quam peſſime animabus tum ſuis, tum ſibi concreditis conſuluerint; ſed & nunc quoque temporis ſe a ſpe ac ſcopo ſuo dejectos experientur ſi in propugnandis ſuis adverſus verita-

Digitized by Google

tem conaminibus perrexerint. Etenim omnes qui rerum momenta ſagacius ponderabunt, eaque ex æquo æſtimaturi ſunt, faciſlime ſunt animadverſuri, adverſarios, ſiquando criminationes ſuas defendere voluerint, ab earum momentoſiſſima maximaque parte coactos fore uti tunc diſcedant, v. g. ab accuſationibus Pelagianiſmi, Socinianiſmi, Sabellianiſmi, negatæ Reſurrectionis, omiſſæ Meritorum Satisfactioniſque Chriſti tum in Oratione Rusbrochiana tum in libello de Educatione mentionis, prætermiſſæ item fidei & pœnitentiæ doctrinæ, minutæ Magiſtratuum Auctoritatis, & a pluribus aliis: unde cuivis ſanæ mentis promptum erit colligere, eos qui in his & ſimilibus falſi ſunt, in ceteris quoque minoris momenti non minus eſſe falſos, utut ad contextum & verba libelli provocaturi ſint veteres cavillationes ſi novis voluerint contegere. Verum enim vero, quis hiſce crediturus eſt egregiis interpretibus qui Pelagianiſmum, Sociniaſmum, Sabellianiſmum, Meritorum Chriſti prætermiſſionem &c. in iis verbis, in quibus contrarium evidentiſſime ad oculos patet, interpretantur tamen ineſſe, idque, ut dicunt, tam clare, (a) quam in verbis, *tu es nebulo*, contineatur hominis improbi deſignatio? Puderet me ſane in poſterum ſerram contentionis cum audaci & impudenti iſtiuſmodi Interpretum genere diutius reciprocare; quapropter quicquid ſunt deinceps excepturi, eos oris ſui profluvio, meum autem Libellum propriæ veritatum illic contentarum firmitati, proborumque omnium conſcientiæ permittere decrevi. Quamvis enim vel ſolidiſſimas agni reſponſiones protuleris, exceptiones non deerunt Lupo, quibus vim faciat innocentiæ.

(a) M. V. falſus interpr. pag. 8 & 9.

(b) Phædrus.

(b) Ad rivum eundem Lupus & Agnus venerant
Siti compulſi: ſuperior ſtabat Lupus,
Longeque inferior Agnus: tunc fauce improba
Latro incitatus jurgii cauſam quærit.
Cur, inquit, turbulentam feciſti mihi
Aquam bibenti? Laniger contra timens,
Qui poſſum, quæſo, facere quod quereris, Lupe?
A te decurrit ad meos hauſtus liquor.
Repulſus ille veritatis viribus,
Ante hos ſex menſes ait maledixiſti mihi.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondit Agnus; Equidem natus non eram.
Pater, hercule, tuus, inquit maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat injuſta nece.
Hac propter illos ſcripta eſt homines fabula
Qui fictis cauſis innocentes opprimunt.

Atque utinam ejuſmodi Lupi ipſos inter Chriſtianos affatim non reperirentur, eſſetque Eccleſia Dei, haud ſecus atque Anglia, Lupis omnibus inacceſſa, quæ ab eis tamen eo pernicioſius vexatur & diripitur, quo magis ſub pelle agnina, ſub prætextibus Sacrarum rerum, Eccleſiæque ipſius conſervandæ, imo ſub officio paſtorali & profeſſione Spiritali ac Theologica, occultantur: unde fit, ut quamquam & in Chriſtianiſmo, & in Eccleſiaſtico Ordine adhucdum interſint probi non pauci; quoniam tamen ii, pro lege Chriſti, mites, in ſe collecti, & quieti ſunt; improbi autem numero plures turbulenti, atque extra ſe longe lateque omnia perturbantes; illorum & animi & fructus pacifici, per horum inquietam turbulentiam ita vel ſupprimantur, vel obruantur ac conterantur, ut totus Chriſtianiſmus, quin totus Eccleſiaſticus Ordo, *latronum ſpelunca* audiat in Sacris, haud ſecus ac apud auctores ceteros quorumcunque ſeculorum, ex quibus pro concluſione proferre libet unius illorum Juriſconſulti, ac Profeſſoris olim Academici, ſequens (quod probi minime ad ſe trahent) teſtimonium, ex ampliori oratione, nonnullis prætermiſſis, contractius, ubi per Rhetoricum ſchema DIVINAM SAPIENTIAM, (poſtmodum vero & ſaniorem Theologum) has introducit moventem querelas.

„ Theologorum injuriis contumeliiſque ſic excepta ſum, ut *P. Cunæus.*
ubivis eſſe quam in regno meo malim. Omnia late homines in- «
quieti contentioſique tenent, qui haud me ſane, ſed pellices «
meas ſecuti, ſacra noſtra Religioneſque jocum & riſum fecere. «
Equidem apud eos meorum inſtitutorum nec volam nec veſti- «
gium reperio. Inſitum illis eſt quanto magis falſa ſunt quæ «
ſunt, tanto plura facere. Imperitæ plebi illudunt, apud quam «
ſumma ſecuritate & ingentibus præmiis peccatur. Hanc curis «
vacuam, ſine veri falſique diſcrimine in veſte & habitu ſtupen- «
tem, blanda oratione trahunt in omnem partem. Sedet circum- «
fuſa multitudo, atque aures ſeu flabellum adducit diducitque, «

Digitized by Google

„ & quicquid audit, probat; ac quam quiſque minimum intelli-
„ git, tam maxime fidens eſt. De rebus obſcuris omnes ceu de
„ certis judicant; & ad quamcunque ſunt ſententiam quaſi tem-
„ peſtate delati, ad eam tanquam ad ſaxum adhæreſcunt. Neque
„ mihi ſatis conſilii eſt, vecordiam an ſuperbiam eam appellem:
„ nunquam enim perperam aliquid didiciſſe volunt videri: ſcili-
„ cet, quaſi immane crimen foret a cognito & damnato errore diſ-
„ cedere, & quæ male alios docuerunt, dedocere. Quod ſemel
„ dixerunt, qualecunque eſt, fixum ratumque manet. Ita, quod
„ unum ſupereſt, pertinaciam induunt pro cauſa, regnumque ſibi
„ vi atque factionibus muniunt. Quiſquis Dei numen obtendit,
„ ſtatim efficit, uti ceteri credere quam judicare malint; illudque
„ habeant ratum, quod ab eo, quem ſequuntur, ſemel audivere.
„ In hujus verba Sacramentum jurant: hujus ſomnia [calumnias]
„ & deliramenta amplecti, certum omnibus obſtinatumque eſt:
„ & quod præſcriptum & quaſi imperatum eſt, defendunt ex ne-
„ ceſſitate. Quo odio illos eſſe dignos creditis qui in mentem cu-
„ juſque adfectant imperium; nobiliſſimamque partem, quæ ſola
„ mancipio non datur, ſervire docent? Me quidem eorum vehe-
„ menter & piget & pœnitet. Itaque fatigatas manus do, locum-
„ que iis facio ut ſe jactent vacua in aula, ac ſuomet ipſi more præ-
„ cipites eant. Aliud regnum aliaſque ſedes quæro: quas ubi ter-
„ rarum reperiam, nimis incerta ſum.

Tum Theologus de ſuis collegis:

„ Ipſi omnibus vitiis pleni, exempla ſe inutilis diſciplinæ cir-
„ cumferunt. Efficaciſſima docendi ratio eſt, vivere uti præcipis;
„ eaque in primis hoc in ſe boni habet, quod probat quæ juben-
„ tur, fieri poſſe. Quid mihi caritatem, concordiam, amorem
„ mutuum laudant? monſtrabo quod rerum omnium primum eſt:
„ Faciant quæ dixerint. Non ignota loquor; ſed quæ in ſacellis
„ noſtris vidi, & quorum pars magna cum dolore eram. Equi-
„ dem quoties conciliabula eorum obivi, non aliam quam in ludo
„ gladiatorio vitam cernere videbar. Adſunt una in iiſdem Tem-
„ plis, colloquuntur, res omnes ſimul adminiſtrant: Mox alter in
„ alterum levi compendio ducitur. Fingite aliquos in re dubia &
„ levi a ſe invicem diſſentire: ſtatim eos mala mens furorque ve-
„ cors in ſimultates, bacchationes & ſcenica maledicta aget. Ve-
„ litis, nolitis, aliter hæc ſacra non conſtant. Propria Ordinis il-
lius

Digitized by Google

lius Virtus eſt Animo feroci eſſe, in omnes incurſare, neminem “
metuere. Sed maxime Ambitio animos eorum verſat. Ea, res “
cunctas non ex bono honeſtoque; ſed ex libidine agere, ſpecio- “
ſis nominibus pium ſanctumque ſtudium ſimulare, ceterum re “
ipſa privatam gloriam quærere edocet. Ite nunc; & qui man- “
ſuetudinem, modeſtiam, fidem, vilia habent, eos eſſe viros bo- “
nos dicite. Quicunque aliqua laude excellunt, aut cogitatione “
[& probitate] eminent ſupra turbam, eorum vividam animi vim “
rectoſque ſpiritus frangere conantur. Sive quod in alio ſua quem- “
que natura delectat, ſive ne ſtudium omne vulgi ab indignis & “
non idoneis ad dignos & idoneos transferatur. “

Hactenus e Cunæo. Quæ quidem (iterum atque iterum dico) Theologorum probi ob ſe dicta neutiquam cenſebunt: ut neque eis mirum videbitur, ſi quemadmodum vel ipſum Dei nomen inter gentes ob improbos ſeu Iſraëlitas ſeu Chriſtianos blaſphematum eſt ac contumelioſe habitum; ita & nomen *Theologi*, quanquam venerandum, peſſime tamen audire contingat inter homines, propter quàm plurimos qui peſſima quævis & atheologa, ne dicam diabolica facinora, cum quibus plebejorum nulla ſunt comparanda, ſub eo perpetrant ac palliant: idque ea fronte eaque audacia, ut nedum timeant coërceri, prœmia & coronas propterea expectare ac poſtulare videantur. Cui malo dum ab iis, quibus licitum erit & debitum, providebitur, ſatius fuerit interim omnia Deo placidâ conſcientiâ committere: id quod ego quidem hoc de negotio, quantum id me reſpicit, ſpero deinceps me facturum: namque non latet Deum, cordium Scrutatorem, me quicquid in libello iſtis adeo inviſo comprehendi, id e ſincero cordis propoſito ad Nominis ſui gloriam omniumque ſalutiferam utilitatem ſine partium humanarum ſtudio ex Euangelica Filii ſui doctrina veluti ſubſtantiæ ejus Epitomèn depromſiſſe, cui nullus, niſi tenebras aut improbitatem animi ſui palam faciendo, adverſari queat. Iſti autem ſi hoc fecerint ex ignorantia, diſpellat Deus luce ſua eorum tenebras: ſin e malignitate, tangat illos interius, ut eos malefactorum ſuorum pudeat & pœniteat, atque ita ab improbitate converſi ac reſipiſcentes, divinam conſequantur miſericordiam, quam pro illis ex intimis animæ meæ poſtulo *a Domino* Jesu, *ut ne ſtatuat illis hoc peccatum!*

Digitized by Google

ACCESSIO CORONIDIS,

De Doctoris AUGUSTI PFEIFFERI EPISTOLA *quadam inſulſa ad Auctorem, quam* APOLOGETICAM *dicit, cum Operibus ejus Philologicis nuper Ultrajecti recuſa.*

In Scaligeranis.

OMnium facillime poſſe falſi convinci quod de Lutheranis judicium, olim tuliſſe fertur Scaliger, Lutherani ſunt clamoſi & crudeles, *res ipſa loquitur innumeros ſi conſideres qui inter illos, præſertim in Politico atque Oeconomico Ordine, ſunt, ſemperque fuerunt, viros moderatos atque optimos. At perſpicacem virum in hocce judicio ſuo reſpexiſſe ad eorum Eccleſiaſticos (exceptis tamen non paucis probis) minime dubium eſt, & experientia non ſemel facit evidens. Id vero nunquam forte ſingularius patuit quàm quando ut Paſtor probus ex officio, domo & urbe cum familia tota ejiceretur, adeo clamoſe, adeo inhumane in eum libellumque ab eo editum, uti vidimus, inſurrexerunt. At quis exſpectaſſet ab aliquo quem res ea neutiquam tangebat, quique valde diſſitus, in alia agebat civitate, boni viri crudelem illam oppreſſionem per clamoſas conciones in Templis ac libris eſſe quoque promovendam? Id tamen a D. A. Pfeiffero factum eſſe vidimus. Nec ſatis. Reponebat enim illico ob tres reſponſionis pagellas (quæ præceſſerunt) clamoſiorem Epiſtolam, e meris logis vanis, & phraſibus comicorum conviciosis congeſtam, quam vero, etſi ille eo tempore (à duodecim jam annis) ſeorſum ediderat, reliqueram tamen ſuis fatis, haud ſecus ac inanium ſonorum bombos ex ſe illico evaneſcendos, quando, eo dudum mortuo, ipſius vel amici vel propinqui, clamores iſtos ex auribus & memoria hominum evanuiſſe dolentes, eoſdem poſt illius* Opera Philologica, *nuper Ultrajecti recuſa, curaverunt denuo reſonare, ac etiam per novellas publicas, Relationeſve ordinarias, notato quoque nomine meo, ut qui ibi ſim impetitus, toto Orbe perſonare, quibus vero diſcutiendis arbitratus ſum ſequentia & impendenda eſſe, & ſatis eſſe ut ſtatus quæſtionis ſaltem bene capi poſſit, cujus examen ſpecialius ac de eo ſententiam cuilibet inquirere volenti permitto.*

In hac quæſtione, ſive lite, prænotanda ſunt maxime & neceſſario nonnulla tum de me, tanquam de Libello Educationis Liberorum auctore; tum de Cl. D. Horbio, ut editore in Germanico

manico idiomate; tum etiam de oppugnante illum, libellum & me, D. Pfeiffero: in quibus res ſic habet.

Ego libellum eum fateor me compoſuiſſe, paſſum eſſe ut primum Gallice prodiret. me autem plane inſcio Hamburgi & Lipſiæ Germanice, & duplici quidem ex interpretatione editus eſt. Ob eum mihi gratias egerunt plures, & inter Theologos Lutheranos, nonnulli Doctores, Paſtores, alii eruditi. Dominum D. Pfeifferum nunquam ego antea re, neque verbis, neque cogitatis læſeram: erat ille mihi incognitus, ita ut de eo deque aliis, nihil cogitaverim, niſi quatenus generalius in precibus includebantur quæ quivis tenetur pro genere humano genteque Chriſtiana ad Deum fundere.

D. HORBIUS libellum, cujus auctorem ignorabat primum, ab alio Germanice redditum, ediderat & commendaverat. Is erat Paſtor in parœcia Hamburgenſi quæ S. Nicolai dicitur, ſuis auditoribus charus, pius, pietatis ſolidæ exemplum, promotor & prædicator; idem & nonnullis ſui Ordinis, dein (per attractionem) & reliquis (tres quatuorve ſi excipias) inviſus. qui, cum eum aliter impugnare & deturbare non poſſent quam per fas & nefas, occaſione e libello edito ac commendato deſumtâ eum in modum vexatus eſt, ut tandem e munere, e domo, ac e civitate cum familia excedere coactus fuerit, licet à non paucis Theologis, imo & ab Academiis Lutheranis defenſus, ſemper ſuis, etiam poſt mortem, charus, è cujus Parœciæ Miniſtris unus cauſam his verſibus expreſſit,

(a) *Uſque adeo inviſa eſt probitas, odioſaque virtus;*
Tempore namque malo, vitio datur eſſe pudicum:
Eſt ſcelus eſſe pium: Secli eſt hac gloria noſtri:

(a) H. Dornemann. V. D. Miniſt. ad Nicolai, in libro German. *Sincera Confeſſio Veritatis.*

D. AUGUSTUS PFEIFFERUS, Theologiæ Doctor, Paſtor Primarius & Superintendens Eccleſiarum Lubecenſium, incipiebat jam fieri celebris inter vexatores illorum qui pietati dicebantur addicti: at de eo Conſiſtorium ſive Seniores Parœciæ Horbianæ, S. Nicolai, nihil niſi optime meruerant: quando, dum in Saxonia ageret, ipſum, inſtanter id rogantem, vocaverant in Paſtorem ſuum: & quamvis paulo poſt vocatio Lubecenſis, altioris gradus & amplioris ſalarii, ſeſe D. Pfeiffero offerens,

ipſi

ipſi legitima cauſa viſa ſit fidem veniendi Parœciæ Nicolaïcæ datam non præſtandi, id tamen cum tanta grati erga eos ſemper animi tamque officioſa teſtificatione faciebat, ut nulla niſi gratiſſima ab illo officia ſibi in poſterum promittere potuerint. quæ omnia a fide dignis illius parœciæ membris ſunt olim ſcriptis mihi aſſeverata. Quid autem fit? Libellus forte meus ad manus quorumdam Lubecenſium pervenit: diſcit & ſimul Doctor noſter quo in periculo Seniores ac Parœcia S. Nicolai verſentur amatum ſibi Paſtorem Horbium, ea occaſione per reliquorum impetus impugnatum, amittendi: & ecce! qui illis gratæ mentis teſtimonia ſancte promiſerat, non dubitat illico ſeſe eorum oppugnatoribus clamore & ſcriptis adjungere, quo factum eſt, ut vir optimus facilius fuerit oppreſſus, ejuſque Parœci atque Patroni, qui aliud grati animi teſtimonium a D. Pfeiffero exſpectaverant, ſuo Paſtore dilectiſſimo fuerint deſtituti. Meum autem libellum ſimul, meque etiam, cui etſi nihil ſpecialius debebat, debebat ſaltem jura humanitatis, ne dicam Chriſtianæ Charitatis, adoritur idem iis modis, quos ſane ab Eccleſiarum Chriſtianarum Paſtore primario Theologoque minime exſpectaviſſes. Conſcendit quam primum Cathedram, locum Charitati Chriſtianæ inculcandæ ac promovendæ conſecratum; & octo conciones ſacras coram univerſo populo deſtinat, clamoſeque pronunciat, ac poſtea typis etiam per Orbem divulgat, in quibus quæcunque in libello dixeram intentione omnino bona ac Chriſtiana, ille vel malis accenſet; vel quantum poteſt depravat, uti mala appareant, malaſque inde eliciat conſequentias: qualia ſunt quæ reprehendit de commendatione Siracidæ, de diviſione Decalogi ac orationis Dominicæ, horum ſenſu ſpirituali, de imprecationibus Pſalmorum, de laudibus humanis, de acquieſcentia in Dei juſtitiâ ejuſque erga pios exercitio, de gaudio temporalium, de obſervatione mandatorum Dei, ac ſimilia: tum graviſſimè accuſat me, generalius quidem, (a) *in me eſſe Spiritum Enthuſiaſticum ac Quakeriſticum; meque ex animo velle liberos ſpoliare vero Catechiſmo, vera divinæ legis intelligentia, vera fide, Dominica Oratione, verbo, & ſacramentis:* tum ſpecialius mihi imputat, (b) abrogationem efficaciæ verbi Dei, & (c) Scientiarum, & (d) hoſtilitatem in Scholas publicas, & (e) Sabellianiſmum: & (f) prætermiſſionem tam fidei in Chriſtum,

(a) Pfeiffer. Klügheit in Concione VII. pag. 173.
(b) (c) Conc. II. p. 53 & 54.
(d) Conc. III. p. 77.
(e) Conc. V. p. 117.
(f) Conc. V. p. 115.

(a) quàm

(a) quàm pœnitentiæ: (b) negationem item reſurrectionis: (c) Orationis Chriſti indifferentiam: (d) Sublationem amoris liberorum erga parentes; (e) & honoris erga homines; (f) modi quoque catechiſandi per quæſtiones: (g) neque favere etiam furibus, & ſi qua alia, quæ neque in mente mea neque in libello unquam apparuere. Perſonam autem meam, ubi prius auditores ſuos monuit me eſſe homine natione Gallum, religione Reformatum (Conc. I. pag. 35.) non tantum ſæpius phariſæis ac fanaticis accenſet; ſed & nominat me ſpeciatim, hypocritam, (Concio III. pag. 76.) Weigelianum ac Enthuſiaſticum Scholarum hoſtem (Conc. ead. p. 77.) Spiritum fanaticum, (Conc. II. pag. 56.) mirum ſanctum, (Conc. IV. pag. 97.) Cœcum ductorem (Conc. VI. pag. 172.) Cuculum, Conc. III. pag. 78.) Orationi Dominicæ intelligendæ æque aptum ac eſt vacca ad moſcatam, (Conc. VI. p. 151.) moroſum cacabum (Conc. IV. p. 99.) paſſim autem & ſæpius ſuperaddit titulos ſtoliditatis, amentiæ, naſutæ amentiæ, ac ſimiles, (Conc. I. p. 40. Conc. III. p. 76. Conc. IV. pag. 94, 97, 99, &c.) prætereo modos ludicros quibus horrorem & odium ſuorum ac omnium in me libellumque meum volebat ſannis & irriſione condita ut eſſent. & hactenus quidem me iſtorum omnium plane neſcio, imo, niſi fallor, tunc temporis ignorante utrum D. Pfeifferus in rerum natura exiſteret.

(a) Conc. VIII. pag. 207.
(b) Conc. V. p. 117.
(c) Conc. VI. p. 149.
(d) Conc. III. p. 74.
(e) Conc. III. p. 76.
(f) Conc. I. p. 37.
(g) Conc. IV. p. 95.

Jam a quovis cordato Lectore (& hoc eſt primum poſtulatum meum) quæſitum velim, *utrum homini ab alio, quem neque læſit neque novit prius, iſtis modis per conciones & libros vulgari idiomate publicatos impetito, non liceat aliquid reſpondere, innocentiæ ſuæ cujus conſcius eſt, defendendæ gratiâ?*

Forte melius, & modo Chriſtianum hominem magis decente, feciſſem, ſi cum ſilentio iſta omnia patienter tuliſſem, tum imitandi Chriſti gratiâ, tum ne naturæ corruptæ motibus in reſpondendo aliquis daretur locus, quod evitare difficillimum eſt: qua in re ſi reſpondendo peccavi, Dei hominumque judicio, atque merito ob culpam pudori ac dedecori, me humiliter ſubjicio. Attamen credidi ipſas etiam veritates ſalutiferas exigere a me uti eas ex odioſis ac horridis, quales denigratæ erant, ſuo nitori reſtituerem, idque ad omnium utilitatem quibus inde proficere volupe eſſet.

Digitized by Google

Hoc ergo tentavi vel tribus pagellis in coronide præcedenti, ubi omnia gratuiti Aggreſſoris convitia, ipſi condonavi neque reddidi: non amentem, non ſtolidum, non hypocritam, non hæreticum, cuculum, bovem, cacabum, & quæ cetera in me ſua ſunt dicteria, eum eſſe dixi: e triginta circiter accuſationibus ab illo in me clamitatis reliqui (ei parcendi gratia) plus viginti intactas quantum ad ejus reſpectum, contentus earum ſubſtantiam in Reſponſionibus ad articulos M M. H H. (a) quibuſcum concordabant, confutaſſe D. Pfeiffero minime ibi deſignato. Cetera, nec ſine neceſſitate, videri poſſim obiter ſolum tetigiſſe.

Nam cum nonnulli ad ejus eruditionis auctoritatem adverſus me publice provocaſſent veluti *ad Solem ipſum lucidum, ad Theologum ſublimiter eruditum & in hiſce admodum exercitatum, cujus Scriptum contra me perfectum quid futurum eſſet, eque fundo deductum:* hoc præjudicium, defenſionis juſtæ neceſſitate debui amovere, monendo de eruditione ſua, eam eſſe alterius generis, ac in hocce quidem ſubjecto nullius auctoritatis. Cum luſiſſet ille aliquoties in vocibus, ſyllabis & literis adverſus me ac titulum libri, putavi mihi licere vel ſemel ipſi una atque altera linea oſtendere exemplo è ſuo, *Tibicinis*, nomine ducto, quam ſapidus ſit ille ſuus argutandi modus, qui in concionibus ſacris publice ab illo toti plebi exhibitus eſt. Quando addidi, *Scriptum ejus* (Concionum volumen) *contumeliis non raris, ludicris loquendi modis, inſultationibus puerilibus, proverbiis inſulſis interſperſum eſſe:* ibique omnino *deſiderari ſpiritualitatem, pietatem, judicium, rationem, decus & honeſtum*, ceteraque *gravi Theologo*, ne dicam Concionatore *digna*; nemo non videre poteſt vel e paucis illis exemplis quæ in medium attuli, id ad literam eſſe verum, quod & magis patebit ſi præterea eædem Conciones vel totæ perlegantur, vel ſaltem inſpiciantur, v. g. Conc. I. pag. 35. Conc. IV. pag. 95, 96. Conc. VI. pag. 149. 151. Conc. VII. pag. 171. Conc. VIII. pag. 195. &c. Quod ſi de cetero in mea ad illum reſponſione aliquid dictum ſit hilarius, idque ſit reprehendendum, ſciat velim Lector illud mihi quaſi per contagium ex ejus ludo-

(a) Concordabant cum Artic. Supr. 1. 2. 4. 5. 7. 8. 17. 18. 19. 21. 23. 26. 28. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. ita ut abſurde dicat Pfeifferus in Epiſtola ſua, *me reſponſum declinaſſe.*

Digitized by Google

ludorum e Cathedra Sacra plebi datorum lectione vel invito adhæſiſſe. Reliqua, ut palam eſt, in Coronide breviſſime parcendi gratia exegi.

Qui vero meus *reſpondendi modus erga hominem me gratis iſto pacto aggredientem, utrum æquitatis lineas tranſiliat ac rationis*, judicet quivis æquitatis amans. Et hoc eſt alterum quod poſtulo.

Judicet & illud, *annon*, ſi mens noſtro non læva fuiſſet, *ejus erat officii poſt parvulum reſponſum meum pudore ſuffundi in ſinu ſuo* & *coram Deo* ob inimicas illas & pudendas in hominem à quo non læſus erat Conciones, *veniam culpa deprecari*; *coram hominibus vero*, *ſaltem tenere ea in re deinceps altum ſilentium?* Hoc tertium eſt poſtulatum meum. IV.

Tantum autem abeſt ut poſt ludos iſtos famoſos de me libelloque publica voce ac ſcripto datos, meamque defenſiunculam, ad pudorem, ad pios pœnitentiæ motus, ad ſilentium vel ad æquitatem ullam paſſus ſit ſe redigi; ut potius videatur inde novos aggrediendi, clamandi ac conviciandi animos ſumſiſſe; pœnitere eum ſe e Cathedra non ſatis comicum egiſſe, quin & ipſa humanitatis communiora jura, & quid ipſemet fecerit, omnino oblitum eſſe.

Putat, ea quæ in me aggrediendo fecit, ſibi jure licuiſſe omnia: mihi nefas fuiſſe ea declinare, & vel partem eorum minimam aliis uti ſunt repræſentare, vel de iis conqueri: quod ſi facio; reponit illico, (a) *Quis tulerit Gracchos? tune in me candida lilia jeciſti? reprehendo tuam maledicentiam* &c. Abſurde! quando ille in me adeo procaciter & inhumane concionabatur & ſcribebat, nondum poteram eſſe *Gracchus*, neque illi, neque iis qui me libellumque adorti ſunt: nondum vel *lilia*, vel lapides vel *maledicta* ignotus adhuc ignotis poteram jeciſſe? Quo igitur jure me ita calumniis publicis primum adortus eſt?

(a) Pfeiff. Epiſt. Edit. Lubec. 1694. pag. 14.

Imo, nihil fecit; me enim ita provocat in Epiſtola ſua: (b) *Prome vero jam contumelioſa illa è libello meo*, concionum. Mirum ſane! hominem, cujus dos è præcipuis erat memoria, ejus eclipſin tam facile pati.

(b) ibid. pag. 15.

Quin & deinceps me alloquitur quaſi ego Aggreſſor ejus fuiſſem; &, (ſit venia comparationi,) crabronis inſtar irritati, non convicia ſolum omnis generis expectorare in me, ſed & in omnes minus ſobrie debacchari qui me aliquo modo, etiam è

 lon-

longinquo reſpiciunt, puta in Calvinum, in Carteſium, in Virginem Bourignoniam, perinde atque in alia quædam Opera mea; ita ejus Epiſtolæ contenta & artificium ferme totum in eo ſit, quod ſit malevola & confuſa quædam congeries verborum contumelioſorum, verbis meis (non rationibus, quas ut plurimum nec percepit) audacter ac ſine bona mente & judicio oppoſitorum, qualia in puerorum adverſariis colliguntur e poëtis aliiſque profanis auctoribus ſecundum locos communes contrariorum, formularumque inſultandi, irridendi, & id genus elegantiarum: quam quidem ad rem videtur in mordacibus Satyricis, in agyrta illo Plauto (quem nugatorem nunquam legi,) in Juvenale, inque aliis ejuſdem commatis perquiſiviſſe maxime ludicra dicteria, modoſque cachinnandi, pungendi & ſcurrandi qui in aggreſſores vanos ac glorioſos dici poſſint: quos in me vibrare tentans, ratus eos in me quadrare, non animadvertit ſe illum ipſum virum, illum Pyrgopolinicem eſſe, & ipſo facto oſtendere, in quem omnia iſta dicta quadrent, atque adeo per eadem omnibus ſeſe deridendum revera dediſſe, quando quidem ipſemet eſt aggreſſor ille audax, glorioſus ille impugnator, in Sacra Cathedra ſeſe de adverſario illic miſere a ſe compellato, confoſſo & in ventos diſſipato publice jactitans. Ad ſpecialiora deſcenderem: ſed idem ubique character apparet, ubique judicii & æquitatis penuria non exigua. Exempli gratia,

E veſtigio me libellumque meum accuſat (uti lupus agnum) quod *turbas & fluctus* dederimus; imo ait, Editorem (D. Horbium,) *pati telis vulnera facta meis*; minime cogitans ſe cum ſuis, aggreſſoris partes hic agere, & quam inique ſe ipſe talem gratuito conſtituerit. Objicit mihi ſententias Carteſii paradoxas, ſatis neſcius quid ſint illæ; & quantum ego ab illo receſſerim. Calvinum, in cujus Schola me dicit innutritum, vituperat propter me, laudans hoc alicujus Lutherani verbum: *qui Calvinum novit, ſcire poteſt, non niſi grande aliquod bonum a Calvino damnatum*: tum addit, pro Calvini nomine meum nomen eſſe illic ponendum, ut dein concludat, me cum D. Pfeifferum aggreſſorem, ejuſque modos improbavi, hoc ipſo dediſſe omnibus *γνησίως* Lutheranis cauſam cogitandi *grande bonum* in D. Pfeiffero ineſſe, ac conſequenter famam ejus aſſeruiſſe, quo nomine & gratias habet, & Epiſtolam ſuam in titulo *irenicam* appellat.

Aſt

Aſt neutiquam videtur ſui compos eſſe quando ſanctam illam atque illuminatam Virginem, Antoniam B. iſti Pfeiffero nunquam oblocutam, eidemque ignotam, mihi extra oleas exprobrare geſtit. Homini non ſatis eſt paſſim maledice clamare, eam eſſe (a) *deliram*, eſſe *fanatiſſimam aniculam*, eſſe *furentem feminam*, (*) *vetulam capram*, dogmata ejus eſſe *peſtilentiſſima*, eſſe *ſputa quæ lingam*, *deliria anilia* &c. quibus modis ſe aptiſſimum eſſe oſtendit qui alterius ſenſa ſine affectu referat; imputat & ei præterea, & quidem indicatis locis ex ejus operibus, blaſphemas ac impias aliquot opiniones, de Scripturarum v. g. contemtu, de SS. Trinitate, Chriſti merito, aliiſque negatis; at eadem veritate, eadem fide, qua ille Sabellianiſmum, reſurrectionis negationem, fidei in Chriſtum ac pœnitentiæ ſublationem vel prætermiſſionem, & neſcio quot alia monſtra, in ſacris Concionibus libroque ſuo clamoſe aſſeveravit, citatis etiam locis, contineri in libello meo, neſcius interim vel ſexcenties in Apologiis pro ea Virgine ab ipſa aliiſque conſcriptis, ad iſtiuſmodi calumnias confutandas reſponſa eſſe dudum data. Porro *de linguis Orientalibus* (quarum ſtudium me vituperaſſe verum non eſt,) ſi quis ſe non ita impenſe ei dedidit ſtudio, uti ille, qui *in hoc felicitatis ſuæ partem ponere* profitetur, is ipſi eſt *aſinus ad Lyram*, convicio in maximam eruditorum partem redundante. Cetera, & quam eleganter variiſque injuriarum modis me paſſim aggrediatur denuo; me quod ejus priores aggreſſiones non laudaverim, ut *hominem incivilem & ruris plenum* traducat: quam acute methodum & ordinem in ſcriptis meis inde deſideret quod Divinorum Auctorum ſimplicitatem prætulerim artificiali ſcribendi methodo; quàm ſubtiliter in Cogitationes meas Rationales, ipſi non bene perceptas, quædam objecerit: quam vere dicat me declinaſſe reſponſum ad ſua objectata; quam apposite ad Coronidis de eo querelas difficultatumque ſuarum ſolutiones repoſuerit; relinquo iſta quibuſvis dijudicanda, qui ſatis bonæ mentis habent ut clamores & dicteria, pro reſponſis ſufficientibus non accipiant.

(a) Pfeiff. Ep. p. 5. 7. 17. 19.
(*) χαῖρον ἴειφον.

Fateor tamen duplex in Coronide erratum jure merito ab eo reprehenſum eſſe: alterum, quod vox *eclipſis* in libello meo aliquoties ex errore per y ſive ὑψιλὸν ſcripta ſit; quod erratum ille non obiter, ſed ſexies vel ſepties, emphaticè etiam, (quod

merum Pædagogum potius decuiſſet) exprobrare voluit. Alterum erratum in hoc eſt, quod ei, ut qui ipſemet *literas & vocabula Alcorani* numeraviſſet, id factum veluti ſuum coram poſui, & quidem maxime pro exemplo quo vel jocando caperet poſſet quî deſiderium præcedat intellectum ac ſpecialiorem rerum cognitionem. Et hic quidem non negat iſtam literarum Alcoranicarum numerationem rem eſſe ſua cura dignam ac in ſe momentoſam, ſiquidem inter *Soles* & *Gigantes*, coram quibus vix *Mercurius* ſim atque *nanus*, iſtos Alcorani literarum computatores numerat; ſed negat id a ſe factum eſſe, ſeque totam in ea re ætatem detriviſſe. Horum poſterius non bona fide ſimulat me affirmaſſe: prius affirmavi, qua verò de cauſa, ille in me *mentem*, *frontem & conſcientiam* deſiderat vehementiſſimè, tantillam reculam, nec malam, ſine ingenti ſtomacho ferre adeo impatiens, qui mihi tot criminoſa multis cum conviciis prior impoſuerat. Erratum meum fateor, & ſimul dicam qua mente, fronte ac conſcientia illud commiſerim. Non erat mihi ad manum liber D. Pfeifferi, ſed *Bibliotheca Univerſalis* J. Clerici tomus ſeptimus. Is libri D. Pfeifferi contenta ita narrat, ut evidenter dicat & inculcet, ſed verbis Gallicis, (pag. 261.) *Illos, qui melius quàm vulgo fit Alcoranum cognoſcere voluerint, D. Pfeiffero obſtrictos fore ob* OPERAM AB ILLO *ad iſtum librum* MAGNA CUM ACCURATIONE EXAMINANDUM IMPENSAM. *Eum enim, ſicuti dum de Maſora ageret, numerum verſuum, verborum & literarum Veteris Teſtamenti notaverat; ſic etiam id de Alcorano* FECISSE, *ac dicere, in exemplari Medinenſi eſſe tot verſus, tot verba, totque literas:* eodemque modo & illi adſcribit ſynonymorum *Arabicorum numerum* de *melle*, de *ſerpente*, de *leone*, de *enſe*. Hujus ergo viri mente, fronte, conſcientia & fide fretus, D. Pfeiffero adſcripſi quæ ea de re in Coronide leguntur. Dedi pro bona pecunia monetam quam ipſe non fabricavi, quam ab alio perito recepi, quam putavi eſſe bonam, quæ verò ſi adulterina inventa eſt, fabricatoris ejus culpa eſto, ei reſtituatur, atque in eo, ſi vult, deſideretur mens, frons, & conſcientia. Fateor tamen me triplici modò ea in re erraviſſe: primo, quod nomen Auctoris quo nitebar, non appoſuerim: ſecundò, quod de ejus fide (qui vir doctus & ſatis accuratus eſt in iſtiuſmodi rebus quæ Pelagianiſmum & Socinianiſmum non tan-

tangunt) nihil dubitaverim, licet non pauca ejus infirmitatis ac malitiæ documenta adverſus me & alios, aſt in re Pelagiana, ſim expertus. Tertium peccatum meum eſt, quod hac illius viri fide fretus, D. Pfeiffero iſtam numerationem (magni tamen ut dixi ab eo factam) attribuerim: qua de cauſa ab ejus memoria, nec non à Lectoribus veniam poſtulo qui per me id de D. Pfeiffero crediderunt, in cujus alioqui gratiam ſuppreſſi & adhuc ſupprimo Epiſtolas duas, hacce vel ſexies majores, quibus vel ante decennium accuratiſſime contenta Pfeifferiani hujuſce ſcripti epiſtolici diſcuſſeram, & evidentiſſime iniqui, falſi ac male cohærentis conviceram, licet interim veritas oppreſſa eas palam prodire videatur exegiſſe ob animos ſimpliciores, imo & pinguiores tum plebis tum literatorum, qui in veſte concionatoria, in linguis orientalibus, in titulis Doctoralibus ac Archipresbyterialibus ſtupentes, veritatem, probitatemque ipſam, & æquitatem, calculo talium hominum damnatas, eorumdem inducti auctoritate, nec ſine animarum ſuarum incommodo, horrent, contemnuntque inauditas & incognitas.

Quam in ſupprimendo continentiam ſi ſecuti eſſent auctoris amici, prima Epiſtolæ D. Pfeifferi editione contenti, abſtinuiſſem & ego a parvulo etiam hocce ſcripto meo, atque ita honori Pfeifferiano utrinque fuiſſet conſultum. Verum ii, (prout illi qui gloriam ſibi in ſua turpitudine collocant,) maluerunt neſcio quo inſultandi cœco pruritu ignominioſas Patroni ſui chartas magno cum ſtrepitu denuo Orbi veluti inſigne aliquod facinus in alterius infamiam oſtentare: ego verò debui palam facere vix aliquid unquam prodiiſſe, in quo ſequior animi character vel cujuſvis boni viri judicio apparere poſſit. Quod ſine ullis diſceptationibus hac una conſtare poteſt conſideratione.

Poſtulo, (& hoc quartum eſt, ultimumque poſtulatum meum) ut legatur Libellus de Educatione Liberorum; *eoque lecto judicetur, utrum aliquis hoc opuſculum ejuſque incognitum adhuc auctorem poſſit ita uti facit D. A. Pfeifferus, aggredi, & aggreſſiones ſuas propugnare, quin hoc ipſo ſe pietati, juſtitiæ, probitati, honeſtati nuntium mittere declaret?* O utinam iſtiuſmodi veritatum, quæ illic continentur adverſarii ac detractores, liberos ſuos ad earum tenorem ipſi educaviſſent! Non audirent deinde, non viderent interdum ab illis talia committi vitia, talia patrari facinora, ob quæ ſenectus

nectus ipſis parentibus amara evadat, & præ tædio mors acceleretur!

Fatendum eſt interim dari & alterius generis adverſarios, qui ſub fallaci moderationis, æquitatis, & tantum non amicitiæ ſpecie, plus veritati nocere poſſint, quàm turbulenta ingenia, quæ craſſis affectibus ſuis oſtendunt ſatis quantum ipſis fidei a rerum æquis æſtimatoribus adhibendum ſit. Vidimus ſuprà quid & quo affectu D. Pfeifferus de Antonia Bourignonia dixerit. Iſtud, modis adeo palam hoſtilibus & turbulentis prolatum, non ita eſt noxium, atque poſſet eſſe tecta alicujus calliditas, ne dicam malignitas, qui moderationem & tantum non benevolentiam in fronte gerens, promitteret Religionem Bourignoniæ, ipſius Antoniæ verbis ita propoſitam dare atque explicatam, ut loco Compendii Theologiæ Bourignonianæ haberi poſſit: id autem exequeretur lacerando hinc inde ex operibus ejus eas rerum ac verborum lacinias atque particulas, quas deinde ſecundum locorum communium pædagogicam methodum ita compingeret, ut abſurdæ, falſæ, horridæ, contradictoriæ poſſent apparere. Quo quidem maligno artificio & ipſæ ſacratiſſimæ ac venerandæ Dei Scripturæ, imo & concepta Chriſti verba atque dogmata poſſint vel omnium impiorum horrori exponi ſi quis inimicus in repræſentando Religionis Chriſti ex ipſis ejus verbis ſyſtemate, eo modo procedere vellet, ac, exempli gratia, promittens caput de doctrina Chriſti circa officium Parentibus a liberis debitum, vel circa matrimonium, aut amorem proximi ſcriberet: „ Doctrina Chriſti eſt: parentes honorandos eſſe; Matth. 15: 4. „ *Honora patrem tuum & matrem tuam:* attamen ita ut odio proſequendi ſint; Lucæ 14:26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem . . . . non poteſt eſſe meus diſcipulus:* quod „ odium & bellum ipſemet procurat. Matth. 12: 34, 35. *Non* „ *veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum:* imo venit pacem mittere & dare. Joan. 14: „ v. 27. *Pacem relinquo vobis:* & Marc. 9: 49. *Pacem habete inter* „ *vos:* ſic, ut etiam inimici cum pace, & quod plus eſt, cum „ dilectione tractandi ſint, ac pro eis ſit orandum, ipſiſque benefaciendum: Matth. 5: 44. *Diligite inimicos veſtros: benefacite* „ *his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus* „ *vos:* licet ipſemet id non fecit: Joan. 17. *Non pro mundo rogo:*

„ imo

imo id in cruce fecit. Luc. 23: 34. *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt:* & rurſus ſuis inimicis vivus idem maledixit: Matth. 12: 34. *progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui tum ſitis mali?* & cap. 23. ſæpius, *Væ vobis, Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, cæci, ſerpentes, genimina viperarum:* & tamen ſe dat diſcipulis ſuis exemplum imitandum ut ex ipſo manſuetudinem diſcant: Matth. 11: 29. *diſcite a me quia mitis ſum.* Item de conjugio, docet; Deum eſſe ejus auctorem, conjunxiſſe virum & fœminam, quos idcirco nemo debeat ſeparare: Matth. 19: 4, 5, 6. *Qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit: & dixit --- homo adhærebit uxori ſuæ --- Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Imo ipſe, qui dixit, *non veni ſolvere legem,* Matth. 5: 17. &, *deſcendi de cœlo non ut faciam meam voluntatem, ſed voluntatem ejus qui miſit me.* Joan. 6: 38. hanc de conjugibus voluntatem Dei ſic exequitur, ut pro diſcipulo neminem agnoſcat qui non oderit uxorem ſuam. Luc. 14: 26. *Si quis venit ad me, & non odit --- uxorem --- non poteſt eſſe meus diſcipulus:* quam qui derelinquet, magnam ille gratiam atque mercedem ab eo habebit: Matth. 19: 29. *Omnis qui reliquerit domum &c. aut matrem, aut uxorem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* En, quomodo ipſius Scripturæ, imo Chriſti verbis, monſtroſum & in ſe pugnans ſyſtema coagmentare poſſit, etiam cum moderationis larva, malignus animus qui vel neſcit, vel vult neſcire Spiritum Sapientiæ Dei eſſe tum in verbis ac in dictis ſimpliciſſimum, neque curare accurationem humanam utrum è verbis ejus maligna elicere poſſint maligni: tum variare ſua dicta, & diverſa dicere ſive pro diverſis rerum earumdem faciebus atque conſpectibus, ſive pro variis temporum, perſonarum, animarum conſtitutionibus, etſi ſæpe iſtud non moneat, neque ad vocabulorum ſenſus artificiales, vel ſophiſticos, vel æquivocos attendere: quam vero ob rem eruditi quique Theologi non parvam impenderunt operam ut multa obſervarent & inquirerent per quæ Scripturæ Sacræ loca quàm plurima, dogmata, hiſtoriæ, prophetiæ, in quibus non raro repugnantiæ ac difficultates omnis generis apparent, inter ſe conciliari & in corpus ſecum conveniens coagmentari poſſint. Apoſtolica verò Sapientia Dei plena, & Spiritu Chriſti agens, loquens atque ſcribens, id faciebat ea ſimplicitate & ſinceritate,

doli, artis & aſtutiarum falſæ eruditionis neſcia, qua ſcripſerunt & ipſimet ſancti: ſufficiebat ei ut efficeret quibuſcunque modis ne homines amplius litarent ac viverent peccato & corruptæ naturæ; ſed ſe traderent Chriſto, cujus ſpiritu impoſterum ſaperent, viverent, regerentur & facerent omnia in tempore ac in æternitate. In eo ſpiritu, ſine arte, ſine cura terminorum artificialium, eorumque ſenſus Philoſophici vel Theologico-Scholaſtici, modis illa ac verbis ſimplicioribus & popularibus ſcribit quibuſvis qui velint id facere, reperiunt vero id eſſe difficile, Chriſtum omnia meruiſſe a Patre illis qui eò tendere velint, veniam, ſcilicet, vim agendi, media omnia, Spiritum Dei, ejuſque dona, vitam denique æternam, verbo feciſſe ſatis ut illis nihil in ulla re deſit: qui autem in corrupta natura manere volunt, & tamen ſibi per merita Chriſti ſalutem promittunt, Chriſtum pro illis nil meruiſſe, nil ſatisfeciſſe, nullum hominem alterius meritis ſervari poſſe iſto pacto: id eſſe ſtultam & exitialem opinionem ac deceptionem, & ſimilia, & ſic de ceteris infinitis: e quibus quidem probi & apes mella ſalutifera, mali vero aranei venena & ea quæ cum vita pugnant, elicere & poſſunt, & tentant & faciunt, diverſo utrique eventu, ad illorum quidem vitam & gloriam, ad horum vero perniciem & ignominiam, certam coram Deo, poſſibilem coram hominibus ſi quis eorum artes æquum ducat palam detegere, atque vel e SS. Scripturarum ipſarum paralleliſmo, aliiſve ſcriptis ac rationibus in ruborem dare. Quamobrem vero non eo collineant potius qui ſe dicunt Doctores ac Theologos Chriſtianos, uti, pro charitatis natura, quæcunque vident conſtanter ad bonum ſcopum, qui eſt Deus per Spiritum Sanctum in homine glorificandus, annitantur ſi quid difficultatis forte aliqua in voce vel propoſitione ineſt, id interpretari ex indole ſcopi, bono ac benigno ac Dei gloriam decente modo, uti facere quivis bonus ſolet in Sanctorum ac piorum hominum ſcriptis? Quid inde tandem lucrabuntur ſi Dei per ſimpliciores ac ſanctiores animas opera, ipſi per artium ſuarum calliditates ac technas conentur evertere & deſtruere; eo quod per animi ſuperbiam pati non poſſint ut Deus ſua conſilia per ſimpliciores & coram mundo abjectiores perficiat? O ſi illi in ſe ipſi opera Diaboli, ut loquitur Apoſtolus, conarentur admiſſo

miſſo ſpiritu humilitatis, pœnitentiæ & ſanctitatis Chriſti deſtruere, & exhibere deinde coram omnibus *Religionem ſuam ipſis factis ſuis Chriſtianis ita propoſitam atque explicatam, ut loco Compendiuſæ Chriſti imaginis imitandæ haberi poſſet!* quam bene tunc eo in ſpiritu, inque ejus luce, intelligerent in Sanctorum ſcriptis ea quæ ipſis non contemnenda, non deturpanda, non diffamanda; ſed admiranda, ſed amplectenda, ſed omnibus bonæ mentis commendanda apparerent! Ad quod ut diſponi poſſint, atque etiam ab improbo iſtiuſmodi labore, pios aliorum labores diffamandi, abſtinere, meminerint memorabilium Chriſti & Apoſtolorum ſententiarum. Matth. 7: 1--5. & 12: 34--37. Rom. 14: 4; 13. 1 Cor. 13: 4--7. Galat. 5: 14--25. Phil. 3: 14--16. Jac. 3. & cap. 4: 11, 12. &, ſi humaniora voluerint, diſcant prius humanitatis de interpretatione jura, quæ ſemper fere negligere ſolent, quæque breviter collecta invenient in Puffendorffiano Libello de Officio hominis cap. 17. lib. 1. quibus & neceſſe erit ſedulam earum quæ, dudum factæ ſunt, quæque ſatis notæ ſunt, Apologiarum lectionem jungere, inprimis autem inſignis illius Apologiæ quæ prodiit Anglicè Londini anno 1699. & cujus pars maxima Belgicè reddita eſt typiſque vulgata anno (*a*) 1701, in qua ipſa invenire eſt *Compendium* magis legitimum *Theologiæ* & *Religionis* ad mentem ANT. B. *ipſius verbis explicatum* cum difficultatum remotione *per ipſa* quoque *ejuſdem verba propoſitâ.* Sine iſtis, quiſquis illius ſenſis ac dictis coägmentandis vel potius diſturbandis ac per falſa *Compendia* deformandis, voluerit ſiniſtra mente ſe immiſcere, alienum nomen infirmare ratus, ſuum ipſe turpiter commaculabit atque ex albo proborum delebit: quod in tempore & cum fructu optem dictum eſſe, nec ſine cauſa mature quoſvis Lectores moneri, uti ab *iſtiuſmodi Syſtematum* aut *Compendiorum titulis* ac promiſſis, ſi qua forte talia prodirent, conſiderate caveant.

(*a*) Sub titulo, *De leere van Juffr. A.B. verdedigt. Amſtelod.*

S. PAULI APOSTOLI de Doctoribus ultimorum temporum PROPHETIA.

2 Tim. III. ℣. 8, 9.

Quemadmodum Jannes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati; homines corrupti mente, reprobi circa fidem.

Sed ultra non proficient, inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit.

IRE-

Digitized by Google

IRENICUM UNIVERSALE,

PIIS QUIBUSUIS MENTIBUS

quarumcunque CHRISTIANISMI Partium

PACIFICANDIS

ACCOMMODATUM.

Digitized by Google

HEBR. XII. 14.

Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum.

Digitized by Google

IRENICI UNIVERSALIS INDEX,

OECONOMIA, ET SERIES

argumenti continua.

EPiſtola ad probos inter Proteſtantes, omniumque Chriſtianiſmi partium. pag. 256

SECTIO I.

AMICUM EX CHARITATE CONSILIUM *ad levandos animos conſcientiamque eorum, qui Eccleſiæ Romano-Catholicæ ritibus uti coguntur.*

Monitum Editoris. 263

I. Epiſtolæ occaſio & argumentum. *ibid.*

II. Articuli eſſentiales, quibus hominum ſalus ac mors æterna continentur. 264

III. Quid ſit CHRISTIANÆ RELIGIONIS membrum eſſe? Illius vis atque eſſentia in quo conſiſtat. 265

IV. Cultus, Templum, Paſtor, Exercitia quæ ad Chriſtianæ Religionis eſſentiam pertinent. 266

V. Principium & origo Cultûs externi, qui Chriſtianiſmi accidens eſt. 267

VI. Principium hoc ad cultum Eccleſiæ Romanæ applicatur. *ibid.*

VII. Qui præſentiam realem in Euchariſtia credunt, nihil mali aut [illegible]ſſibilis aut falſi credunt. 268

[illegible]. Adoratio ex reali præſentia [illegible]ario conſequitur. 269

[illegible]. Duo adorationis genera. Quid ſit Idololatria. In Euchariſtiæ cultu, idololatriæ crimen nullum admitti. *ibid.*

X. Abuſus aliorum aliis recte utentibus non nocent. 271

XI. Principium ſuperius ad uſum Imaginum applicatur. *ibid.*

XII. Ejuſdem Principii ad controverſias alias innumeras applicatio. *ibid.*

XIII. Item ad doctrinam Purgatorii. Hujus fundamenta quæ? 272

XIV. Litium doctores audiendi non ſunt. Chriſtus ipſe Principiorum horum veritatem ſuo exemplo comprobavit. *ibid.*

XV. Epiſtola hæc omnibus ſcripta non eſt. 274

XVI. Conſilia de lectione atque regimine. *ibid.*

SECTIO II.

In qua reſpondetur difficultatibus quorundam contra Epiſtolam præcedentem verbo prolatis.

I. Epiſtolæ ſcopus & fructus à probis agnitus. 275

II. Abſurdæ nonnullorum objectiones contra Epiſtolam præcedentem. 276

III. Objectio petita à Martyrio cruciatibuſque pro certa quadam Religione perpeſſis. 277

IV. Duo genera Martyrum & Confeſſorum. *ibid.*

V. Mar-

V. Martyres in omnibus partibus. 278.
VI. Martyrio bonæ conſcientiæ adeſſe debet docilitas : aliàs non martyrium eſt ; ſed animi ſectarii pœna. ibid.
VII. Quibus difficile ſit à partium ſtudio ad æquitatem redire. 279
VIII. Non eſt quod pudore confundatur qui ſe de aliis judicantem erraſſe fatetur. 280
IX. Homines non propter ea quæ eſſentialia, ſed quæ acceſſoria ſunt, ſeſe mutuò condemnant. 282
X. Homines fere ea quæ acceſſoria ſunt & quæ factiones & rationem militarem redolent, præponunt iis quibus ipſa eſſentia Religionis conſtat. 283
XI. Exemplum Jesu Christi probationis vim habet. 284
XII. Suppoſitio in his facta. 285
XIII. Uſque quo aliis obſequi liceat? ibid.
XIV. Inſtantia petita à Chriſtianis qui Gentilibus merito obſequi noluerunt, nulla eſt. 286
XV. Inſtantiæ de vitulo aureo, céteræque difficultates ad ſequentia remittuntur. 287
XVI. De coactione in rebus divini cultus ac Religionis: eam eſſe tum Religioni, tum cogentibus, tum quoque coactis damnoſam: quippe quæ amorem Dei & proximi extinguat. ibid.

Sectio III.

De Eucharistia.

Articulus I.

De Euchariſtia, ſive de Communione ſacra, & primo quidem qualis illa in Eccleſia Primitiva *obſervabatur.*

I. Ut natura Euchariſtiæ pateat, ad primam ejus originem adſcendendum eſt. 292
II. Fundamenta prima & præcipua Communionis Sacræ. 293
III. Jeſus Chriſtus vult, ut Chriſtiani, ſive membra ſingula corporis ſui myſtici ita ſe alii erga alios gerant, quemadmodum ipſe adverſus eos ſeſe geſſit. 294
IV. Communionis veræ atque Euchariſtiæ primitivæ neceſſitas atque natura. ibid.
V. Poſtquam ſtatus primorum Chriſtianorum mutari cœperat, utile erat communionem variari. 296
VI. Quæ res aliter habere nec potuit nec debuit; & à J. C. approbata fuit. 297
VII. Id probatur in genere. 298
VIII. Hæc particularius exponuntur. 299
IX. Definitio tum nominis tum rei ipſius, Communionis, inquam, Eccleſiæ primitivæ. ibid.
X. Quænam in Euchariſtia ſive in Communione ſacra per divinum lumen detegantur. 300
XI. Diſpicitur quidnam Apoſtoli in verbis Inſtitutionis Communionis Sacræ intellexerint. 301
XII. Chriſtus ut divinam Communionem exemplo ſuo vivo inſtitueret ac confirmaret, ex omnibus actionibus ſuis cœnam ſupremam elegit. 302
XIII. Verba Jeſu Chriſti per paraphraſin exponuntur. 303
XIV. Probantur hæc ex praxi Eccleſiæ primitivæ. 305
XV. Hæc omnia, non autem
eorum

eorum pars tantum, ad Euchariſtiam pertinent: neque impoſſibilia ſunt factu. *ibid.*

XVI. Continuatio exempli Eccleſiæ primitivæ. 307

XVII. Abuſus qui eo tempore in Communione ſacra intervenerunt, apertiſſimè etiam ejus naturam docent.

Ananias & Saphira. 308

XVIII. Degeneratio Eccleſiæ Corinthiacæ in Communione ſacra. Locus Pauli de Euchariſtia explicatur. 309

ARTICULUS II.

De EUCHARISTIA *prout eſt in* CHRISTIANISMO DEGENERANTE. *De Schiſmatibus eorumque Unione. De differentiis inter ceremonias variarum Partium generaliores conſiderationes.*

I. Variationes quæ poſt Eccleſiam primitivam ſupervenerunt. Hæc gradatim exponuntur. 313

(1.) Communio primitiva inter Sanctos perpetuo manſit. 314

(2.) Boni ceterorum degenerationem tandem tolerare debuerunt. *ibid.*

(3.) Deus eidem tolerantiæ conſentire debuit. *ibid.*

(4.) Sancti retenta quidem inter ſe communione, à ceteris ſeſe ſeparare debuerunt. Communio publica mutata in Agapas. 315

(5.) Hæ diuturnæ non fuerunt. 316

(6.) Introductio Euchariſtiæ Sacræ qualis inter Chriſtianos poſtquam à primo ſtatu defecerunt obſervatur. *ibid.*

II. Deus ejus uſui in bonis benedixit, licet formulæ quædam ac circumſtantiæ humanæ eidem admiſtæ fuerint. 317

III. Quanquam impii ceremoniis iiſdem abuterentur, Deus tamen eas ad tempus dum alii rectè iis uſuri erant, manere voluit. *ibid.*

IV. Schiſmata, diviſiones ac controverſiæ quæ eo tempore hic ſupervenerunt. 318

V. In ſingulis partibus bonos pariter adeſſe & impios. 319

VI. In ſingulis partibus boni qui ceremoniis ac ritibus ſuis rectè uſi ſunt, ſalutem ſuam ita promoverunt. 320

VII. Quomodo homines in ſingulis partibus Chriſtianorum ad Deum redire poſſint. *ibid.*

VIII. Obſervationes generales de mutatione & unione partium. 321.

(1.) Nulli probi illuminati dicendi ſunt ſchiſmatici. *ibid.*

(2.) Neceſſarium ſæpe eſt ut boni illuminati e cœtu per ſchiſma nato non diſcedant. 322

(3.) Dantur caſus, quibus hominibus à ſuo cœtu diſcedere & ad alium redire fas eſt. *ibid.*

(4.) Quo caſu id fieri non debeat. *ibid.*

(5.) Quo caſu ea mutatio fieri debeat. *ibid.*

(6.) Quæ ſint partes legitimæ & neceſſario ſequendæ. 323

IX. Quarum partium aut ſectarum profeſſio indifferens videri non debeat. *ibid.*

X. Quænam partes aut ſectæ non adeo diſtantes inter ſe videri debeant. 324

XI. Exemplum Pauli in his rebus. 325
XII. Obſervationes de differentiis partium in cauſa Euchariſtiæ. 326
XIII. Omnes partes fatentur ritus ſuos à praxi primitivæ Eccleſiæ differre. *ibid.*
XIV. Cauſa prima ejus differentiæ vituperabilis eſt. 327
XV. Quo caſu Ceremoniæ hodiernæ defendi debeant tanquam auctoritate divina inſtitutæ aut probatæ. 328
XVI. An hæc valeant in ceremoniis omnium partium etiamſi forte ſchiſmaticarum. *ibid.*
XVII. Licèt ſchiſma validum non ſit, ceremoniæ tamen ejus obligant, & legitimum uſum habent. 329
XVIII. Fieri poteſt ut Deus quidem principia ſchiſmatis antecedenter, ut ajunt, non probet, at inſtitutiones tamen ſequentes velit ratas per approbationem conſequentem. *ibid.*
Exemplum. *ibid.*

Articulus III.

Boni qui in omnibus ECCLESIÆ TRIPARTITÆ *partibus ſunt, defenduntur. De præſentia reali ejuſdemque efficacia. De Tranſſubſtantiatione, de Adoratione. Difficultates de tolerantia & diſſenſione bonorum.*

I. Hominum diverſi ordines & characteres. Qui ſint illi cum quibus & de quibus hic agatur. 331
II. Opiniones diverſas eorum qui in diverſis partibus ſunt, neque inter ſe adeo contrarias eſſe neque adeo diverſas ac vulgò creditur. 333
III. Principium veritatis ac bonitatis ſententiarum diverſarum, quas boni in diverſis partibus ſequuntur. 334
IV. Principium illud probatur, & ad partes omnes applicatur. *ibid.*
V. Hæc quæſtionem nullam habere debebant. 335
VI. Eadem nec voluntati, nec potentiæ Dei, nec unitati fidei repugnant. 336
VII. Hoc ultimum probatur & exemplis illuſtratur. *ibid.*
Applicatur ad rem præſentem. 337
VIII. De præſentia reali. 338
IX. De Tranſſubſtantiatione. Multa hic inutiliter quæri, quæ relinquenda ſunt. *ibid.*
X. Explicatio Tranſſubſtantiationis. Quid ſit ſubſtantia, quid accidens. 339
XI. Mutatio ſubſtantiæ, accidentibus interim manentibus, & ſenſus perinde atque antea ferientibus. 340
XII. Hæc difficultatibus omnibus quas boni hic inveniunt ſolvendis ſufficere poſſunt & debent. 341
XIII. De efficacia præſentiæ realis corporis J. Chriſti. 342
XIV. De Adoratione Chriſti in Euchariſtia uti creditur præſentis, qualis uſu recepta eſt. 343
XV. Si corpus J. Chriſti abſens foret, idololatriam tamen non committeret qui id ipſum præſens crederet atque adoraret. 344
XVI. Inſtantia quam petunt ab ido-

Digitized by Google

idololatria & intentione recta, ut volunt, Iſraëlitarum, nulla eſt. 347
XVII. Si error in opinione præſentiæ corporis J. Chriſti alicujus momenti eſſet, nemo hominum ab idololatriæ crimine excuſari poſſet. 349
XVIII. Ratio quare ultima hæc prolixius expoſita fuerint. 350
XIX. Difficultates & quæſtiones nonnullæ quibus reſpondetur. 351
(1.) Anne præſtet rem ad primam formam reduci. *ibid.*
XX. Vera & falſa reformandi ratio. 352
XXI. (2.) An in omnibus Religionibus via detur ad ſalutem? 353
XXII. (3.) Quid ſentiendum de converſionibus vulgo uſitatis. 354
XXIII. (4.) Quî fiat ut boni qui diverſarum ſunt partium non raro ſeſe mutuo condemnent? 355
XXIV. Quomodo extra Eccleſiam nulla ſit ſalus? 356
XXV. (5.) Quare Deus nonnunquam ſuos in hiſce erroribus circa factum relinquat? 357
XXVI. Docti ſuperbi & impii turbis omnibus quæ inter Chriſtianos ſunt, cauſam dederunt? 358
XXVII. (6.) Utrum ceremoniarum diverſitas aut contrarietas non obſit, quo minus omnes ita acceptentur quaſi à Deo veniant. 359

SECTIO IV.

CENSURA *quam Auctor Epiſtolarum Paſtoralium quas vocant*, AMICO EX CHARITATE CONSILIO *oppoſuit*. 361

SECTIO V.

Monitum ad Reſponſionem ac Sectionem quintam. 366
RESPONSIO *ad ſcriptum precedens, in qua vis ac natura multarum rerum quæ ad Religionem & Pietatem non parum momenti ferunt explicantur.*

I. Spiritus controverſiæ & ſpiritus Pacis. 367
II. Scopus Auctori & mihi propoſitus inter ſe pugnant. 368
III. Superſtitio quid ſit. 369
IV. Quomodo Epiſtola mea videri debeat Auctori venenum pernicioſum. 370
V. Methodus Auctoris noſtri ſua in Cenſura. 371
VI. Methodum Auctoris in Cenſura, ejuſque adeo Criticam, nullius eſſe pretii. 372
VII. Me non timere notum reddi illo ex ſcripto meo. *ibid.*
VIII. Nonnihil ad perſonalia quæ de me Auctor. 373
IX. Continuatio. 374
X. De accuſatione Sectæ, minus vera. 375
XI. De V. A. Bourignonia, cui non ut decet inſultatur. 376
XII. De accuſatione viſionum &c. in quo argumento ipſemet à ſe diffidet. 377
XIII. De accuſatione Paradoxiæ. 378
XIV. Charactéres opinionum privatarum Virginis B. 379
XV. Compendium doctrinæ Virginis Bourignoniæ. 380

Digitized by Google

XVI. De libris Virginis Bourignoniæ. 382
XVII. Fruſtra mihi objicit Auctor Virginem A. B. 383
XVIII. De accuſatione Sectæ condendæ. Eam minime veram eſſe. 385
XIX. De conſortibus & amicis Virginis B. 387
XX. De Religione A. B. & amicorum ejus. 388
XXI. De exercitiis publicis. 389
XXII. Cultum externum non contemni. 394
XXIII. Explicatio exercitiorum & cultûs externi: iſta poſſe tum INDIFFERENTIA eſſe, tum MALA, tum BONA. *ibid.*
XXIV. Amor omnibus pretium addit. 396
XXV. Religio hominum noſtri temporis, qui ſe ipſos amant. 397
Amor proprius religioſus videri vult. *ibid.*
Amor proprius Religionem amplectitur. *ibid.*
Zelus, tormenta & martyrium amoris proprii. *ibid.*
Hoſtes & controverſiæ amoris proprii. 398
Amor proprius fit calumniator & perſecutor bonorum & veritatis. *ibid.*
XXVI. Quî externa animam ab internis abſtrahant aut ſecus. 399
XXVII. De Quietiſtis & quietudine. 400
XXVIII. De Miniſterio & Paſtoribus. Falſum eſſe D. A. B. iis adverſari. 401
XXIX. De exercitiis privatis. 405
XXX. De precibus. De perfectione Chriſtiana. *ibid.*
XXXI. De reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia. 410
XXXII. De purificatione poſt mortem. 411
XXXIII. De quodam Amici Conſilii effectu. *ibid.*
XXXIV. Inſtantia de *vitulo aureo*: de Turcarum religione & de cepis adorandis. 412
XXXV. Silentium non bene injungi ab iis qui alios ipſi aggrediuntur: nec eorum minas timeri. 414
XXXVI. Virgini A. B. nihil mali quantum ad vitam moreſque objici poſſe. *ibid.*
XXXVII. De Doctrina A. Bourignoniæ ejuſque Amicorum PROTESTATIO PUBLICA, articulis duodecim conſtans. 415
(1.) *Teneri à nobis in omnibus fundamentalia veri Chriſtianiſmi.* 416
(2.) *SS. Scripturas utriuſque Teſtamenti.* *ibid.*
(3.) *Doctrinam SS. Trinitatis.* *ibid.*
(4.) *Chriſtum Θεάνθρωπον Salvatorem Mundi.* 417
(5.) *Soli gratiæ Dei omne bonum tribui: omne malum homini à Deo diſcedenti.* *ibid.*
(6.) *Veram quoque teneri doctrinam de eſſentia & perfectione Chriſtianiſmi.* *ibid.*
(7.) *Et de acceſſoriis.* 418
(8.) *Claves Scripturæ.* *ibid.*
(9.) *Status omnes à Deo inſtitutos agnoſci.* *ibid.*
(10.) *Nihil in bonos dici, ſed in malos abuſûs ad eorum emendationem.* *ibid.*
(11.) *Candide ſoli nos veritati adhærere.* 419
(12.) *Adverſus iniquitatem conſequen-*

Digitized by Google

quentiarum & male judicantium. *ibid.*

XXXVIII. De conviciis, præſertim fanatiſmi. *ibid.*

XXXIX. Summa origo oppoſitionum & calumniarum hominum malevolorum. 421

Varia media invicta eoſdem conſtandi. 422

XL. Optandum quemque ſe ipſum aggredi, prætermiſſa bonorum impugnatione. 426

Sectio VI.

In qua porro refellitur *Cenſura Amici ex charitate Conſilii* quantum ad A. B. per quatuor ejuſdem Epistolas. 429

Epistola I.

De tolerantia mali. *De eſſentia & perfectione Chriſtianiſmi, de Religionibus, cultibus, & ceremoniis ac earum uſu.* *ibid.*

De Religionibus & exercitiis piis ac externis. 432

Egregia regula & ſimilitudo. 434

Vera Religio Catholica & ejus cultus. *ibid.*

Epistola II.

De conditionibus, in iis quæ requirebantur, qui Virgini A. B. convivere cupiebant, contrà quàm in *Cenſura Amici Conſilii refertur.* 437

Epistola III.

De Precibus, elevatione mentis ad Deum &c. quas Virginem A. B. negare dicebat Auctor Cenſuræ. 445

Epistola IV.

Medulla & ſcopus omnium quæ ſcripſit Virgo A. B., ſimulque totius Chriſtianæ Religionis Eſſentia verior ac ſolidior.

Deus ſolus *amabilis.* 453

Cauſæ moventes ad *Amorem* Dei, petitæ *ibid.*

(1.) *ex eo quod Deus eſt* origo atque conſummatio omnis boni. *ibid.*

(2.) *à ſimilitudine* quæ Deum inter & homines eſt. *ibid.*

(3.) *à beneficiis* à Deo tum animæ tum corpori datis, quæ ad imaginem SS. Trinitatis creavit. *ibid.*

(4.) *à bonis* ad *conſervationem* animæ & corporis datis. 454

(5.) *à miſericordia* Dei Salvatoris hominum. *ibid.*

(6.) *ab incarnatione* ejus. 455

(7.) *ab annihilatione* ſua. *ibid.*

(8.) à munere *Doctoris* & Prophetæ. *ibid.*

(9.) à munere *Sacerdotis.* 456

(10.) quod *pro ipſis hoſtibus* vitam ſuam dederit. *ibid.*

Digitized by Google

(11.) ab *utilitatibus* Amoris Dei. *ibid.*
(12.) à vanitate amoris terreſtris *divitiarum*, 457
Honorum. *ibid.*
Voluptatum. *ibid.*
(13.) *Nihil* amabile præter DEUM. 458
Extra quem omnia ſtultitiæ ſunt, miſeria & horror animæ quæ DEI SPONSA eſt. *ibid.*

LECTO-

LECTORI S.

SI virtutem amas, Deumque revereris & quæris, ſcias eadem mihi tecum ſtudia idemque inſtitutum eſſe; neque propoſitum mihi eſſe putes à Secta aut partibus eorum quos ſequeris, te abſtrahere. Ego contrà, rationem traditurus ſum quâ ſecundum Deum placitis atque inſtitutis Sectæ illius cujus membrum es, imo & ejus ad quam forte neceſſitatis vi cogi poſſes, rectè utaris. Noli, quæſo, cenſoria ſeveritate verba mea examinare, liceatque mihi, pace tua, voce inuſitata impartialis, ſtudii impartialis, *veluti vocabulo technico ſignificare rem paucis hominibus cognitam, multo minus uſu moribuſque frequentatam, unde nec nomen ei uſque adhuc impoſuerunt. Et ſi fortè occurrant quæ prima fronte aut nova, aut opinionibus tibi probatis contraria videantur, noli animo commoveri. Perge, ſi placet, operiſque lectionem abſolve; videbiſque ſuſcepti argumenti tractationem ita ſibi conſtare, ut meritò habeas in quo totus conquieſcas. Videbis & paſſim tum improborum, tum abuſuum mentionem injectam; verùm ſiquidem ipſe inter probos es, noli quæ ibi dicuntur, vel tibi, vel rebus ipſis, cultui ſcilicet ac ceremoniis (quæ in ſe bona ſunt ac divina) applicare. Ubi verò de perſona quadam, cujus in* Amico ex charitate Conſilio, *alias non memineram, nec non de me ipſo loquendum erit, id neceſſitati imputabis quâ defendi utique debebant qui injuſtè impetebantur; ac pro certo habebis, non niſi quæ bona, vera, ſolida & ſalutaria eſſe, hominesque ad Deum ducere credidi cognovique, à me commendari. Ego nihil æquè abominor atque rixas ſpeculationeſque inutiles: & mortem potiùs præſentem optare malim, quàm quæ falſa ſint animaſque à Deo & à Chriſtianis virtutibus abducant, commendare. Quod ſi viri boni perlecto opere in noſtram ſententiam eant, bene: ſin minùs, alias ſibi vias aut media quibus eant ad Deum, quærant ac eligant, neque tamen ea quibus alii eodem tendentes cum fructu uſi ſunt, aut etiam nunc utuntur, contemnant. Faxit Deus O. M. ut omnia media, omnes actus, omneſque adeo res homines iiſdem utentes ad ipſum reducant; qui ſecundùm votum Regis prophetæ, omnes creaturæ &* omnis ſpiritus Sanctum ejus nomen celebrent *nunc & in ſecula. Amen.*

OMNI-

OMNIBUS BONIS INTER PROTESTANTES

Galliæ, ceterarumque Provinciarum;

Cunctiſque qui in omnibus & ſingulis Chriſtianæ gentis partibus, animo ſincero & à partium ſtudio alieno, Deum reverentur.

DOMINI ac Fratres in Jeſu Chriſto,

NUnquam animum induxiſſem veſtro me judicio ſiſtere, niſi ab alio eò vocatus fuiſſem, & quidem ea in cauſa quæ non meam perſonam, ſed veritatem ipſam ſine ullo reſpectu aut nexu vel mei vel perſonæ cujuſvis reſpiciebat. Scripſeram ad propinquos meos iiſdem caſibus difficultatibuſque quibus plerique veſtrum involvuntur innexos epiſtolam privatam; eamque quidam ex amicis meis ſibi fortè viſam, publici juris facere voluerat ad utilitatem eorum qui rectè ea uti volent. Hic verò nulla utique ratio aut nexus perſonæ meæ interveniebat. Quærebatur enim, utrum animæ, quæ fortè ad exercitium quarundam ceremoniarum propter Deum inſtitutarum coguntur, iiſdem ita poſſint uti ut interim à Deo ejuſque Filio Jeſu Chriſto non recedant, imò ut per eas propiùs ad eum accedant, etiamſi antea harum rerum vim non intelligentes, eas ad hunc finem ineptas eſſe, neque cum eo conſiſtere poſſe crediderint? Oſtenderam autem illud omnino fieri poſſe, docens Religionis Chriſtianæ vim atque ipſam eſſentiam in corde contineri, ceremonias autem ei extrinſecus ſaltem accedere, iiſque bonos rectiſſimè & ſalutariter uti poſſe,

poſſe, utcunque varient, ſitque licet inter ceremonias ipſas earumque abuſum, quo impii eas corrumpunt, ſumma differentia. Et hic quidem articulus erat principalis cui inſiſtendum fuerat ſive quis eum approbandum ſive condemnandum confutandumque cenſeret. At non deſunt paſſim, qui propter ſpiritum diſceptationis ac contradictionis quo animantur, Religionis Columina ſe eſſerati, honoriſque non tam Dei quam ſui ac gloriæ propriæ æſtu abrepti, nunquam ſine indignatione graviſſima vident, homines, præſertim eos qui fortè ſub ſua quondam ſive poteſtate ſive auctoritate fuerant, neceſſitate volente non diutius per formulas ac ritus à ſe traditos, ſed per aliam jam viam ad JESUM CHRISTUM ire ac adſpirare. Hi ex formulis ſuis ac ritibus totidem ſibi idola cum exſtruxerint, quæ verò charitati, paci ac quieti conſcientiarum veſtrarum, plus nimio jam conturbatarum, anteponunt, licèt vos eò jam redactos videant, ut vel peccare debeatis contra Deum, faciendo ea quæ vobis imperantur; vel certiſſimam vobis ruïnam atque ærumnas graviſſimas ipſimet attrahere: hi inquam homines ſectarii ac factioſi, qui omnes quotquot ipſis non obediunt, neque cœcis animis eoſdem ſequuntur, totidem rebelles ac deſertores eſſe arbitrantur, etiamſi vel maxime tunc ad JESUM CHRISTUM irent, longe nimis a pacifica mente aberant, ut cum noſtro hocce propoſito conſentirent. Nec malè illos imitatus eſſe videtur nonnullus, qui ex quo inſtitutum noſtrum pietati ac charitati Chriſtianæ longè convenientiſſimum vidit, indignatus id ipſum viis ac partibus ſuis adverſari, infructuoſum illud reddere decrevit. Verùm enim verò, cum debuiſſet veritates à me propoſitas confutare, maluit artificio detrahentium abuti, atque adeo perſonam meam aggredi, invidiamque mihi atque odium concitare, imputatis mihi conſiliis neſcio quibus ineptis, ne dicam impiis, quæ nunquam mihi in mentem veniſſe certum eſt. Neque verò hic ſubſtitit: verùm etiam ratus me caput eſſe Sectæ quæ nuſquam eſt niſi in ipſius perſuaſione, ſcienſque tum animas quaſdam pias, tum me etiam in pretio habere ſcripta perſonæ cujuſdam quam certè judicio Dei relinquere æquum fuiſſet; ſiquidem Spiritum ejus ac [illegible] ignorat; placuit totam quam credidit Sectam in unum includere, totumque ſemel corpus, membra pariter ac caput, unà percutere ac deſtruere, procul dubio ut vias ac partes

k k ſuas,

ſuas, quibus fortè ab Epiſtola noſtra periculum imminere timebat, pleniùs ulciſceretur. At non tamen res ad votum ejus perinde ſuccedent. Etenim ſuperſunt utique in omnibus ſectis, Religionibus ac locis, homines intelligentes, ac à ſtudio factionum & partium alieni, Deumque timentes, qui ubi videbunt elementum ac rationes Oppugnatoris noſtri, à judicio ejus ſententiaque tantundem diſcedent, quantum ipſe à veritate, charitate ac pace ea in re diſceſſit. Equidem inſtitutum meum non eſt controverſias vobis ac res merè perſonales hic apponere, quales ille tantùm attulit, ſi excipias unum atque alterum articulum, ubi ille facetè jocari ſatis habuit. Ego potius, juvante Deo nihil allaturus ſum niſi quæ ſalutaria ſint ac ſolida, quæque hoc in argumento illuminare, tranquillare atque ad Deum adducere valeant proborum animos, qui quidem, vel me tacente, videbunt ſatis præcipua capita eorum quæ dicturus ſum, ex æterno fonte omnis veritatis, ex quo illa haurire anniſus ſum, [illegible] manare.

Ante omnia verò, vellem ut ſcopum mihi propoſitum [illegible] cognoſcatis, qui nullius hic partes ſuſcepturus ſum, nullamque Sectam contra aliam defenſurus, multò minùs verò animos ad permutationem Sectarum aut partium faciendam præparare aut inducere conabor. At huc ſpectat votum meum, huc animus meus: principiò quidem ut vos ad ſolum Deum & ad Filium ejus Jeſum Chriſtum per partem eſſentialem Religionis Chriſtianæ, quæ *ſpiritû & vita*, veritate ac charitate con[illegible] remittam. Quandoquidem autem Chriſtiani hodie in tre[illegible] tiſſimum partes diviſi ſunt; hinc ſecundò, exponere inſtitui, quomodo homines ſinceri ac Deum timentes in partibus ſingulis, utut opinionibus quibuſdam ac ceremoniis, quæ acce[illegible] duntaxat quædam ſunt Chriſtianæ Religionis, inter ſe differant, iiſdem tamen rectè ac ſalutariter uti & ad Deum promoveri poſſint, ita ut nullatenus alii alios eo nomine condemnare [illegible] odiſſe debeant. Poſtremò, ſi fortè fiat ut nonnulli qui cer[illegible] tam partem ſequebantur, ceremoniis eorum qui in alia parte ſunt, ſeſe conformare cogantur, ita ut iis abſtinere non poſſint niſi corda ceterorum contra ſeſe irritare atque adeò cauſam [illegible] ferre velint, tum ut illi multa peccata committant, tum [illegible] ipſimet multis calamitatibus involvantur, docebo, quomodo

hoc

HOC IN CASU non tantum inturbata tranquillitate conſcientiæ, ſed & cum ædificatione ac ſalutari progreſſu animarum ſuarum, Ceremoniis alterius hujus partis ſeſe conformare poſſint; modò rationem audire atque doceri non dedignentur.

Quod ut rite exſequar, ſequentem nunc viam initurus ſum.

I. Primò præmittam Epiſtolam illam ſeu AMICUM EX CHARITATE CONSILIUM, quod non ita dudum in publicum prodiit, cauſamque Domino J. attulit ea ſcribendi, quæ in undecima Epiſtola *Paſtorali*, quam vocat, de hoc argumento leguntur: nam & exemplaria ejuſdem Conſilii jam diſtracta ſunt.

II. Secundò reſpondebo difficultatibus quorundam, quas ferè verbis contra Epiſtolam modò dictam objecerunt.

III. Tertiò, non ab re fuerit de natura Ceremoniarum ſacrarum, & præſertim Euchariſtiæ, nec non de Schiſmatibus ac præcipuis eorum differentiis quæ ad hanc rem ſpectant, accuratiùs diſpicere. At quoniam iſta nuper ab ipſis fundamentis expoſui in *Syſtemate* noſtro *Oeconomiæ divinæ*, ubi in Capite X. Libri III. vim atque naturam *Ceremoniarum*, & in Capp. V, VI, VII & VIII. Libri IV. *Baptiſmum* ac *Euchariſtiam*, nec non ceteras *functiones*, aliaque quæ ad *Cultum externum* pertinent vidimus, ſufficere hic videbatur, Lectorem ſimpliciter ad ea remittere. Nihilominus tamen quoniam non ad omnium fortè manus, qui hunc tractatum legent, erit liber ille, & neceſſarium tamen eſſe videtur, ut ſciatur ſaltem ſubſtantia eorum quæ de Euchariſtia ibidem tradidi, decrevi duo nunc capita inde in præſentem tractationem transferre. Hæc verò ſufficient iis, qui nec multa lectione delectantur, nec ad plures diſcuſſiones deſcendere amant: ii verò quibus hoc ſpecimen fortè non diſplicebit, poterunt, ſi velint, ipſum Opus integrum conſulere, ubi videbunt materias fere omnes quæ ad Religionem & Theologiam pertinent; imò & arduas plurimas e naturalibus ac divinis eadem ratione tractari atque ita explicari, ut ſimilem, aut pro re nata, majorem etiam evidentiam, certitudinem, fructumque ac tranquillitatem animi in iiſdem invenire liceat. Quod ſi nec ratione [illegible]probitate carebunt, nunquam eos, ut ſpero, lectionis hujus p[illegible]itebit, videbuntque poſtea, majorem ſibi lucem in iis quæ D[illegible]m, quæ mundum, quæque ſeipſos reſpiciunt revera illuxiſſe.

Digitized by Google

IV. Poſt hæc ſubjungo quartò Cenſuram nonnullius Theologi modo dictam, quam AMICO EX CHARITATE CONSILIO oppoſuit. Parum enim intereſſe videtur quo loco eam repoſuerim, cùm Conſilium ipſum vix attigerit, cui eam alioqui ſtatim ſubjeciſſem.

V. Cenſuræ huic addo Obſervationes & Reſponſiones noſtras.

VI. Poſtremò, quoniam Theologo placuit ibidem perſonam quandam, de qua tamen nulla erat quæſtio, accuſare, & tria potiſſimùm capita inter cetera eidem imputare; Videlicet 1. *Eam exercitia pietatis ac Miniſterium publicum, & quotquot eodem funguntur, ſummopere contemnere atque omnino indifferenter habere.* 2. *Eam homines omnes, qualeſcunque ſint, ipſoſque adeo Socinianos, inter ſuos recipere, ita ut nec opiniones nec agendi modos priſtinos mutare cogantur;* 3. *Eam docere preces atque elevationes animi ad Deum, ſpiritui Chriſtianiſmi perfecti penitus eſſe contrarias*; hinc ut curioſitati eorum qui fortè ſcire deſiderant quid veri aut falſi in his accuſationibus contineatur, ſatisfiat, tres quatuorve Epiſtolas ejuſdem prolaturus ſum, ubi quænam ipſius de his ipſis rebus deque vi ac ſubſtantia Chriſtianæ Religionis ſit ſententia ipſi videbunt. Et in promtu quidem fuiſſet aliquot millena loca præterea contra eum congerere, quæ expreſsè contrarium eorum quæ eidem imputata ſunt doceant; at ſperò majorem futuram eſſe ædificationem Lectorum, imò & innocentiam perſonæ accuſatæ eò magis perſpicuam fore, ubi videbunt quæ ipſa ſponte conſignavit, antequam in hanc ſuſpicionem unquam inciderat, adeoque de nulla ſui defenſione tum temporis cogitans.

Quandoquidem autem accuſationes ſuas Proteſtantibus Gallis inſcripſit Auctor ille, æquum omnino eſt ut ego defenſionem meam iiſdem pariter inſcribam, aut certè illis, qui inter eos animis ſunt integris & ſinceris, quique veritatem Dei quem timent, amant, ac dignè venerantur, ab obſtinatione interim ac (ſic enim interdum loquemur) partialitate alieni. Et hoc quidem lubens meritoque nunc facio, quòd de præſenti eorum conditione ex lege charitatis verè atque ex animo doleam, vellemque dum conſcientias eorum ſublevare conabor, hac in neceſſitate memet gratum nonnullis eorum præbere, qui de me bene meriti ſunt: quod verò haud arbitror melius fieri poſſe,

quam

quam communicatione Veritatis, & Veritatis quidem, quæ tam opportunè adeſt, & tantam vim habet ad tranquillandas conſcientias piarum animarum, quibus ſolis loquor, miſſis iis qui partiales ſunt & rationem audire recuſant, propter quos certe æquabilitatem veritatis ac charitatis lædere nefas eſt.

Non ignoro equidem, ô animæ ſinceræ ac æquitatis amantes, vos diſpersè in omnibus Religionibus ac partibus perraras eſſe: attamen exiguum numerum veſtrum, numeroſæ illi turbæ hominum impiorum, obſtinatorum ac præjudiciis ſuis affectibuſque infatuatorum qui ubique adſunt, non immerito antepono; non ignarus Deum eundem pariter potiorem ducere, quippe qui *non reſpicit ea quæ foris apparent* nec ad externam ſpeciem hominum attendit; ſed *cui in omni gente accepti ſunt quotquot ipſum timent ac ea quæ juſta ſunt amant*. Vulgus hominum hic ab imitatione Dei longiſſime abſunt; hi enim nihil probant niſi quæ ſuæ ſunt gentis aut ſectæ; ipſoſque adeò fratres ſuos qui cum iis ſunt deſpicere incipiunt ex quo illi omnes ſuas controverſias factioſas cœcis animis amplecti recuſant. Nullus dubito quin vobis, ô animæ æquitatem amantes ac Deum timentes, idipſum identidem experiundum ſit, videlicet eos qui eandem vobiſcum Religionem profitentur amicos, & ipſos interdum Paſtores veſtros, præ ceteris vobis infensè adverſari ex quo veritatem quæ eſt ſecundum charitatem ſequi decreveritis, idque tanto violentius, quo propius vos ad bonum & ad veritatem ſolidam, luminoſam & ab omni tumultu ac ſtrepitu remotam accedetis. Id verò jam ab ipſis mundi incunabulis perinde obtinuit, idemque ad finem uſque, quo Deus exſtirpationem impiorum futuram decrevit, perpetuò obtinebit. Cainum inter & Abelem, Iſmaëlem inter & Iſaacum nunquam conveniet: & homines impii ac carnales ſpiritui pacis quo pii ac ſpirituales animantur, ſemper adverſabuntur. Nam profectò & principia eorum & opera adverſa fronte ſibi oppoſita inter ſe nunquam non pugnant. Inter *opera carnis*, docente Paulo, ſunt *inimicitiæ, diſſenſiones, æmulationes, indignationes, diſceptationes, diviſiones, factiones, invidia & ſimilia*; at opera ſpiritus non ſunt *charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, fides manſuetudo*; unde nemo meritò mirabitur eos qui priora ant, iis qui poſteriora colunt atque ſectantur infensè adver-

Digitized by Google

ſari. *Quemadmodum is qui ſecundùm carnem natus erat*, ut Paulus ait, *perſequebatur eum qui natus erat ſecundùm ſpiritum, ita & hodie idem adhuc accidit. At quid dicit Scriptura? Ejice ſervam & filium ejus: etenim filius ſervæ* (homines ſectæ aut partibus carnaliter ſervientes) *non erit hæres unà cum filio liberæ*, veritatis inquam puræ, liberæ & nullius factionis ſervæ. Ita ſcilicet Deus aliquando, & ante exſpectatum quidem, contentioſos omnes tum à ſe tum è mundo rejecturus eſt, qui animabus placidis ac bonis locum cedere cogentur. Vos *interim* ex conſilio Scripturæ S. *poſſidete animas veſtras per patientiam, & orate pro reſtitutione ac pace Hieroſolymæ.*

Veſter ſecundum Deum

P. POIRET.

IRENI-

Digitized by Google

IRENICVM VNIVERSALE &c.

SECTIO PRIMA.

AMICUM EX CHARITATE CONSILIUM, *ad levandos animos Conſcientiamque eorum, qui Eccleſiæ Romano-Catholicæ ritibus uti coguntur: Excerptum ex Epiſtola à privato quodam ad propinquos ſuos data.*

MONITUM EDITORIS.

INter tot Epiſtolas, Conſilia & Monita quæ paſſim ingenti numero in uſum eorum, quibus ob cauſam Religionis negotium in Galliis faceſſitur, in publicum prodierunt, nihil mihi adhuc videre contigit; niſi quæ conſcientiarum vulnera exaſperare potius quàm mitigare, aut aliquam curationis ſpem afferre videantur. Quæ res me anxium ſemper ac ſollicitum habuit, qui huic malo remedium aliquod inveniri poſſe impensè deſiderabam. Tandem in hanc epiſtolam incidi, quæ continere quadantenus credidi quæ dudum optaveram. Itaque ſolo charitatis ſtudio coactus, publici eam juris facere volui, ratus, ex ejus lectione piorum quorundam conſcientiis, quæ ſalutari rebuſque ſuis apto conſilio, deſtitutæ, miſerrimè torquentur, ſolatium aliquod ac levamen accedere poſſe. Ceterum nemo non videbit illam eo animo conſcriptam non eſſe ut in publicum produceretur, nedum ut controverſiis agitandis aditum patefaceret. Unde ſpes eſt eos qui argumento ejus non delectabuntur, eam intactam prætermiſſuros eſſe, neque moleſtiam illis exhibituros, quibus unum propoſitum una cura fuit hominibus qualicunque in ſtatu verſantur vias aperire, quibus ad Jeſum Chriſtum ſolum accedant, ſuæque ſalutis opus perficiant. Valete.

AMICI DILECTISSIMI,

QUanquam non nuper demum ea quæ vobis accidêre acceperim, nihil tamen in eo negotio literarum adhuc ad vos dedi: Non quod vicem veſtram dolerem minimè; ve- quod animi inprimis veſtri habitum conditionemque igno- nihil à me, quod ad eum quadraret proficiſci poſſe viderem. *I. Epiſtolæ occaſio & argumentum.*

Digitized by Google

rem. Nunquam magis in congreſſum colloquiumque veſtrum venire deſideravi; ut quemadmodum vos animatos aliter atque aliter invenirem, ita & de verbis ſilentiove meo diverſa ratione ſtatuerem. Verùm cum votorum meorum ſpes rata eſſe nequeat, non dubitabo candidè vobis hic & apertè ſcribere quæ animis veſtris, quemadmodum eos affectos eſſe arbitror, maximè mihi convenire videntur. Nolim autem vobis difficultates veſtras aggravare, aut conſcientias ægras magis onerare, aut propter novos ritus ceremoniaſque ad quas neceſſitate coacti accedere debuiſtis, graviores animis ſcrupulos doloreſque injicere. Apage à me infelicem illam operam, qua angores doloreſque veſtros in iis exercitiis quorum celebrandorum neceſſitas impoſita vobis eſt, magis ingraveſcant, quò deinceps in eorum uſu magis deſperanter voſmet ipſi damnetis, veſtriſque conſcientiis vulnera magis letifera infligatis. Id inſtitutum quomodo coram Deo probari poſſit, videant ipſi qui hac via progredi voluerunt, qua rebus ita habentibus fieri aliter nequit quàm ut homines in deſperationem & in omnes animique & corporis miſerias conjiciantur. Ego potius ab omnibus vos anguſtiis incolumes immuneſque præſtare optem; atque adeò modò animis veſtris inſinuare poſſim ea quæ in re præſenti conſpicio lumina notioneſque, futurum eſſe confido, ut hanc quidem ærumnam veſtram allevatam videatis, arma verò veſtra animique contentionem omnem aliò, ſcilicet ad ſe quiſque & peccata ſua, quæ in nobis ſuperſunt, impugnanda vertatis, ita ut de locis, de ceremoniis, de minutis opinionibus, de controverſiis ac diſputationibus quibus Deum coli, hominesque à Deo probari aut damnari vulgo contendunt, non admodum ſolliciti ſimus futuri.

II. *Articuli eſſentiales quibus hominum ſalus ac mors æterna continentur.*

II. Etiam atque etiam vellem, Chariſſimi, ut rectè intelligeretis ſemel quod tenendum eſt ſemper, homines videlicet non propter differentias Religionum externas, eaſque quæ in iis receptæ ſunt, ceremonias, opiniones, aut controverſias, Deo acceptos eſſe vel ſecus, adeoque nec inde ſalutem aut interitum ſuum exſpectare debere. Deus enim neminem amore ſuo ac ſalute proſequetur eo quòd Catholicos Romanos, quos vocant, aut Reformatos, aut Lutheranos ſecutus ſit: perinde uti & neminem hanc ob cauſam, aut propter opinionum ceremoniarumque quibus illi utuntur varietatem, damnaturus eſt. Ille potiùs

potius ſalutem conferet omnibus, qui in cordibus ſuis humiliter ipſi ſeſe ſubjiciunt, neque aliis quibuſvis meliores ſe dignioreſque cenſent: qui in conſpectu illius videntes tantam in ſe corruptionis vim ſupereſſe, ſe ab amore ejus adeò abeſſe, corde tantum non occalluiſſe, ad divinarum rerum ſenſum adeo obſtupuiſſe, in æternis cæcutire, eorumque vim nullam quaſi mortui ſint experiri; in iis autem quæ ad res ſuas, ut fert mundi opinio, augendas faciunt, omnes & vitæ & ſenſus & facultatum omnium vires præſentiſſimas habere ingemiſcunt: quique hinc Spiritus S. ſibi lumina, quibus ſentinam malorum in cordibus ſuis adhuc latitantem detegant, ejuſque opem ac virtutem qua illa corrigant iiſque renuncient, ardentiſſimè depoſcunt: qui pro cognitionis ſibi à Deo conceſſæ modo, bonum quod norunt ſectantur, malum verò quod malum eſſe ſciunt, intermittunt: qui ampliores ſibi cognitiones a Deo optant, ut & ipſi earum exercitia ſuamque Obedientiam augere queant: qui Dei amore, ſui ipſius verò odio ac contemtu flagrant: qui præceptis ejus obſequentes, voluntati propriæ reclamant: qui patientes ſunt, pacifici, & charitate pleni; Verbo, qui in omni tempore & loco & opere, quoad fieri poſſit, corda ſua ad Deum elevant, bonoque ejus Spiritui ſupplicant ut in ſeſe deſcendens mala infinita, ſive cognita ſive incognita, quæ iis inſunt, deſtruat; omneſque virtutes proprietateſque quibus in Dei gratiam introduci queant, ibidem ingeneret; quique laudes ejus qui infinita nobis bona conceſſerit, aliaque porrò (ſiquidem ipſum amabimus ipſique in omnibus placere conabimur) in æternum conceſſurus ſit, prædicant celebrantque. Hi ſunt quos Deus amat, quibuſque ſalutem confert, nulla ratione habita Sectæ aut Religionis quam verbis profitentur: ſiquidem ſectæ illæ diviſioneſque univerſæ non à Deo; ſed ab humani generis hoſte oriuntur. Is rerum leviſſimarum obtentu diſſidia iſta produxit, quo mala iſtis longè graviora peſtilentioraque, ſuperbiam puta, odia, diſſenſiones, crudelitatem, & quæ iis ſequuntur, in hominum animos inſinuaret, iiſdemque ſtolidam quandam arrogantiam animique cæcitatem deplorandam obduceret, qua Deo ſeſe hoc ipſo gratos eſſe arbitrantur quod huic non iſti Religioni adhæreſcant.

II. Næ, chariſſimi, quotquot malis iis, quæ modo indicavi, III. *Quid ſit* CHRISTIANÆ

RELIGIONIS membrum eſſe? Illius vis atque eſſentia in quo conſiſtat?

cavi, animum obſitum, boniſque quæ dixi inanem vacuumque gerunt, æterna morte peribunt, etiamſi inter primitivæ Eccleſiæ membra, aut in Apoſtolorum Collegio fuerint. Noſtis non niſi per RELIGIONEM CHRISTIANAM aditum ad ſalutem hominibus patere: neque id dubitationem ullam habet. Verùm divina hæc Religio non in opinionibus illis omnibus de quibus inter ſe controverſantur, continetur. Nam & diabolus veriſſimas quaſque fovere poſſet, eaſque reipſa fovet; idemque exercitiis omnibus ceremoniarum cultûſque externi, quæ uſu externo frequentantur, uti poſſet; qui tamen eo nomine Chriſtianæ Religionis membrum non erit. S. Jacobus divinam hanc (a) *Religionem* in eo abſolvi docet, ut corda noſtra pura ſint & mundo non implicita, utque per officia amoris charitatiſque vel viliſſimis quibuſque qui auxilio noſtro indigent nos ſubmittamus. Et Chriſtus tradit, eum qui membrum illius haberi volet, ſibimet ipſi bellum inferre atque renunciare debere, virtuteſque vitæ & patientiam mortis ſuæ vita moribuſque exprimere: (b) *Si quis venire vult poſt me* (hoc eſt, diſcipulus meus aut Chriſtianæ Religionis membrum eſſe,) *ſibi ipſi renunciet, crucem ſuam tollat, & ſequatur me. Renunciare nobis ipſis*, eſt contemnere, relinquere, odiſſe tum nos, tum quæcunque manant è noſtro fundo, ingenio, corde originitus adeo cæco, adeò ſtulto, impuro & corrupto, ut quicquid è nobis emanat non niſi contemtum, odium & crucem mereatur. *Crucem ſuam tollere* eſt, media omnia quibus propenſiones noſtræ ac deſideria naturalia ſuppreſſa intermoriantur, amplecti. Filium Dei autem *ſequi*, eſt ad inſtar illius omnia, quæ permittente Deo nobis undecunque obveniunt, pro Dei gloria animo amoris, patientiæ & humilitatis pleno perpeti, illiuſque Spiritu, qui Spiritus eſt ſanctitatis, juſtitiæ, bonitatis & virtutum omnium, indutum eſſe. In quocunque iſta inſunt, is veræ Religionis Chriſtianæ membrum eſt, & ſervabitur. Cetera omnia, ſive opiniones ſint, ſive ceremoniæ, externa duntaxat ejuſdem acceſſio ſunt. Hæc veſtium inſtar habent, quæ naturam hominis non conſtituunt, neque vitam in eo ingenerant, ornatiorem tamen eum ac cultiorem reddunt.

(a) Jac. 1: 27.

(b) Marc. 8: 34.

IV. *Cultus, Templum, Paſtor, Exercitia*

IV. Omnis Religionis vis in ſolo ſpiritu conſiſtit: (c) *Deus eſt Spiritus: & veri adoratores* ac Religioſi, *quales optat, eum in Spiritu ac veritate adorent oportet*. Etiamſi nec Templa ulla, nec ceremoniæ,

(c) Joan. 4: 24.

monię, nec corpora, nec mundus corporeus exſtarent uſquam, vera tamen Religio, ejuſque exercitium, ideo non deſinerent aut caderent. *Templum* verum, in quo Deus preces ſibi ac ſacra fieri exoptat, anima eſt humilitate demiſſa, fundusque cordis defæcati. *Paſtor* qui in eo docebit, Spiritus ejus bonus eſt, qui per pia ſæpe deſideria, perque bona quæ nobis inſinuat cogitata, nos alloquitur; nec non etiam per conſcientiæ lumen, ubi in ipſius præſentia conſtituti in nos ipſos deſcendimus, nos inſtruit. Pro *cultu* autem *exercitiiſque*, quorum Officia à nobis exſpectat, erunt ſanctus virtutum, quas modò enarravimus, uſus habituſque. Hoc Templum, hunc Paſtorem, hunc denique Cultum nemo eſt qui tollere aut eripere nobis poſſit, quamdiu divina gratia ſublevati à peccato abſtinebimus: ſolius enim peccati is effectus eſt, ut quod in Religione vera ſolidum eſt ac præcipuum, evertat, Templum verum profanè polluat, Paſtorem ipſum expellat, verumque Dei Cultum tollat e medio. *quæ ad Chriſtianæ Religionis eſſentiam pertinenit.*

V. *Principium & origo Cultûs externi, qui Chriſtianiſmi accidens eſt.*

V. Quando vera Religio in animæ fundo (hic enim thronus ejus eſt ac habitaculum) rectè inſtructa conſiſtit, anima, quæ corpori unita hæret, & intercedente corpore toti mundo corporeo conjungitur; parum intereſt qua ratione, reſpectu Dei, corpus moveat, rebuſque externis utatur, modò cor ipſum Dei ſit, aut ad Deum dirigatur. Tunc itaque ceremoniis aliiſque quæ ejuſdem ſunt generis, uti poterit veluti viis quibuſdam ac mediis quibus ad Dei memoriam in corde celebrandam redeatur, animuſque ad ipſum ſublevetur: Iiſdemque poterit uti quas jam inſtitutas uſitataſque videt, atque id animo ſecuro, neque de earundem differentiis adeo ſollicito. D. Paulus occaſione ita ferente dicebat; (*a*) *Perſuaſus ſum in ſe impurum nihil eſſe; illi verò qui rem impuram eſſe arbitratur, eadem immunda erit.* Idem de ceremoniis, ceteriſque quæ ad externum cultum inter Chriſtianos frequentatum pertinent, dicendum eſt: illa in ſe mala non ſunt; ei tamen qui mala ea eſſe credit, mala fiunt: ideoque opinionem ſuam, in qua quippe omne malum ineſt, ipſe corrigat oportet; & res ei bonæ erunt.

(*a*) Rom. 14: 14.

VI. *Principium hoc ad cultum Eccleſiæ Romanæ applicatur.*

VI. Non nego fortunatam eorum eſſe ſortem quibus libertas animi hic intacta manet atque incolumis: ſiquidem iis in rebus [illegible]gi, non parva ſit calamitas. Verùm cùm iſta vobis neceſſitas impoſita ſit (cujus facti rationem Deo reddere debebunt ejuſ-

Digitized by Google

dem auctores,) veſtrum nunc eſt, meo quidem conſilio, facere de neceſſitate virtutem omnibuſque ritibus externis ceremoniiſque quæ uſu valent, eâ, quam modo tradidi, ratione uti, videlicet tanquam mediis quæ Dei in vobis memoriam renovent, animumque ad ipſum attollant. Iſta enim ex primitivæ inſtitutionis lege ad hoc natura ſua ſunt comparata. Cultus Dei verus & proprius, uti modò dixi, eſt Dei memoriam in corde amorem, preces, humilitatem, laudes Divinas meditante, præſentem revereri. Verùm quia homines & obliviosi, & externis rebus ſæpiſſime occupati, Dei memoriam deponunt; ideo Deus actiones quaſdam ac geſtus motuſque aliaque in ſenſum viſumque incurrentia inſtitui voluit, quibus ad illius memoriam poſſimus revocari. Illa autem qualiacunque ſint parum intereſt; modò corda noſtra eorum ope ſublevata, Deo ſeſe verè committere, & divina meditari condiſcant; quemadmodum parum refert qua quis via ad locum quendam gradiatur modo ad locum ipſum pervenire contingat. Atque ita, quoniam in officio Miſſæ, quam vocant, ritus ſinguli ac ceremoniæ ideo inſtitutæ ſunt ut actum quendam Paſſionis Jeſu Chriſti exprimant atque ſignificent; ſi vos ad hunc uſum eas adhibetis, ſique illæ occaſionem vobis & veluti memoriales tabulas exhibent quæ actus hos illoſve in Paſſione Filii Dei memorabiles vobis ob oculos ponant; unde deinceps animis jam per eas ad Deum erectis, amore illius qui tam gravia pro vobis paſſus eſt, tangamini, immenſam ejus charitatem grati prædicantes, eidemque ſupplicantes ut propitius vobis gratia ſua adſit quo patientiæ & mortis ſuæ exemplum vita moribuſque veſtris exprimatis; tunc profectò officio veſtro rectiſſimè functi, in Amore ac Gratia Dei hac ipſa ratione progrediemini. Nolite, quæſo, animos veſtros ſterilibus torquere difficultatibus. Reſpicit corda Deus, ſuique habet rationem amoris; neque recuſare is poteſt quin omnia quæ ſui memoriam in nobis renovant, animoſque noſtros in amore ſuo colligunt, habeat gratiſſima.

VII. *Qui præſentiam realem in Eucharistia credunt, nihil mali aut impoſſibilis, aut falſi credunt.*

VII. Verùm enim verò, inquient, iſthic adoratur panis; id quod crimen eſt Idololatriæ. Idololatræ autem in ſtagnum igne ac ſulphure plenum relegabuntur. En quàm miſerè conſcientias hominum torqueant, iiſque crucem figant propter quaſdam partium opiniones à quibus diſcedere nolunt ne erraſſe ſe, magiſve quàm pr-

er-

erat rem exaſperaſſe, fateri cogantur. Ego vero ſcire velim ecquid criminis committant qui Jeſum Chriſtum in Euchariſtia præſentem adeſſe credunt? E contrario, nonne qui idem bona fide credunt eò quòd Chriſtus id eſſe dixerit, neque is virtute qua dicta ſua rata eſſe jubeat deſtituatur, de modo tamen præſentiæ ejus non ſunt ſolliciti; nonne, inquam, tales vim fidei, humilitatis, abnegationiſque Rationis humanæ atque corruptæ, illuſtri modo mirificè oſtendunt? Lutherani nonne idipſum credunt? dum tamen Reformati eo nomine illos non tantùm non condemnant, verùm etiam in fratrum numero habent, quos & ad communia ſacra Euchariſtiæ admittunt etiam. Tum & tenendum eſt, quod in Euangelio dicitur, (*a*) *omnia poſſibilia eſſe credenti: per fidem & montes transferri poſſe*; quare & Jeſus Chriſtus his ferè verbis homines ſemper compellat, (*b*) *Fiat tibi ſecundùm fidem tuam:* unde fit ut ſi illi qui officium Euchariſtiæ adminiſtrant, quique in ejuſdem adminiſtratione præſentes adſunt, certa fide credant Jeſum Chriſtum præſentem adeſſe, fides illa à Deo rata habeatur, faciatque ut Deus (quem & verba ac promiſſa ſua eadem neceſſitate obſtringunt) non poſſit non præſentem ſe reddere ita uti præſens eſſe creditur. quæ quidem tantam perſpicuitatem habent, ut neminem veſtrum futurum eſſe confidam qui vim eorum ac robur non capiat.

(*a*) Marc. 9: 22. Matth. 21: 22.

(*b*) Matth. 9: 29.

VIII. *Adoratio ex reali præſentia neceſſario conſequitur.*

VIII. Jam verò, ſi propter efficaciam fidei, ceteraſque quas vidimus rationes, Jeſum Chriſtum præſentem adeſſe credant, quo obtentu recuſabunt quin eundem præſentem adorent? Lutherani equidem, qui in eadem ſententia ſunt, adorationem tamen eam Chriſto præſenti non decernunt: verùm illi hoc in genere craſſiuſcule à ratione & à lege honeſti aberrant. Siquidem communis ſenſus omnibus inculcat, Jeſu Chriſto quovis loco in quo perſonali præſentia adeſt, adorationem deberi.

IX. *Duo adorationis genera. Quid ſit idololatria. In Euchariſtiæ cultu idololatriæ crimen nullum admitti.*

IX. Verùm ut nihil hic confundamus, neque pro re ipſa umbram, pro corpore veſtem conſectemur, obſervandum eſt, duo eſſe quæ adorationis appellatione ſignificantur: primum, ubi quis amore plenus animam, intellectum ac cor ſuum Deo ſubjicit. Et hæc quidem vera eſt & ſubſtantialis *Adoratio* quam Deus deſi-[illegible], videlicet, amor cordis demiſſi. Ita ut vere idololatram [illegible], idem ſit ac, cor animumque ſub rebus quæ non ſunt Deus [illegible]ittere ac ſubjicere, veluti cùm quis ſibimet ipſi, pecu-

Digitized by Google

niæ, honori, voluptatibus aliiſque ejuſdem generis adhæreſcit: qua de cauſa ipſe Paulus avaritiam Idololatriæ nomine appellet. *Amare* enim ac *adorare* in linguâ Dei, ſynonyma ſunt: & quicunque aliud quicquam præter Deum, aut aliter quàm in Deo & propter amorem Dei, amat, is *Idololatriæ* reus eſt. Atque iſtud *Idololatriæ* crimen animas in æternum exitium præcipites dejiciet; uti e contrario, *Adoratio* vera huic vitioſæ adorationi contraria, hoc eſt, Amor Dei reverentia plenus qua homo affectiones ſuas omnes Deo devovet, animas omnino ſervabit. Alterum quod dixi *Adorationis* nomine indicari, eſt Adoratio quædam externa, atque, ut ſic dicam, acceſſoria, quando nempe creaturam Divinitati perſonaliter unitam, hoc eſt, Chriſti Jeſu humanitatem, corpore proſtrati veneramur: cujus adorationis rationem neque habet neque curat Deus ubi cor ritè præparatum non eſt. Fieri namque poteſt ut qui Jeſum Chriſtum modo hoc altero adorat, pereat tamen, puta ſi cor Deo unitum non habeat: cùm contrà, ſi qui ſint qui Jeſum Chriſtum iſthoc modo non venerentur eo quod eundem præſentem non credant, non tamen ii gratia Dei idcirco carebunt modò eundem in cordibus ſuis ament. Illos verò qui Deum & Jeſum Chriſtum veræ Adorationis, hoc eſt, Amoris, cultu in cordibus ſuis venerantur, quique præterea rati Jeſum Chriſtum in Euchariſtia præſentem adeſſe, ſacratiſſimam ejus humanitatem, (cujus Divinitati honorem debitum adorationis non negant,) flexis genibus reverentur, illos inquam officio ſuo rectiſſimè defungi, omnique quam Jeſu Chriſto debent, reverentia merito eum proſequi utique fatendum eſt. Atque tantum abeſt illos Idololatriæ crimine ita contaminari; ut etiamſi Jeſus Chriſtus corporis ſui præſentiam ibidem non ita exhiberet uti illi ſibi perſuadent, nullam tamen hujus vitii noxam contraherent; ſiquidem cùm cor ad Deum erectum feratur, Deus, qui cor novit, & qui cordis Deus eſt, videt cor illud ad ſe adſpirare. Unde ſi qua in eo labes agnoſci debeat, ea non niſi error erit inculpati animi, quem vero Deus (cui ſoli ille placere vult ac ſtudet) non poterit improbare. Neque enim Deus, perinde atque homines ſolent, de rebus externis moroſa ſeveritate litigat aut cavillatur. Si quis eis ita utatur ut Dei intra ſe memoriam per ea inſtauret, hincque excitatus ipſi animam mentemque offerat, omnia rectè habent.

X. Non

Digitized by Google

X. *Abuſus aliorum aliis rectè utentibus non nocent.*

X. Non diffiteor hæc ipſa eſſe quibus plerique graviter abutantur. Hoc res ipſa loquitur: verùm quid eſt quod ab hominum abuſu tutum atque immune eſſe poſſit? Abutantur iis alii, quantum voluerint. Id vero illis ſolis, non vobis, imputabitur; modo recte iiſdem atque uti fas eſt utamini: tunc enim in aliorum abuſu nihil vobis erit periculi: haud ſecus ac ſi plerique cultris ſuis, ad proximorum cædem uterentur dum ego interim eorum uſu panem eſurientibus dividerem, neutiquam ſane ex ceterorum abuſu mihi tunc vitium accederet.

XI. *Principium ſuperius ad uſum Imaginum applicatur.*

XI. Hæc perinde ad res omnes externas extendere atque applicare licet. Unde ſi quæ Imagines Deum vobis, ac Jeſum Chriſtum, aut Sanctos eorumque virtutes in animum revocant, quis eſt qui periculum ullum ea in re videat? Non dico ut animi iis adhæreſcant; verùm ut Dei præſentiam memoriamque ex animis ſic inſinuent, ut ſi qui iiſdem abutantur, ſuus iis abuſus relinquatur. Ego certè mallem Chriſti Sanctorumque hominum effigies ubique potius exponi, quàm picta quædam & ſcripta diabolica ac impudica quibus impuræ cogitationes turpiſſimæque libidines in animis reviviſcunt. Et ſunt tamen qui iſtis offenduntur, in his nihil periculi metuunt. *O cæcas hominum mentes! ò pectora cæca!*

XII. *Ejuſdem Principii ad controverſias alias innumeras applicatio.*

XII. Idem principium ad opiniones reliquas de quibus tam fruſtra inter ſe controverſantur, applicari debet. Quæcunque opinio amorem Dei divinæque Juſtitiæ, ejus reverentiam, tùm ſanctitatem humilitatemque menti ingenerat, animumque à vitiis revocatum ad virtutem excitat, ea ad hoc ipſum non male credetur admitteturque etiamſi illa in ſe minus quid veri haberet. Si quis namque puer patrem ſuum ſibi ſemper præſentem adſtare putet, factaque ſua omnia notare ut in peccantem animadvertat; atque hinc, licet falsò ſibi præſentiam parentis perſuaſerit, rebus ſuis officioque ſollicitè proſpicere incipiat puer; rectè faciet ſane quicunque in perſuaſione ſua puerum relinquet, eandem ipſi confirmabit potiùs quàm eximet: illa enim, licèt falſitate ſua laboret, utiliſſima tamen ipſi erit atque ſaluberrima. Hac de cauſa iis qui Chriſtum in Euchariſtia præſentem venerantur, ſententiam ſuam eximere omnino nollem; ea enim utiliſſima eſt & aptiſſima quæ Dei [re]verentiam ac timorem in mentibus ingeneret atque conſervet, [f]idique, amoris, & grati animi exercitia inculcet ac renovet.

XIII.

XIII. *Item ad Doctrinam Purgatorii. Hujus fundamenta quæ?*

XIII. Addam plura. Doctrinam quâ traditur homines, qui in Dei gratiam recepti decedunt peccatis omnibus nondum expurgatis, poſt mortem doloribus, angoribuſque purgandos eſſe, ea cum peccati horrorem, deſiderium ſanctificationis, & Juſtitiæ Dei incorruptibilis venerationem atque reverentiam animis hominum inſinuet, non tantum ob eos fructus ſaluberrimam eſſe, verùm etiam (utcunque eam abuſibus ſuis ac fabulis corruperint) in ſe (*a*) veriſſimam. Cùm enim nihil coinquinatum in cœlum ingredi debeat, & ſine ſanctificatione abſoluta Deum nemo viſurus ſit, hinc, ſi qua fortè anima amore Dei prædita ex hac vita deceſſerit priuſquam impuritatum ſuarum ac pravarum conſuetudinum maculas omnes eluerit, ſanguis Jeſu Chriſti, ſive gratia Jeſu Chriſti purifica, poſt mortem ſe in eam diffundit ut eam peccatis omnibus expurget, aut purificationem cœptam abſolvat; & hæc quidem gratia mali pravarumque conſuetudinum & propenſionum reliquias, quas copioſiùs aut parciùs in ea ſupereſſe inveniat, impugnat, & longiſſimè ab anima rejicere ac propulſare contendit. Ea vero pugna, quâ gratia Chriſti purifica in anima, ſentiendi vi præſentiſſima pollente, ex qua omnes peccati reliquiæ ejiciendæ ſunt, malum oppugnat, ſine graviſſimis præſentiſſimiſque doloribus nec eſt nec eſſe poteſt, perinde uti natura corporis non patitur membrum putre à corpore vivo & ſano ita reſecari, ut dolores nulli ſentiantur. Adde, animam purâ ac luminosâ Dei præſentia tantiſper carere dum mali quippiam in illa reſtat: quæ abſentia boni tanti & tam amabilis (quo ante purificationem abſolutam non perfruitur,) non poteſt non tantundem ei dolorum inferre, quanta vis eſt amoris quo erga Deum æſtuat.

XIV. *Litium doctores audiendi non ſunt: Chriſtus ipſe Principiorum horum veritatem ſuo exemplo comprobavit.*

XIV. Quæ omnia tantam, ni fallor, evidentiam habent, ut facilè obvia ſint omnibus; tantamque vim, ut tranquillo vos eſſe animo jubeant in præſenti rerum veſtrarum neceſſitate; neque oblocutionibus ullis, quibus alii ſcrupulorum veſtrorum molem altius exaggerare, & tantùm non inſuperabilem reddere conantur, aures dare. Quod ſi in ritibus externis eadem vobis libertas qua olim uſi eſtis intacta ſupereſſet, publiceque quas vultis ſententias ſequi liceret, nunquam adducerer ut quæ hic ſcripſi,

(*a*) Vide eam probatam ac extra dubium poſitam Oeconom. Divin. Libr. V. Capp. VI & VII.

ſcripſi, vobis literis meis commendarem, neque illis quoque diu inſiſterem. Ego enim iſta ad indifferentium claſſem refero, quæ veræ Religionis Chriſtianæ vim ac eſſentiam non habent: quamobrem otioſo mihi ac ſecuro eſſe animo liceret quomodocunque iiſdem homines uterentur, aut quamcunque in iis opinionem ſequerentur, modo quod caput eſt non negligerent atque inanes præterirent. At quia libertas illa veſtra nunc periit, neque ulla vobis ejus unquam recipiendæ ſpes apparet, nollem ſane ullas animabus veſtris anxietates accedere, propter rerum cortices ac externa quædam accidentia, quæ cum in ſe mala non ſint, imò & utiliter ac ſaluberrimè adhiberi poſſint, vobis tamen graviſſimè eſſent nocitura ſi malum in iis ineſſe rati, reclamante conſcientiæ ſenſu iiſdem uteremini. Ego ſi eadem qua vos neceſſitate conſtringerer, ad Eccleſiæ Romanæ Catholicæ ritus inſtitutaque externa ſine ulla difficultate me conformarem, ſciens rectè illud à me ac non ſine animæ meæ fructu fieri poſſe. Fundamenta ejus bona ſunt, atque firmiora quam vulgo ſibi perſuadeant: & quamvis plurimos abuſus in eam traduxerint, ac pleraque membra illius à Chriſtianæ virtutis laude longiſſimè abſint, & in impiorum numero à Deo habeantur, vobis in eo nihil eſt periculi. De hoc ipſi videant. (a) *Unuſquiſque Deo pro ſe ſui ipſius rationem redditurus eſt*, uti in ſacris tabulis legimus. Illud verò effatum ab omni veritate abeſt, nempe; *ſi qua in parte aut ſecta Chriſtianæ Religionis abuſus quidam, imò & errores nonnulli vigeant, eum qui ſacris partis ejus publicè celebrandis intereſt, iiſdemque ipſe utitur, omnium qui in iis ſunt abuſuum culpa conſtringi.* Auctorem habeo ſententiæ contrariæ quo major eſſe non poteſt, Jeſum Chriſtum, qui ſacris omnibus atque ceremoniis Judæorum intereſſe, iiſque uti non dubitavit, quanquam eo tempore innumeri inter eos abuſus viverent, imo & errores quidam exitiabiles tolerarentur, quales erant Sadducæorum, nec non pervulgata tum temporis opinio, qua per ceremoniarum ſuarum, ſacrificiorum atque inſtitutionum externarum obſervationem Judaicam juſtos ſe fieri coram Deo putabant: quæ veriſſima erat idololatria, & juſtitiæ Dei abnegatio, uti D. Paulus oſtendit. Jeſus Chriſtus interim, nec non diſcipuli ejuſdem, ſacris eorum intererant, ritibuſque eorum utebantur, nullam tamen ex eorum abuſibus erroribuſve labem aut culpam conceperunt; illi enim rectum tantùm uſum ſequeban-

(a) Rom. 14: 12.

bantur, & per omnia iſta Deum ſibi in animum amore ac humilitate plenum revocabant, menteque ſincera recta intentione animatâ, atque ita uti ſuprà diximus comparata, per ea veluti per gradus ad Deum adſcendebant. Utinam diligentiùs inviſibilia & cultum cordis curaremus, quàm ea quæ viſum tangunt & in cortice rerum conſiſtunt! Sic in externis illis nihil periculi, adjumenti verò atque utilitatis plurimum inveniremus. Deum obteſtor ut ſuo lumine animos veſtros ea in re illuminet, voſque in homines verè ſpirituales, qui eum in ſpiritu ac veritate adorent, transformet; qui tunc non admodum ſolliciti eritis utrum Deus in urbe Hieroſolyma an in Monte adorari debeat.

XV. *Epiſtola hæc omnibus ſcripta non eſt.*

XV. Ignoro equidem quo animo hæc noſtra ſuſcepturi ſitis: attamen pro certo habete, ea ex ſolo charitatis ac ſalutis veſtræ promovendæ ſtudio profecta eſſe, quo conſcientias veſtras ſublevare ac tranquillitatem iis ſecuritatemque hac in parte conciliare conatus ſum. Prudenter interim ac cautè literis hiſce utamini, ne fortè in manus incidant eorum qui ritibus ſuis præfractè adhærentes, nullum ex earum lectione utilitatis fructum habebunt. maximè vero nolite doctrinam quam continent aliis ſollicitè commendare vel obtrudere. Non ſcripſi eo animo ut quenquam offenderem aut turbarem; verùm ut tranquillitatem reddere conarer iis qui eò potius illa quam indicavi via adſpirare volent, quàm ingenioſas ſibi ærumnas ſcrupuloſque ſtruere quibus ſingula ſua facta in peccata ac æternæ mortis præſagia & cauſas infeliciter ſibi detorqueant. Hos ego res ſuas methodumque ſibi habere ſino, velimque ut & me intactum ſecuri prætermittant.

XVI. *Conſilia de lectione atque regimine.*

XVI. Quod ſi librorum veſtrorum lectione carendum vobis eſt, invenietis & inter Catholico-Romanos ejuſmodi qui ad promovendos animarum profectus longè ſaluberrimam vim afferunt: Libellum de *Imitatione Chriſti* à *Thoma Kempiſio* ſcriptum in primis vobis commendo. Theſaurus is eſt incomparabilis divitiarum omnium ſpiritualium, quem ſi quis cognitum habeat perſpectumque, omnique vitæ ratione perſequatur, in via ſalutis conficienda nulla rerum neceſſariarum paupertate urgebitur. Viri Sancti, iique vel longiſſimè provecti, in eo invenient quæ ex uſu ſuo ſint. Addi poteſt *D. Bernierii Chriſtianus Interior*, ejuſdem generis dignitatiſque theſaurus. Plures nominare ſuperſedeo, addens tantùm inter auctores Theoreticos (quos vocant)

non

Digitized by Google

non ſine fructu à vobis legi poſſe *Expoſitionem Doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ* ab Epiſcopo Meldunenſi conſcriptam, quicquid alii obloquantur qui doctrinam Eccleſiæ ab eo diſſimulari, & pleroſque alias opiniones aliaque exercitia ſequi volunt. Sit ita, loquantur illi quotcunque & quæcunque velint. Vos autem ex omnibus rebus ſenſum optimum fructumque quem poteſtis maximum eruite, neque adminicula ab aliis ad hoc oblata repellite, parum ſolliciti utrum alii ex iiſdem venenum ſibi exprimant an medicinam. Non quid alii fecerint, ſed quid voſmet ipſi, vobis à Deo imputabitur. Si ſcrupulos qui fortè vos premunt peculiariùs noſcerem, ad eoſdem ſigillatim deſcenderem: verùm cum eos ignorem, deſino, hortorque ut ne malos, quique vobis inſultant injuriâ, in odium vocetis; ſed ut Deum pro ipſis oretis, ejuſdemque opem gratiamque imploretis ut ipſi ex omnibus bonum eliciatis, & proprio experimento ubique cognoſcatis quàm verè ad omnia extendenda ſit excellentiſſima regula Pauli, (a) DILIGENTIBUS DEUM OMNIA COOPERANTUR IN BONUM. Valete.

(a) Rom. 8: 28.

D. 14 Novembr. 1686.

SECTIO II.

In qua reſpondetur difficultatibus quorundam, contra Epiſtolam præcedentem verbo prolatis.

I. Epiſtolæ ſcopus & fructus, a probis agnitus.

I. EX quo Epiſtola, quam modò vidimus, in publicum prodierat; cœperunt plures de ea ſermones audiri, quàm ego futurum credideram. Et judicia quidem hominum diverſiſſima erant; ego verò non ſine gaudio hac occaſione cognovi plures ſupereſſe qui æquitatem amant, neque ſunt partium mancipia, quàm mihi ſperandum videbatur. Etenim exiguum hoc ſcriptum, quod ita comparatum eſt ut ſolis æqui amantibus & à privato ſtudio alienis placere poſſit, veriſſimè eos qui in omnibus partibus Catholicorum, Reformatorum, Lutheranorum probiſſimi ſunt, approbatores habuit, quippe qui conſcientiâ convicti, facilè viderint, propoſitum noſtrum in eo ſolùm fuiſſe, animas ad Deum reducere per partem

Digitized by Google

Religionis Chriſtianæ *eſſentialem*, quam à parte minùs principali, eo accuratius diſtinximus, quod earum confuſio adhuc ſola ſit cauſa malorum ac turbarum omnium quibus Chriſtiani implicantur. Partem verò minus principalem ſeu *acceſſoriam*, ſive cultum externum, facilè obſervarunt, commendari per id quod in eo ſolidiſſimum eſt & minime controverſum, & unde omnis hypocriſis, ſuperſtitio, turbæque & diſſenſiones omnino pereunt. Etenim quiſquis rebus externis quibuſcunque ita utetur, ut per eas ad amorem Dei ac proximi, ad humilitatem, ad abnegationem ſui ipſius & ad imitationem Chriſti devenire ſtudeat, is ſecurus ambulabit, nec unquam vacillabit. At vero hæc ſi abſint, in hypocriſin omnia inque ſuperſtitionem, irriſionem Dei, nec non in cordis cœcitatem degenerabunt. Et ex hoc quidem principio eam ſolvimus difficultatem quæ multos nunc probos habet ſollicitos, dum ſcilicet in eam redacti ſunt neceſſitatem, ut vel peccare ac conſcientias miſerè torquere contaminareque cogantur; vel exſpectare ſi qua aliunde iis remedia conſiliaque dari poſſint, ex quibus videant, non tantùm in uſibus exercitiiſque ſibi imperatis poſſe non peccari; ſed & eadem ipſis in inſtrumenta ac media cedere poſſe quibus in amore Dei & in via ſalutis progrediantur.

II. *Abſurdæ nonnullorum objectiones contra Epiſtolam præcedentem.*

II. Verum quemadmodum fuerunt qui inſtitutum hoc Chriſtiana Charitate digniſſimum laudarunt; ita alii contrà in eandem cauſam acerbe & ridiculè invecti ſunt, dum eorum nemo vel unicam objectionem ſolidam afferre potuit. Unde animos contentioſos ac partibus addictos tanto vehementius exarſiſſe reor, quòd facilè viderint, veritates propoſitas tales eſſe, ut refutari nunquam poſſint. Hinc ſigillatim eas examinare dedignati, injuriis potiùs vagis ac ventoſis perſonam inſectari maluerunt. Alii dixerunt, Auctorem religione nullâ duci; alii, eſſe Pontificium perſonatum; imò alii, eſſe & Socinianum. Ego verò nec riſum tenere potui, incredibilem animi humani ignorantiam malignitatemque non ſine commiſeratione notans, quia fit, ut ſiquando conſpecto lumine videat rebus ſuis eam, quam crediderat bonitatem, non adeſſe, aut certè res aliorum tantam malitiam non habere atque ipſe ſibi perſuaſerat, idipſum lumen nomine ignis fatui traducere non dubitet, ut omnem ejus utilitatem fructumque ſupprimat ac tollat. Quiſquis ſane legere didicit,

dicit, videbit facilè Socinianorum doctrinam ejuſque capita duo præcipua, negationem putà divinitatis Filii Dei & Pelagianiſmum, hac in Epiſtola expreſſis verbis damnari. Obſervabit etiam, Auctorem quidem nullis partibus ita pertinaciter hærere atque animi præfractè Sectarii & cœco furore abrepti ſoleant; at eundem tamen earum nullam damnare, quin & cultum illarum ac exercitia a parte potiori & utiliori commendare; ceterum ipſam vim atque eſſentiam Religionis Chriſtianæ tam firmiter amplecti, ut ea in re cum adverſariis ſuis de palma contendere poſſit.

III. Ii qui Epiſtolam noſtram ſeu *Amicum ex charitate Conſilium* maximè improbarunt, Galli quidam refugi fuere, qui cùm omnia derelinquere maluerint, quàm ritus ſibi imperatos ſequi, heroïci ſibi facinoris laudem attribuunt, & Confeſſores ſibi totidem ac tantùm non Martyres videntur. Ii crediderunt hanc gloriam ſuam ab Epiſtola noſtra labefactari; quippe quæ palam faciat vel minima eſſe ejuſmodi ſua facinora, vel etiam quæ inſtituti ſui rationem actioneſque ſuas improbare videatur. Ego verò Deum teſtor, meum olim judicem, nunquam mihi propoſitum fuiſſe vel ipſos vel eorum factum improbare, contemnere aut damnare; quin potius ſic de iiſdem exiſtimo, eorumque factum eouſque laudo ac probo, ut non habeant quod meritò querantur, quemadmodum mox dicturus ſum. Unicum mihi fuit propoſitum, ſublevare eos qui illis periculis circumſtantiiſque implicantur cum quibus ſi cenſores noſtri conflictarentur, primi fortè forent qui ſcriptum noſtrum laudarent atque ex animo approbarent; at qui nunc ipſi in tuto ſunt, haud juſtè condemnant ea quæ in periculo ſcire amplectique maxime voluiſſent.

III. Objectio petita à Martyrio cruciatibuſque pro certa quadam Religione perpeſſis.

IV. Ceterum inanis ille terror eſt & nullus, quòd teſtimonia ſua, quibus rerum bene geſtarum laudem ſibi vendicant, ab Epiſtola mea labefactari putent. Præterquam enim quod illa de iis directò non agat, exiſtimo etiam eos, qui factum aliquod malum Deoque exoſum eſſe (licet fortè ex errore) credunt, rectè facere ſi illud evitaverint, utcunque eo ipſo graviſſima pericula, ipſamque adeò mortem, adire cogantur: quo quidem caſu, etſi *Martyres veritatis eſſentialis* doctrinæ Chriſtianæ dicendi non ſint; Confeſſores certè erunt aut *Martyres bonæ conſcientiæ, bonæ fidei*,

IV. Duo genera Martyrum & Confeſſorum.

 ſin-

Digitized by Google

ſinceriqué erga Deum *animi*. Deus autem, qui cordis rationem habet, ſi videat, eoſdem aliàs divinum timorem ſuum, amorem, humilitatemque amplecti, iſtud quicquid hic eſt tenebrarum defectuumque, indulgenter in iis diſſimulat, bonamque eorum conſcientiam atque ſinceritatem præmiis quæ divina juſtitia bonitaſque eorum cum bona mentis conſtitutione commetietur, ornaturus eſt.

V.
Martyres in omnibus partibus.

V. Atque ita pro certo habeo in partibus ſingulis Chriſtianæ gentis homines fuiſſe probos quibus non vitio, ſed laudi dandum eſt, quòd graviſſimos quoſque cruciatus, imò & mortem amplecti maluerint, quàm illa in quibus peccatum ineſſe putabant, quod tamen verè non inerat, admittere. Ita Catholici pariter ac Proteſtantes quos vocant, non paucos commemorant hujuſmodi, quos *Martyrum* & *Confeſſorum* titulis ac laude dignantur, qui tamen cùm diverſis ſententiis inter ſe diſſideant, adeoque ob diverſa & contraria torqueantur, non poterant omnes eſſentiæ Chriſtianæ Religionis (ſine qua propriè Martyrium non eſt) Martyres & Confeſſores exſiſtere, etſi poterant omnes, atque etiamnunc poſſint, quanquam inter ſe diſſideant, Martyres eſſe & Confeſſores bonæ conſcientiæ, ſincerique cordis Deo candidè adhærentis. Impoſſibile enim non eſt, ut alii bona fide credant, nonnulla quæ per ſe ad partem eſſentialem Chriſtianæ Religionis non pertinent, Deo grata eſſe: alii verò eadem ab ipſo improbari, adeoque peccata eſſe putent: atque ita dum alii aliter atque alii ſentiunt, ſinguli animo ſincero inculpatoque graviſſimas quaſque injurias & mortem ipſam adire poſſunt ob res acceſſorias, eaſque contrarias, quas tamen per infirmitatem ſuam, majoriſque luminis defectum, ad Chriſtianæ doctrinæ eſſentiam ita pertinere putabunt, ut earundem obſervatio aut prætermiſſio, peccati aut boni operis naturam ipſis habere videatur. Quæ animi conſtitutio multo majorem laudem meretur, & à Deo multo magis probatur, quàm eorum ratio, qui ut incommoda temporalia evitent, illa quæ peccata eſſe putant & divinæ Majeſtati exoſa, admittere non dubitant.

VI.
Martyrio bonæ conſcientiæ adeſſe debet

VI. Atque ita illos qui, ut peccata quæ putabant evitarent, magnas ſibi ærumnas compararunt, non tantùm non reprehendo; ſed in honore etiam habeo ac laudo, modò de cetero, timore atque amore Dei non careant. Præſtat utique ad pacem

bonæ

bonæ conſcientiæ conſervandam carnis tormenta adire, quàm ad pacem ac commoda carnis tuenda conſcientiam vulnerare. Veruntamen ut Deo placeat qui ejuſmodi tormentis gravatur, tantam animi ſinceritatem habere debet in iis propter quæ cruciatus tolerantur, ut ſi rem rectiùs intelligeret, paratus eſſet ab opinione ſua diſcedere, & meliori inſtitutioni ſeſe ſubmittere. Quod ſi quis ita animo affectus non ſit, is tantum propter idola ſua amoris proprii, partium ſtudii, propriæque voluntatis patitur; at ſi quis ſincero & docili ſit animo, nec tamen permittente Deo, occaſionem habeat meliora diſcendi; is ſi patiatur propter ea quæ Deo grata eſſe credit, aut ad evitanda illa quæ peccata eſſe arbitratur, reipſa Deo acceptus exſiſtit, propter amorem videlicet ſincerum, quanquam non ſatis illuminatum, quo Deum complectitur. Quando vero Deus pleniorem Veritatis cognitionem offert, unde pateat ea quæ per naturam ſuam bona opera aut peccata videbantur, in ſe ſic adiaphora eſſe, ut pro circumſtantiarum animorumque habitudine variâ, ſine peccato, imo & cum fructu jam obſervari, jam prætermitti poſſint; eo caſu qui corde ſunt recto atque ſincero, meliori doctrinæ protinus ſeſe, nec inviti, dubio procul ſubmittent. Et hi quidem, licèt fortè olim pro iis quæ nunc adiaphora eſſe vident, cruciatûs adierint, præteritarum tamen perpeſſionum præmia quæ ſperant, nequaquam amittunt; quoniam Deus, qui cor inſpicit, novit videtque eos in his ærumnis ferendis intentionem ſibi ſoli placendi, animumque amori ac voluntati ſuæ adhærentem habuiſſe. Et hanc quidem integritatem cordis Deus præmiis ſuis omnino remuneratur. Quod ſi verò ii, quos rectiùs edoctos eſſe diximus, præfractè tamen ac mordicus tueri velint id naturâ ſuâ vel opus bonum, vel peccatum eſſe, quod hujuſmodi non eſſe ipſis oſtenſum eſt; ita fructum omnem perpeſſionum præteritarum perdunt, fiuntque propriæ voluntatis ſuæ partium ſuarum mancipia, puri luminis hoſtes, rerum acceſſoriarum ſectatores factioſi ac Judaïci, homines cœci cordis ſui tenebris ac affectibus corruptis traditi, imò puriſſimæ etiam veritatis perſecutores, & aliis duplo filii gehennæ. Quæ diligenter ut obſervent quotquot ſalutem ſuam amant, moniti ſunto.

docilitas: aliàs non martyrium eſt; ſed animi ſectarii pœna.

VII. Non pauci ſunt qui in hoc præcipitio verſantur, quod certè omnes boni multo diligentiùs cavere debent, ac quondam fortè

VII. *Quibus difficile ſit a:*

partium ſtudio ad æquitatem redire. fortè res bonas aut indifferentes, quæ ſibi malæ & peccato inquinatæ videbantur evitarunt. Timendum certe eſt, ne eo ſint in periculo plerique illorum qui contra lumina tam clara quæ in AMICO EX CHARITATE CONSILIO continentur, inſurrexerunt, eave improbarunt, ac etiam *veneni pernicioſi* nomine ſcriptum illud appellarunt, quod puram & ipſiſſimam veritatem docet, & nullius fraudis periculum affert, quippe cùm eſſentialia eſſe dicat quæ fatentibus omnibus eſſentialia ſunt; indifferentia verò ea, ſine quibus (modò eſſentialia non deſint) ſalus comparari poteſt, per quæ ſola autem (ſi eſſentialia illa deſint) nemo ſervabitur: quando tamen ipſi eo prolabuntur, ut rerum externarum uſum eatenus probare nolint quatenus illæ ad Deum virtutemque ducunt, ac per earum exercitium innumerarum turbarum peccatorumque ingruentium torrens ſiſtitur. O utinam id non procederet ex animi arrogantia, quod doceri dedignentur, & è ſuperbia, rem ſe non ſatis perſpexiſſe atque adeo errare potuiſſe confiteri nolente! Et vero hi ipſi ſunt, ut plurimum qui contra Pontificis Romani, Romanæque Eccleſiæ infallibilitatem ſumma animi vociſque contentione declamant; ipſi licet in decretis ſuis omnibus, quæ de bono maloque, de vero ac falſo ſemel ſtatuta voluerunt, ſinguli totidem Pontificès eſſe velint, ac certitudinem majorem magiſque infallibilem quàm ipſemet Papa ſibi vendicare. Ex quo enim ſemel definiverint: *Hæc ad ſalutem comparandam neceſſaria ſunt; illa non æquè. In his idololatria eſt atque peccatum; in illis non eſt: Hîc ſalus acquiri poteſt; illic non poteſt*; ne credas eos unquam à placitis illis deſcituros eſſe. Ventoſa quidem verba jactantur: *ſe humani nihil à ſe alienum putare; fieri poſſe ut errent, neque ſe recuſare quin errores ſuos meliùs edocti, ſint agnituri.* Sed verba ſunt; neque, ubi ad rem ventum eſt, majorem vim habent, quàm fabulæ quibus infantes ad ſomnum componuntur. Cor enim, cor inquam infelix, ſuperbia & amore proprio ſuæque partis ſtudio infectum, nimiopere obſtat ne iſta rata eſſe poſſint. Laudabilem hunc pudorem averſantur fere omnes nimium, ut dicant; *Non rectè rem intellexeram: Erravi, alioſque in eoſdem errores bona fide induxi, ubi tamen Deus videt me ſinceritate cordis, quantum per cognitionis meæ anguſtias tum temporis licuit, non caruiſſe.*

VIII. *Non eſt quod pudore*

VIII. Quæ confeſſio Deo omnibuſque bonis ita probabitur, tan-

tantamque vim habet, quò gratia Dei comparetur, omneſque lapſus præteriti, in quos bona intentione inciderant, in bonum vertantur, imò pro rectè factis imputentur etiam, ut quæ cauſa pudoris in ea supereſſe poſſit ignorem. Ergone fateri pudebit errorem nobis obrepere potuiſſe, præſertim in ſententiis quas de aliis eorumque ceremoniis ac ritibus quondam diximus? Ergone indignabimur iſta partibus omnibus Chriſtianæ gentis palam ante oculos exponi, & ita quidem, ut ſimul oſtendatur omnes in bono uſu quo ritibus ſuis legitimè utuntur aut uti poſſunt, à ratione non abeſſe; in eo verò ſolo errorem peccatumque ineſſe, quòd ſinguli propriæ ſuæ cauſæ agnoſci æquitatem contenti non ſint; ſed præterea proximum etiam judicari ac condemnari velint? Qua in re ab Apoſtoli præcepto apertè diſcedunt, qui, *Tu*, (*a*) inquit, *quid judicas fratrem tuum? aut tu*, alter *quare ſpernis fratrem tuum? Nonne omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti? Alius credit ſe* (licite poſſe) *manducare omnia: qui autem infirmus eſt, olus tantum manducat:* (alius putat ceremoniarum omnium uſum licitum eſſe; alius verò ab his vel illis tanquam à peccato abſtinet:) *Alius diem aliquam*, (ſeu ceremoniam opinionemque) *reliquis anteponendam judicat: alius omnes dies æquales judicat*, (ſeu ceremonias omnes naturâ indifferentes eſſe credit.) *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet:* (Singuli ea in re animo ſint tranquillo atque quieto:) *Qui diem aliquam* (ſeu ceremoniam opinionemque, v. g. nunc præſentiam realem tranſſubſtantiationem aliaque) *obſervat, Domino ſapit*, & placere intendit: *& qui diem*, (opinionem, ceremoniam) *non obſervat, etiam non obſervat* ut placeat *Domino. Ita, & qui manducat, ſecundùm Deum agit, cui pro ciborum uſu gratias agit; quique ex infirmitate* (certos cibos, veritus ne peccet) *non manducat, pariter animum habet Deo placendi, cui gratias agit*, quod iis quæ illicita putat abſtinere poſſit. *Hæc omnia*, & cetera, *faciunt ut Deo placeant. Tu ergo quis es*, homo partialis ac ſeditioſe, *qui ſervum alterius*, imò ipſius Dei *judices* ac condemnes. *Domino ſuo ſtat aut cadit*; in hoc ipſo quod *ſtet* & bene faciat, id facit ut placeat Deo; & in hoc ipſo quod *cadat* vel erret ex infirmitate, placere tamen Deo vult: atque idcirco erectus *ac ſtans manebit* præter opinionem tuam: *potens enim eſt Deus ſtatuere* ac ſtabilire *illum*, ejuſque ſalutem promovere, per ea ipſa in quibus tu putas eum labi, dum tamen

confunditur qui ſe de aliis judicantem erraſſe fatetur.

(*a*) Rom. 14, & 15.

cor ejus ad Deum erectum manet. *Itaque nolimus deinceps alii alios condemnare; ſed judicetis potiùs veſtrum eſſe*, non dicam, *ne alii aliis offendiculo ſitis*; ſed ne mutuis odiis agitati alii alios propter ceremonias diverſas & leviculas de iis opiniones condemnetis aut obteratis. *Nam regnum Dei*, vera doctrina Chriſtiana, *non in iſtis rebus conſiſtit; ſed in juſtitia, in pace, in gaudio, quod Spiritus S. dat* animis puris ac ſpiritualibus, qui propriè templa ejus ſunt, *verique Adoratores. Et quicunque* CHRISTUM *ita colit, Deo hominibuſque* bonis *gratus eſt. Novi ac perſuaſus ſum à Domino* JESU, *nihil per ſe immundum eſſe: illi verò qui rem aliquam immundam ac malam exiſtimat, eadem mala erit. Itaque fortiores debiliorum infirmitates tolerent, neque omnia pro ſuo placito agi velint, ſinguli vero proximo ſeſe accommodare ſtudeant in bonum*, ad ejus ædificationem, *quemadmodum fecit Chriſtus.* Vides hîc, quid Paulus in ſimili argumento, quale noſtrum nunc eſt, obſervandum inculcet.

IX. *Homines non propter ea quæ eſſentialia, ſed quæ acceſſoria ſunt, ſeſe mutuò condemnant.*

IX. Si Chriſtiani in eo ſtudium ſuum poſuiſſent, ut ob cauſas ſine controverſia capitales eſſentialeſque ſeſe condemnarent; Si ita pronuntiaſſent. „ Quiſquis Deum non amat, in morte „ æterna jacet: Quiſquis fratrem ſuum non amat, homicida eſt, „ neque ullam ſalutis ſpem habet: Quiſquis ſemetipſum, aut „ mundum & quæ in mundo ſunt amat, idololatra eſt, cui præ- „ paratum eſt ſtagnum igne ac ſulphure flagrans: Quicunque ſu- „ perbus eſt, Diaboli ſocius eſt: Quiſquis theſauros in terra cor- „ radit, Paganus eſt ac infidelis, qui Providentiam Dei non cre- „ dit, quique theſaurum ſuum non habet in cœlis: Quiſquis „ contentioſus eſt, diſputator, & acerbitate, invidia, æmula- „ tione, ſtomacho atque iracundia plenus, is (teſte D. Jacobo) „ ſapientia animali, terreſtri & diabolica refertus eſt: Quiſquis „ ceremoniis utitur longè diviniſſimis & veriſſimarum quarum- „ que ſpeculationum ideas mente complectitur, neque tamen „ per iſta veluti per gradus, ad ſanctitatem, ad amorem Dei & „ proximi adſcendit, ſuperſtitioſus eſt, vanus & hypocrita: „ Quiſquis in Amore Dei ac virtute proficit quocunque medio „ ſeu exercitio utatur, is filius Dei eſt, & ad eſſentiam & ſcopum rerum omnium Legiſque pariter ac Prophetarum adſcen- „ dit: verbo, Quiſquis Jeſum Chriſtum amat, ejuſque præce- „ pta amoris ſervat, is ab ipſo & à Patre ejus amatur: qui verò

„ Domi-

„*Dominum* JESUM *non amat*, *Anathema*, *hæreticus*, *maranatha* „*eſto*; ô quàm rectè edixiſſent! Verùm quid dicam? Homines ab illo Deo qui eſt Deus cordis, à vi atque ab eſſentia veræ virtutis, veræque Religionis Chriſtianæ revera defecerunt; indeque à peccato excœcati, nugis quibuſdam puerilibus adhæreſcere cœperunt, quarum illos in conſpectu Dei pudere debebat: „Quiſquis, inquiunt, has illaſve opiniones levidenſes am„plectitur, is veræ Religionis membrum eſt; qui verò iis non „aſſentitur, in æternæ mortis periculo verſatur: Quiſquis cere„moniis talibus in hoc illove loco utitur, idololatra eſt; qui „verò aliis alibi utitur, in fidelium numero eſt, & id genus aliæ nugæ non paucæ. Nugas voco, non ceremonias, neque rectum earum uſum, ſed craſſiſſimos errores & ſtulta judicia hominum, qui partem minùs principalem & corticem rei pro parte principali amplectuntur & colunt, ipſam verò rem principalem turpiter obliti, ab animo ac vita ſua longiſſimè rejecerunt, adeo ut vel ullam ejus mentionem fieri nolint.

X. Et verò (ut dicamus quod res eſt) nihil in AMICO EX CHARITATE CONSILIO pleroſque gravius offendit, quàm quòd Auctor ſoli parti eſſentiali propriè atque abſolutè inſiſtat; acceſſoriis autem non adhæreat niſi quatenus ad ipſam eſſentiam referuntur; ubique verò ab omni privato partium ſtudio ita alienus ſit, ut nullas partes nulloſque qui rectum earum uſum teneant velit condemnare. Et hæc quidem quibuſdam non magis intelligi potuerunt, quàm ſi ſermone Japonenſium aut Sinenſium uſus fuiſſem, iis puta, qui illa quibus propria vis & eſſentialis pars Chriſtianæ Religionis conſtat, parvi momenti eſſe, & tantum non ornatus ac decoris gratia acceſſiſſe rati, naturam atque ipſiſſimam eſſentiam boni Chriſtiani, ejuſque qui veram Religionem ſequitur in eo eſſe credunt, quòd uni parti factiosè totus adhæreſcat, adeò ut quotquot ab ea abſunt, tanquam totidem inferni alumnos ſecurus condemnet. Videlicet iſtis in iis quæ ad ſalutem comparandam pertinent, factioſo ac militari omnino modo rem tractari gerique perplacet. Et ſane diceres univerſæ multitudinis Chriſtianæ partes ſingulas, veluti totidem factiones mutuis inimicitiis ac bellis implicitas videri; quibus quidem pro ducibus capitibuſque ſint Doctores & Paſtores, pro militibus verò eorundem auditores, qui ſi deſertores fiant co-

X. *Homines ferè ea, quæ acceſſoria ſunt & quæ factiones ac rationem militarem redolent, præponunt iis quibus ipſa eſſentia Religionis conſtat.*

hortis ſuæ & ad aliam partem tranſeant, furcam meruiſſe creduntur: unde protinus in Conſilio militari Ducum ſuorum rebelles, apoſtatæ, refractarii, perditi ac damnati declarantur, quanquam tamen duces, (quod damnatorum ſolamen eſt,) poteſtate ſententiæ exſequendæ deſtituantur. Verùm qui milites ſive auditores à parte ſua amoveri ſe non patiuntur, iis ceremoniarum quarundam uſus exercitiaque imperant, eoſque diligenter inſtruunt quomodo hoſtes tum alacriter invadant, tum fortiter eoſdem repellant. Quibus quidem vix pedem moventibus, protinus ad arma conclamatur. Pro teſſeris ſunt nomina *Papæ*, *Calvini*, *aut Lutheri*; quo dato ſymbolo, illi aut fratres ſeſe mutuo agnoſcunt, aut mutuis cædibus *in nomine Domini* ſine mora ſeſe conficiunt; aut certè ſi tam apertè id non agunt, laxo freno ad diſputationes, rixas, odia & quocunque animam ſuæ poteſtati relictam diſſidiorum Princeps impellit, prorumpunt. Hæc, hæc verò eſt RELIGIO ILLA CHRISTIANA quam volumus, quam capimus, quæ videri, quæ tangi poſſit, quæ captui noſtro humano reſpondeat. De *Religione* vero neſcio qua, nobis loqui, cujus Religionis *Templum*, *Paſtor*, *cultus*, verumque *exercitium in Spiritu* ita conſiſtant, ut *uſus ejus maneat etiamſi mundus corporeus non duretur*, ſurdis cantus atque fabulæ! (*a*) *Fac nobis Deos qui nos præcedant*, qui nos in ſua quemque factione ritè & craſsè ducant: ſiquidem quid de Jeſu Chriſto illo, de ejus Spiritu ac *cultu* in *Spiritu & veritate* factum ſit, quidque iſta ſibi velint, ignoramus; imò nec intelligimus quomodo externa non niſi inſtrumenta & media eſſe debeant quibus ad interna deſcendamus. Et ſane ita eſt: *homo* namque *animalis non intelligit quæ ſunt Spiritus Dei, & ea ipſi ſtultitia ſunt*, ut (*b*) Paulus ait: Unde cùm Religio Chriſtiana inter ea ſit quæ *Spiritus Dei ſunt*, minime mirum videri debet, homines carnales ſi ſubſtantiam ejus non intelligant, neque in ea ſola conquieſcant, ac reliquorum omnium uſum ad eam referre non poſſint.

(*a*) Exod. 32: 1.

(*b*) 1 Cor. 2: 14.

XI. *Exemplum* JESU CHRISTI *probationis vim habet.*

XI. Sunt qui objecerunt, exemplum Chriſti, quo oſtenditur poſſe quem cultui cœtus cujuſdam in quo abuſus vigent intereſſe, ita ut ipſe ex eo conſortio labem non contrahat, nullam probandi vim habere. Quamobrem verò? quoniam, inquiebant, Chriſtus ita egit ut omnem juſtitiam Legis impleret. Rectè, itaque & nos ſimiliter agamus ut omnem quam poſſumus juſti-

juſtitiam impleamus. Jeſus Chriſtus ut quoſdam Judæorum Deo faceret lucri, utque nullas in Eccleſia importunas turbas daret, eorum cultu utut abuſibus multis contaminato, uſus fuit. Faciant ergo idem & Imitatores Jeſu Chriſti ſimili in caſu propter Deum, propter ſe ipſos & propter proximos ſuos licèt abuſus ſimiles vigeant. Juſtitia hæc eſt atque officium, cujus implendi neceſſitatem propter exemplum Magiſtri ſui deprecari non poſſunt. D. Paulus egregiè eum mirificeque in eadem cauſâ imitatus eſt, optavitque ut ſimul omnes perinde atque ipſe exemplum Jeſu Chriſti ſequerentur.

XII. Alii dixerunt, in Epiſtola mea adſumi id quod incertum eſt & in quæſtione verſatur, ſupponique, poſſe quem alterius partis cultu rectè & legitimè uti; ſine qua hypotheſi, fructus ejus omnis evaneſcat. Verùm quid dicant ipſi, revera ignorant. Nihil à me hic aſſumitur aut ſupponitur, niſi ut lectores animos ſincerè dociles afferant; quo dato, argumentis tum ex ipſa Chriſtianæ Religionis ſubſtantia, tum ex parte acceſſoria ejuſdem petitis, oſtendo quomodo in hoc vel illo cœtu per hanc ultimam tanquam per media ad iſtam adſcendere liceat. Quotquot animi ſunt candidi ac docilis, difficultatum ſuarum ſolutionem ibidem invenient, & rationibus allatis non immeritò ſe perſuaderi patientur. Et hic quidem ſcopus eſt quem intendi. Illi verò, qui animum malè præparatum atque indocilem affert, non loquor, quin ingenue fateor operam meam ei utilem eſſe non poſſe. Non impedio quò minus liberè ſtatuat, ſi velit, eos qui neceſſariò rebus iſtis ſive ceremoniis, quas dixi, uti coguntur, rectiùs facturos eſſe ſi iiſdem repugnante conſcientia & cum ſui condemnatione utantur, quàm ut uſum earum ſalutarem ſibi efficiant, dum ſcilicet non ſine fundamento ſibi perſuadere poſſunt eas per ſe & naturâ ſuâ non tantùm non malas, verùm etiam bonas eſſe. Per me cuivis licet, ſe, ſi velit, ad eum modum ipſe regere; fructumque quem exinde collecturus eſt exſpectare. XII. *Suppoſitio in his facta.*

XIII. Quæſitum eſt; quid faciendum ſit, ſi quis de bonitate cultûs ſive adorationis Chriſti in Euchariſtiâ perſuaderi non poſſit, & nihilominus eidem intereſſe cogatur, niſi ingentem malorum molem ſibi attrahere, proximiſque ſui inſectandi occaſiones dare velit? Reſpondeo, ſiquidem ille nec ratione nec ſince- XIII. *Uſque quò aliis obſequi liceat?*

 ritate

ritate impartiali careat, nullus dubito quin omnes ſcrupuli ipſi eximi poſſint, idque argumentis tam ſolidis, ut juvante Deo, propriaque conſcientia teſtante, eorum vim facilè ſit intellecturus; imo aſſeveranter dico, in ſectione proximè ſequenti talia ſuppeditatum iri. At ſi quis, non dico partialis, (is enim inſanabilis eſt) ſed ingenio hebes, rationes theoreticas de hac doctrina ſibi fortè propoſitas, per mentis tarditatem nec intelligere nec credere valeat; ad minimum tamen intelliget, ſiquidem illi quorum ritus ſequi cogitur ſolum Jeſum Chriſtum adorare in animo habeant, neque aliud ab eo poſtulent, niſi ut propter amorem Chriſti & ad ingentem turbarum malorumque molem præcavendam certo in loco adeſſe, ibidemque Chriſtum, ſiquidem eum eo in loco præſentem non credat, tanquam in cœlo præſentem adorare velit; meliùs eſſe, eorum deſideriis obſequi; quàm externo hoc ritu ac tam utili obſequio uti nolle, eoque nomine innumeris turbis peccatiſque futuris cauſam dare. Quid verò hic periculi eſt, ut quis certo in loco compareat, ibidemque Jeſum Chriſtum tanquam Deum pariter ac Hominem adoret, ac propter amorem tum ejus, tum charitatis ac pacis ipſius, itemque ad evitanda multa mala funeſtiſſima, externo quodam actu eidem ibi reverentiam exhibeat, quæ tamen propter ipſum ſolum exigitur, & ad ipſum ſolum refertur?

XIV. *Inſtantia petita à Chriſtianis qui Gentilibus meritò obſequi noluerunt, nulla eſt.*

XIV. At, dices, hæc ſi ita ſint, potuiſſent utique Chriſtiani ad pedes idolorum Gentilium Deum adorare, adeoque fruſtrà tantas potiùs vexationes eo nomine ſubire voluerunt, quàm coram iiſdem genua inflectere. Egregia verò inſtantia! Gentiles exigebant, ut Chriſtiani verum Deum atque Servatorem Jeſum Chriſtum abnegarent, & ut Dæmones ipſos aut homines ſceleratos & impios adorarent: quibus ſi obſecutum eſſet, illi gloriari potuiſſent, quòd Chriſtianos ad abnegationem Chriſti abduxiſſent, & à Deo vero ad Deaſtros falſos retraxiſſent. Hic verò quid eſt quod exigitur? Illud ſolum ut Jeſus Chriſtus adoretur, aliique ad ejus adorationem perducantur. Quod ſi ergo ſi qui hoc ab aliis exigunt, obtineant quæ volunt, quid erit de quo gloriari poſſint? An quòd eos ad abnegationem Chriſti perduxerint? Minimè verò; ſed potiùs, Jeſum Chriſtum eundem, & ſolum, iiſdem adorationis ſuæ objectum eſſe ſemperque manere quocunque ille in loco adſit aut adeſſe concipiatur.

Quis

Digitized by Google

Quis verò non videt iſta non minùs inter ſe differre, quàm quidem ipſæ Religiones Gentilium ac Chriſtianorum, & objecta ipſa utriuſque cultus, imò quàm Jeſus Chriſtus ipſeque Dæmon inter ſe diſtant?

XV. Sunt, qui putant inſtantiam quæ à *vitulo aureo* petitur, majorem vim habere. Ego in ſequentibus pleniſſimè ad eandem reſpondebo. Iſtæ verò difficultates omnes, aliæque ſimiles omninò ab ipſa radice ſua evaneſcent, ex quo rectè conſiderabimus, quænam propriè ſit natura *Euchariſtiæ* in prima ſua origine, & quæ ſint rationes originariæ ac ſolidæ mutationum illarum variationumque quæ eidem ſupervenerunt. Et hoc quidem argumentum eſt trium articulorum Sectionis ſequentis, quâ, ſiquidem unam alteramve vocem excipias, Capita VI & VII. Libri IV. *Oeconomiæ* noſtræ *divinæ* ad verbum referuntur. Nemo verò in lectione Articuli proximè ſequentis mirabitur, inter ea quæ de Eccleſia primitiva traduntur, eodem loci non expreſſam quidem inveniri inſtitutionem rituum atque obſervationum illarum quæ inter ſuos hodie receptæ ſunt. Pergat ſaltem, videbitque Articulos duos qui poſtea adduntur, omnibus qui intellectum pariter ac cor ritè præparatum adferent, pleniſſimè ſatisfacere.

XV. *Inſtantiæ de vitulo aureo, ceteræque difficultates, ad ſequentia remittuntur.*

XVI. Priuſquam tamen huc nos conferamus, non poſſum quin ſignificem me impenſe optare ut ii quibus eſt potentia ad cogendum ceteros ad ſacra quædam, etiamſi bona, prioribus, quibus adhærent, derelictis; ne patiantur ſe ad talem potentiæ ſuæ abuſum ab ullis, utut ſpirituales ſe ac divinarum rerum Epoptas dicant, perſuaderi atque adduci; ſiquidem ea in re non poſſent non ſummopere tum peccare ipſimet in Deum, qui potentiſſimus licet & omnium Dominus, neminem tamen cogit, ſed omnes vult benigno lumine, cum longa etiam exſpectatione, perſuaderi, & voluntario motu ſponte ad ſe accedere; tum quoque efficere, quantum in ipſis eſt, ut & peccent alii in amorem Dei atque proximi, & ſeſe ita æterna damnent morte, quos tamen, uti quidem obtendunt, ſalvare voluerant. Etenim quiſquis ab alio cogitur uti ea deſerat quæ ſalutis ſuæ media eſſe credit; ea verò amplectatur quæ ſi non damnationis, ſaltem incerti vel nullius ad ſalutem uſus arbitratur eſſe, is non poteſt, maximè ubi infirmus eſt multumque adhuc imperfectus, quin

XVI. *De coactione in rebus divini cultus ac Religionis: eam eſſe tum Religioni, tum cogentibus, tum quoque coactis damnoſam: quippe quæ Amorem Dei ac proximi extinguat.*

quin ſe ad odium eorum, adjuvante etiam animarum tentatore, ſentiat incitari à quibus ſe removeri putat a ſalute, & vel ad interitum propelli. Atque ita violenta iſtiuſmodi coactione promovetur certo certius in ipſis odium proximi; quod ut maximum peccatum eſt, ſic & a vita æterna hominem omnino abducit.

Quantum vero ad Amorem Dei, iſto pacto etiam extinguendum attinet, ſciendum eſt, homines cum naſcantur non paucis tum ignorantiæ & infirmitatis, tum corporis rerumque corporearum vinculis involuti, non poſſe è ſuo corruptionis innatæ atque adſcitæ elemento ad Dei amorem reduci niſi id aliquandiu fiat & per res corporeas, & ſeſe eorum captui atque infirmitati conformando: ſunt enim illi adhuc toti & diu quidem in rebus corporeis & in cogitationibus materialibus atque craſſis a quibus nondum poſſunt evocari ut mera ſapiant ſpiritualia. Quapropter ipſemet Omnipotens & Sapiens & bonus Creator, eos ad ſui amorem attracturus, imperfecta atque corporea ipſis illico non tollit; ſed eos quidem relinquit in illis, quæ vero ad commodum aſſumit uſum, quo homines veluti per ſigna & media quædam & quaſi ſcalas mentem & cor ſuum ad celeſtia, ad æterna, Deumque ipſum cogitandum ac amandum elevent. quâ ratione corporeis verbis, ritibus, locis ac temporibus variis non ſemel uſum eſſe Deum ad infirmos homines in viam Amoris atque ſalutis reducendos, paſſim in Sacris Bibliis videre eſt.

Fit autem inde, ut quiſquis rebus illis corporeis, verbis, ritibus & ſacramentis utitur cum bona ſincerioris cordis intentione quærendi Deum, ſeſe ad eum elevandi, ei placendi ac obediendi, ejuſque vim, virtutem, gratiam, miſericordiam implorandi ac adipiſcendi, non poſſit non gratus eſſe Deo in quantum cor ejus atque erga Deum deſiderium eſt ſincerum ac ſine fraude, etiamſi forte cum iſtis foveretque ac miſceret pueriles multas craſſaſque atque adeo erroneas imaginationes, imo nec accurate iſta externa omnia uti a Deo prolata erant, obſervaret, neque a Deo ſic eſſent omnia præſcripta quæ putaret tamen omnia ab illo ita eſſe præſcripta. Bonus & miſericors in Chriſto Deus diſſimulat & condonat iſta omnia quando ſcrutator ille renum & cordium penetrantibus videt oculis in receſſu mentis ſincerum cordis inſtinctum atque motum verſus divinam ſuam Majeſtatem.

quem

Digitized by Google

quem vero motum & inſtinctum bonamque infantilis cordis intentionem atque conſenſum cumulat ille benefica virtute ſua, efficiens propterea ut Sacrorum externorum; rituum exercitiorumque ſpiritualium uſus atque actus fiant & ſint in talibus per Spiritus ſui operationem vividi, animati Dei gratia, amoris ac devotionis radiis, cœleſtique omnino benedictione, dulcedine, vi, profectu in virtute, tactibuſque etiam vere diviniſſimis, nullo vel ſectarum vel opinionum habito reſpectu, licet etiam in his, ut dixi, errarent inſcii.

Habemus luculentum in hiſce veritatis exemplum in hiſtoria Regis Ezechiæ. Pius ille Rex videns Iſraëlitas multis contaminatos & ignorantiis & erratis, longeque à Deo abductos, revocat eos ad Dominum per externam ritus Paſchalis a Deo propterea inſtituti, obſervationem. Qui boni inter eos cordis erant atque ſinceri ad Deum quærendum affectus, accedunt; at iidem ritum obſervant minus ſanctificati, modiſque a Deo, ſub anathemate etiam, prohibitis, ſed meliora neſcii. Quid vero fit? Pius Rex animum bonum ignaræ plebis non deſpicatus, (*a*) *oravit pro eis, dicens: Dominus bonus propitietur cunctis qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrum ſuorum, & non imputet eis quod minus ſanctificati ſint. Quem exaudivit Dominus, & placatus eſt populo:* atque ita (*b*) cum *ſurrexiſſent Sacerdotes ac Levitæ benedicentes populo, exaudita eſt vox eorum, perveniteque oratio in habitaculum ſanctum cæli.* Quis nunc dubitet ſimiliter in diſperſo Chriſtianiſmo atque diviſo bonas aliquot animas dari inter Catholico-Romanos, inter Lutheranos, inter Reformatos, quæ in Sacramentorum, ceremoniarumque & exercitiorum externorum uſu, quærant Domino placere, ejuſque miſericordiis perfrui in cordis ſui ſinceritate non ficta? Hoc qui negaturus eſt, aut ad ſolam ſuam ſectam id reſtricturus, oportet eum omnis impudentiæ limites atque arrogantiæ & ſtoliditatis omnino eſſe prætergreſſum; neque vero credere poſſim deliraturum eſſe euſque hominum quemquam. Ponamus bonos iſtos inter hæc ipſa boni cordis ſui exercitia atque actus multa fovere & committere errata, minus recte cogitata ac imaginata; nec ita accurate uti prius inſtituta erant ſacra illa, nunc quidem obſervari: quid vero inde? Chriſtus Jeſus Rex noſter, Dominus univerſæ carnis, Ezechiâ infinite miſericordior, quippe qui vel pro iis qui ipſum ex igno-

(*a*) Paral. 30: 18 &c.

(*b*) Ibid. v. 27.

rantia crucifigebant, oravit, idemque & cordium & rerum ſcrutator, ſedens ad Dexteram Patris ut ibi pro omnibus intercedat qui quærunt faciem Dei, potius ſane deſinet eſſe Mediator Dei & hominum quàm ut deſinat pro talibus orare ad Patrem ac dicere, „Bonus Dominus ac Pater cunctis ſit propitius qui in toto „corde requirunt Dominum Deum ſuum, & non imputet eis „quod defectus nonnullos, quod opiniones praxeſve quaſdam „minus veras, vel pueriles aut imperfectas ac minus integras ad„huc habeant atque retineant: quas quidem, ſimileſve, imo & ardentiores Chriſti Mediatoris preces & exaudit proculdubio & ratas habet cæleſtis Pater, atque adeo varias Spiritus ſui boni gratias confert & operatur in ejuſmodi hominum cordibus, prout quiſque varie, plus minuſve, pietatis ardore & ſinceritate cum illis externis & per illa requirit gratiam Creatoris ſui.

Cum autem tales adhuc non parum ſint & infirmi &, ut ita dicam, corporei atque materiales; hæc duo in illis maxime obſervanda ſunt: alterum (quod ſupra modo monui) eos nondum poſſe ſine illis externis ſubſidiis, ritibus, ceremoniis, cultuque ſuo externo, proficere in Amore Dei inque viis ad ejus ſolidiorem adeptionem: Alterum, quod ex mentis infirmitate, nebuliſve intellectus a corruptione nativa relictis, non cogitent, nec animadvertant aliud ſua eſſe exercitia illa ſacri cultus, aliud vero Dei gratiam, conſolationem, virtutem, quæ Deus iſta debito ac ſincero modo obeuntibus largitur: ſed conſiderant adhuc cultum illum ſuum ac gratiam Dei veluti ſi unum quid integrum ac indivulſum eſſent, experti quippe rem ita ſe habuiſſe conjunctim, ita ut cùm ex ſincero corde ſacra illa propter Deum obirent, adeſſet revera eis ſimul indivulſa gratia Dei Deuſque adeo ipſe, ſe cum illis pio & tenero affectu aliquoties communicans.

Accedat jam aliquis qui eos adhuc ita infirmos nec majori præditos lumine velit vi cogere uti Sacra illa ſua derelinquant, quo poſtea eadem vi ad alia ſibi huc uſque odioſa compellantur: ille, quantum in ſe eſt, ex prima modo dicta obſervatione, efficiet ut deſinat in illis progreſſus ad Amorem Dei, qui tamen Religionis veræ vita eſt & centrum: efficiet ſecundò, ex obſervatione altera, ut iidem iſtam vim & coactionem non aliter intueantur ac conatum atque voluntatem horrendam ipſis eripiendi gratiam Dei, ejus amorem, ipſumque etiam Deum, quem in illis

illis ſuis exercitiis revera non ſemel, pro ſuo quiſque modo guſtaverunt qui ſincere Deum quæſiverunt. Hoc pacto ad ſummas animi anguſtias redacti (quo nec ſine crudelitate adigi poterunt,) vel omnes illi miſerias, ipſamque etiam mortem ſubire volent potius quam ut id dimittant in quo Dei vim ipſumque Deum præſentem guſtaverunt; atque ita Amoris, licet imperfecti, & bonæ conſcientiæ, quamvis adhuc infirmæ, martyrium ſi fuerint ſinceri, ſuſcipient, (quod ſane perſequentibus neque laudabile eſt neque ſalutare); vel minis, vi, promiſſiſve terrenis cedentes, dimittent ea quibus Deum jungi cum iiſque communicari pro certo tenebunt: atque ita renunciabunt communicationi Dei, ipſique igitur Deo, & revera fient vel impii atque profani ac terreni, vel hypocritæ, vel, ſi aliorum ſacra ſuſcipiant cum animi horrore & odio, ſacrilegi, atque etiam forte deſperabundi. Ita ut tandem eorum coactores inveniantur eſſe ipſimet, non veræ Religionis amplificatores; ſed Amoris Dei in illis, item & proximi, revera extinctores; & propriorum præterea ſacrorum, ut ita dicam, proſtitutores atque infelices profanatores.

Chriſtus certe, omnis boni Doctor & prototypus, non ita homines ad Amorem Dei convertebat. Relinquebat vel in propriis diſcipulis non pauca abſurda, puerilia falſaque & cogitata & facta, modo illi prout tunc erant & faciebant pergerent interim verſus Amorem Dei per vias ſolidas humilitatis, pœnitentiæ, orationis, puritatis cordis, pacis, tolerantiæ, ſimplicitatis, fidelitatis, & ſimiles, quibus eorum corda tandem purificata, ac Domicilium Deo ejuſque luminibus tempore ſuo idoneum reddita, recepto Dei lumine atque perfecto amore, liberabantur illico à puerilibus priſtinis imperfectionibus opinionibuſque erroneis omnibus. Atque hæc eſt vera & ſalutaris animas convertendi methodus, quam ipſi deinde Apoſtoli in aliis convertendis ſecuti ſunt, uti a ſacris literis evidens eſt.

Cogentem methodum diſerte prohibuit Chriſtus quando voluit ut *Zizania*, hoc eſt, opiniones erroneæ rituſque parum integri, *non eradicarentur* ab illo *agro*, ab illo corde, in quo *bonum* [illegible]am ineſt *triticum*, bonum erga Deum, ejus gratiam, ejus [illegible]orem, gloriam, virtuteſque Chriſtianas deſiderium, quam[illegible] illud *frumentum*, illud amoris Dei omniſque boni ſincerum Matth. 13: 24 &c.

 deſi-

Digitized by Google

deſiderium, adhuc immaturum & infirmum eſſet, atque cum Zizaniis ita in radicibus immixtum, ut una adhærerent, & ſimul, unum cum alio & per aliud, alimentum ſumeret & ſumere deberet: *ne alioqui eradicando Zizania, & triticum ipſum* una indivulſum adhærens *eradicaretur*, atque ſiquidem adhuc immaturum ſit, flacceſſeret ac inutiliter periret. At exſpectandum eſſe ad *tempus meſſis*, hoc eſt, donec *triticum* maturum ſit, donec Amor, gratia & virtus Dei in corde robur atque perfectionem debitam habuerint: tunc vero *mittendos* eſſe a *Deo* ipſo *Angelos*, luminoſas ſcilicet inſpirationes ſuas, quibus utraque à ſe invicem ſeparentur, *Zizania* cadant ac in ſe pereant: *triticum* autem jam maturum & Deo dignum, ſubſiſtat & *conſervetur* æternum coram Deo. Verum de his, nunc quidem, quia obiter, ſatis hactenus. Pergamus ad ea quæ paulo ante a nobis indicata ſunt.

SECTIO III.

ARTICULUS I.

De EUCHARISTIA, *ſive de Communione Sacra, & primò quidem qualis illa in Eccleſia Primitiva obſervabatur.*

I. *Ut natura Euchariſtiæ pateat, ad primam ejus originem adſcendendum eſt.*

I. QUandoquidem in cauſis ſingulis ad primam rerum originem adſcendere conamur, nunc in expoſitione Euchariſtiæ eandem methodum, juvante Deo, pariter obſervabimus, operam daturi ut fontem ex quo Chriſtus ipſe eam hauſit ac derivavit, videamus. Etenim officia ac ceremoniæ externæ nunquam propter ſe inſtituta fuere, quaſi ſimpliciter obſervari eo debeant quod ita præſcripta inveniantur. Ad interna potiùs, ad Spiritum inquam ex quo iſta fluxerunt adſcendendum eſt. Quo facto, & pulchritudinem, & naturam, & leges & uſus legitimos rei de qua quæſtio eſt, rectè videbimus. Itaque age, eodem & nos adſcendamus.

Ponamus res in eadem puritate ac perfectione primitiva ſupereſſe, in qua Chriſtus eas per Baptiſmum conſtituerat; indèque veritates ſequentes ordine ac veluti gradatim conſideremus.

II. Dan-

Digitized by Google

II. Dantur homines qui peccato mortui, eidem non amplius reviviſcere, ſed Spiritui S. ſe totos regendos tradere decreverunt; indeque in ſignum mortis & ad receptionem Spiritûs S. baptizati fuerunt, quem quidem hac ratione receperunt. (Hic eſt ille ſtatus quem ponendum eſſe dicebamus.) II. *Fundamenta prima & præcipua Communionis Sacræ.*

Quoniam Spiritus Chriſti Unus eſt, ſibique ſimilis & conveniens, ſequitur omnes qui in ipſo baptizati ſunt, in unum per ipſum eſſe unitos.

Qui in uno eodemque Spiritu uniti ſunt, deinceps unam & ſolam ſocietatem, ſeu unum idemque corpus, conſtituunt.

Omne corpus pertinet ad Spiritum ſuum: hujus autem Corporis Spiritus, eſt Spiritus Chriſti; Ergo hoc corpus ad Chriſtum pertinet, ſive, eſt corpus Chriſti; quod ut à *corpore* ejus *naturali* diſtinguatur, *corpus* ejuſdem *myſticum* appellari poterit.

Ergo omnes baptizati, aut omnes veri Chriſtiani, unum idemque ſunt corpus in Spiritu Chriſti, & ſinguli ſingulis tanquam ejuſdem corporis membra cohærent in Spiritu Chriſti, in quo unum corpus myſticum Chriſti conſtituunt.

Hujus myſtici corporis Chriſti *anima* eſt Spiritus S. membra ejuſdem inſpirationibus, voluntatibus ac operationibus ſuis internis ac immediatis animans ac regens, & multò quidem ſolidiùs ac veriùs quam anima corpus ſuum naturale ſolet. *Membra* ejus corporis ſunt, primò quidem, ipſe Chriſtus, membrum principale ſeu caput, tum omnes ac ſinguli vèri Chriſtiani.

Inter membra autem & Caput, & viciſſim inter Caput ac membra, nec non inter membra alia atque alia & inter membra ſingula & corpus univerſum eadem ſtudia ejuſdemque ſortis communio ſint oportet. Nulla in his ſeparatio adeſſe poteſt quin totius corporis compages ſoluta deſtruatur.

Membra myſtici corporis Chriſti alia ſunt extra hunc mundum, adeoque extra periculum mortis; alia in hoc mundo adhuc ſuperſunt: unde de horum unione atque integritate conſervanda præcipua meritò cautio eſſe debet, idque eo magis quòd dum in hac terra agunt in periculo verſentur ne corrumpantur ac pereant, dum fortè officio ſuo, quo alia aliis obligata tenentur, deerunt, aut communem ſortem utilitatemque communem non uti fas erat, curabunt.

Chriſtus autem ſaluti eorum proſpicere volens, omnibus & ſingu-

Digitized by Google

ſingulis membris corporis ſui myſtici oſtendit, quænam officia tum mutuò alia aliis, tum ſingula toti Corpori, præſtare debeant.

III. *Jeſus Chriſtus vult ut membra ſingula corporis ſui myſtici ita ſe alii erga alios gerant, quemadmodum ipſe adverſus eos ſeſe geſſit.*

III. Hanc ob cauſam ipſe ſemet iis exemplum propoſuit; adeoque cùm & ipſe membrum ſit corporis ſui myſtici, (uti modo diximus,) vult ut ſingula obſervent quomodo ipſe adverſus corpus univerſum & ſingula ejus membra ſeſe geſſerit, ut ad ſimilitudinem illius vitam atque actiones ſuas erga totum corpus & erga omnia membra componant.

Atqui Chriſtus, uti notum eſt, non quæſivit commodum ſui ipſius privatum; nihil habuit proprii, ſed omnia cum toto corpore & ſingulis ejus membris indigentibus communicari voluit; ut eorum ſaluti atque utilitati conſuleret, non vitæ propriæ, non bonis ſuis, non laboribus pepercit; imò nec proprium ſibi corpus, nec proprium ſanguinem, neque quicquam habuit niſi propter ſalutem utilitatemque totius corporis & ſingulorum membrorum.

Itaque vult ut membra ſua ſingula tum erga ſeſe mutuò tum erga corpus univerſum ſimiliter animo affecta ſint, & ſimiliter ſeſe gerant.

Ergo, quemadmodum ipſe pro corpore hoc myſtico ejuſdemquè membris, corpus, vitam, ſanguinem, labores ac bona ſua tradidit; ita quiſque ſimiliter eidem corpori, omnia ſua, corpus, ſanguinem, vitam, bonaque & labores impendere debet: imò, quod magis eſt, vult, ut fratrum ſinguli unumquemque ipſius Chriſti loco ſibi eſſe ducant atque conſiderent, & erga ſingulos perinde agant atque Chriſtus erga ipſos egit, qui ſortem atque ſalutem uniuſcujuſque non minùs quam ſuam propriam curavit, & nullam unquam operam prætermiſit quâ neceſſitatibus eorum tum corporalibus tum ſpiritualibus ſuccurrere poſſet.

IV. *Communionis veræ atque Eucharistiæ primitivæ neceſſitas atque natura.*

IV. Etenim membra myſtici corporis Chriſti, dum in terra vivunt, ſingula corpus habent naturale atque infirmum, quod ſine auxilio tum ordinario, victu putà atque amictu, tum extraordinario in morbis aliiſque caſibus ac periculis ſupereſſe nequit. Iidem homines hoſtes habent infenſiſſimos, videlicet Diabolum & mundum, imò & ipſam carnem, quibus utique ſuccumberent, etiamſi jam antè eoſdem ſuperaverint, ſiquidem ſuggeſtus ac tentationes eorum, quas illi toto hujus vitæ tem-

por-

pore infatigabili ſemper labore urgent, audire vellent. Equidem hoſtes ii non ampliùs in inclinatione animi ac voluntate, ſed in partibus tantùm exterioribus, hoc eſt, in ſenſibus hærent: attamen impetûs eorum tantam quandoque vehementiam habent, tantumque ſimul terrorem atque diſtractionem animis afferunt, ut ea diſtractione mentis lapſus difficulter caveri poſſet niſi aliunde auxilia ſuppeterent. Nam quamvis Deus animam interno ſuo auxilio nunquam deſtituat, illa tamen in hac diſtractione ac veluti diſſipatione ſua, impetuque tentationis, nimis à ſe ipſa diſſidet quàm ut internum auxilium Dei ſentiat, ejuſque virtute ſeſe recolligat, niſi idem auxilium per inſtrumenta ſenſibilia atque externa ei præbeatur & commonſtretur: ut taceam auxilia ipſa eſſe varia, inter quæ illa quoque ſunt quæ ad corpus pertinent, quibus in vita conſervanda carere non poſſunt illi qui in eadem vita vel perfectionem propriam, vel converſionem & perfectionem aliorum quærere debent. Hæc autem auxilia Deus ordinario non per miraculum immediate adminiſtrare ſolet; ſed per miniſteria mutua membrorum corporis ſui ea indigentibus ſuppeditare conſtituit, tum ut ſuos dum in terra ſuperſunt, ſalutari in opere ſanctè occupatos teneat, tum ut Virtutum omnium Chriſtianarum, charitatis, putâ, libertatis animi à ſui ſtudio alieni, humilitatis, patientiæ aliarumque, habitum in iiſdem ingeneret ac firmet.

Itaque vult aliis per alios ſuppetias ferri: alios per alios præſervari, conſervari ac ſervari; omnes ac ſingulos omnia quæ in mundo hoc poſſident, ipſamque vitam ſuam mutuo ſibi impendere: ſingulos ſalutem fratrum perinde atque ſuam propriam amare ac quærere; & ſiquis fortè fratribus ſuis periculum imminere videat, propriam vitam ſaluti eorum impendere; neceſſitatibuſque eorum tum corporalibus tum ſpiritualibus ita ſubvenire, ut proprium etiam ſanguinem, ſi res exigeret, iiſdem bibendum, corpuſque ſuum iis comedendum traderet; laborem omnem, omnia ſtudia, omnia bona, omne tempus, omnes operas, ipſum cor, corpus, ſanguinemque & vitam, & quicquid ſingulorum eſt, per Charitatem Chriſtianam mutuò eſſe fratrum omnium. Et hæc quidem eſt eſſentia atque natura propria Sacræ COMMUNIONIS; hæcque primitus vera fuit Inſtitutio EUCHARISTIÆ, Doni illius gratuiti ſeu hoſtimenti, quod Chriſtus inter Diſcipu-

los

los ſuos inſtituit ac introduxit, & uſque ad adventum ſuum juſſit eſſe perpetuum; ut in eodem nobis ſemper vividè ac practicè ante oculos exponeret, quomodo ipſemet totum ſeſe nobis ad ipſam uſque mortem crucis dediderit.

V. *Poſtquam ſtatus primorum Chriſtianorum mutari cœperat, utile erat Communionem variari.*

(*) Oeconom. Lib. IV. cap. 5.

V. Quotquot ea quæ de variatione cultus externi ac Ceremoniarum alibi (*) expoſuimus legerunt, ac rite intellexerunt, nullo pacto mirabuntur hæc ipſa hodie in alio ſtatu aliiſque circumſtantiis videri. Hæc enim aliter haberi non poterant poſteaquam ſtatus ſanctus Societatis Chriſtianæ, internæque animarum diſpoſitiones, immutatæ fuerunt. Dum ſoli ſancti in Eccleſia erant, omnia neceſſariò cum omnibus in Spiritu Chriſti communicari poterant, ipſeque etiam Chriſtus neceſſariò dona abundantiſſima Spiritus ſui cum animabus hiſce ſanctis, in omnibus unitis, imò & ſacratiſſimas emanationes corporis ſui cum earundem corporibus, magis ac magis communicabat. Verùm ex quo impii in eandem ingreſſi ſunt, ex quo pii priſtinam charitatem deſeruerant, aut tepeſcere ſiverant; ex quo perfecti imperfecti facti ſunt; ex quo ſpirituales, incraſſati & infirmati, alios craſſiores atque infirmiores in unum idemque corpus admiſerunt, ex eo inquam tempore, res nullo modo poterant eodem quo antea fuerant loco manere. Chriſtus ac membra Societatis hujus, cui tot impii atque imperfecti jam admiſti erant, tam largiter, tam vive, tam familiariter, eademque ratione atque antea ultrò citroque communicari non poterant. Nam quamvis pii impios amarent, nihilominus tamen æquè familiariter cum iis conjungi, & illis ſeſe committere non debebant; multò minùs labores omnes omniaque bona ſua cum iiſdem communicare. Ita enim Diabolo operam ſuam egregiè accommodaſſent, qui non ſine ingenti lætitia vidiſſet bonos omnes animo pariter ac corpore devotos addictoſque eſſe arbitrio hominum corruptorum & corruptioni ſervientium, aut talium etiam qui ipſius Satanæ membra eſſent, nec niſi commoda tum ſua tum ſtygii ſui Domini quærerent. Sed neque eandem communionem habere fas erat cum imperfectis atque infirmis, quippe qui per amorem proprium, per ignaviam, per defectus alios quam plurimos, commercio hoc charitatis puro atque divino abuſi fuiſſent. Et quemadmodu Apoſtolis, quando ex ſtupiditate ſua ad vitam ſpiritualiorem pr gredicbantur, neceſſarium erat, ut Chriſtus præſentiam ſuar

exto

Digitized by Google

exteriorem ipſis ſubtraheret, quò idonei redderentur qui ad præſentiam ejus intimam ac verè divinam admitterentur, & Spiritum S. poſſiderent ac donis ejuſdem fruerentur: (*a*) *Expedit vobis ut abeam: etenim niſi abiero, Paracletus non veniet: at ſi abiero, eum vobis miſſurus ſum, videlicet, Spiritum veritatis*; ita, contrà, poſtquam Chriſtiani qui quondam ſpirituales fuerant craſſiores facti erant, oportebat utique ut Chriſtus communicationem illam puram atque ſublimiſſimam Spiritus S. & donorum ſuorum ſpiritualium ac divinorum quam in Eccleſia primitiva tam abundantem atque viſibilem eſſe voluerat, ſubduceret; utque ſtatui hominum craſſiori, ad quem deſciverant, magis ſeſe accommodaret. Itaque permittere atque conſentire debuit ut divina ſua communio eo modo fieret ac repræſentaretur, qui minus ſpiritualis eſſet, ad præſentiam ſuam corporalem propius accedens, ac ſtatui hominum infirmorum & craſſiorum accommodatior. Etenim hi efficacius moventur, & ad reverentiam, ad timorem Dei atque ad moderationem faciliùs adducuntur, Deoque magis præparantur per ea, quæ corporalia ſunt, adeoque ipſis magis accommodata, quæ rariora ſunt ac minùs communia, quæ non niſi ſtatutis temporibus & locis, & quidem cum circumſtantiis quibuſdam reverentiam atque venerationem incutientibus, exercentur; quàm per ea quæ hinc quidem merè ſpiritualia ſunt, illinc vero apprimè familiaria: quæ profectò, dum ea eſt rerum facies, capacitatem eorum atque ſphæram omnino tranſſcendunt.

(*a*) Joh. 16. v. 7. 13.

VI. *Quæ res aliter habere nec potuit nec debuit, & à J. C. approbata fuit.*

VI. Atque ita quidem ſtatu animarum jam mutato, Communio quam alii cum aliis, ac omnes cum Deo habuerant, ſimiliter variari cœpit, & progreſſu temporis paulatim ad eum modum reſtricta eſt quem hiſtoriæ docent ſi quis eas conſulere velit. Quæ quidem aliter fieri neque poterant neque debebant. Nulla namque ratione poſſibile erat, ut collectio hominum, quorum pars boni quidem erant, at maximam partem debiles, craſſi, imperfecti, infirmi, idque alii magis, alii minùs, eandem cum Deo atque inter ſe communionem haberet, quæ fuerat in Societate ſolis animabus ſanctis, ſpiritualibus, perfectis atque à Spiritu S. actis conſtante. Neque id tantùm impoſſibile fuiſſet, ſed & confuſio quædam veluti Babylonia fuiſſet ſiquidem utique eandem Communionem obſervare voluiſſent. Quam ob

cauſam Chriſtus, qui profectò tum degenerationem, ut ſic dicam, bonorum, tum confuſionem qua claſſes diverſas, quondam inter eos diſtinctas, commiſcuerant, tum mixturam impiorum inter eos, nullo modo approbabat; poſteaquam tamen malum id jam acciderat, non potuit non approbare ut exterior obſervatio Communionis primitivæ ſanctorum, imperfectioni atque infirmitati in quam Chriſtiani inciderant, accommodaretur. Atque ita approbavit ut per ceremonias ſenſibiles, pluribus circumſtantiis conſtantes, ſignificaretur Communio ac præſentia externa Corporis ſui, quæ hominum ſtatui eo tempore magis reſpondebat; tum ut per ſacras haſce ceremonias Communio ſpiritualis cum Deo, nec non Communio Charitatis quam alii aliis præſtare debent, deſignaretur; tum etiam ut per eaſdem homines infirmi, at bona tamen voluntate præditi, in attentione Dei ac Chriſti, in reverentia, in humilitate, in ſubmiſſione, in fide, in ſpe, & in charitate coràm Deo exercendis, nec non in concordia cum proximis colenda, conſervarentur.

VII. *Id probatur in genere.*

VII. Chriſtum hæc rata habuiſſe ac probaſſe, imò & ſanctiſſimis animabus quæ inter Chriſtianos utcunque aliàs corruptos tunc vixerunt præcepiſſe ac commendaſſe, negari non poteſt. Et quicunque per gratiam à Deo datam Spiritus S. characterem ubicunque adeſt dignoſcere novit, ejuſdem veritatis argumenta certiſſima atque invicta in ſcriptis ac vitis Sanctorum horum omnino inveniet.

Verùm ut in Scriptura ſacra maneamus, videmus verba quibus Chriſtus in inſtituenda Communione ſacra uſus eſt, applicari poſſe ad Communionem utramque, primitivam pariter atque variatam, qualis ſcilicet ſub utroque ſtatu populi Chriſtiani de quo diximus, perfecto putà atque miſto ſeu corrupto, fuit. Nemo eſt qui dubitet verba Chriſti ac Pauli ad Communionem qualis hodie uſu obſervatur applicari poſſe. Nam quamvis hodie inter Chriſtianos in partes diverſas diviſos, alii ſenſum atque interpretationem ab aliis receptam non probent; nullum tamen eſt dubium quin verba Chriſti uni harum interpretationum conveniant: ſola autem difficultas in eo eſt ut quænam hæc una ſit ſciatur ac definiatur. Qua in re meum non eſt quicquam hic dete[illegible]nare.

Neque etiam dubium eſſe poteſt, eadem verba Chriſti ac [illegible]

ſtatui illi Communionis divinæ atque perfectæ, qualem inter primos Chriſtianos fuiſſe diximus, longè maximè convenire: & quiſquis feriò ea examinabit, facilè argumentis invictis ea in re convincetur.

VIII. Quæ de Communione Sacra modò diximus, deberent, ni fallor, animis eorum qui bonæ voluntatis ſunt pacandis componendiſque ſufficere, ſiquidem major eorum foret ſimplicitas in rebus bonis minorque curioſitas in perſcrutandis omnibus difficultatibus quas ſpiritus contentionis abundè inſinuat. At quoniam hæc ipſa ſunt, quæ animabus quibuſque optimis ſcrupulos non exiguos afferunt, quæque tot paſſim mala dederunt ut numerus eorum iniri non poſſit, imò nec hodie quidem eorum ſit finis; nos veritates haſce ſine ullo partium ſtudio apertius ita exponere conabimur, ut futurum confidam nullum, ſi eas rectè intelligat atque ſequatur, Deo diſplicere poſſe; nec non quemvis confeſſurum menti ſuæ magnam lucem ſecuritatemque eatenus quidem accidiſſe. VIII. *Hæc particularius exponuntur.*

Quæ res cùm tanti ſit momenti, hiſce præſertim temporibus dum animi hominum hac in cauſa maximè affecti occupatique tenentur; cumque adhuc, mea quidem ſententiâ, non, ut fas erat, expoſita videatur, ego verò ejuſdem explicationi ita ſatisfacere conſtituerim ut plura hic meritò deſiderari non poſſint; hinc fiet, ut in præſenti Articulo prolixior ſim futurus quàm in reliquis. Quam operam bonis à me commodari, illi certè indignè non ferent.

Nullam partem ſum meam facturus, & ex principiis modò poſitis rem omnem exponam. Et hoc quidem in Articulo de Communione ſacra qualis in Eccleſia Sanctorum ſeu in Eccleſia primitiva fuerit, diſſpicere pergemus; in ſequentibus autem de eadem qualis inter Chriſtianos corruptos atque debilitatos, atque adeò variis ſectis diviſos habetur, videbimus.

IX. Initium faciamus à Communione Eccleſiæ primitivæ. Utemur autem voce Communionis quæ ſignificantiſſima eſt, aut voce Euchariſtiæ quæ notat *gratiarum actionem* ſive remunerationem; cùm enim Chriſtus, qui membrum præci-… eſt corporis ſui myſtici, pro toto hoc corpore & ejus ɔbris, hoc eſt, Chriſtianis, ſemetipſum ſacrificaverit, eos ɔorte liberaverit, ac ſeſe totum ipſis donaverit; hinc & IX. *Definitio tum nominis tum rei ipſius, Communionis, inquam, Eccleſiæ primitivæ.*

Digitized by Google

Chriſtiani ad *referendam* pro tanto beneficio *gratiam* eidem hoſtimenti loco ſemet ipſos omniaque quæ vel habent vel poſſunt, pro eodem corpore myſtico Chriſti, hoc eſt, pro omnibus fratribus, *grata* mente offerre tenentur.

Itaque EUCHARISTIA in origine primitiva eſt *Charitas practica*, viva ſpiranſque hominum in Chriſto unitorum, ſive, eſt Communio vera & propria cordis, animæ, vitæ, bonorum, victus, amictus, laboris, curarum & auxiliorum omnium inter Chriſtianos, tanquam totidem membra myſtici corporis Jeſu Chriſti, dum omnes ſine diviſione, ſine ſtudio partium, ſine ulla proprietate, ita alii pro aliis & ſinguli pro omnibus vivunt ac agunt, tanquam qui unum idemque corpus in Chriſto conſtituant; adeo ut ſingula membra unumquodque ceterorum perinde atque Chriſtum, & magis quidem quàm quiſque ſemet ipſum, ament; & omnes nullas vires, nullum vigorem, nulla bona aut dona ſua eſſe velint niſi ut ſaluti atque utilitati totius corporis myſtici & ſingulorum ejus membrorum quæ in hac terra ſuperſunt, eadem impendant; cui quidem rei Chriſtus gratiam ſuam addens (quæ eſt gratia Sacramento huic annexa) divina lumina, amorem, gaudium, alacritatem, & omnia dona omneſque fructus Spiritus ſui gradatim magis magiſque effundit quotieſcunque filios ſuos in hac unione charitatis vivæ atque actuoſæ unitos videt: (a) *Quam bonum eſt atque jucundum fratres ita unitos eſſe!* Hic in eos deſcendit *unctio divina & pretioſa, qualis eſt illa quæ ex capite Aaronis deſcendens in barbam ejus, ad fimbriam uſque veſtimentorum defluit: ſimilis rori montium, qualis defluit in Sionem: etenim Deus benedictionem ſuam ſuper eos reſidere jubet ac creſcere, iiſque vitam donat æternam.*

(a) Pſal. 133.

X. *Quænam in Euchariſtia ſive in Communione ſacra per divinum lumen detegantur.*

X. Equidem ſi quis Rationem humanam atque corruptam conſulere voluiſſet, illa ſibi in primitiva inſtitutione divinæ hujus Euchariſtiæ & eo ipſo tempore, & quovis alio, innumeras cogitationes ſteriles procudiſſet: at ſimplicitas Chriſtiana Apoſtolorum atque Sanctorum, argutias Rationis corruptæ ignorantium, omnia ea quæ diximus in lumine Chriſti apertiſſime ibidem videbat, ſiquidem & in Chriſto, quando in terra vixit ac mortuus eſt, iſta omnia & ſola adfuerunt, ipſaque ſtructura atque regimen corporis ſui, hoc eſt Eccleſiæ, iis ſolis, quæ modò diximus, conſtat; atque ita, *Hoc eſt Corpus ipſius*, ut cum i[...] ſo

loq[...]

loquamur, qui cum ſit membrum ejus principale, Caput inquam, *pro* membris *ſuis ſemetipſum tradidit ac ſanguinem ſuum effudit*, unde & membra ſua ſingula pro ſingulis & univerſis *idem facere*, atque adeo & pro Deo & fratribus, nec non ut ipſimet idoneos ſeſe præſtent qui propriorum *peccatorum remiſſionem* ac purificationem conſequantur, ſemetipſos ſacrificare tenentur.

XI. Ut autem ſententiam divinæ hujus Inſtitutionis, qualem illi in ea viderunt, rectè intelligamus, oportet ut à populo Chriſtianorum degenerato atque corrupto longiſſimè recedentes, ſola tempora, perſonaſque ac ſtatum Apoſtolorum intueamur, diſſpiciamuſque quænam hic cogitationes in eorum animis, ita uti ipſi erant affectis, naſci debuerint; porroque animadvertamus quid ipſi in ejuſdem inſtitutionis praxi obſervaverint.

XI. Diſſpicitur quidnam Apoſtoli in verbis Inſtitutionis Communionis Sacræ intellexerint.

Erant Apoſtoli viri boni & ſimplices, argutiarum ignari, qui animum nullis theoriis atque artibus Philoſophiæ vel Ariſtotelicæ vel Platonicæ, multò minùs Carteſianæ excoluerant: quique Theologiæ Scholaſticæ nec Doctores erant nec Baccalaurei: ad ſolum autem Amorem Dei ſtudiis omnibus adſpirabant, de mundo iiſque quæ in mundo ſunt minime ſolliciti; atque adeò mundo derelicto, ipſi deni aut duodeni conſociati, omnia communia habebant, ea ratione moti, quod ipſe Deus inter eos ageret, qui eoſdem in corpore ſuo recollectos unire, ipſoſque, pariter ac totum mundum, per eandem unionem quam ipſe inſtituebat atque iis commendabat, ſervare volebat. Erant homines mortificati, qui ſibimet ipſis renuntiaverant, quique in omnibus imitari conabantur Chriſtum Magiſtrum ſuum, à quo didicerant Imitationem vitæ ſuæ actionumque ſolam eſſe neceſſariam atque capitalem ſine qua nemo membrum corporis ſui eſſe poſſet. Viderant in Chriſto Charitatem infinitam; & ab eo cognoverant, ipſum vitam ſuam pro hominibus ut daret veniſſe; ipſum non animam, non corpus, non vitam, non ſanguinem, non amores atque affectus, non labores, non curas aut bona ulla habuiſſe niſi pro ſolis hominibus, ut illi in unione cum illo conjuncti ſervarentur. Is ipſis dixerat, eorum eſſe hæc imitari, hæc intra ſeſe aſſumere, iiſdemque nutriri, quemadmodum ipſe [illegible]ntate Patris ſui vivebat ac *nutriebatur*, eamque tamquam *ciſum* adſumebat: ita eos pariter ſancta ſua voluntate, ſemet[illegible], *carne ſua* ac *ſanguine* ſuo, *veſci* atque *nutriri*, eaque ceu

Digitized by Google

cibum ac *potum* aſſumere debere: dumque de carne iis ac ſanguine loqueretur intelligi (*a*) *Spiritum* ſuum & *vitam* ſuam, *quæ vivificent*. Significaverat iiſdem, horum omnium obſervationem ac praxin, conditionemque illam ad quam pro membris corporis ſui deſcenderat, verè ſibi *poculum* fuiſſe amariſſimum; at nihilominus utcunque hæc carni amara accidant, illos tamen eorum imitationem nullo modo defugere debere, ſed potius (*b*) *ex eodem poculo* omnes bibere, adeoque ſingulos cum amore perinde atque ipſe fecerat, labores omnes omneſque dolores ſuſcipere, ut omnia ſalutaria ac neceſſaria quæ poſſent, cum fratribus ſuis communicarent. Et has quidem veritates toties iis ac tot modis expoſuerat; tamque aperte eos docuerat ſcopum, intentionemque ſuam unam eſſe ut inter eos omnes ejuſmodi communem vivendi rationem inſtitueret, idque verum fore ſignum quo diſcipuli ſui eſſent agnoſcendi, mediumque divinæ gratiæ abundantiſſimè ſibi attrahendæ, ut non potuerint non hæc ipſa eo tempore in animis ſuis cogitare & in recenti ſemper memoria habere. Et profectò, hæc una & ſola animos eorum ita occupatos tenebant, ut quavis occaſione data non poſſent non eodem adſpirare: Hunc ergo fuiſſe ſtatum Diſcipulorum Chriſti, has eorum cogitationes, has animorum affectiones & præparationes, diligenter obſervemus.

(*a*) Joh. 6. v. 63.

(*b*) Matth. 20. v. 23.

XII. *Chriſtus ut divinam Communionem exemplo ſuo vivo inſtitueret ac confirmaret, ex omnibus actionibus ſuis cœnam ſupremam elegit.*

XII. Si in una ſtatim actione Chriſti, omnium eorum quæ ille diverſis temporibus pro corpore ſuo myſtico præſtitit, compendium ſimul repræſentari potuiſſet; ita ut per eam ſolam actionem amorem ille ſuum infinitum ſimul demonſtraſſet, vitam tradidiſſet, ſanguinem profudiſſet, omnes curas ſuas impendiſſet, diſcipulis ſuis victum, amictum & omnia neceſſaria proſpexiſſet, ſi, inquam, hæc omnia in una aliqua actione Chriſti diſcipulis præſentibus ſimul exhiberi potuiſſent, dubium non eſt, quin tunc hoc ipſo Communionem Sacram inſtituiſſet, & in hac ipſa actione dixiſſet, *Facite hoc in mei memoriam.* Et hoc quidem modo docuiſſet Communionem ſeu Euchariſtiam quam ipſe inter Sanctos inſtituebat, in eo contineri, ut omnia omnino, Amor puta, cor, vita, bona, victus, amictus, labores & officia quævis, per ſpiritum Charitatis inter fratres communicarentur, ac nemo quicquam ſibi proprium retineret. Verùm cum tot ac tam varia, quæ tot circumſtantiis diverſis conſtabant, in una [illegible]

acti[illegible]

Digitized by Google

actione Chriſti eodem tempore nullo modo ſimul adeſſe poſſent; Chriſtus nihilominus ut Communionem hanc Sanctorum divinam ac verè digniſſimam quoad fieri poterat vividiſſime inſtitueret, ex actionibus ſuis illam eligere voluit, quæ una huic negotio maximè idonea videbatur, quæque circumſtantias obſervatione longè digniſſimas habebat, non quidem ut Apoſtoli in his ipſis circumſtantiis externis ac tranſeuntibus carnaliter ſubſiſterent, (quod forte ſimiæ facere potuiſſent;) ſed ut omnia quæ Chriſtus præſtiterat, quæque porrò ad mortem uſque præſtiturus erat, in iis ſimul conſiderata atque recollecta intra ſe aſſumerent, quemadmodum Chriſtus idem ipſis commendaverat.

Chriſtus itaque ut divinam hanc Communionem Inſtitutione viva inter Diſcipulos ſuos introduceret, actionem refectionis, ſeu cœnam, elegit, quæ actiò ſua natura communio quædam eſt ſæpius iteranda & continuanda. At quam refectionem, ſive cœnam? Eam quam ſingulari ſtudio ipſe apparari curaverat; in qua ſe adeo humilem, adeo ſollicitum præſtitit, ut pedes eorum qui membra erant corporis ſui myſtici, ipſe laverit: in qua ſeſe omnia feciſſe dixit ut diſcipulis exemplo præiret: in qua denique cibum tum ipſe capiebat, tum illis apponebat ad reficiendas vires quibus uterentur ut ipſe quidem morti ſeſe pro iis traderet, illi verò ipſi comites adeſſe poſſent. In hac ipſa cœna, ita animo paratus affectuſque tanquam qui corpus & animam pro ſuis revera jam tum morti traditurus erat, cibum iis offert ac potum dicens, *Accipite, comedite: Hoc eſt Corpus meum pro vobis fractum. Bibite: Hic eſt Sanguis meus pro vobis effuſus. Hoc facite in mei memoriam.*

XIII. Quid verò Apoſtoli pro divina ſua ſimplicitate & in illa quidem animorum præparatione ac ſtatu quem vidimus, in verbis hiſce & in hac Actione Magiſtri ſui intelligere potuiſſent, præſertim poſt Spiritus S. receptionem? Quas in hiſce cogitationes eorum fuiſſe putabimus, maxime poſt prolixos illos Chriſti ab Euchariſtia ſermones de charitate atque conformitate vitæ ſuæ, niſi quod Chriſtus inſtituerat eorum animis inculcare ac dicere: „ Quandoquidem vos membra eſtis Corporis myſtici, „ jus ego Caput exſiſto, & pro cujus unione ac ſalute huc uſ„ e vixi & nunc corpus meum naturali morti ſum traditurus; „ ſtrum erit memet imitari; quam imitationem vobis etiam „ nunc

XIII. Verba Jeſu Chriſti per paraphraſin exponuntur.

„ nunc commendo. Vivatis atque moriamini perinde atque ego „ feci pro corpore meo myſtico. *Accipite*, recipite, atque intra „ vos aſſumite virtutes meas, labores meos, Spiritum meum, „ vitam *ſubſtantiamque* meam, *Sanguinem* meum, bona mea omnia, „ memetipſum, (*a*) *Doctrinam* meam *practicam*, (*b*) FIDEM & „ CHARITATEM meam, omnia quæ docui & feci quæque „ porro facturus ſum ut ex peccato ac morte vos eripiam. Eſtote „ mei ſimiles; neque vel bona ulla, vel labores, vel Spiritum, „ vel vitam, vel ſanguinem veſtra credite, aut quicquam facite „ vel dicite, vel poſſidete niſi ut omnia ſint pro fratribus veſtris, „ ut ad eorum ſolatium atque ſalutem, necnon ad exercitium „ Charitatis veſtræ & ad mei imitationem omnia mutuo cum „ omnibus communicetis. Nemo unquam rem propriam quæ- „ rat: ſed omnia ſint omnium, nullis exceptis, inde ab ipſa ani- „ ma ac vita ad ſingula uſque fruſta panis. Ita ego vobiſcum egi, „ atque etiam nunc vitam propriam vobis daturus ſum eodem ani- „ mo, æquè candido atque ab omni ſtudio privati commodi æquè „ alieno, quo præſentem vobis cœnam do ac hunc panem jam „ vobis offero, & quo toto vitæ meæ tempore omnia quæ habui „ vobis adhuc miniſtravi. Itaque, filii mei Dilecti, inſtante jam „ tempore mortis meæ hoc vobis diligenter commendo, & fidei „ veſtræ committo, hoc vobis Teſtamentum relinquo, ut alii „ aliis perinde faciatis atque ego vobiſcum egi. Hoc ſigno con- „ ſtabit vos eſſe filios meos, ſi quidem in Amore atque Charitate „ quam ego erga vos habui; uniti maneatis. Memores eſtote „ imitationis meæ, qui omnia vobis dedi, & nihil mihi proprium „ reſervavi ad ipſam uſque mortem. Idem ſimiliter inter vos fa- „ cite, atque ita oſtendite, vos eſſe membra corporis mei, ac „ memoriam habere mei Capitis veſtri, ac membri principalis, „ cujus vita ac ſtudia erga totum corpus, exemplum vobis erunt, „ ac regula vitæ propriæ inſtituendæ.

Et hæc quidem eſt COENA, (quicquid enim à nobis in hoc mundo

(*a*) Vide Virginis A. B. Tumulum Theologiæ falſæ Part. 3. Epiſt. 2. n. 96. 97. & Lucem mundi Part. II. c. 7.

(*b*) S. Ignatius in Epiſtola ad Trallianos verba Filii Dei ita interpretatur. Verba ejus ſic habent: *ἀνακτίσασθε ἑαυτοὺς ἐν πίστει, ὅ ἐστι σὰρξ τοῦ Κυρίου, ἐν ἀγάπῃ ὅ ἐστιν αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ*. hoc eſt, *Recreate voſmet ipſos in fide, quod eſt caro Domini, & in charitate, quod eſt Sanguis Jeſu Chriſti.*

Digitized by Google

mundo in noctem jam vergente pro fratribus noſtris præſtari poteſt, id non niſi Coenæ aut ſportulæ veſpertinæ & levidenſis rationem habere videtur;) hæc inquam eſt *Cœna*, *Euchariſtia* & *Communio* propria atque eſſentialis quam Filius Dei inter Diſcipulos ſuos Sanctos, convenienter ſtatui illi in quo tum temporis agebant, inſtituit.

XIV. Quod ut nemini dubium eſſe poſſit, videmus exempla nonnulla ejuſdem Communionis Sacræ tum rectè tum ſecus obſervatæ ac celebratæ, in Scriptura ſacra, permittente Spiritu S., nobis conſignata relinqui. Et in illis quidem videmus qualis ea fuerit, & quæ ratio ejuſdem celebrandæ; in his autem qualis ea non fuerit & quid cum ea conſiſtere non potuerit, docemur. XIV. *Probantur hæc ex praxi Eccleſiæ primitivæ.*

Omnes fatentur, Communionem Sacram, qualis in Eccleſia ſanctiſſima perfectiſſimaque obſervabatur, in Actis Apoſtolorum, 2 & 4 Capite deſcribi. Eja, obſecro, quomodo ſe hic habuerint, pauliſper obſervemus. Iſta enim vel millenis voluminibus quæ de eadem doctrina oculatiſſimorum eruditorum cœca Ratio dictare poſſet, erunt profecto anteponenda.

(a) *Perſeverabant in doctrina Apoſtolorum, in* COMMUNIONE, (de qua nunc agimus) *& in fractione panis*, (quæ pars ejus erat uſitatiſſima & frequentiſſimè recurrens; quandoquidem victûs neceſſitas quotidie redit: cùm in communicatione veſtimentorum aliorumque auxiliorum quæ ſanctis in neceſſitatibus rarioribus & minùs uſitatis præſtantur alia ſit ratio;) *Et omnes qui credebant*, (*) *erant uniti in unum*, (hæc eſt unio voluntatis ac cordis, ſeu unanimitas in ſpiritu charitatis), & omnia communia habebant. *Vendebant poſſeſſiones ac bona ſua, & omnibus ea diſtribuebant, prout unuſquiſque iiſdem indigebat. Et quotidie perſeverantes unanimiter in* (†) *ſacro hoc* (*officio*, vel, ſi mavis, in Templo,) *panemque per ſingulas domos frangentes, cibum capiebant in lætitia & ſimplicitate cordis.*

(a) Act. 2. 42. &c.

(*) ἦσαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ.

(†) ἐν τῷ ἱερῷ.

XV. Hic videmus quî ex principio ſimplicitatis Apoſtoli & diſcipuli eorum, ſibi crediderint agendum ut obſervarent ea quæ Chriſtus ipſis in inſtitutione Euchariſtiæ commendaverat, quorum praxis hic in communione cordis & omnium rerum, ipſorumque adeo bonorum & victûs, oſtenditur atque deſcribitur. ...us hæc tam apertè ac propriè conſignari voluit, ut fere nemo fateatur, de Euchariſtia ſacra hoc loco agi: aſt per præju- XV. *Hæc omnia, non autem eorum pars tantum, ad Euchariſtiam pertinent: neque impoſſibilia ſunt factu.*

dicia quæ nunc vulgò invaluerunt, fit ut ſola verba *fractionis panis* ad eam referenda credant, cetera autem eodem pertinere nolint; rati videlicet, egregiam quidem hic cantilenam cantari, atque acta Eccleſiæ primitivæ celebrari; at nobis tamen ſufficere hæcce ſolum audire, cantuſque hujus melodiam laudare; eſſe enim nunc aliam longè rerum faciem quàm ut ad hujus melodiæ modos hodie ſaltare poſſimus: (a) *Nos vobis cecinimus, at vos ſaltare noluiſtis.* Et vidimus quidem modò, ſequentibus temporibus hæc ipſa neceſſariò immutari debuiſſe: at tantum propter ſolam degenerationem atque corruptionem Chriſtianorum, quorum corda immutata à recto ſtatu deciderant. Nam alioqui, ſi Chriſtiani à divina charitate nunquam degenerare, nec ullum cum malo atque impiis commercium habere voluiſſent, excellentiſſima hæc Communio & in eodem quoque gradu perſtitiſſet, imo verò majorem etiam perfectionem indies acquiſiviſſet. Verum enim verò homines, quorum degeneratio interna atque immutatio animorum Communionem hanc perfectam atque admirandam, quæ inter Sanctos fuit, ſuſtulit, ne propriæ culpæ confeſſione erubeſcere cogantur, immutationis hujus cauſam vituperatione dignam diſſimulant, & in ſolo tempore ac numero perſonarum, rationes ſibi atque præſidia quærunt. Iſta opportunè fiebant, inquiunt, quando Chriſtianorum numerus exiguus erat. Eo tempore Communio hæc omnium rerum non difficulter obſervari poterat. At pergunt, quæ ratio erit ejuſdem nunc obſervandæ, poſtquam numerus eorum (& corruptio atque avaritia tam parum Chriſtiana, nam & hæc addi debebant,) adeò invaluit? Egregiam verò mundi prudentiam, ſeu potiùs providentiam! Videlicet iſti pro ipſo Deo ſolliciti, rationem quærunt qua Spiritus S. homines omnes ſanctos ſuo regimini traditos, in unitate cordis, vitæque ac bonorum omnium, ſit gubernaturus! Et iidem tamen quotidie oculis ſuis vident hominum improborum & filiorum Belialis, qui de nulla re ſolliciti in eo ſolo occupantur ut omnia perdant ac deſtruant, totos exercitus per unius hominis providentiam nonnullorumque, qui juſſa ejuſdem exſequantur, adjunctorum, abunde & ſine confuſione ali, rebuſque omnibus inſtrui; & tamen putabunt iidem Spiritum S., Deum licet omnipotentem & uniformem, qui animos omnes in quibus reſidet, inſpirat & movet, ſuos in unum unire non poſſe quemadmo-

(a) Matth. 11. v. 17.

Digitized by Google

admodum ipſe unus eſt cum Patre ac Filio? aut eoſdem inter ſe unitos in hac unione ritè ordinare ac conſervare non poſſe? Quæ verò hæc amentia ſtolidæ prudentiæ carnis iſta ſibi perſuadentis? Quis enim dubitet hanc ipſam peritiam omnia ritè ordinandi ac conſtituendi, cum poſſeſſione Spiritus S. neceſſariò atque eſſentialiter ſimul conjunctam adeſſe? Id in Eccleſia Hieroſolymitana vidimus, in qua numerus hominum non erat adeò exiguus: neque enim pauci dicendi ſunt Chriſtiani octies aut decies mille in una eademque urbe agentes: atque ſi ratione habita totidem in ſingulis ubique urbibus adfuiſſent in eadem animorum præparatione baptizati, & ab eodem Spiritu animati, non video quid obeſſe potuiſſet ne Spiritus S. omnibus ex intentione, exemplo atque Inſtitutione Chriſti, & juxta praxin fidelibus in urbe Hieroſolyma obſervatam, eadem ratione conſuleret. Imò verò, ſi homines omnes quotquot in toto hoc orbe continentur, millies millieſque multiplicarentur, & ſinguli quidem Spiritu S. baptizati eſſent, omnes profectò in eadem hac Communione facile viverent. At, quod iterum iterumque moneo, quotquot animis aliter affecti comparatique ſunt quàm Chriſtiani primi & veri fuerunt, eandem communionem inter ſe nullo modo habere poſſunt. Nos autem de ſolis Chriſtianis veris nunc loquimur, de quibus quid Scriptura ſacra in Actis ea de re conſignavit, diſpicere pergamus.

XVI. (a) *Multitudinis credentium unum erat cor & anima una; & nemo dicebat quicquam ex bonis ſuis ſibi eſſe proprium: ſed omnia ipſis communia erant --- & nemo eorum indigens erat: nam qui prædia aut domos poſſidebant, illis venditis, pretia afferebant ponebantque ad pedes Apoſtolorum; & hæc omnibus diſtribuebantur prout ſinguli opus habebant.* Vides hic qua ratione Chriſtiani primi Sacramentum Euchariſtiæ ſeu Communionis ſacræ adminiſtraverint ac celebraverint. Negotia eorum omnia, bona, operæ, actioneſque totius vitæ, ſacratæ erant totidemque actus Sacramenti diviniſſimi corpori myſtico Chriſti in Spiritu Charitatis adminiſtrati. Neque periculum erat, ne homines naturales, deſidioſi & ignavi inter eos irreperent, ut bonis quæ ibidem præſto aderant, copiosè ſuo arbitratu fruerentur: quoniam ſoli ſancti inter eos admittebantur: omnes autem qui inter eos manebant, à ſtudio privati commodi alieniſſimi, exerceri debebant in ſtudio charitatis & laboris perpetui,

XVI. *Continuatio exempli Eccleſiæ primitivæ.*

(a) Act. 4. 32, &c.

Digitized by Google

petui, in dandis omnibus, atque in ſolis minimis quæ vel ex ſe vel ex charitate aliorum accepturi erant, ad uſum ſuum adhibendis; quæ quidem fornax erat ardentiſſima cujus æſtum nulla ſtipula patiebatur.

Quod ſi quis tamen hypocrita inſidiosè eos per fucum fallere conabatur, dum ipſi interim officio ſuo non deërant, & ſibimet ipſis rite invigilabant, Spiritus S. ejus injuriæ ultor aderat ac vindex: at idem contra, quando ipſi degenerare cœperunt, & exactam rebus ſuis diligentiam adhibere noluerunt, utcumque aliquoties ab eo caſtigati ac reprehenſi, tandem ipſos degenerationi ſuæ reliquit, ita tamen, ut per continuationem ceremoniarum variatam ac ſtatui illi ad quem deciderant accommodatam, pro ſua Bonitate ſaluti eorum adhuc proſpicere voluerit, uti ſtatim videbimus.

XVII. *Abuſus qui eo tempore in Communione Sacra intervenerunt, apertiſſime etiam ejus naturam docent. Ananias & Sapphira.*

XVII. Atque harum etiam rerum exempla in Scriptura ſacra apprime occurrunt. Etenim in Actis eodem loco ubi docetur Eccleſiam Primitivam Communionem hanc Sacram tam laudabiliter obſervaſſe, ſubjungitur narratio de Anania ejuſque conjuge Sapphira, qui cum fraudulenter in Communionem Sacram Myſtici Corporis Chriſti irrepere, & pro veris membris ejuſdem haberi voluiſſent, quaſi & ipſi communionem cordis, animæ, vitæ, bonorum, cibi & potus, & rerum omnium cum fratribus haberent, à Spiritu S. morte multabantur, qui per os Petri ſequentibus verbis eoſdem increpabat; (a) *Cur Spiritui S. mentientes à pretio agri aliquid detraxiſtis? Nonne veſtrum erat, & ante & poſt venditionem factam?* Quî fit ut ſuſtineatis in Societatem eorum ingredi qui animam vitamque & bona omnia communia habent per Communionem ſacram, ad quam admitti voluiſtis licèt partem bonorum vobis propriam retineatis? Ergone ita Communione myſtici Corporis Domini abutimini? Nonne liberum vobis erat extra eam in numero Catechumenorum adhuc manere, atque ita bona veſtra vobis propria retinere; ſiquidem nemo vobis neceſſitatem impoſuit in ordinem atque Societatem ſanctam Chriſtianorum introeundi? Quam Petri objurgationem eorum mors confeſtim ſequebatur, quæ non toti tantùm Eccleſiæ timorem ſtuporemque injiciebat, ſed & eos potiſſimum qui extra eam erant, homines puta mundanos, impuros, avaros, ac proprietarios, & quotquot amore puro & vera libertate animi omnibus rebus

(a) Actor. 5. 3.

rebus valedicentis carentes, ad Communionem ſacram tamen admitti voluiſſent, vehementer perterrefaciebat. (*a*) *Nemo reliquorum* (ſubjungitur ibidem) *ad eos accedere audebat.*

(*a*) Ibid. v. 13.

Quod ſi eandem fidelitatem perpetuò & ubique conſervaſſent, nullum eſt dubium quin Spiritus S. integritati eorum conſervandæ ſimiliter quoque proſpexiſſet, & ab omnibus eos fraudibus atque inſidiis præſervaſſet. At poſtquam, exemplo Iſraëlitarum (*b*) tempore Joſuæ, inconſulto ore Domini fratres ſibi adſciſcere voluerunt, imò & ipſi degenerare cœperunt, Deus quidem principio nonnullos eorum identidem punivit atque objurgavit: at poſtea, cùm videret fervoris eorum remiſſionem pertinacius ac generalius invaleſcere, eorum tandem imperfectionibus cedere decrevit. Sed age, nunc ejuſdem mali initium atque progreſſum paucis conſideremus.

(*b*) Joſ. 9. v. 14.

XVIII. *Degeneratio Eccleſiæ Corinthiacæ in Communione ſacra. Locus Pauli de Euchariſtia explicatur.*

XVIII. Initia illius inde ab ipſo tempore Apoſtolorum gliſcere jam cœperunt, quemadmodum Eccleſiæ Corinthiacæ exempla docent.

Abuſus autem hi à Paulo in Corinthiacis notati, quibus contra legitimam praxin Communionis Eccleſiæ primitivæ, de qua nunc agimus, peccaverunt; erant ſequentes.

Principiò quidem fratres falſos ad Communionem ſuam admittebant (procul dubio ut Eccleſiam numeroſiorem haberent:) Qua de re Apoſtolus. (*c*) *Si quis qui fratrem ſeſe dicit, ſcortator eſt, aut avarus, aut idololatra, aut maledicus, aut ebrioſus, aut raptor, nolite comedere* (Communionem ſacram habere) *cum illo ..... Tollite impium è numero veſtrûm.* Hoc primum fuit malum, hic primus gradus corruptionis Eccleſiæ Chriſtianæ, videlicet fratrum falſorum admiſtio, quando homines à Spiritu Chriſti non animatos pro membris Corporis Chriſti agnoſcere cœperunt, atque cum iis ita agere uti officia Communionis Sacræ exigebant; cùm potiùs eos ſibi relinquere, & nullum unquam commercium cum iis habere debuiſſent, exemplo Chriſti, qui homines quidem qui bonæ voluntatis erant at ex ignorantia peccabant, ſua ſponte quæſivit; at ultroneos mundanos veritatique refractarios ſibi ipſis reliquit, adeo ut nec orare pro iis voluerit.

(*c*) 1 Cor. 5: 11, 13.

Multi deinde bona ſua ſibi propria retinere volebant, imò & [illegible]iorum rem litibus injuſtè inſtitutis ſibi vindicare conabantur: [illegible]od Apoſtolus notat, dicens, (*d*) *Magnus jam inter vos defectus eſt,* (vide-

(*d*) Ibid. 6. v. 7.

Digitized by Google

(videlicet proprietas) *quandoquidem* (propter eam) *judicio alii contra alios agitis*.

Tertiò, retenta proprietate bonorum ſuorum, voluerant quidem fructus eorum ad communem omnium victum conferre, atque ita eatenus ſaltem Communionis Sacræ uſum obſervare: verùm hîc ſinguli partes ſuas, quas attulerant, ſibi retinere, nec cum aliis eas communicare volebant, rati fortè ad Communionem ſervandam ſatis eſſe ſi communi loco ac tempore uterentur: quæ certè non erat Communio Chriſtiana, ſed potius Communionis ludificatio. Hoc Paulus iiſdem oſtendit, dicens: (a) *Convenientibus vobis in unum, jam non eſt Dominicam Cœnam manducare: etenim unuſquiſque cœnam quam attulit, comedit antequam ceteri advenerint, atque ita alii quidem lautè & abunde epulantur, alii verò eſuriunt. Nunquid domos non habetis in quibus edatis ac bibatis? an verò Eccleſiam Dei contemnitis ac egenos pudore afficitis?* Quaſi dicat: Siquidem ſinguli res veſtras vobis retinere vultis, quidni in domibus veſtris manetis? Quid in Eccleſiam Chriſtianam vos ipſos intrudentes eandem per communionem falſam aut inane potiùs communionis ſimulacrum, turpiter contaminatis, dum egenorum neceſſitati per rerum veſtrarum communicationem non tantùm non ſubvenitis, ſed & per inſulſam oſtentationem abundantiæ veſtræ, quam vobis ſolis retinetis, iiſdem inſultatis? *Ergone vos laudabo? Hac certè in re nunquam vos laudo.*

(a) 1 Cor. 11. v. 20, &c.

His dictis Apoſtolus inſtitutionem Domini, quam vidimus, iiſdem ante oculos exponit, quam ut eo diligentiùs inculcemus, & ut ſententiam ejus eò apertiùs videamus, nos hic ſubjuncta paraphraſi illuſtrare conabimur.

Ego verò à Domino accepi, quæ vobis tradidi: Videlicet, Dominus noſter Jeſus ea nocte qua proditus eſt accepit panem. Jeſus Chriſtus, „cujus doctrina eſt doctrina charitatis, qui id unum diſcipulis „ſuis diligentiſſime inculcavit ut ſe mutuo amarent, qui id proprio „exemplo docuit, dixitque uno eos hoc ſigno agnoſcendos fore; „is ut illos quam efficaciſſimè ad hoc ſtudium induceret, ante „mortem ſuam quippiam fecit quod & vobis commendavi & ab „ipſomet didici. Videlicet in cœna noviſſima quam diſcipulis „ſuis dedit proximè antequam vitam ſuam pro eorum ſalute daturus erat.

Gratiis actis panem acceptum fregit, dixitque, Accipite, comedite: Hoc

Digitized by Google

Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei memoriam. „ Læto animo & gratiis actis., ex ſolo principio divinæ
Charitatis, dedit iis adhuc illud quodcunque dare poterat, ali- “
menta ſcilicet quibus indigebant: & paratus ipſam vitam ſuam “
iiſdem dare, dixit iis,· Accipite hæc alimenta quæ vobis dono, “
& ſcitote, quod jam nunc ut nihil vobis deſit eorum quæ ne- “
ceſſaria vobis ſunt, corpus meum pro vobis traditurus ſim eo- “
dem animo quo vobis hoc nunc porrigo. Idem vos ſimiliter in- “
ter vos alii erga alios præſtate: atque ſic omnia neceſſaria, ipſam- “
que adeo vitam, per charitatem mutuam alii cum aliis commu- “
nicate in memoriam eorum quæ ego pro vobis præſtiti. Hæc “
erit vera commemoratio mei, quam à vobis exigo. “

Similiter poſt cœnam accepit poculum, dicens, Hoc poculum eſt novum Fœdus in meo Sanguine: Facite hoc in mei memoriam quotieſcunque biberitis. Ut apertius doceret Communionem perfectam eſſe de- “
bere, non tantùm cibum (qui ſolus ad victum non ſufficit) iis “
dare voluit; ſed & potum iiſdem offert, cumque inter eos com- “
munem eſſe vult, dicens, Poculum vobis & potum do commu- “
nem, ut ſciatis omnia inter vos communia eſſe debere: etenim “
hæc Communio Fœdus illud eſt atque pactum novum, quod “
vobiſcum ineo dum ſanguinem meum pro vobis effundo. Pa- “
ciſcor vobiſcum, me pro membris vos meis agnoſcere, quæ per “
communicationem bonorum meorum omnium, vitæque & ſan- “
guinis mihi acquiſivi, meque vos tanquam meos conſervaturum “
eſſe ac ſervaturum, addita tamen conditione, ut per charitatem “
mutuam idem ſimiliter propter me in mei memoriam & ad fœ- “
deris hujus ratificationem præſtetis: & hoc quidem toties facie- “
tis, quoties neceſſaria omnia, potum & cibum & alia inter vos “
mutuò communicabitis in eodem Spiritu quo ego nunc pocu- “
lum hoc vobis offero, paratus ſanguinem meum pro vobis effun- “
dere, omniaque quæ poſſum, ipſamque adeò vitam, nihilo pla- “
ne reſervato, nihiloque excepto, vobis dare.

Nam quoties panem hunc edetis & ex poculo hoc bibetis, mortem Domini annunciabitis donec venturus eſt. Jeſus Chriſtus quando Communionem Sacram atque univerſalem inſtituit, in cœna ſua n[...]iſſima verſabatur, eamque ſibi occaſionem eſſe voluerat Communionis Sacræ rerum omnium inſtituendæ ac commendandæ, [...]e per verba perque actum *panis edendi* & *vini* communis *bi-*

bendi

bendi eandem ſignificavit, quoniam hi actus communionis ſunt omnium maximè neceſſarii & uſitatiſſimi & quàm ſæpiſſimè recurrunt. Itaque & Apoſtolus totum negotium Communionis ſacræ commendare pergens, iis verbis utitur, quibus iidem actus peculiares edendi & bibendi, qui uſitatiſſimi ſunt & maximè neceſſarii, indicantur, atque adeo in hanc ſententiam dixiſſe videtur: „ Quotieſcunque ergo panem hunc atque hoc poculum quæ „ Chriſtus inter vos communia eſſe voluit, vobiſcum commu- „ nicatis; quotieſcunque in Spiritu Chriſti, (qui Spiritus eſt „ Charitatis, nullas res, nec bona nec vitam excipiens,) victum „ & alia corpori neceſſaria alii aliis miniſtrabitis, verè comme- „ morabitis mortem ad quam Chriſtus ſemet ipſum tradidit, dum „ omnia quæ habuit, ipſamque etiam vitam ſuam nihilo excepto „ ſaluti veſtræ atque utilitati tum corporali tum ſpirituali impen- „ dit. Hac ratione igitur charitatis hujus immenſæ, quæ Chri- „ ſtum ad mortem perduxit, memoriam celebrate, hac ratione „ ejus mortem vividè & ſine ulla quidem interruptione indeſi- „ nenter annunciate; donec ipſe in terram veniens gloriam atque „ theſauros ſuos vobiſcum communicabit, atque eum in ſtatum „ vos transferet in quo nullæ vobis neceſſitates amplius ſuper- „ erunt.

At verò, *quicunque indignè panem hunc edere aut poculum Domini bibere voluerit*; quicunque in communionem à Chriſto inſtitutam ſeſe introducens, in eo ſtatu videri vult ut ad eam admitti poſſit licèt verè in eo ſtatu non ſit, is *culpa reus ſit* & peccat contra Chriſtum, *contra corpus & ſanguinem Domini*, & contra omnia ejus bona; quippe quæ non ſunt pro hominibus indignis; ſed pro membris corporis ejus myſtici, pro hominibus ſanctis & ab omni privato commodo alienis.

Ideoque unuſquiſque ſemet ipſum examinet, utrum ſit verus Chriſtianus, ab omni proprietatis ſtudio liber, charitate plenus, & fratrum commoda quærens, non ſua propria; *atque ita panem hunc edat & ex poculo hoc* Chriſtianorum *bibat*, & in communionem ſacram rerum omnium quæ inter ipſos ſunt ingrediatur: nam *qui indigne edit ac bibit damnationem ſibi edit ac bibit, non diſcernens corpus Domini*, & communione Chriſtiana perinde utens c ſi adjutorium quoddam eſſet naturale atque ethnicum bonon n terreſtrium ad cœtum aut corpus politicum pertinentium; ci n

con' a

contrà proprius hic ſit & diſtinctus caracter Corporis Chriſti & veræ Eccleſiæ Dei.

Hinc multi inter vos, quòd iſta non obſervaverint, *infirmi facti ſunt atque ægroti*, à Deo ſcilicet caſtigati punitique: *imò non pauci dormiunt, ſive mortui ſunt*. Ubi videmus Eccleſiæ Corinthiacæ eandem pœnam fuiſſe quæ Ananiæ ac Sapphiræ fuerat, namque & illi ejuſdem culpæ rei erant, atque duo iſti proprietarii, qui partem principalem Communionis ſacræ qualis eo tempore recepta erat violantes morte multati fuerunt.

Communis ferè ſententia eſt Joannem in hiſtoria ſua Euangelica inſtitutionem Euchariſtiæ Sacræ ſilentio præteriiſſe: ſed contrarium res ipſa docet. Ille enim inter omnes Euangeliſtas in eadem exponenda prolixiſſimus eſt: quandoquidem, ſi rei ſubſtantiam inſpicias, capita ejuſdem 13, 14, 15, 16, & 17 veram Sacræ Communionis tum inſtitutionem tum explicationem tradunt. Eodem etiam redeunt verba ſequentia quæ in Epiſtola ejuſdem leguntur: (*a*) *In eo cognovimus charitatem, quod ille vitam ſuam dedit pro nobis: unde & nos oportet vitam noſtram dare pro fratribus. At ſi quis bona hujus vitæ habeat & fratrem ſuum egere videns, viſcera ſua ei claudat, quomodo manebit charitas Dei in eo? Filioli mei, nolimus ſolis verbis amare ac linguâ, ſed opere ipſo atque veritate: etenim in eo cognoſcemus nos ex veritate eſſe, & corda noſtra coram illo ſecura præſtabimus.*

(*a*) 1. Joh. 3. v. 16, 17, 18.

ARTICULUS II.

De EUCHARISTIA *prout eſt in Chriſtianiſmo degenerante. De Schiſmatibus eorumque Unione. De differentiis inter ceremonias variarum Partium generaliores conſiderationes.*

I. *Variationes quæ poſt Eccleſiam primitivam ſupervenerunt. Hæc gradatim exponuntur.*

I. ITa vidimus, qualis fuerit primitus divina Euchariſtia in Eccleſia Sanctorum: videlicet Communio rerum omnium per mutuam Charitatem in Spiritu Chriſti, qui gratia abunde omnia replebat. Vidimus etiam quomodo jam tum Chriſtiani degenerantes, ab ea decidere cœperint, & qua ratione tum Deus immiſſis pœnis, tum Apoſtoli exhortationibus factis,

factis, remedium huic variationi afferre conati fuerint. Videamus nunc, qua ratione & Deus, & homines, iique piiſſimi, conſentire debuerint ut poſtquam facies Eccleſiæ primitivæ immutata erat, ſtatuſque animarum coram Deo multum eviluerat, his in rebus immutatio quædam fieret.

1. Communio primitiva inter Sanctos perpetuò manſit.

1. Primò ſciendum eſt (quod veritatis eſt certiſſimæ) quemadmodum omni tempore fuerunt homines quidam verè ſancti, ſanctitateve atque charitate pleni, quales erant Chriſtiani Eccleſiæ primitivæ; ita quoque inter Sanctas haſce animas Communionem veram & primitivam Eccleſiæ primitivæ omni memoria fuiſſe. Nam profectò nullum eſt dubium, quin Spiritus S., Chriſtus, atque adeò omnia, inter homines verè ſanctos ſemper communia fuerint, ſecundùm iſta Pauli: (a) *Omnia veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollos, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura, omnia veſtra ſunt, & vos eſtis Chriſti, Chriſtus autem Dei:* quibus conſentiunt aurea verba S. Barnabæ, dicentis (b) *Communicabis in omnibus rebus proximo tuo. Nihil dices quicquam tibi proprium:* ſi *enim communicatis invicem in bonis incorruptibilibus, quanto magis in corruptibilibus.* Et hæc quidem ille inter præcepta *Viæ lucis* recenſet. Imò minima quæque idea ſanctitatis atque Charitatis Chriſtianæ idipſum apertiſſimè docet ac extra dubium ponit: quanquam interea dum ſancti, rariores facti, locis diviſi fuerunt, aut alii aliis incogniti, effecta ejus communionis foris manifeſta non fuerunt.

(a) 1 Cor. 3. v. 22, 23.

(b) Barn. Epiſt. c. 19.

2. Bonis ceterorum degenerationem tandem tolerare debuerunt.

2. Secundò, facilè intelligimus, poſtquam nonnulli primorum Chriſtianorum, iique non pauci, à Charitate prima degenerare cœperunt, (quod Chriſtus (c) iiſdem exprobrat,) atque homines imperfectos imò & impios probitatem ſimulantes inter ſe recipere voluerunt, paucos illos qui in puritate Sanctitatis Charitatiſque perſeveraverant, contra hunc torrentem neutiquam obluctari potuiſſe: unde tandem miſturam hanc tolerare coacti ſunt.

(c) Apoc. 2. v. 4.

3. Deus eidem tolerantiæ conſentire debuit.

3. Tertiò, Deus etiam, qui neminem unquam cogere vult aut velle poteſt, cum videret numerum eorum, qui licet à vera Sanctitate longiſſimè alieni, nomen Chriſtianum nihilominus affectabant, quotidie magis ac magis invaleſcere; cum etiam ſciret inter hos ipſos non deeſſe homines bonæ volunt[illegible] quique non male jam initia poſuerant, & ad perfectionem p[illegible]

gr

gredi poterant; imò & in ipſis impiis ſpem ſupereſſe fore ut nonnulli eorum converterentur ſi ipſe eos exſpectaturus erat, ac viis eorum quoad fieri poterat ſeſe accommodaturus; Deus, inquam, maluit utique iis tandem ſeſe accommodare, quam omnes perinde atque Ananiam atque Sapphiram, nec non membra illa Eccleſiæ Corinthiacæ morte multare: Etenim aliàs totam Chriſtianorum gentem cædibus ubique implere debuiſſet: id quod nec impiis æquè ſalutare, nec imperfectorum æquè e re fuiſſet, quàm dum eoſdem tolerare, atque pœnitentiam eorum exſpectare voluit. Eandem ob cauſam homines vere Sancti, Spiritu Dei animati, ſimiliter rebus iſtis cedere debuerunt, ac exemplo ipſius Dei, & cum illo periculum facere, utrum hujus tolerantiæ tempore pii atque imperfecti ad perfectionem primorum Chriſtianorum, impii autem ad converſionem redituri erant.

4. Ceterùm (quartò) homines vere Sancti, qui Communionem Sacram primitivam & veram inter ſe conſervaverant, eandem cum peccatoribus, cum imperfectis & impiis occultis, habere amplius non poterant: tum quoniam illi eodem Spiritu quo Sancti, non agebantur; tum quoniam Sancti etiamſi peccatorum ſalutem præ propria vita propriiſque bonis amarent, tamen propter hanc ipſam eorum ſalutem in communione æquè aperta atque univerſali cum iiſdem vivere non poterant. Etenim ut homines naturæ corruptæ viventes convertantur, ante omnia oportet ut amori ſui ipſorum atque omnium quæ in mundo ſunt, & præſertim commoditatibus ſuis, avaritiæ, ignaviæ, nec non bonis terrenis deſiderandis quærendiſque mori diſcant. Atqui verò hæc ipſa vitia in animabus ita affectis apertè potiùs foviſſent Sancti ſiquidem omnia cum iiſdem ſtatim ſine mora ſine exceptione ulla communicaſſent. Itaque oportebat ut eatenus ab iis ſeſe quodammodo ſepararent; ut omnia diutiùs communia non haberent, ita tamen, ut nec proprietarii fierent: id quod Sancti rite obſervarunt; ideoque bona ſua conſervarunt non ſibi quidem, ſed ſoli Deo, & ut illis qui recte iis uſuri erant, ex divina voluntate ea diſtribuerent, ceteris qui pabulum illic ac ſitem affectuum ſuorum quærebant, ad mortem autem ſui adſpirabant, de illis non gratificantes. *4. Sancti recenta quidem inter ſe communione, à ceteris ſeſe ſeparare debuerunt. Communia publica mutata in Agapas.*

verò qui degeneraverant, à Communione primitiva retinenda

tinenda longiſſimè erant alieni. Singuli enim propria quærebant, etiam inter eos qui Euangelium annuntiabant, (uti conqueritur Paulus) (a) & ſinguli corda ſua, operaſque ac bona ſibi ſolis vindicare incipiebant. Hinc ab iis proponebatur, ſingulos quidem bonorum ſuorum adminiſtrationem ſibi ſervare poſſe, modò fructus eorum in rem communem conferrentur. At quoniam & hoc nimis difficile iis videbatur, cœperunt limitibus appoſitis idipſum etiam reſtringere. Adeoque ſatis habuerunt collectas conferre, & ſingulis ſeptimanis aliquoties ad epulas communes coire. Et hæc quidem fuit Inſtitutio *Agaparum* ſive Epularum Charitatis, quas pro vera Communione Eccleſiæ primitivæ ſubſtituerunt, quibus ſolis eo tempore Communio conſtare cœpit.

(a) Phil. 2. v. 20.

5. Hæ diuturnæ non fuerunt.

5. Verùm (quod quintò obſervamus) hic rerum ſtatus diuturnus non fuit: quoniam mox tanta hic eſſe cœpit hominum licentia, contra omnem honeſtatem, atque reverentiam Numinis turpiter peccantium, ut viderentur omnem memoriam divinæ præſentiæ, ad quam coïerant, exuiſſe, omnemque cogitationem charitatis ejus ardentiſſimæ, quam Chriſtus nobis exhibuit adeò ut ipſam vitam ſuam pro nobis in cruce dederit, omnino depoſuiſſe.

6. Introductio Euchariſtiæ Sacræ qualis inter Chriſtianos poſtquam à primo ſtatu defecerunt, obſervatur.

6. Itaque ſextò, poſtquam Chriſtiani omnes univerſim ſpectati, aut maxima eorum pars, ita degeneraverant, ac Spiritus S. qui in cordibus primorum Chriſtianorum habitabat, ab iiſdem ex quo jam terreſtres, carnales, infirmi atque craſſiores facti erant, receſſerat; neceſſarium fuit ad ſalutem eorum procurandam ut præſentia Dei modo magis viſibili, magis corporali, animiſque eorum craſſioribus atque imperfectis magis accommodato, iis ante oculos repræſentaretur. Et hinc quidem orta eſt celebratio Euchariſtiæ eo modo iiſque circumſtantiis inſtituta qualem eam longiſſimo jam tempore & à multis retro ſeculis obſervatam novimus. Hæc ipſa, ſi rei ſubſtantiam inſpiciamus, conſilio ipſius Dei obſervari cœperunt, qui ea animabus ſanctiſſimis, inter Chriſtianos tunc ſuperſtitibus inſpiravit. Et videmus quidem verba Inſtitutionis quibus Chriſtus uſus eſt, per Divinam Providentiam ita habere, ut quanquam primitus ea indigitent quæ in Eccleſia primitiva fuiſſe oſtendimus, nihilominus ad ea etiam quæ in hoc de quo loquimur ſtatu obſervan-

Digitized by Google

vantur, applicari queant; eaque quæ nunc celebrantur, pariter ſignificent. Unde manifeſtum eſt, intentionem Dei hanc fuiſſe ut plures ſenſus variæque praxes, quibus ad Deum irent homines & in bono proficerent, in iiſdem invenirentur, pro diverſitate ſcilicet ſtatus in quo fortè verſaturi erant. Hoc enim Scriptoribus ſacris perquam familiare eſt, ut verbis fœcundis ſenſus varios involvant, & ſingulos quidem veros, bonos, atque uſu & praxi obſervandos, pro vario ſcilicet ſtatu variâque præparatione ſeu conſtitutione animorum; quam veritatem à nemine merito in controverſiam vocari poſſe arbitror.

II. Ceterùm dum dico praxes iſtas à Spiritu S. per organa animarum ſanctiſſimarum veniſſe, neutiquam volo, nihil peregrinum aut minùs divinum, quod à Spiritu S. perinde non venerit, iiſdem aliunde admiſceri potuiſſe, quandoquidem iis temporibus inter Chriſtianos non deerant homines parum illuminati ac minùs puri, qui tamen auctoritate plurimum valebant. At quoniam iſta non niſi acceſſoria ſunt & formulæ quædam exigui momenti, quæ ſubſtantiæ rerum non obſunt, hinc Spiritus Dei ea quidem non tantùm tolerare voluit, ſed & uſum eorum legitimum probavit eique benedixit in hominibus tum ſanctis, tum infirmis, qui ex humilitate cordis ac propter amorem Dei Ductoribus ſuis ſeſe ſubmittebant in omnibus quibus animos ſuos ad præſentiam Dei ac Chriſti attollere poterant. Et profectò, non defuerunt animæ ſanctiſſimæ, quæ omnibus iſtis ritibus ac ceremoniis, quæ aliquot retro ſeculis in celebratione Euchariſtiæ obſervantur, optimè & ſaluberrimè uſæ ſunt, adeo ut per eas in unione Dei magis magiſque profecerint: imo nullus dubito etiam nunc dari qui iiſdem ſimiliter utantur. Neque defuerunt alii craſſiores atque imperfecti, qui alios fructus ſalutares, ſtatui ſuo reſpondentes, ex iiſdem tulerunt, dum per eas in Deo recollecti, divinæ præſentiæ cogitationem ſibi familiarem reddiderunt, & affectuum ſuorum impetus repreſſerunt; adeò ut nonnulli ad veram ſanctitatem progreſſi ſint, alii vero corruptionem ſuam refrenare didicerint, quæ aliàs concitatior manifeſtiùs intuſque & foris revixiſſet.

I. Equidem fuerunt etiam non pauci quibus hæc ipſa nul- fructum attulerunt, imò quibus & nocuerunt, ſive quod ntemnerent, ſive quod obſervationi externæ horum me-

dem abuterentur, Deus tamen eas ad tempus dum alii rectè iis uſuri erant, manere voluit.

diorum carnaliter adhærerent de interna animorum præparatione parum interim ſolliciti. At quoniam alii quidam ſancti, imò & infirmi ac craſſiores, ſalutariter iiſdem utebantur, & quoniam vel diſtractiſſimi quique & qui in rebus corporalibus atque viliſſimis penitus demerſi jacebant, per eadem media omnibus accommodata ad Deum, ad fidem divinæ præſentiæ, & ad meditationem Chriſti, & charitatis atque mortis ejuſdem, reduci poterant, atque ita paulatim ad ſtatum ſpiritualem Chriſtianorum Eccleſiæ primitivæ redire; hinc Deus conſultò voluit ea manere atque obſervari dum tempus huic exſpectationi deſtinatum effluxerit, hoc eſt, quamdiu exſpectare decrevit ut homines debiles & carnales per vias iſtas ad ipſum redeant. Itaque tantiſper dum aliquis erit numerus eorum qui ita ad Deum redibunt, eadem conſervari volet: at quando abuſus ubique terrarum ita invaleſcet, ut homines non tantùm per ea non corrigantur, ſed & cauſas in iis quærant quibus ſibimet ipſis blandiantur & in corruptione ſua obdureſcant; Deus tandem tum impios ipſos, tum omnes eorum ceremonias tollet e medio, ſervatis interim probis, quos deinde in eundem ſtatum in quo Chriſtiani Eccleſiæ primitivæ fuerant, imò & in ſtatum magis purum magiſque ſpiritualem, reſtituet.

IV. *Schiſmata, diviſiones ac controverſiæ quæ eo tempore hic ſupervenerunt.*

IV. Ceterùm antequam tempus hoc exſpectationis divinæ, ſive periodus illa efflueret ſub qua Deus ritus hos atque ceremonias, quas ſtatui Chriſtianorum degenerato ac craſſo accommodaverat, conſervari voluit, ſchiſmata orta ſunt ac diviſiones, quibus hæc ipſa potiſſimum cauſam attuliſſe videntur. Fuerunt identidem qui rem in integrum, uti dicebant, reſtituere, & ad primam Inſtitutionem Chriſti, ad Spiritum ac praxin Eccleſiæ primitivæ, reducere conabantur; quanquam, ut dicamus quod res eſt, nec Spiritum ac ſtatum primorum Chriſtianorum, neque rationes divinas ac neceſſarias mutationum quæ propter animorum degenerationem atque incraſſationem, ut ita loquar, ſupervenerant; nec vias quibus pedetentim ac gradatim per externa ad interna & ad perfectionem Chriſtianam ac primitivam redeundum erat, rectè intellexerint. Atque ita ceremoniis & opinionibus ac externis ritibus quibuſdam derelictis, ceremo[illegible] alias, alias opiniones, alioſque ritus externos aſſumpſerunt: de re per ſecula integra diſputantes ea tandem operæ pretia [illegible]

ſec

ſecuti ſunt, ut homines ad odia capitalia & implacabilia, imò, ad ferrum atque flammas, certatim concurrerint.

Equidem mihi in controverſias illas deteſtandas minime deſcendere animus eſt per eaſdem vias ac methodos, quæ animos ad funeſtiſſima hæc conſilia abduxerunt: ſed rem in partem optimam, in partem inquam veritatis atque charitatis ſolidæ accipere & interpretari conabor; quod nemini eorum qui filii charitatis ſunt, quacunque in parte aut Secta agat, præjudicabit.

V. In ſingulis partibus bonos pariter adeſſe & impios.

V. Antequam populus Chriſtianorum in tres illas partes magnas, quibus hodie conſtat, diſcederet, aderant in eo, uti jam antè monui, tum filii Hieroſolymæ tum filii Babylonis, tum pii tum impii, imò & impii inter eos numero prævalebant. Qui inter eos erant pii, diverſis in ſtatibus verſabantur. Alii revera erant ſanctiſſimi, cumque ipſo Deo commercium verè habentes, Spiritu Sancto pleni: alii minus perfecti erant ac minùs illuminati: alii his etiam inferiores, fundum quidem bonum ac intentionem voluntatemque rectam habebant, at in denſiſſimis adhuc tenebris multiſque in affectibus corruptis, qui adhuc nec mortui erant nec legitime mortificati, vivebant. Similiter & impiorum quoque diverſæ erant claſſes: aliorum corruptio, hypocriſis ac tenebræ majores erant, aliorum minores; alii vehementiùs, alii minus ardenter non quidem veterem hominem immolare deſiderabant, ſed conſcientiæ propriæ cenſuram defugere conabantur per inventa omnia, omneſque opiniones quibus divinæ inſtitutionis atque approbationis auctoritatem accommodare libenter optaſſent.

Quando autem Schiſmata acciderunt, illi equidem inter bonos, qui verè ſancti erant atque a Deo illuminati, nullo modo iiſdem involvi voluerunt: at multi tamen eorum qui nondum ſatis illuminati purificatique erant; imò & multi quorum tenebræ atque imperfectiones maximæ adhuc erant, ad ea acceſſerunt. Similiter & impiorum alii quidem in partibus eorum à quibus diſcedebatur manebant, ſed & alii non pauci ad partes novellas perlibenter tranſibant. Etenim facillimum utique erat iis qui retento Adamo veteri atque amore proprio ad ſalutem admitti volunt; multa ſibi oneroſa deponere adoptatis ritibus aliis levioribus, opinionibuſque quibuſdam per quas ſeſe ad ſalutem certo perventuros credebant quibuſcunque aliis defectibus ipſi

eſſent

eſſent obnoxii. Sed hic abuſus quidam fuit, inquies, doctrinæ ejus quæ iis proponebatur. Nolimus ea de re contendere. Sic eſto. At quicquid ſit, rei geſtæ tamen veritas certa manet, fidemque tantò facilius invenit quòd impii rebus omnibus facillimè abutantur. De cauſis aliis cur novas haſce ſectas amplecti potuere, impræſentiarum nihil addo.

VI. *In ſingulis partibus boni qui ceremoniis ac ritibus ſuis rectè uſi ſunt, ſalutem ſuam ita promoverunt.*

VI. Atque ita videmus in tribus hiſce partibus gentis Chriſtianæ, & in ſingulis quidem, ſimiliter adfuiſſe homines tum bonos tum impios, filioſque tum Hieroſolymæ, aut qui ita animis affecti erant ut filii Hieroſolymæ fieri poſſent; tum Babylonis. At quemadmodum in cœtu priori atque antiquo illi qui inter bonos parum adhuc illuminati erant valdeque debiles & imperfecti, imò & nonnulli impiorum, per uſum legitimum rituum ac veritatum inter ſuos receptarum ad Deum promoveri poterant, atque reipſa promovebantur; ita ſimiliter inter illos qui ab iſtis diſceſſerant, boni, qui veritatibus Chriſtianis ritibuſque ac ceremoniis quales inter ſuos celebrari atque adminiſtrari ſolent, rectè uſi ſunt, hac via veriſſimè ad Deum progreſſi ſunt, adeo ut nonnulli (licet rariſſimi & deriſioni ac perſecutionibus ceterorum ut plurimum expoſiti) inter eos Sanctitatem veram, imò & commercium cum Deo attigerint: Pariterque & ex impiis ac filiis Babylonis qui inter eoſdem erant, fuerunt utique nonnulli qui per eadem media ad frugem bonam redeuntes, filii Hieroſolymæ facti ſunt; quique per ea ab amore proprio ad amorem Dei reducti, ſalutem ſuam hac ratione procurarunt.

VII. *Quomodo homines in ſingulis partibus Chriſtianorum ad Deum redire poſſint.*

VII. Nemo verò hîc nobis objiciat, fieri non poſſe, ut illi qui bona fide Schiſmati alicui involvuntur, aut per ſortem nativitatis in eodem ſunt, doctrinis ac ritibus inter ſuos receptis ita utantur ut amorem Dei atque ſalutem attingant. Etenim ſiquidem inter doctrinas iſtas adſit ipſa veritatum Chriſtianarum ſubſtantia, quales ſunt veritates quæ Symbolo Apoſtolico ac Decalogo continentur, itemque preces Dominicæ, & uno verbo, Scriptura ſacra; ſique ceremoniæ inter eos receptæ eò tendant ut animos ad Dei præſentiam elevent, utcunque fortè non parum fermenti peregrini aliunde iiſdem acceſſerit; idipſum tamen non impedit neceſſariò, quo minùs ille qui bonæ voluntatis eſt, ac Deum ſincerè quærit verè per bona iſta quæ in omnibus

bus hiſce ſuperſunt, mentem ad Deum ſuſtollat. Quandoquidem enim idem fructus eademque utilitas e rebus naturalibus, iiſque quæ viliſſimis ac variis, imò nonnunquam, quæ illegitimis uſibus ſerviunt, quæri & hauriri poteſt; multo magis utique id ipſum exſpectare licebit ex rebus divinis, & eò directè inſtitutis ut animos ad Deum elevent tollantque.

At, inquies, cetera illa ſive mala, ſive erronea, ſive humana, quæ rebus bonis fortè admiſta erunt, obeſſe etiam poterunt ne quis rite per eas ad Deum revertatur. Fateor; nec immeritò vereor ne res ipſa idem nimio plus confirmet, præſertim in iis qui molliori ſunt animo, quique in quærendo Deo parum diligentiæ adhibent: at hæc ipſa etiam animis erectioribus & magis ſinceris nonnunquam prodeſſe poſſunt. Et etiamſi ponamus animas ab hac parte retardari, nihilominus tamen ſi cor ſincerum ſit & Deum ardenter quærat, in iis quæ ibidem ſuperſunt bonis adminicula ſibi atque remedia invenient. Imò verò prout magis promovebuntur, gratiam à Deo eam accipient inutilia ac noxia obliviſcendi, neque in memoriam ſibi ea revocandi, aut obiter ſaltem imò & cum bona intentione de iiſdem cogitandi, quo ſolis bonis eſſentialibuſque adhæreſçant. Quotquot autem iiſdem ſecundum Deum adhærent, lumina Dei tandem adepti, ſolide cognoſcent quæ propriè ad hominem Chriſtianum & ad ſalutem pertineant, de iis quæ controverſiis ac diviſionibus inter homines cauſam attulerunt, parum ſolliciti: loquor autem de mentibus quæ iſtarum rerum ideis quodammodo antea imbuebantur: Namque quæ de iiſdem nil prius ſciverant, hæ ſolis quæ ad eſſentiam rei Chriſtianæ pertinent contentæ, cetera ne quidem examinare digna cenſebunt.

VIII. Ergò, inquient fortè nonnulli, tales tandem à Schiſmate, cui involvuntur, recedere debebunt, & ad cœtum priſtinum quem vel ipſi vel majores eorum dereliquerant, reverti; ſiquidem, poſitis quæ dicta ſunt, tandem viſuri ſint Schiſmata illa infeliciter facta eſſe, cauſaſque nec habuiſſe legitimas.

VIII. Obſervationes generales de mutatione & unione partium.

1. Reſpondeo primò, Homines ejuſmodi pro Schiſmaticis non ampliùs habendos eſſe; jam enim tum Deo uniuntur, tum bonis omnibus in cœtu antiquo à quo extrinſecus ſeparati ſunt, [...]entibus; imò & omnibus ubicunque bonis, & in cœtibus [...]cunque in quantum Deo adhærent aut Deum ſincero cor-

1. Nulli probi illuminati dicendi ſunt Schiſmatici.

 de

de quærunt, in unitate cordis junguntur atque uniti ſunt. Hi enim omnes & ſinguli coràm Deo uniti unum idemque corpus myſticum componunt, quod à Spiritu S. animatur bonis motibus luminibuſque quæ ille ſingulis membris, cuique pro ratione capacitatis ſuæ, ſuppeditat.

2. Neceſſarium ſæpe eſt ut boni illuminati è cœtu per Schiſma nato non diſcedant.

2. Secundò, Neceſſarium ſæpe eſt aut utile in omnibus partibus & Sectis homines illuminatos, Deoque amicos adeſſe & manere, ut eorum quiſque in amore Dei & in parte ſolida Chriſtianæ diſciplinæ promovere conetur bonos atque infirmos ceteros qui inter ſuos ſunt, quibus fortè ſuſpecta viderentur quæcunque ab aliis qui in diverſis partibus aut cœtibus agunt, proponi poſſent.

3. Dantur caſus, quibus hominibus à ſuo cœtu diſcedere & ad alium redire fas eſt.

3. Tertiò nullum eſt dubium quin ii, quos diximus, ad priorem cœtum eſſent regreſſuri ſiquidem ſcirent eam eſſe voluntatem Dei, Deumque perfectionem eorum magis ita promoturum eſſe, facturumque ut plures gratias recipiant, aut plura mala ſive in ſe ſive in proximis ſuis evitent per ceremonias ac ritus aliorum quàm per eos qui inter ſuos vigent. Nam profectò Deus ſuam gratiam ac progreſſum ſpiritualem animarum ritibus anteponit, mavultque ut mala non exigua (qualia ſunt cædes, odia & turbæ) evitentur, quàm ut ceremoniæ quædam atque opiniones levidenſes, quæ ad eſſentiam Amoris ſui Sanctitatiſque non pertinent; conſerventur aut reſtituantur.

4. Quo caſu id fieri non debeat.

4. Hinc etiam fit, ut quandoque nefas ſit à partibus aut Secta ſuorum diſcedere, videlicet, ſi quis hoc ipſo media infirmitatis ſuæ in quærendo Deo ſublevandæ negligeret, ſi affectus pravos odiaque & ſanguinolentam forte violentiam eorum à quibus eſſet diſceſſurus concitaret; ſi homines impios atque mundanos qui inter eos ſunt ad quos tranſiret, ita confirmaret in abuſu quo res divinas polluunt, nec non in arrogantia & in ſtolida illa confidentia quâ opinionibus ſuis ac cultui externo confidunt dum interim mediâ in obſervatione harumce rerum animos peſſimè præparatos gerunt, dumque amore Dei & proximi, juſtitiâ, ſimplicitate, humilitate, miſericordiâ, commiſeratione, multoque magis ipſorum inimicorum amore omnino deſtituuntur.

5. Quo caſu ea mutatio fieri debeat.

5. Verùm alia eſt ratio ſi quis vero lumine convictus, nulliſque motibus ac principiis carnis & ſanguinis intervenientibus, videat animum ſuum melius in Deo ejuſque amore recolligi poſſe per ceremonias aliorum quàm per eas quæ inter ſuos receptæ ſunt;

Digitized by Google

ſunt; ſi videat per hanc mutationem, impiorum affectus pacari poſſe, qui alias ad mala plurima, imò ad cædes & peccata innumera eoſdem abriperent niſi cultui externo inter ipſos recepto conformari vellet: ſi futurum videat, ut bonis inter eos ad quos tranſiturus eſt, adjumento eſſe poſſit, dum illi inter quos uſque adhuc vixerat, ipſum diutiùs audire, ac talentis ei datis juvare nolunt: ſi denique per conſcientiam illuminatam videat hanc eſſe omnino Dei voluntatem. His etenim caſibus rectiſſimè utique facturus eſt ſi partibus ſuorum derelictis ad eos à quibus ſeparatus erat, revertatur, etiamſi fortè indignationes minutuloſque motus animi eorum à quibus diſceſſurus eſt, contra ſe ſit concitaturus.

6. Ego nullam certe neceſſitatem abſolutam adeſſe video ut quis ad ſalutis conſecutionem cultum externum ſequatur unius potiùs partis quàm alterius: At hoc utique neceſſarium eſt, ut partibus omnium Sanctorum omniumque bonorum cujuſcunque cœtus intus per internum ſpiritus vinculum unuſquiſque ſit addictus, ſive ut adhæreat Amori Dei ac proximi: Is quippe Amor totius ſalutis ſumma eſt atque eſſentia. Hinc lumina atque cognitiones ſalutares eorum quæ in rebus fidei ſcienda ſunt, promanant. (*a*) *Is qui me amat, à Patre meo amabitur; & ego ipſum amabo, ac me ipſi revelabo.* Hinc fluunt principia officiorum omnium quæ proximo debentur, quæque univerſa mandata Dei efflagitant. (*b*) *Charitas* ſeu Amor, *malum non facit proximo: & impletio legis eſt Charitas.* Atque ita, ubicunque ſit quiſquis amat, ibi bene eſt. Chriſtus ei quantum neceſſe eſt ſe ipſum revelabit eumque in via mandatorum ſuorum ita diriget ut non modo ceteris malum non faciat, ſed & eos juvet tum per preces pro iis apud Deum, tum alias per vias idoneas. At verò, quamvis nulla neceſſitas abſoluta velit ut qui Deum amat unius potiùs partis membrum ſit quàm alterius; nihilominus tamen vel nativitatis ſors, vel rationes illæ quas diximus, legem ponunt, ex qua homines in certa parte aut cœtu manere aut non manere debeant.

6. Quæ ſint partes legitimæ & neceſſario ſequendæ.

(*a*) Joh. 14. v. 21.

(*b*) Rom. 13. v. 10.

IX. Ceterùm quando de partibus aut cœtibus Chriſtianorum loquor à quibus ut diſcedatur nulla neceſſitas abſoluta exigit, hanc fore lectorum æquitatem arbitror ut credant, illos à me nequicquam intelligi qui cauſas aut media eſſentialia Amoris Dei

IX. *Quarum partium aut ſectarum profeſſio in-*

Digitized by Google

differens videri non debeat.

Dei rejiciunt, etiamſi forte Scripturas ſacras manibus verſent, quibus juvantibus utique ab erroribus ſuis reſipiſcerent niſi conſultò operam dare mallent ut eaſdem enervarent ac voluntarias ſibi tenebras conflarent, quales Pelagiani ac Sociniani, qui ſpiritu obſtinatæ ſuperbiæ tum corruptionem ac miſeriam hominis, tum realitatem atque neceſſitatem Gratiæ internæ Dei atque operationem ejus in mentibus hominum, diffitentur ac negant; imò & qui (de ultimis loquor) Divinitatem etiam Medici animarum noſtrarum inficiantur, cum tamen ut hic ſolus amoris Dei fons eſt, ſic cetera, quæ diximus, præparationes, mediaque & principia proxima ac neceſſaria ſunt ſine quibus Amor Dei in nemine unquam reviviſcet: unde quicunque extra hæc eſt, certo periturus eſt.

X. *Quænam partes aut ſectæ non adeò diſtantes inter ſe videri debeant.*

X. At aliud dicendum eſt de partibus aut cœtibus illis in quibus non deſunt media profundiſſimè ſeſe humiliandi per agnitionem tum ſtatus damnabilis in quem decidimus, tum impotentiæ noſtræ quâ fit ut ex eo emergere nequeamus niſi accedat Gratia Omnipotens atque intus operans Dei, carnem induti noſtram ut nos Amore ſuo impleret, à ſordibus noſtris infinitis, à faſtu noſtro, atque ab amore proprio nos purificando. Quotquot hoc in articulo bona fide conſentiunt, ii non adeo diſtantes inter ſe videri debent quàm quidem perſuadere vellent nonnulli qui moroſiùs atque par eſt omnia gravare ideo amant ut tum ſtudia ſua factioſa, ſuaque emolumenta, conſilia item præterita ſua ac res a ſe ante geſtas, nec non dignitatem atque exiſtimationem quâ in mundo valent, tueantur ac defendant; tum etiam ne cum rubore fateri cogantur ſe olim erraviſſe, alioſque male in diſſentiones abduxiſſe. Si ii à quibus diſceſſio facta eſt, animo ſint humili neque Charitate careant, gaudebunt utique eos, qui ab ipſis diſceſſerunt, in iis quæ ad eſſentiam veritatis ſalutaris pertinent, à ſeſe adeo non diſſidere atque primitus ſibi perſuaſerant. Similiter & ii qui ab aliis ſeceſſerunt, ſiquidem humilitate ac Charitate divina non deficiant, lætis animis libenter agnoſcent, eos quos à veritatibus ad ſalutem neceſſariis longiùs abeſſe crediderant, tam longè ab iis non diſtare atque priùs putaverant. Quo facto deſinerent tandem tot turbæ, quibus inter ſe tumultuantur utrinque de reliquis minuſculis quæ libertati relinquenda eſſent ſingulorum, proborum præſertim, eorum-

rum-

Digitized by Google

rumque qui lumina quædam à Deo acceperunt, quos certe veriſimile eſt ex principiis bonis & idoneis, propterque ſolam Dei gloriam, hic acturos eſſe.

XI. Equidem Paulus, poſtquam Synagoga relicta diſciplinam Chriſti jam amplexus erat, ad illam tamen quandoque redibat, (*a*) vota faciebat, eaque ex præſcripto legis obſervabat, (*b*) ac Timotheum circumcidi curabat, videlicet quoniam à Deo cognoverat ſiquidem ad Judæos eorumque ceremonias ita quodammodo regrederetur, ſpem fore ut bonos atque infirmos, qui inter eos erant, lucrifaceret per declarationem veritatis, quam ab ipſo tanquam homine ſuarum partium minùſque ideò ſuſpecto, recepturi erant. Idem verò deinde, poſteaquam Deus ei oſtenderat inter Judæos non eſſe niſi homines obſtinatos, taleſque qui non tantùm ad Chriſtum adduci recuſabant, ſed & qui jugum ceremoniarum ſuarum tanquam media omnibus qui juſtificari cuperent, abſolute neceſſaria imponere volebant, ab iiſdem ſeceſſit, (*c*) noluitque Titum circumcidi, aut ceremonias legis diutiùs obſervari. Hîc autem lumine opus eſt atque prudentia cœleſti; oportetque ut animus ſit à ſui ſtudio alieniſſimus, & puro principio divinæ charitatis agatur ſi quis verba ſequentia tanti Apoſtoli rectè intelligere atque imitari velit: (*d*) *Quanquam liber ſim reſpectu omnium, omnium tamen me ſervum feci quò plures Deo lucrifacerem. Et Judæis factus ſum tanquam Judæus ut Judæos lucrifacerem: iis qui ſub Lege ſunt, quaſi ſub Lege eſſem, ut eos qui ſub Lege ſunt lucrifacerem: illis qui ſunt ſine Lege, quaſi eſſem ſine Lege, (quanquam coram Deo ſine Lege non ſim, verùm ſum ſub Lege Chriſti,) ut eos qui ſine Lege ſunt lucifacerem. Infirmis factus ſum infirmus ut infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus ſum, ut quomodocunque nonnullos lucrifacerem. Hæc omnia autem facio propter Euangelium, ut cum aliis ejus ſim conſors.* Verùm profectò, pauci hodie ſunt Pauli, paucique ejus imitatores; ac non immeritò vereor ne multo plures ſint (*e*) Ecceboli imitatoreſve famoſi hujus in Religione vertenda Prothei, ac Quæſtuarii, qui ut rem faceret ac ſervaret, ſubinde ex Ethnico Chriſtianus, ex Chriſtiano Ethnicus, continuo fiebat, prout imperium a Chriſtianis vel Ethnicis Imperatoribus per vices regebatur. Sed & nimio plus ritibus paſſim externis articuliſque controverſiarum infeliciſſimarum inhæretur; atque his in rebus converſio facienda multis cum tenebris urgetur,

XI. *Exemplum Pauli in his rebus.*

(*a*) Act. 21. v. 21. &c.

(*b*) Actor. 16. v. 3.

(*c*) Gal. 2. v. 3.

(*d*) 1 Cor. 9. v. 19.

(*e*) Socr. Hiſt. Eccl. Lib. III. c. 13.

Digitized by Google

tur, cum tamen veræ converſionis initia & progreſſus in ſola morte peccati & in Amore Dei ac proximi quærenda eſſent. Quæ ſi vere coràm Deo quærerent homines, Spiritus Dei utique cetera omnia ad concordiam brevi atque unionem reduceret. Verùm Deus novit quantopere ab iſtis abſint, quamque vere nunquam huc redituri ſint niſi ipſe aliquando tandem omnibus impiis, pervicacibus atque ſuperbis, qui omnibus in partibus vigent, exterminatis, ceteros Amore ſuo in Spiritu ac Veritate ſit uniturus.

Multi ſunt quorum in rem eſſe videtur harum rerum veritatem non agnoſci: nec mirum; pauci enim ſunt qui in ſola veritate ac Charitate toti inveniantur: quo fit ut pauciſſimi veritatem non fucatam, puramque charitatem, perferre valeant.

XII. *Obſervationes de differentiis partium in cauſâ Euchariſtiæ.*

XII. Hactenus vidimus quæ generàlia ſunt, quæque ad omnes partes Chriſtianæ multitudinis pertinent. Deſcendàmus jam ad partes ſingulas ſpecialiùs, diverſos modos quibus ſinguli Euchariſtiam celebrant, paucis viſuri.

Notum vulgo eſt, totam Chriſtianorum gentem hodie in tres partes capitales diſtingui, dum alii Eccleſiam Romanam ſequuntur, alii Lutherani, alii Reformati aut Calviniſtæ ſunt. Nos in omnibus duo potiſſimum diſpiciemus: primò quatenus omnes ab Eccleſia primitiva differant: ſecundò quatenus ſinguli ritibus ſuis ac obſervationibus diverſis ſalutariter uti poſſint.

XIII. *Omnes partes fatentur ritus ſuos à praxi primitivæ Eccleſiæ differre.*

XIII. Et primum quidem ad partes omnes tres eodem jure pertinere videtur: neque enim dubito quin omnes quotquot nec intellectu nec ſinceritate carent, facillime ſint agnituri, praxin inter ſuos receptam à praxi Eccleſiæ primitivæ, qualem in Actis deſcriptam vidimus, multum abeſſe. Inter Catholicos Romanos, qui Zelo religionis vel maxime fervent (*a*) fateri non dubitant, pleroſque ritus ac ceremonias paulatim in Eccleſiam introduci cœpiſſe, præſertim ex quo Imperatores ad Religionem Chriſtianam acceſſerant. Ceteri item non diffitentur, Communionem illam univerſalem, quæ in Actis deſignata eſt, à ſe non obſervari. Et ſinguli quidem diverſitatis rationes afferunt: noſque etiam ſuprà (*b*) vidimus, rem ipſam revera hodie non amplius ita obſervari potuiſſe, adeoque utile fuiſſe, ut mutatio fieret. At vulgo tamen parum obſervant, quanquam Deus mutationes iſtas approbaverit, imò juſſerit; primam nihilominus cauſam

(*a*) Vid. Defenſion. cultus externi Gallicè ſcriptam à Dn. Brueys.

(*b*) Suprà num. 1. & ſeq.

cauſam earundem, quam homines dedere, peſſimam fuiſſe, unde illi meritò reos ſeſe potius confiteri debeant, quàm iſtiuſmodi à primitivâ Eccleſia diſcrepantiæ, primæque ejus originis, frivolas quaſdam excuſationes quærere.

XIV. *Cauſa primæ ejus differentiæ vituperabilis eſt.*

XIV. Quando dicitur; v. gr. *Quoniam Chriſtiani ſtupidiores ac lenti facti fuerant, opus erat hæc & illa inſtitui quibus ii excitarentur; Communio quoque rerum omnium propter pigritiam atque concupiſcentiam animorum qui eâ abuſi fuiſſent, ſervari non potuit*; Hæc & ſimilia, etſi veriſſimè dici, ipſumque Deum hæc ita ordinaſſe concèdam, non immeritò tamen id hic dicerem quod Chriſtus Judæis de divortio à Deo per Moſen iiſdem permiſſo: (a) *Propter duritiem cordis veſtri Moſes illud vobis permiſit: etenim ab initio ſic non erat.* Ad eundem modum Chriſtianis dicendum eſſet: Quoniam corda veſtra ad charitatem primam obduruerunt ac refrixerunt, inde eſt quòd Deus iſta vobis permiſerit aut injunxerit. At verò, ſi vos in amore Dei purò inque charitate ſancta immoti perſtitiſſetis, & nullos unquam niſi verè ſanctos, mundoque perfectè mortuos, ab omnique affectione inordinata penitus liberos, & planè ſpirituales inter vos recipiſſetis, (quod certe impoſſibile non erat); ſi gregi ſanctorum fideliter invigilantes in omnibus difficultatibus caſibuſque omnibus qui huc pertinebant, Deum conſulere voluiſſetis; hæc & iſta utique vobis neceſſaria minime fuiſſent; neque ita Deum coëgiſſetis, ut ita loquar, tot ritus; ordinationes ac variationes, quas Chriſtus primitus non ita inſtituerat, poſtea vel introducere, vel introducendas conſentire. Chriſtus ut cœtum ſibi atque Eccleſiam ſanctam, qualem congregare cœperat, conſervaret, tam benè perfectèque omnia diſpoſuerat, ut nihil omninò rectiùs primitivæ inſtitutioni ejus, qui ipſa ſapientia Æterna eſt, vel addi potuerit vel detrahi. Verùm ex quo vos, impulſore Satana, ſalutis humanæ inimico, ſtatum animarum veſtrarum immutaſtis ac debilitaſtis, hominesque imbelles atque mundanos inter vos recepiſtis, neceſſarium utique fuit, ut Deus, ſiquidem boni quippiam ex vobis vellet efficere neque permittere ut ad perditionem toti rueretis, his illiſve inſtitutis vos refrenaret; aut eadem ab hominibus jam inſtituta obſervari atque pro legibus divina auctoritate ſancitis haberi conſentiret. Adeoque in conſiderando hodierno rerum ac ceremoniarum ſtatu,

(a) Matth. 19. v. 8.

„tu, ejuſque à ritibus Eccleſiæ primitivæ differentia, prima „ſtatim cogitatio veſtra eo tendat oportet, non ut Apologiam, „ut excuſationes ac defenſiones quæratis; ſed ut pudore confuſi „animos humiliter dejiciatis, memores vos à primo ſpirituali ſta-„tu, à puritate, ſanctitateque ac charitate prima decidiſſe; & „propter degenerationem veſtram atque craſſitudinem iſta in-„troducta fuiſſe. Poſtea demum defenſio legitima ſequatur con-„tra eos, qui cùm ipſi carnales adhuc ſint ac corrupti, imò & „arrogantes atque refractarii, ritibus & ordinationibus iſtis ſeſe „ſubmittere recuſant, eiſdem inſultant, eaque longè infra ſe „eſſe arbitrantur.

XV. *Quo caſu Ceremoniæ hodiernæ defendi debeant tanquam auctoritate divina inſtitutæ aut probatæ.*

XV. Hic demum rationem hanc opportunè adferant ac validè urgeant, iſta videlicet ab ipſo Deo ordinata, probata atque injuncta eſſe; unde homines iiſdem conſcientias ſuas ſubmittere debeant, ipſoſque etiam ſanctos idem feciſſe: Et quandoquidem ideò inſtituta ſint ut Deum atque virtutem animis hominum repræſentent, hinc & Deum benedictionis ſuæ gratiam effundere in eos qui humili corde propter amorem Dei & ad ædificationem proximi eadem obſervant.

Si quis jam iſthæc ex hoc principio defendet ac commendabit, is profectò non dicendus erit ea tueri modo Phariſaico; idemque nihilo ſecius nunquam non fatebitur, Deum ac Spiritum S. hominesque Spiritu S. plenos & ab eodem animatos, his omnibus eſſe ſuperiores, adeoque hos ſi Deo ita commodum videatur iiſdem abſtinere poſſe, non quidem ex ſuperbia aut contemtu animi, ſed ut voluntati Dei ac Spiritus S. inſpirationibus, quas id velle ſupponimus, obſequantur. Atque ita quidem multi Anachoretæ Sancti à mundo ſeparati vixerunt, ſancteque mortui ſunt, qui tamen rebus ſacris ac ceremoniis Eccleſiæ vel nunquam vel rariſſime uſi fuerant.

XVI. *An hæc valeant in ceremoniis omnium partium, etiamſi forte ſciſmaticarum.*

XVI. Rectè, inquient ii, qui Eccleſiam Romanam ſequuntur, hæc in ceremoniis Catholicorum valent utique; at illæ quæ inter Proteſtantes vigent hac ratione pro validis haberi non poterunt. Quidni verò? Non dicam jam bonos, qui inter eos ſunt, pro modo cognitionum ac luminum ſuorum, mentem ſuam in earundem uſu ad intentionem inſtitutionemque Chriſti, quoad maxime poſſunt, conformare; ſed etiamſi vel maximè mera eſſent inventa hominum, (ut rem nunc duriſſime

riſſimè accipiamus,) nihilominus tamen, ſiquidem ideo inſtituta ſunt ut animos ad Deum elevent, conſtat certè ex iis quæ de ceremoniis alibi (*a*) demonſtravimus, Deum ea approbare, nec non legitimum earum uſum ſuâ benedictione additâ ſalutarem efficere. At procul dubio cauſam ſchiſmatis hîc iterùm movere volent, dicentque quandoquidem Deus ſchiſma non probet, hinc eundem nullâ ratione probare poſſe ceremonias ex ſchiſmate ortas, & quæcunque aliàs ex eodem promanant.

(*a*) Oecon. Lib. III. Cap. X. n. 4, 5, 6.

XVII. *Licèt Schiſma validum non ſit; ceremoniæ tamen ejus obligant, & legitimum uſum habent.*

XVII. Homines in iis quæ ad religionem pertinent, disſpiciendis, adeò craſſi ſunt corde & adeò carnales, ut deplorari ſatis id nequeat. Non ii ſchiſma ſeparationemve animarum ſuarum, à Deo, ab ejus amore, à ſanctitate, virtutibuſque Dei, & à charitate diſſidentium, intuentur atque conſiderant, adeò plerique oculos ſpiritûs clauſos gerunt, ſolo corporis oculo velut præditi ea ſchiſmata ſolum vident quibus homines externè à ſeſe diſceſſerunt; nec verò disſpiciunt utrum qui ita foris ſunt ſeparati, ad Dei tamen unionem adſpirent, multoque minus conſiderant, eos, qui à partibus quibus anteà adhærebant nunc ſeparati ſunt, verè tamen ad Deum accedere poſſe. Et huc tamen ante omnia reſpiciendum erat, ipſe ſiquidem Deus eo reſpicit, quanquam forte cauſa ſeparationis externæ valida non fuiſſet. Similem caſum in ſacris videmus, quem ut nulla ea in re difficultas ſupereſſe poſſit, ſubjungimus.

XVIII. *Fieri poteſt ut Deus quidem principia ſchiſmatis antecedenter, ut ajunt, non probet, at inſtitutiones tamen ſequentes velit ratas per approbationem conſequentem.*

Exemplum.

XVIII. Dum Salomon vitam in conſpectu Dei ſancte agebat, Imperium Iſraëliticum ſub ejus regimine in felici unanimitate ſubſiſtens ſervabatur atque florebat: verùm ex quo tum ipſe, tum ſucceſſor ejus degenerabant, Deique immemores, ſeveros ſe ac formidabiles populo exhibebant, ſchiſma fiebat magnum atque funeſtum, in quo tria nobis aut quatuor diligenter obſervanda occurrunt. Primò, Schiſma illud à populo fiebat per ſeditionem longe teterrimam atque omnium maxime inexcuſabilem, adeò ut (*b*] ipſum Regis legatum crudeliter trucidarint. Secundò, Deus tamen, qui omnem eorum agendi rationem minime probabat, rem ipſam & fieri conſentiebat, & jam factam, per Prophetam quendam (*c*) virum Sanctum eam comprobabat. Tertiò, idem tamen cauſam, quâ veluti coactus ſchiſma hoc permiſit, videlicet corruptionem Regis ac populi, probabat minime, ſed iratis oculis adſpiciebat, uti his verbis teſta-

(*b*) 1. Reg. 12. v. 18.
(*c*) 1. Reg. 11. v. 29.

 tur

tur (a) *Dedi tibi Regem in ira mea, & in furore meo auferam eum.* Poſtremò, his tamen non obſtantibus, ſchiſmate jam facto, Iſraëlitæ per legem conſcientiæ tenebantur officia omnia à fidelibus ſubditis principi debita, Regi ſuo præſtare, eumque tanquam Regem à Deo ſibi præpoſitum, & leges ejuſdem (exceptis quæ contra pietatem forent) ceu leges divinâ auctoritate probatas revereri, ita ut quotquot iis per conſcientiam obediebant, Deo probarentur; qui verò eas contemtas neglexiſſet, contra Deum peccaſſet.

(a) Oſeæ 13. v. 11.

Ad eundem modum poſtquam populus Chriſtianorum ejuſque Ductores, à ſanctitate prima degeneraverant, & hi quidem officio ſuo perperam fungentes, populo (uti vulgo notum eſt) ſeveros ſe ac intolerabiles exhiberent, permiſit Deus, ut ſchiſma, nemini non notum, accideret. Ponamus nunc (pace cujuſvis dixerim) ſchiſma iſtud injuſtiſſime factum fuiſſe, ita ut Deus vias ejus ac modos nequicquam probaverit, ſed iratis oculis ægre illud permiſerit; ac porro conſtituerit quando menſura peccatorum plena erit in furore ſuo finem eidem imponere. Id certe non impediet, quominus ſchiſmate jam facto, Deus, ſi aliquantiſper expectare volet, ut qui in eo ſunt per media bona tum à Ductoribus ſuis ſibi miniſtrata; tum in Scripturis ſacris ſibi oſtenſa, ad amorem atque unionem ſui redeant, approbaturus ſit tamdiu ejuſmodi uſum atque ordinationem, quippe qui ſit Deus non confuſionis, ſed ordinis; Adeoque quiſquis humili corde, quiſquis animo ſeſe Deo ſubjiciendi Deumque quærendi mediis iſtis utetur, Deo is & placebit, & ſe ei acceptum præſtabit; at contrà, qui ex illis à ſpiritu ſuperbiæ, contemtûs, rebellionis in ſuperiores, & licentiæ actus iis ſubmitti renuet, is contra Deum peccabit procul dubio. Atque hæc arbitrer non poſſe non a Lectore pro veris atque indubitatis agnoſci, modo is ratione penitus non careat, neve à partium ſtudiis totus ſit abreptus.

Videamus nunc quomodò in partibus omnibus ſinguli ritibus ac modis illis, quibus inter ſuos Euchariſtia celebrari ſolet, utcunque diverſis, optime & maxime ſalutariter uti poſſint.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Boni qui in omnibus partibus ſunt, defenduntur. De præſentia reali ejuſdemque efficacia. De Transſubſtantiatione, de Adoratione. Difficultates de tolerantia & diſſenſione bonorum.

I. QUandoquidem nonnullos futuros proſpicio, qui ſequentia in quæſtionem vocabunt, hinc obſervationes quaſdam neceſſarias de diverſis ſtatibus qui in ſingulis partibus aut cœtibus inveniuntur, præmittendas duco. I. *Hominum diverſi ordines & characteres. Qui ſint illi cum quibus & de quibus hic agatur.*

Principio, in partibus ſingulis adſunt; & magno quidem numero adſunt, homines impii filiique Babylonis, homines inquam qui animos non habent humiles, qui nec ad Deum neque ad pacem adſpirant, quique quidquid ſit ſemetipſum odiſſe ignorant; at contrà qui, animos gerunt tumidos atque ſuperbos & amore proprio plenos, in contemtum ceterorum omnium proniſſimi. Et hi quidem plerumque ad calumnias atque ad perſecutiones faciliime in omnes partibus ſuis non adhærentes proruunt, capitali proſequentes odio quos amore & commiſeratione proſequi debuiſſent.

Secundo adſunt inter eoſdem & probi quidem ac bona voluntate prædıti, at multis tamen adhuc tenebris multiſque affectibus parum mortificatis pleni, unde per tentationes diaboli atque per impios facile abripi ſeſe patiuntur, eò ut omnia quæ ſuarum partium non ſunt, exaſperent, reprobent, abſolute damnent, imò & odiis ac perſecutionibus alios vexent. Hic zelus quiſpiam cœcus eſt, multum detrimentum multamque perniciem iis afferens omnibus qui impetum ejus proni ſequuntur. Duo iſta hominum genera ea ſunt cum quibus nihil negotii haberi, nullaque explicatio communicari poteſt, quin potius meritò eos, quoad fieri poterit, maxime evitare oportet.

Sed & dantur quoque qui animos gerunt juſtos, rectos, à partium ſtudiis alienos, nonnulli etiam aliquantum illuminatos, qualis v. g. ſuperiori ſeculo inter Catholico-Romanos fuit magnus ille Eraſmus, qualeſque inter Proteſtantes in hocce Belgio

non pauci ſuperſunt. Imò verò adſunt & in partibus ſingulis etiam nunc, aut certe quondam adfuerunt nonnulli vere illuminati Sancti, Deoque vere uniti. Hi omnes, imprimis ultimi, nequicquam vel ad odia, vel ad irriſionem, vel ad coactionem, vel ad perſecutionem eorum qui ſuas partes non ſequuntur, propendent; ſed contrà, non tantum vias iſtas ac media improbant, verùm & eos quos ſchiſmati & erroribus periculoſis implicatos arbitrantur, impenſe amant, vicem eorum vehementer dolentes, unde fit, ut ad Deum pro iis ſuſpirent; ut pro converſione ac ſalute eorum Deo preces offerant ardentiſſimas, parati eos occaſione ita ferente non tantum non lædere, ſed & beneficiis omnibus juvare. Id quod in Thereſiæ, virginis ſanctæ atque admirandæ videmus exemplo: quando enim de Lutheranis loquitur tanquam de hæreticis infeliciſſimis, pro iis tamen ſimul impenſa cum charitate ſupplicat. Supponit equidem eos omnes ac ſingulos in ſtatu malo ac miſerabili verſari: Verùm mox dicemus quomodo ejuſmodi hallucinatio (ſiquidem hallucinatio vere ſit, uti reverà eſſe poteſt,) in animabus quibuſdam ſanctiſſimis adeſſe ſic poſſet, ut tamen ſanctitati earum nihil hoc nomine decedat.

Atqui de ultimis hiſce, hoc eſt de hominibus, ſi non ſanctis, at rectis tamen & ad veram ſanctitatem adſpirantibus, ego nunc quando de communione aut participatione Euchariſtiæ acturus ſum, loqui decrevi, de impiis interim iiſque quæ impii ibidem vel accipiunt, vel non accipiunt, parum ſollicitus: hi enim, quicquid ſit, nonniſi maledictionem ſibimet ibidem attrahunt.

Et his ipſis etiam, ac ſolis quidem, hîc loqui decrevi; quoniam qui aliter animo affecti ſunt, veritatem puram & nullis partibus adhærentem ferre, ac per eam juvari non poſſunt. Nihilominus tamen propter eos qui animos ſuos, in ipſo fundo aliàs non malos, præjudiciis præoccupari, atque nonnunquam ſic abripi patiuntur, ut per tenebras ſuas veritatem ſolidam ab inani ſpecie diſcernere non poſſint, difficultates nonnullas prævertam, quibus forte impedirentur quo minus intelligerent ſequentia, in quibus oſtendemus quomodo Chriſtiani omnes diverſis in partibus exiſtentes, puta Romani, Reformati ac Lutherani, Euchariſtiâ recte ac legitime uti poſſint, licèt ſinguli ceremonias atque opiniones ſuas diverſas inter ſuos receptas retineant.

II. Non

Digitized by Google

II. Non dubito fore qui ſtatim in ipſo initio objiciant, opiniones eorum nimis inter ſe pugnare, quàm ut omnes Deo placere aut ſimul veræ eſſe queant, ut quidem à me oſtendendum dixi. Etenim, inquient, agitur utique de rebus quæ & capitales ſunt, & aliæ aliis contrariæ. Quæritur, utrum Jeſus Chriſtus in ceremonia quam obſervant, ſit quantum ad naturam humanam realiter, atque corporaliter præſens nec ne? Utrum ſolus panis ſolumque vinum ibidem ſint; an cum pane ac vino corpus & ſanguis Jeſu Chriſti ſimul adſint; an denique ſubſtantia panis & vini non ampliùs adſit, ſed in corpus ac ſanguinem Jeſu Chriſti tranſmutata fuerit? Et hîc quidem rurſus de adorando Chriſto; aut verò, illo ibidem non præſente, de adorando pane ac vino quæritur. Quis autem (pergunt) neget hos articulos eſſe maximi momenti, eoſque tamen, cùm inter ſe pugnent, ſimul nec veros eſſe poſſe, nec à Deo omnes ratos haberi aut approbari? Et cùm hæc ita ſint, ſalutis utique res agitur ut quis partes omnes & omnes earum ritus non indifferenter habeat, ſed ut ſolam bonam partem eligat & ſequatur.

II. Opiniones diverſas eorum qui in diverſis partibus ſunt, neque inter ſe adeò contrarias eſſe neque adeò diverſas ac vulgò creditur.

Reſpondeo, difficultates omnes quas hiſce in rebus inveniunt, non eſſe reverà niſi totidem futilitates inanes ab ingeniis contentioſis oggeſtas, neque tanti eſſe, ut vel in ſermones hominum venire debuiſſent.

Falſum eſt; homines hîc tam longè inter ſe diſtare atque Controverſiarum Candidati & Doctores animis perſuadere contendunt. Præcipua differentia in articulo eſt de realitate ſive præſentia Chriſti corporali in Sacramento. Reformati eam non admittunt; & hanc ipſam quidem inter cauſas præcipuas numerant cur in præſenti doctrina à Catholicis diſſideant. Ceterùm iidem tamen, quando rem extra fervorem diſputationum inſpiciunt, agnoſcunt nihil mali in hac ſententia ſubeſſe, aut nihil certe quod concordiam charitatemque fraternam impedire debeat: quandoquidem ipſimet Lutheranis, qui omnes ejus ſunt ſententiæ, communionem ſuam offerunt, eoſque pro fratribus agnoſcunt. Equidem cauſantur, à Lutheranis Sacramentum aut Chriſtum in Sacramento, non adorari, uti fit à Catholico-Romanis; hocque præcipue rationem conſtituere eſſentialem, cauſamque præcipuam cur eos à Catholico-Romanis ſecernant. Ego verò animi ſum nimis aperti quàm ut diſſimulare queam

hanc mihi agendi rationem nullo unquam tempore intelligi aut probari potuiſſe; quin potiùs magis dicerem, Lutheranos in hoc cœſpitare, quod Sacramentum in quo Chriſtum præſentem adeſſe credunt, non adorent, quam quidem Catholico-Romanos qui eum ibidem præſentem ut credunt ſic adorant: faciunt enim utique hi, quod debent (*) quandò Chriſtum quem in Sacramento præſentem credunt, in eodem adorant; at Lutherani ad minimum contra decorum atque leges civilitatis videntur delinquere, dum præſentiam quidem eandem credunt, atque etiam Divinitatem Servatoris in cordibus ſuis adorant; at humanitati tamen ejus ibidem præſenti cultum omnem adorationis quam meretur, externè non exhibent. Verum tamen Jeſus Chriſtus, qui cor ipſum reſpicit, ſiquidem ibidem ſeſe intimè adorari videat, externa ejus adorationis ſigna quantum ad locum certum & peculiarem foris non apparere, parùm aut nihil moratur.

III. *Principium veritatis ac bonitatis ſententiarum diverſarum, quas boni in diverſis partibus ſequuntur.*

III. Ceterum principium illud digniſſimum unde patet, qua ratione Deus ea approbet, quæ homines diverſas partes atque ſententias amplexi, hîc obſervant, eaque diverſimode rata faciat, FIDES eſt ſincera & non fucata quâ probi in Deum confidunt. Neque enim à ratione abſunt, qui in celebratione Sacramentorum intentionem requiri volunt. Ego verò de fide idipſum intelligendum eſſe arbitror; neque ad fidem ſolius adminiſtrantis intentionem hanc reſtringi debere puto, ſed ad fidem eorum quibus aut coram quibus & quorum nomine res ſacratæ adminiſtrantur, pariter extendi, etiamſi forte qui eas adminiſtrat (u) impius ſit, aut fide bonaque intentione careat: quo in caſu Deus utique fidem aſſiſtentium infructuoſam, inefficacem aut irritam non ſinit, modo ſincera ſit & non ſimulata. (†)

(u) Confer. Revel. S. Birgitt. Lib. IV. c. 63.

IV. *Principium illud proba-*

IV. Fides eſt principium omnipotens ad quam Deus ſeſe conformaturum promiſit; adeoque ad eam, & ad diverſos ejuſdem gra-

(*) Eadem prorſus Calvino eſt ſententia, dum ait in libro de vera particip. Corp. Chriſt. in Cœna, *Quid abſurdius quàm Chriſtum in pane ponere, neque tamen eum ibidem adorare? ſi Chriſtus in pane eſt, utique ſub pane adorari debet.*

(†) Auguſtinus a Salmaſio contra Grotium de Tranſſubſt. citatus. pag. & 428, eo ſenſu & ſecundum hoc principium dixit: *unde iſta tanta virtus aq[uæ] corpus tingat & cor abluat, niſi faciente verbo? non quia dicitur; ſed quia cr[editur]* Tract. 81. in Joan.

gradus, Potentiæ pariter atque Divinæ Charitatis ſuæ vires operationeſque adſtrinxit. Per eam (*a*) *omnia poſſibilia ſunt credenti*, adeò ut (*b*) vel *montes tranſportare queat ipſo docente Chriſto. Quicquid deſideratur in fide* cumque fiducia in Deum, præſertim ſi quis deſiderium fidemque cogitatione verborum ac promiſſorum Dei, ejuſque Omnipotentiæ ac charitatis firmet, *id ipſum fiet*; Deuſque pro ratione diverſitatis, & pro gradu fidei quæ in ſingulis eſt, ratum id facit. Itaque quando anima pia inter Catholico-Romanos fidem ſuam Omnipotentiæ Dei reſignat, in firma fiducia præſentiæ corporalis humanitatis ejus, ſinceritas atque magnitudo Fidei ſuæ efficit ut ſubſtantia Corporis Domini revera ei præſens adſit; Deumque ac Omnipotentiam Divinam ita determinat, ut id ipſum quod Fides amplectitur jubeat eſſe ratum. Idem omninò dicendum eſt, ſi quis inter Proteſtantes Lutheranos perſuaſus fuerit Chriſtum corpore ſuo ac ſanguine in pane ac vino præſentem adeſſe, ſeque eum in iis vere recipere. Id ipſum ingenuus candor cordis ſui & vis Fidei ſuæ operabuntur per eandem potentiam Dei cum Fide conjunctam atque coöperantem. Quod ſi verò homo pius & Deum timens inter Proteſtantes Reformatos ad uſum Communionis accedens credat corpus Chriſti ibidem non adeſſe, ſed illud quidem in cœlo præſens cogitet, at fructum meritorum Chriſti crucifixi, luminaque & motus bonos ac gratias Spiritus ejus boni imploret ſincerâ animi voluntate, inſpirationibus illius obtemperare paratus, nullum eſt dubium quin & ille Deo placeat, & Deus ad fidem ejus ratificandam gratias ſuas ſpirituales eidem ſuppeditet, quarum ſalutarem efficaciam abſentia materialis Corporis Domini minime impediet. Itaque videmus homines pios quarumcunque ſint partium, pro Fide atque Amore Dei, in quo ſinguli diverſâ menſura modoque diverſo inveniuntur, fundamento non deſtitui, Deumque omnibus dicere, (*c*) *fiat vobis ſecundùm fidem veſtram*.

tur, & ad partes omnes applicatur.

(*a*) Marc. 9. v. 22.

(*b*) Marc. 11. v. 23, 24.

(*c*) Math. 9. v. 29.

V. Non dubito multos fore quibus hæc ipſa primo intuitu tum valde nova, tum admodum mira videantur. At quoniam ſinguli credunt opinionem ſuam ſententiamque veram eſſe atque antiquam, ego verò oſtendo eas omnes veras eſſe reſpectu piorum qui in charitate atque in Fide ſunt, oportet utique ut omnes fateantur, veritates à me proponi antiquas, in quibus nihil novi ſit

V. *Hæc quæſtionem nullam habere debebant.*

ſit præter ſolam pacem atque concordiam, quæ & ipſa virtus eſt longè antiquiſſima. Quis verò dubitet veritatem hanc eſſe antiquiſſimam, quæ docet *Fidem eſſe Omnipotentem, ſeu omnia credenti poſſibilia eſſe? diverſos gradus fidei diverſis modis impleri atque ratificari; & inter diverſos hoſce modos qui in diverſis hominibus inveniuntur, unum alteri non contradicere?* Ego profectò nihil quod majorem evidentiam atque certitudinem habeat, video.

VI. *Eadem nec voluntati nec potentiæ Dei nec unitati Fidei repugnant.*

VI. Verùm objicies fortè, Deum Fidem ita ratificare non voluiſſe vel non potuiſſe; aut verò dices, fieri non poſſe ut homines verè probi ita in Fide differant, ſiquidem hæc, docente Paulo, *una* ſit.

Reſpondeo ad difficultatem primam, Quod ſi Deus antea voluntatem non habuiſſet hæc ipſa ratificandi, Fides tamen eandem ipſi induxiſſet: ille enim fidei hanc poteſtatem dedit, ut per eam moveri poſſit, ut idem illud quod Fides vult, & ipſe velit.

Ad ſecundam non opus eſſe puto ut reſpondeam: neque quenquam ejus eſſe temeritatis arbitror ut Omnipotentiam Dei ingeniolo ſuo ægroto metiri velit.

De tertia verò ajo, Fidem equidem revera *unam* eſſe ratione objecti ſui quod unum ſemper eſt, puta Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus, unus idemque Deus; attamen & differentia aliqua in ea eſt non tantum quantum ad gradus, ſed & quantum ad diverſos ſtatus credentium, diverſaſque operationes Dei.

VII. *Hoc ultimum probatur & exemplis illuſtratur.*

VII. In hiſtoria Euangelica videmus Fidem eandem quæ ægris valetudinem bonam tum animarum tum corporum obtinebat, in diverſis hominibus diverſam fuiſſe. Alii hanc fidem habebant, ad valetudinem recipiendam oportere ut oculis atque preſentiæ corporali Jeſu Chriſti exponerentur, veluti leproſus ille, nec non paralyticus qui per tectum demitti voluit. Alii firmiter credebant, ſufficere, ut Chriſtum aut veſtimenta ejus, & quidem clanculum tangerent; etiamſi in conſpectum ejus non venirent: quod in fœmina ſanguinis fluxu laborante videmus. Alii denique ſunt quòrum fides ſolâ voluntate, aut verbis atque Omnipotentia Servatoris contenta, ad præſentiam ejus corporalem non reſpicit, imò eandem quando Chriſtus eam ultrò offerre videtur, non admittit. Talis fuit Fides Centurionis (a) celeberrimi, qui cùm Dominus ipſi de ægroto ſuo nuntiari voluerat,

(a) Math. 8. v. 6. &c.

Digitized by Google

luerat, *Ibo & ſanabo illum*, ei reſponſum hoc miſit, *Domine dignus non ſum, ut in domum meam ingrediaris: dic ſaltem verbum & ſervus meus ſanabitur.* Quo audito, Chriſtus non modò non indignatus eſt præſentiam ſuam corporalem ab eo non requiri, ſed ne quidem potuit, quin fidem hanc admirabilem cum ſtupore dignis laudibus extolleret, inquiens, *Dico vobis, me nec in ipſo Iſraële tantam fidem repperiſſe.* Videmus etiam ibidem, Chriſtum omnes hoſce gradus modoſque diverſos fidei probaſſe, omneſque ratificaſſe, dicens ſingulis, *Eſto bono animo. Fiet tibi ſecundum fidem tuam. Fides tua ſervat te. Abi in pace.*

Quis verò dubitet fuiſſe quondam, atque etiamnunc ſupereſſe nonnullos pios, quorum fides diverſis iſtis ſtatibus reſpondeat? Quis dubitet eſſe qui ſibi perſuadeant, abſentiam corporis Chriſti utilem eſſe ad præparandos animos ut ſpiritum ejuſdem quærant, ſecundùm hæc verba, (a) *Expedit vobis me abire: etenim niſi abiero, paracletus ille non veniet*; unde contenti ſint ad ſpiritum illius in fide adſpirare, quod certe fructus iis ſalutares afferet? Quid enim cauſæ dices cur Deus id ipſum improbare debeat? Quid mali in eo admittere videbuntur, ſiquidem in ſinceritate cordis pro modo cognitionis ſuæ ita agant? Viciſſim verò quis dubitet, alios eſſe homines pios qui credant præſentiam realem (at imperceptibilem, quæque fidei exercendæ locum facit,) non tantum non obeſſe ut quis ſpiritum ejuſdem quærat; ſed & remedium eſſe potentiſſimum quo animi ad eum quærendum amandumque excitentur, & in ſanctitate atque vita ſpirituali proficiant per innumeras meditationes pias innumeroſque motus amoris, qui ex cogitatione preſentiæ ejuſdem enaſcuntur? ſi quis ea de re dubitet, is vel librum quartum Kempiſii, vitaſve S. Thereſiæ, S. Catharinæ Genuenſis, aut aliorum, nec non Inſtitutiones Tauleri, Chriſtianum Internum Dn. Bernerii, aliaque ſcripta innumera inſpiciat, in quibus non poterit non digitum ac Spiritum Dei vivide agnoſcere, niſi menti reprobatæ veluti traditus fuerit. Ego certe, non poſſum quin id ipſum ita certum habeam ut nihil ſuprà; neque de veritate omnium admirandorum, rerumque tot miraculoſarum quas ea [illegible] re Sanctæ illæ animæ commemorant, vel minimum dubita[illegible] poſſum: quandoquidem homines adeò Sancti, Deoque tam [illegible]chari ab elemento utique mendacii longiſſimè aberant.

Applicatur ad rem præſentem.

(a) Joh. 16. v. 7.

 Et

Digitized by Google

Et ſanè tenebras eorum qui eadem non obſervant, aut potiùs manu ſuâ non tangunt, ſatis mirari non poſſim.

Fortaſſe piis quibuſdam, qui ſcrupulis omnibus circa hæc non carent, rem gratam fecero, ſi ſententiam meam expoſuero de difficultatibus nonnullis, queis quotquot hæc penitiùs examinare conſueverunt, maximè urgentur, quales eæ ſunt, verbi cauſa, quæ modum præſentiæ realis, ejuſque utilitatem & efficaciam, itemque quæ adorationem reſpiciunt. De quibus ea nunc dicturus ſum, quæ, ni fallor, animis piorum pacifque amantium, ſolidam his in rebus tranquillitatem conciliare valeant.

VIII. *De præſentia reali.*

VIII. Et de præſentia quidem reali jam dixi, negari non poſſe eam poſſibilem eſſe Deo, cui per Omnipotentiam ſuam non deſunt media infinita quibus exſequatur quæ captum ingenii humani tranſcendunt. Verùm adde nunc quod magis eſt, non deeſſe etiam modos generales varios quibus ejuſdem rei poſſibilitas à nobis utcumque comprehendi poſſit.

Corpus utique glorificatum, quale eſt corpus Servatoris, poteſt tantum divinæ materiæ quantum vult, & in eum in quem vult locum, effundere. Præterquàm enim quòd natura (ſecundùm principia (*a*) alibi demonſtrata) ſit reproductiva ſui in infinitum, nemo eſt qui ignoret, ex corporibus noſtris uti nunc ſterilibus & torpidis, innumeros ſpiritus, ſeu partes materiæ ſubtilioris, imò & optimæ atque laboratiſſimæ, continuè tranſpirare. Atqui aliquid ſimile fieri circa Euchariſtiam impoſſibile certe non eſt: & nemo idem non evidenter ſatis comprehendere poteſt.

(*a*) Oecon. Lib. I. c. VII. n. 14.

IX. *De Tranſſubſtantiatione. Multa hic inutiliter quæri, quæ relinquenda ſunt.*

IX. At, inquies, ea ratione ad ſummum explicabitur is modus præſentiæ realis, quem *conſubſtantiationem* vocant, non autem ille quem *tranſubſtantiationem* dicunt. Reſpondeo, Nolim equidem ut quis ſollicite examinet innumeras illas inanias & futilia commenta quæ multi Doctores peculiares & diſputatores ſeculi, (qui homines fere in tenebris mentis demerſi jacent,) paſſim hic venditarunt, veluti, an corpus Chriſti præſens ſit ratione magnitudinis ſuæ naturalis & quidem in uno ſolo puncto, infinitaſque quæſtiones alias, quæ tanti non ſunt, ut quis eas in memoriam vocet, nedum ut de earum ſolutione ſit ſollicitus. Certum mihi eſt, homines vere pios in exercitiis ſuis ſacris quibus

Digitized by Google

bus animos ſanĉte ad Deum elevant, de minutiis iſtis atque ambagibus ne quidem cogitare. Fortaſſe ſi qui inter bonos dixerint Chriſtum totum ſeu quâ totum in ſingulis partibus Sacramenti præſentem eſſe, illi totum efficacitatis, ut ſic loquar intellexerunt, ita ut ſententia eorum fuerit, exiguam quamque partem corporis & ſanguinis Chriſti gratiæ ſuæ conjunĉtam habere efficaciam totius. Quæ verò hæc ſit efficacia mox videbimus. Etſi autem hac in re homines arguti curioſiores quàm par erat, fuerint, uti fere ſemper ſolent, non tamen iſta tanti ſunt, ut propterea bonorum animi ſe adeo diſcruciare debeant: imò verò, ſi qui Doĉtores cerebroſi figmenta ſua peculiaria nimis importune urgeant, non immerito boni ad pacem conſervandam, aſſimilabunt ſe ſomnia illorum omnia admittere, perinde atque cum iis agere ſolemus qui malo hypochondriaco laborant, quorum phantaſmatis ut tranquillitas ſervetur, ipſique forte ſanentur, nemo contradicit. Quantò magis ergò cedendum erit ingenio ægro corrupti hominis, ut ille in charitate & pace conſervetur aut ad eam ducatur, cùm hoc ſolum ſit remedium aut elementum quo ſanari debeat? Reĉtiſſime autem facient ſimpliciores, ſi ad ſimilia particularia, qualia paſſim multa occurrunt, deſcendere nolint, ſique de iis non cogitent, aut verò ea ſi recipiant vel bonâ fide ſuo loco relinquant, utut nihil in iis intelligant. Minutiæ meræ ſunt hæ, non magis neceſſariæ, quàm ut ſigillatim ſciamus modos omnes ac vias particulares Incarnationis, aut circumſtantias omnes reſurreĉtionis futuræ, vel judicii noviſſimi, & ſimilia.

X. *Explicatio Tranſubſtantiationis. Quid ſit ſubſtantia, quid accidens.*

X. Itaque miſſis tricis iſtis particularibus privatorum quorundam, videamus ſaltem quid de communi doĉtrina *tranſubſtantiationis* ſentiendum videatur. Qui ex principiis Ariſtotelis aut Carteſii eandem exponere conati ſunt, nihil omninò attulerunt quod alicujus fuerit momenti. Notum vulgo eſt, quæ contradiĉtiones iis qui Ariſtotelem ſequuntur objici ſoleant; ſed omnes certe fateri debent nihil eſſe quod eidem rei magis repugnet quàm principia Carteſianorum. Id quod publicè atque ubique omnibus Carteſianis qui Romanam Eccleſiam ſequuntur, objeĉtum quidem fuit; illi verò id ipſum diluere nunquam conati ſunt, quin riſum moverint aut conſequentias quaſdam negaverint ex principiis ſuis tam aperte deduĉtas; quàm quæ demonſtrationibus

Digitized by Google

bus mathematicis colligi ſolent. Et verò cùm utrique hi Philoſophi principia ſequantur falſa, nullo modo per ea explicari poterat id quod in tranſubſtantiatione, quam Deus operatur per ſuæ voluntatis potentiam Fidemque eorum qui eam credunt, verè ac propriè accidit. Ceterùm principia ſolidiora non difficulter explanant quâ ratione in Euchariſtia panis ac vini tota ſubſtantia in corpus ac ſanguinem Domini transmutari ita poſſit ut ſola accidentia rerum elementarium ibidem ſuperſint.

Quam ob cauſam ante omnia cavendum erit, ne notionibus *ſubſtantiæ* atque *accidentis* quas vel Ariſtoteles vel Carteſius tradunt, mentem obnubilemus. Rectius ad eas ſolas quæ uſitatiſſimæ ſunt communiſſimæque, & ſimpliciſſimis quibuſque de plebe notiſſimæ, attendemus. Notum autem eſt uſu vulgi ubique invaluiſſe ut id *ſubſtantia* rei dicatur quod in ea eſt efficax, ſolidum, quod vigorem & ſuſtentationem ſuggerere poteſt, veluti in cibis eſſentia quædam ſubtilis per artem aut per digeſtionem naturalem à reliqua maſſa ſi non pure, magnam tamen partem, ſeparabilis, quæ maſſa, ſi cum ſubſtantia illa aut eſſentia qua corpus nutritur, comparetur, non eſt, propriè niſi cortex quidam, aut accidentaria acceſſio, vel ſi Scholarum dialectum mavis, *accidens prædicabile*. Et hæc quidem in vera rerum natura fundamento non carent. Ante peccatum enim tota ſubſtantia panis ac vini, ceterorumque alimentorum omnium, mera erat ac puriſſima quædam eſſentia, ut ita loquar, ſic ut lepra iſta craſſa, terraque mortua & ſterilis, quæ nunc in concoctione ac digeſtione à ſubſtantia nutriente ſeparatur, tunc penitus abeſſet. At per peccatum, quo natura (a) univerſa perverſa eſt ac corruptione inveſtita, ſubſtantia tum alimentorum, tum corporum noſtrorum, tum rerum omnium totius univerſi cortice quodam materiæ corruptæ, craſſæ, ſterilis atque opacæ obduci cœpit; & hic cortex ſubſtantiam ipſam rerum nunc ſic tegit atque abſcondit, ut ejuſdem externa acceſſio, vehiculumque & veſtis merè accidentaria exiſtat.

(a) Vid. Occon. Lib. II. C. XIII. n. 13. & Lib. III. C. II. n. 20. pag. 51, 52.

XI. *Mutatio ſubſtantiæ, accidentibus interim manentibus &*

XI. Quæ cùm ita ſint, vera utique & propria mutatio *ſubſtantiæ* panis ac vini facillimè nunc intelligitur, ita ut omnia tamen quæ ſenſibus apparent, ſeu omnia *accidentia*, & perinde quidem atque antea ſuperſint. Quod ſi enim ſubſtantia alimentorum quæ aſſumimus in propriam ſubſtantiam noſtram tranſmutatur dum

Digitized by Google

[illegible] particulæ ſanguinis aut ſpirituum, ſeu materia corporis no-ſtri, quibuſcum illa miſcetur, eam ſibi conformant; multò ma-gis illa effluvia quædam ex corpore Chriſti egreſſa, vel ejus ſo-lius voluntatis, tincturæ inſtar ſacratiſſimæ atque Omnipo-tentis, ſubſtantiam panis ac vini in ſubſtantiam Corporis ac San-guinis ſui tranſmutare valebunt. Quo facto tamen, cum ſola ſubſtantia panis ac vini mutata fuerit, hinc tota illa materia craſſa atque corruptibilis eidem annexa, quæque accidens ejus eſt & cortex meraque acceſſio, eadem omninò ſupererit. Et quando-quidem corpora ac ſenſus noſtri per peccatum incraſſati, ut ita loquar, per ſolam hanc materiam craſſam acceſſoriamque, quæ ſubſtantiam rerum nunc involvit moventur; per eſſentiam au-tem ſubtiliorem atque incorruptibilem, quæ ibidem incluſa de-liteſcit, moveri nequeunt; apertiſſime efficitur, præſentiam cor-poris ac ſanguinis Domini ſenſibus imperceptibilem fore, ſen-ſuſque ſola ea percepturos quæ à materia illa craſſa atque acceſ-ſoria, ſub qua eſſentia panis ac vini imperceptibilis ac nutriens [illegible] procedent. *Senſus perinde atque antea ferientibus.*

XII. Hac via, ni fallor, difficultates omnes quæ in doctrina Tranſubſtantiationis occurrunt, omniaque eventa etiam odioſa [illegible] objectis ſæpiſſimè eam confutare & ad abſurdum reducere [illegible] ſunt, explanari atque diſſipari poſſunt. Quicquid fortè in-digni Euchariſtiæ accidat, ſolam partem accidentalem panis ac vini tangit, ſolam inquam materiam illam craſſam, acceſſoriam, corruptibilem, & ſeparabilem, quæ nullo modo ad eſſentiam ſubſtantiæ panis, ac vini, & multò minus ad eſſentiam Corpo-ris ac Sanguinis Domini pertinet, cujus cœleſtis materia eſt in-viſibilis, ſubtiliſſima, incorruptibilis atque incontaminabilis, [illegible]que Dominus ſi forte in locum aliquem aut ſtatum defera-tur in quo ipſe eam eſſe nolit, momento temporis ex materia reliqua acceſſoria facile, ſi velit, extrahet recipietque, quo facto tamen nulla mutatio viſibilis in materia accidentali panis ac vini appareret; ad eundem ſcilicet modum, quo in morte corporis, anima, & (a) ſubſtantialiſſima ſimul pars corporis è cadavere diſcedunt, licet nulla ſeparatio facta videatur, nullaque in eo [illegible] appareat. *XII. Hæc difficultatibus omnibus quas boni hic inveniunt ſolvendis ſufficere poſſunt & debent.*

(a) Vide Oecon. Lib. III. Cap. II. n. 18, 19.

Et hæc quidem ſunt quæ mihi de Tranſubſtantiatione apud animum meum cogitare ac diſpicere licuit. Quæ utrum confor-

Digitized by Google

mia ſint iis quæ fortè homines à Deo illuminati eadem in re viderunt, neſcio. Imò quoniam mentes Deo unitæ de inquirendis viis particularibus, aut modis quibus res fiant, non laborant, hinc ea de re nihil iiſdem forte revelatum eſſe reor: at contrà de rei ipſius veritate firmiſſimè aſſevero, cor meum, quod per Dei gratiam non penitus occœcatum eſt, in variis ſcriptis ſanctorum indubitato percepiſſe ac agnoviſſe vocem Chriſti Tranſubſtantiationis veritatem iiſdem confirmantis. Quo factum eſt, ut eam, reſpectu eorum qui eandem credunt, diutiùs pro figmento habere noluerim; utque rationem ejus concipiendæ atque explicandæ inquiſiverim, eam ſcilicet quam dixi, quamque palam exponere non recuſo, ſperans fore ut boni nonnulli qui hujus ſunt communionis, quique ſcrupulis non carent, in his forte inveniant in quibus conquieſcant; ceteri autem hinc dediſcant tandem omnia illa quæ ipſi non capiunt nec obſervant, alta voce condemnare.

Næ homines ſi ſaperent cum Propheta potiùs dicerent (a) *Omnes ſpiritus*, omnes mentes, ſententiæ, ritus, media & cultus, *laudent Dominum*, omneſque eum pariter laudent homines pro ſuo unuſquiſque captu modoque intelligentiæ ſuæ: etenim Deus hoc ſolum & unicum, unà cum amore proximi, efflagitat, quemadmodum aperte docet, dicens, unumquemque debere *amare Dominum ex tota intelligentia & ex tota cogitatione ſua*, (hoc eſt pro modo luminis & notitiæ ſuæ) *& proximum ſuum ut ſe ipſum.*

(a) Pſal. 150.

Tranſeamus nunc ad efficaciam præſentiæ realis. Qua de re ſequentia non ſine ratione afferri poſſe videntur.

XIII. *De efficacia præſentiæ realis corporis Jeſu Chriſti.*

XIII. Nemo ignorat, corpus vi conjunctionis qua cum anima unitur, efficaciſſime in animam agere: pariterque nemo dubitat quæ in corpus ingrediuntur, & ſanguini ſpiritibuſque admiſcentur, animam mire ſæpe afficere atque immutare. Ita ſi quis fortè materiam aſſumat male affectam comparatamque, qualia ſunt venenata, aut aliæ res noxiæ, anima inde ad triſtitiam, ad iram, ad luxuriam, ad ſtultitiam, & ad innumeras ineptias ac turbas ſeſe trahi ſentiet. At contra alia ſunt, quibus ad lætitiam, ad manſuetudinem, ad temperantiam, ad æquabilitatem & ad ſapientiam præparari ſolet, quibuſque motus & cogitationes à luxuria aliiſve affectibus inordinatis venientes, in ea ſupprimuntur.

tur. Quod ſi herbæ quædam aut pharmaca ex rebus corruptioni eidem quæ nos circumſtat involutis extracta, tantam in nobis vim habeant, ſiquidem in corpus noſtrum aſſumuntur, quanta erit efficacia emanationum ſacratiſſimi Corporis Filii Dei in corporibus noſtris ſi eas in nos recipiamus? Nullum certè eſt dubium quin motus rebelles atque propenſiones vitioſas temperaturæ ſint, ſuppeditatis animæ cogitationibus Divinis, puris, caſtis, moderatis, quibus ad virtutem invitemur, à vitiis retrahamur, & ad puritatem tum animi tum corporis promoveamur.

Quæ cùm controverſiam habere non poſſint, nullus dubito, quin J. Chriſtus divini Corporis ſui effluvia in corpora omnium qui vere filii ejus ſunt, nemine excepto, effundat. Neque eo tantum tempore quo ad ceremoniæ ſacramentalis uſum accedunt, ſed quandocunque vult ea cum ipſis communicat, pro modo amoris quo ei adhærent, licet rationem qua ille in ipſis operatur, ipſimet ignorent. Qui non credunt hanc communicationem Chriſti in uſu Cœnæ fieri, nihilo ſecius (ſi Deum timeant,) eandem tamen in ſe recipiunt, ſive per idem hoc medium, ſive per infinita alia; quandoquidem filius Dei ſacratiſſima effluvia Corporis ſui in corpora filiorum ſuorum quomodocunque vult facillime inſinuare valet. Qui verò eadem intervenientibus pane ac vino Cœnæ ſacræ participare deſiderant, & hanc fidem habent, ii ſimiliter hoc ipſo medio & pro menſura ac firmitate Fidei atque Amoris ſui erga Chriſtum, ea peculiariùs recipiunt.

XIV. Ad *Adorationem* verò quod attinet, ea quidem hic duplex eſt, alia quæ Divinitatem reſpicit, alia quæ Humanitatem. Nullum utique eſt dubium, quin Jeſus Chriſtus tanquàm Deus æternus adorari debeat, ſive quis Corpus ejus præſens adeſſe credat, ſive credat abeſſe: hoc eſt, oportet ut eum agnoſcamus eſſe Ens Supremum, & bonorum omnium Auctorem, cui nos totos tradamus, & in quo Fidem, Amorem ac ſpes noſtras collocemus. Et hæc quidem eſt Adoratio Divinitatis. Alia eſt quæ Humanitati debetur, videlicet, ut cum amore, cum reverentiâ, ac veneratione ejuſdem infinitâ, eam agnoſcamus eſſe Thronum ac organum Divinitatis; utque quandoquidem Divinitas ab idem inſeparabilis unam ſolam Perſonam cum ea conſtituit, huic ei conjunctim ea præſtemus officia quæ Deo debentur. Procul

XIV. De Adoratione Chriſti in Euchariſtia uti creditur præſentis, qualis uſu recepta eſt.

dubio

dubio autem Humanitas Jeſu Chriſti, ſiquidem præſens ſit, eo adorationis genère quæ ipſi debetur, etiam adoranda erit; quandoquidem ipſa eo ſenſu vere adorabilis exiſtit. Et quoniam Divinitas arctiſſimè & perſonaliter unita adeſt ubicunque Humanitas eſt, conſequitur noſtrum eſſe, ut ibi Jeſum Chriſtum ubi Humanitas ejus adeſt, omnibus modis pleniſſime adoremus; hoc eſt, ut Humanitatem ubi ea præſens eſt, Divinitatem autem tanquam Humanitati eidem perſonaliter unitam, & totum ipſum veluti Deum æternum naturæ humanæ unitum, adoremus. Nec video quomodò Lutherani, qui Corpus Chriſti in Sacramento adeſſe credunt, ab eodem tamen adorando abſtineant. Quæ certe abſtinentia, ut iterum dicam, intempeſtiva videtur, Chriſtus licet ea de re parum laboret: cum Deus non ea quæ apparent, ſed cor ipſum adſpiciat. Quod ſi dicant, eum in Sacramento ideò non adorari quoniam ibidem ſub pane deliteſcit, unde verendum ſit ne panis adoretur, perindè eſt, ac ſi quis dixiſſet, Jeſum Chriſtum quando in terris agens veſtibus forte indutus fuit, aut faciem averterat, adorari non debuiſſe, eo quod verendum fuerit ne veſtimenta ejus aut capilli adorarentur. Porrò qui dicunt, Deum, ubicunque præſens eſt, ibidem non & adorandum eſſe, quoniam in ipſis etiam arboribus ceteriſque corporibus naturalibus adeſt, graviter hallucinantur. Deus certe in naturalibus corporibus nequicquam ratione eſſentiæ ſuæ, multo minus arctiſſime & perſonaliter præſens eſt, quemadmodum is animæ ac Corpori Chriſti, (quæ adeſſe ponuntur,) præſens adeſt. Eruditi fere omnes ideas atque ratiocinationes adeò abſurdas his de rebus adferunt, ut operæ pretium non ſit eas accuratiùs & peculiariùs examinare.

XV. *Si corpus J. Chriſti abſens foret, idololatriam tamen non committeret qui id ipſum præſens crederet atque adoraret.*

XV. Pauca adhuc dicam, poſita hypotheſi, Corpus Chriſti in Sacramento præſens non eſſe, utrum ſe eo in caſu, homo ſincerus qui bona fide eum tamen præſentem crederet & adoraret, idololatriæ crimen admitteret? Non immeritò dixeris, eos qui ejuſmodi difficultates objiciunt, quæ ſit idololatria, ignorare. *Idololatria* eſſentialiter & proprie eſt, quando anima facultates divinas pro ſolo Deo factas, in rebus aliis quæ Deus non ſunt, occupatas habet. Quando inquam deſiderium, intellectus aut mens & acquieſcentia animæ, ejuſve gaudia, venerationes atque amores, ad creaturas, aut ea quæ creaturarum ſunt,

Digitized by Google

ſunt, propendent, iis ſeſe tradunt, & in iis gaudent atque terminantur. Quando quis ſeſe deſiderat, quærit, conſiderat, æſtimat, ſeque ipſum amat, idololatra eſt, dum harum rerum, tum ſui ipſius: idemque omnino eſt ſi animus erga res alias ita ſit affectus: quæcunque demum illæ ſint, homines puta, divitiæ, cibi, voluptates, honores, ædificia, ornamenta, ſtatuæ, dignitates, omnia totidem ſunt idola, meraque coram Deo idololatria. Et quanquàm homines objectis iſtis flexis genibus non ſupplicent, id tamen nihil refert: iſta genuum flexio proprie idololatriæ crimen non efficit, ſed ſola ejus eſt acceſſio, quæ coram rebus innumeris fieri poteſt licet homines eaſdem non ut idola ſuperſtitioſe colant, qui ſimiliter idololatriam quantamcunque committere poſſunt quanquam genua nunquam flecterent. Etenim idololatriæ crimen, perinde atque vera & legitima adoratio, ſolius cordis opus eſt, & in corde reſidet: externa verò omnia ſigna tantum ejuſdem ſunt, eaque valde ambigua, quæ & fieri poſſunt, & omitti & modis innumeris variari ſine ullo crimine, ſiquidem cor Deo adhæreat; ſed & ſine omni virtute, ſi cor à Deo alienum ſit. Non deſunt qui quotidie Deum theoretice cogitando, genua flectunt, licet nullum unquam veræ adorationis actum efformaverint: nec deſunt qui proximos ſuos, qui forte ad opiniones ſuas ſeſe non conformant, idololatriæ reos faciunt, quibus tamen ſuæ opiniones ac ſententiæ quas ſequuntur, favorque partium quibus adhærent, veriſſima ſunt idola, quæ Deo ipſi divinoque amori, charitati, humilitati, paci, voluntatique divinæ anteponunt.

Ergo ſi quis animo recte erga Deum affecto ratus Sacratiſſimam ejus Humanitatem in eo loco in quo forte non eſt, præſentem adeſſe, externe ſeſe illic proſternat ac genua flectat, illene hoc nomine idololatriæ reus erit cenſendus? Quis verò non videt id omnino negandum eſſe? quippe cùm ſolo corde, uti vidimus, non autem geſtibus corporis, adoratio vera & interna fiat, hîc autem cor ipſum intentione, amore, affectu, fide, & ſpe Deo adhæreat; ſolus utique Deus eſt qui hic adoratur, namque cor Deum ſolum cogitat & amat. Nihil prorſus hic peccaretur niſi quod ſaltem error facti, quem vocant, hic interveniret circa locum corporis Chriſti, quod certo in loco, ſub certo involucro aut ſpecie præſens eſſe quis exiſtimaret, unde

Digitized by Google

& eo in loco Humanitati Chriſti eam adorationem, quæ ipſi debetur ubicunque ſit, præſtaret, dum ſimul Divinitatem adoratione ſuprema, quæ eidem ſimiliter omni tempore & loco debetur, veneraretur. Hæccine verò tanti ſunt ut orbem turbis implere debeant?

Quid enim? Viderit Chriſtus in me cor cogitationemque atque Amorem meum Divinitati ſuæ adhærere, meque ſimul Humanitatem ſuam ea reverentia atque amore venerari, eoque adorationis cultu dignam exiſtimare qui ipſi debetur; viderit me paratiſſimum eſſe ad hæc officia ei præſtanda ubicunque eum præſentem eſſe ſcivero, meque eadem nullis rebus aliis exhibere velle; viderit me, qui bona fide perſuaſus ſum eum illo in loco adeſſe, amore, quo ipſum complector, animatum, ipſi ſoli hunc adorationis cultum exhibere quem anima mea vere ad eum tanquàm ibidem præſentem dirigit, quemque corpus meum ſimiliter animæ imperio obediens eidem conteſtatur, quanquam alioqui ſi eundem ibi præſentem non eſſe ſcirem, externo hoc ſigno, quatenus ad hunc locum refertur, omninò abſtinerem. Viderit inquam Chriſtus in omnibus iſtis ſinceritatem cordis mei legitime erga ipſum affecti, & nihilominus me idololatram reputabit & æternæ morti eo nomine obnoxium credet? Ecce vero ut ad extrema rapiat hominum mentes litigandi ardor! ut hoc pacto ſæpiſſimè non tantùm à charitate veritateque, ſed & ab ipſa ratione & ab omni veritatis ſpecie longiſſime aberrent! Scilicet ego vere Chriſto dicere poſſem, „Noſti, Domine, cor atque cogitationem meam à Te minime abfuiſſe. Ego bona fide & ſincero corde ob verba tua divinum Corpus tuum illic præſens adeſſe credidi: indeque amore atque adoratione interna, quam tibi perpetuam ſervo, motus, id ipſum ſigno externo hac occaſione data conteſtatus fui, cogitationem atque cor meum ad Te ſemper erectum gerens. Quod ſi circa locum præſentiæ tuæ corporalis erravi, noſti tamen in intentione, in corde ac fide mea, Te ſolum mihi fuiſſe adorationis meæ objectum. Tu ſolus utique fuiſti animæ meæ principium, intentio, cauſa movens, objectumque & ſcopus. At ille contrà mihi reſponderet, *Abi maledicte in ignem æternum* (is enim locus eſt idol[illegible] tris præparatus,) & quidem id propter errorem leviſſimum, [illegible] potiùs propter officium longe juſtiſſimum ac maxime legitim[illegible]

qu[illegible]

Digitized by Google

quod ipſi præſbitero, at non in loco, ex ignorantia ſcil. facti, rem aliter ſe habere credens atque vere haberet! Atqui, dices, monitus fueras ab aliis te errare. Verùm quot ſunt eorum qui moniti nunquàm fuerunt? Deinde verò quid cauſæ eſt cur monitis hiſce eorumque auctoribus credam, cùm nec præjudiciis, nec tenebris, nec affectibus careant, quibuſque contradicunt alii inter quos video homines vere ſanctos Deoque familiares, qui revera contrarium monent.

XVI. *Inſtantia quam petunt ab idololatria & intentione recta, ut volunt, Iſraëlitarum nulla eſt.*

XVI. Inſtantiam quidem vulgo hoc loco afferunt contra integritatem ac puritatem intentionis, cauſantes, ſolam intentionem ad actionis bonitatem non ſufficere, quandoquidem & Iſraëlitæ dum vitulum aureum adorarunt, intentionem optimam habuerint. Hi, inquiunt, ipſum Deum Dominumque qui eos ex Ægypto eduxerat, adorandum intendebant; huic enim, vel ipſis fatentibus, feſtum celebrare inſtituerant: neutiquam ergo alium quendam adorare voluerunt, quandoquidem tanta certè eorum ſtultitia tantaque cœcitas non fuit, ut ignorarent, imaginem quam ex aureis ornamentis uxorum ſuarum conflari conficique viderant, non eſſe Deum illum qui eos ex Ægypto eduxerat; at iidem tamen licèt intentionem rectam habentes, idololatriæ rei fuerunt, ejuſdemque pœnas dederunt graviſſimas. Verum enim vero, hæç inſtantia ex omni parte tam male quadrat, ut mirer fuiſſe qui eadem uti voluerint: neque enim dies nocti adeo contrarius eſt, quam hi Iſraëlitæ à piis hominibus qui Jeſum Chriſtum in Euchariſtia adorarunt, ſunt diſſimiles.

Iſraëlitæ per traditionem perpetuam à Majoribus ſuis acceperant, Deum Idola abominari: neque ignorabant ea quæ inter Rachelem atque Labanum geſta fuerant, nec non Jacobum idola ex familia ſua ejeciſſe. Ceterum poſtquam fortè in Ægypto viderant idololatriam longè craſſiſſimam, adorationem puta bovis, protinus ex quo diabolus eos ad illius imitationem inſtigat, pleni deſideriis impuris carnalibuſque ſemet inebriandi, ſaltandi ac ſcortandi, tam turpiter ac ſtupide eodem ruunt, ut penitus infatuati credant idolum hoc eſſe Deum ſuum: neque enim t argumenta egregia quæ vulgò benigne iiſdem accommodant c ndo oſtendere conantur opinionem adeò ſtultam in eos cadei non potuiſſe, iis excuſandis ſufficiunt: quandoquidem hæc

argumenta volunt idololatras dum idololatriæ crimen committunt, ratione ſuâ uti : id quod tamen à veritate abeſt. Iſraëlitæ, inquiunt, ignorare non poterant vitulum hunc aureum non eſſe Deum qui eos ex Ægypto eduxerat, quandoquidem eundem oculis ſuis viderant ex auro conflari. Iſta recte dicerentur ſiquidem idololatræ non agerent inſtar hominum cœcorum & irrationalium. At illi rationem neutiquam conſulunt; nullâque habita ratione eorum quæ geſta ſunt, quæque ipſimet fecerunt, chimæras quaſque ac ſomnia longè maximè incredibilia atque monſtroſiſſima, à diabolo ſibi ſuggeſta cœcè amplectuntur, adeo ut ſibi etiam perſuadeant opus manuum ſuarum eſſe Deum ſuum. Quod veriſſimum eſſe, ipſius Dei teſtimonium apud Prophetam Eſaiam apertiſſimè docet atque confirmat. (a) Hic enim nobis oſtendit hominem, qui poſtquam arborem plantaverat, quæ pluvia irrorata creverat, poſtea eandem reſecat, partemque in ignem conjicit, quo & calefiat, & panem ac cibos ſibi coquat; partem autem alteram circino deſcriptam, dimetitur atque delineat, & in idoli formam elaborat; ejus fragmentis ac ſegmentis ſimiliter ad ignem abjectis, dum ex parte reſervata, Deum ſibi efformat, quem precibus hiſce compellat, *Libera me*, aut ſerva me, *quia Deus meus es tu*. Quibus Deus ut ſtupiditatem hominis idololatræ apertiùs indicet, ſtatim ſubjungit. *Neſcierunt, neque intellexerunt: obliti enim ſunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde ſuo. Non recogitant in mente ſua, neque cognoſcunt, neque ſentiunt, ut dicant: Medietatem ejus combuſſi igni, & coxi ſuper carbones ejus panes: coxi carnes, & comedi; & de reliquo ejus idolum faciam? ante truncum ligni procidam? Pars ejus cinis eſt: cor inſipiens adoravit illud.* Ubi videmus Deum verbis expreſſis ea de Idololatris affirmare longè craſſiora iis quæ negantur in Iſraëlitas corruptos carnaleſque media in luxuria ac cœcitate ſua, in qua à diabolo demerſi jacebant, cadere potuiſſe. Quis verò dubitet intentionem hanc idololatricam, falſam & erroneam, impiam ac ideæ & naturæ Dei contrariam, impuram, carnalem, quæque ad laſcivias luxuriæ turpiſſimæ proruit, quis inquam neget eam intentionem longè eſſe alieniſſimam ab intentione puriſſima eius qui virtutem diligens, qui Deum timens & amans, qui id[…]n tantæ Majeſtatis reverenter habens atque illibatam adorans, q[…] que certò ſciens eam perſonaliter unitam eſſe Corpori, quod [...]

(a) Eſa. 44. v. 13. &c.

Digitized by Google

ipſum ſuo modo adorari debet, ratuſque bona fide, verbis ipſius (ut putat) innixus, idem Corpus ſibi præſens adeſſe, ei eum honorem exhibet qui, omnibus fatentibus, ipſi debetur, quando in toto hoc cultu divinam charitatem atque cordis ſui puritatem promovendam quærit? Quis non fatebitur cœlum minus diſtare à terra quàm quidem hæ intentiones actioneſque inter ſe diſſideant? Unde nemini mirum videbitur Deum alteram quidem abominari, alteram verò non poſſe non probare.

XVII. Ii qui hæc tam ſtrictè, aut potius adeò moroſè urgent, videant, velim, utrum ipſi de corpore J. Chriſti cogitantes ad nullum locum reſpexerint. Reſpondebunt, ſine dubio, ſe Chriſtum tanquam in cœlo corporaliter præſentem adoraſſe & etiam nunc adorare. Equidem cœlum, in quo eum adeſſe cogitant, locus eſt fere indefinitus, & longiſſimè à nobis diſtans; at diſtantia nihil faciat ad rem præſentem: ſatis eſt ſi locus ipſe menti aut cogitationi præſens exiſtat. Quid verò ſi ea in re errent, & Chriſtus nec definitè nec indefinitè adſit in loco in quo eum adeſſe concipiunt, nec eo modo quo eum ibidem præſentem eſſe cogitant? Homines certe quando eum animo ſuo tanquam in cœlo exſiſtentem repræſentant, ſinguli eum ferè ita concipiunt quaſi qui ſuprà nubes, aut ſi mavis ſuprà ſtellas, aut altiùs etiam, & quidem circiter verticem noſtrum adſit. Nemo omnium, ſi in genere loquamur, eum unquam in cœlo præſentem eſſe alio modo cogitavit, quàm eum quaſi ſupra verticem noſtrum nobis cogitatione ſiſtendo. Atqui Chriſtiani, qui inter Antipodes noſtros agunt, Chriſtum ſimiliter tanquam in cœlo ſuprà verticem ſuum præſentem adorant; quò fit ut eum revera multis millenis milliaribus infra pedes noſtros ſubeſſe velint, eoque in loco, in quo nemo profectò noſtrum eum unquam adorandum eſſe cogitavit. Imò ſunt qui velint Chriſtum non eſſe in cœlo Empyreo, uti vulgò putant; ſed cum Elia, Enocho, aliiſque ſanctis in Paradiſo terreſtri agere in quo Deus Adamum creaverat, & ex quo eundem ejecit: quem locum ajunt à maledictione & ab aquis diluvii intactum conſervatum fuiſſe. Quicquid ſit, non deſunt tamen quorum imaginatio hic utique aberret: quandoquidem fieri non poteſt ut ſimul omnibus cum ratione & veritate conveniat. Itaque ſunt qui Chriſtum tanquam ſupra verticem ſuam exſiſtentem adorant, quan-

XVII. Si error in opinione præſentiæ corporis Jeſu Chriſti alicujus momenti eſſet; nemo hominum ab idololatriæ crimine excuſari poſſet.

Digitized by Google

quam alii opinentur eundem directò ſub pedibus noſtris eſſe eo in loco qui infinitis ſpatiis à loco ubi iſti eum præſentem cogitant & adorant, diſtat. Ergo eum adorant tanquam eo in loco præſentem in quo revera (ſecundum alios) præſens non exſiſtit. Si igitur ij, qui Chriſtum ibi præſentem adorant ubi alii volunt eum præſentem non eſſe, Idololatriæ rei dicendi ſint, quid dicendum erit de Chriſtianis alterutrius hæmiſphærii, imò quis uſquam erit ab idololatriæ crimine liber? Quis verò non videt ex hiſce, lites omnes, quas de hac adoratione, quatenus ad præſentiam localem refertur, movent, nil eſſe niſi totidem inanias ſteriliſſimas ac faſtidioſiſſimas?

XVIII. *Ratio quare ultima hæc prolixiùs expoſita fuerint.*

XVIII. Ceterum ego minutiis iſtis ideo tantum inſiſtere volui, quod obſervaverim nonnullos magno ſuo cum damno rejeciſſe divina ac ſalutaria lumina multorum ſanctorum, veluti Tauleri, Kempiſii, S. Tereſiæ, aliorumque Myſticorum, cauſati eoſdem idololatras fuiſſe quandoquidem ritus iſtos tum ipſi ſecuti ſint, tum uſum eorum identidem commendaverint. Ego certè in animo meo ſanctiſſimos illos homines nunquam idololatriæ condemnare potui, ne eo quidem tempore quo arbitrabar eos in facto errare. At Deus, cui non diſplicuit cordis mei ergà amicos ſuos ejuſmodi affectio, eam mihi gratiam fecit ut ad conſcientiæ meæ pleniorem tranquillitatem rem eo modo uti eam hic expoſui, videre cœperim. Atque utinam iſta hominibus ita prodeſſe poſſint ut moderatiùs alii cum aliis agere incipiant, neque diutiùs ſibi contemnendos, condemnandos, rejiciendos, imò exſecrandos eſſe arbitrentur homines eos eoſque ritus, quos debebant utique ſi non magnifacere, attamen ſuo loco relinquere, atque ab iis inſultandis abſtinere. Neque enim iſtiuſmodi agendi ratio, hominis eſt Chriſtiani. Et ſane licet quis ritibus aliorum obſervandis ſeſe accommodare neque poſſit neque velit, imò nec debeat, ne fortè ſine fructu eos in quorum partibus agit, turbis involvat; recte tamen ſemper faciet ſi ceremonias omnes omnium partium in tantum magnifaciat, inquantum infirmiores qui bonæ ſunt voluntatis & cordis ſinceri, benè iiſdem uti conantur, hoc eſt, quouſque per eas in Amore Dei, in puritate cordis, & in renunciatione peccatorum proficere ſtudent. Quid enim prodeſt ceremoniis aliorum inſultare, eaſdemque quaſi pro deridiculo & delectamento ſibi habere, & in ludis

Comi-

Comicos rituſque Ethnicos detorquere ? Imo verò ſit ita, ſint, licet, ad imitationem Gentilium expreſſæ: quid mali ea in re erit? Quod ſi nemo vetat, quo minùs in ſcriptis aut doctrina Gentilium cauſas bonas quæramus animum ad Deum elevandi, quidni liceat ex ritibus quibuſdam eorundem occaſiones amplecti quibus ad Dei præſentiam Amoremque animos erigamus? Quid vero eſt totus cultus externus coram Deo, quid eſt tota illa ratio officiorum externorum quæ Deo foris præſtant filii ſui niſi ludus quidam? Imò quid eſt ipſe Paradiſus, & quicquid in Vita æterna geretur, niſi perpetua oblectamenta, ac ſpectacula, & ſanctæ quædam, ut ita loquar, comœdiæ, ac veluti ludi pueriles, quibus Deus cum Sanctis, Sanctique cum Deo ultro citroque colludent? Næ, homines pro moroſitate atque ſeveritate ſuâ, familiaritatem, ſimplicitatem, ac veluti infantiam Dei penitus ignorant! ille enim Spiritus eſt infanticius, Spiritus familiaritatis, omnibus ſeſe accommodans, Spiritus ludibundus & oblectabundus in nudiſſima ſimplicitate atque ingenuitate, attamen id ſolis cum filiis ſuis. Hæc ſi nonnullis ſuperſtitioſiora videbuntur, Deo aliter videbuntur. Ille nunquam animis illudit ſimplicibus atque ſinceris, uti faciunt docti vani atque ſuperbi, qui omnes eos ferè irrident qui ideis ſuis inanibus & faſtidioſis infatuari nolunt. Quiſquis, qui recte Deum cognoſcet, longè aliter de hiſce exiſtimabit.

De cetero, ea quæ hic de rebus iſtis afferre volui, nequicquam pertinere debent ad abuſus quibus fortè eaſdem polluant filii Babylonis, homines amori proprio ſervientes, impii, mundani, fraudatores, ambitioſi, avari, qui revera atrociſſimè iiſdem, ac propemodum univerſe, abutuntur; quo fit ut maledictionem Dei tum contra ſe, tum contra ceremonias ſuas, ſint irritaturi, dum is omnium rerum veritatem reſtitutum adveniat.

XIX. *Difficultates ac quæſtiones nonnullæ quibus reſpondetur. (1.) Anne præſtet rem ad primam formam reduci?*

XIX. (1.) Verùm, dices, Nonne ſatius erit tot ritibus diverſitatibuſque valere juſſis, ad primam ſimplicitatem, qualis in Eccleſia primitiva obſervabatur, redire? Reſpondeo, primò, eos qui tam accurate (ne dicam tam materialiter) rem omnem ad formam primitivam omnino reducendam eſſe urgent, fortè ubi exſecutio rei inſtituenda erit, primos fore qui ejuſdem mutationem velint atque defendant. Novimus in Eccleſia primitiva ſolos

los adultos baptizatos fuiſſe, ad Communionem ſacram autem infantes etiam fidelibus parentibus natos admiſſos eſſe; & ex principiis ſupra expoſitis, rem aliter ſe habere non potuiſſe videmus; quandoquidem infantes conditionibus iis ſatisfacere non poterant quæ tum temporis ad baptiſmum recipiendum requirebantur; quanquam iidem nec vivere potuerint nec rebus omnibus neceſſariis juvari niſi per Communionem ſacram, in quam cum Parentes eorum omnia tranſtuliſſent, iiſdem quoque ex ea tum pro ſe, tum pro liberis ſuis, omnia miniſtrabantur. At hodie contra, infantes baptizantur, ſoli vero adulti ad Communionem qualis nunc obſervatur, admittuntur. Et hæc quidem rectè fieri putantur, noſque oſtendimus quomodo rectè fiant; tametſi id nunc non quæramus: ſed ex iſtis ſaltem oſtendere volumus, non ſemper neceſſarium videri omnibus ut ad priſtinam rerum formam redeatur.

XX. *Vera & falſa Reformandi ratio.*

XX. Verùm enim verò, quod ſecundò addendum eſt, revera tamen ad primam rerum ſimplicitatem redeundum foret, ſiquidem animæ hominum ita affectæ ac præparatæ eſſent atque primi Chriſtianorum fuerunt, ſpirituales ſcilicet, fortes, ſanctæ, plenæque Spiritu S., qui certè omnia brevi ita reſtitueret uti eſſe debent. At ſi homines animis intus aliter affecti, externos nihilominus Chriſtianorum ritus ſcrupuloſè imitari velint, mera ſimulacra atque geſticulationes ludicras efformabunt, in quibus multo majus etiam erit periculum, abuſuſque graviores, quam in iis quæ rejicienda credunt: quandoquidem ita ob externorum compoſitionem peſtilentiſſimo errore deluſi in eodem ſtatu ſibi eſſe videbuntur in quo Chriſtiani illi primi & ſancti fuerant. Simius utique, ſi fortè actiones ſociorum ſuorum ſimiorum correcturus, eoſdem omni opera ſollicite exerceret, ut ad externos mores ac geſtus hominum accuratiùs ſeſe componerent, riſum certe moveret omnibus. At ſi qua ratione aut via iidem ſimii rationem internam ſibi acquirere poſſent, præſtaret utique illos hanc viam diligenter perſequi, quàm ut alii aliorum motus ad externos quoſdam geſtus per ridiculam imitationem componere contenderent. Homo qui à ſtatu primorum Chriſtianorum diſſidens ſolis ritibus eorum externis ſeſe conformare ſtudet, beſtiæ aut ſimii ſimilitudinem habet; ac perridiculus eſt ſi, quamdiu eſt homo animalis, Reformationem ſuam in geſtuum

Digitized by Google

ſtuum ac motuum correctione conſtituat. Quin potiùs à via interna initio facto, ſtudeat animam à peccatis purificare, ad Deum elevare, eidemque adhærere, ut intelligentiam divinam, hoc eſt, Spiritum S. recipiat. Qui ut advenerit, rerum externarum formam ita conſtituet, ut & Deo placeat homo, & ſaluti tum ſui ipſius, tum aliorum promovendæ inſerviat.

XXI. (2.) At hæc ſi ita ſint, inquies, in omnibus ergo Religionibus aut partibus Chriſtianæ gentis homines ſervari poterunt. Ingens verò malum! Equidem de impiis fateor, eos qua tales nuſquam ſervari poſſe, etiamſi in ipſo Collegio Apoſtolorum agerent. (a) *Nulla eſt pax impiis, dixit Deus meus*, verba ſunt Prophetæ. At ad pios & probos quod attinet, (b) *In omni gente*, ait Petrus, *quicunque Deum timet & juſtitiam colit, eidem acceptus eſt.* In omni religione Romanâ, Lutheranâ, Calvinianâ, imò & inter ipſos gentiles fuerunt nonnulli vere ſancti, verique Dei filii. Et ſi forte hodie non ſuperſint qui eouſque provecti ſunt, ſunt tamen etiam nunc qui Deum ſincerè quærunt, qui corde ſunt bono, quique in principiis divinæ gratiæ agunt, per quam utique, ſi ex hac vita diſcederent, ſervarentur.

XXI. (2.) *An in omnibus Religionibus via detur ad ſalutem?*

(a) Eſa. 57. v. 21.

(b) Act. 10. v. 34, 35.

Non ea quæ parti certæ peculiaria ſunt ac propria, quæque eandem à partibus ceteris diſtinguunt, nos coram Deo aut ſervabunt aut damnabunt; ſed ſola Religionis Chriſtianæ pars eſſentialis, Timor inquam & Amor Dei, odiumque ſui ipſius atque peccati, homines ſalvos præſtat: & contra, quæ huic parti eſſentiali contraria ſunt, veluti, impietas, peccatum, amor proprius, ea ſola damnant. Quiſquis timorem atque Amorem Dei, & quæ ex iis pendent, amorem proximi, odium peccati, atque contemtum ſui ipſius poſſidet, is partem eſſentialem, & ipſum cor, vitamque atque animam Religionis ſalutaris tenet. Cetera verò Religionis veluti veſtimenta ſunt, quæ diverſa materia formiſque diverſis conſtant. Quam ridiculus eſſet qui contenderet, homines vivere non poſſe niſi veſtimentis uterentur una quadam materia unaque forma conſtantibus! Quod ſiquis verò ita perſuaſus, omnes eos qui non eadem forma veſtimentorum ſecum uterentur, capitis damnaret, imò eoſdem lata ſententia protinus m ti traderet, quantæ id eſſet crudelitatis! Nullus dubito quin ſi ilis, quam in rebus animæ imitantur agendi ratio, æque abſu la videatur coràm Deo, ac Iis illa vexatioque antiqua & de-

(a) In Epiſtolis Gallicis. *Les Imaginaires.* Lettre I.

cantata (a) Franciſcanorum de forma cuculli ſui, ob quam alii alios atrociter perſecuti ſunt. Quaſi verò multùm curaret Deus quibus veſtimentis utantur homines, quaſve ceremonias obſervent, aut quas opiniones levidenſes ſequantur, modò eundem de cetero ament, & cordis ſint humilis atque ſinceri, ſingulique Adamum ſuum veterem ac proprium, & ſolum quidem, oderint, contemnant, & proſequantur!

XXII. (3.) *Quid ſentiendum de converſionibus vulgo uſitatis.*

(b) Jerem. 4. v. 1.

XXII. (3.) Verùm, replicabis, hæc ſi ita ſint; nemo unquam converti deberet. Imo ad Chriſtum convertantur, peccato relicto, ac vita ejuſdem ſanctiſſima divinoque Spiritu reſumptis. Quæ verò iſtæ ſectarum converſiones quibus non niſi partes & veſtimenta mutantur? Audiamus Scripturam, (b) *Si reverteris, ô Iſrael, ad me convertere, inquit Dominus.* Converſio vera, quæ coram Deo valeat, mutatione ac ſanctificatione cordis conſtet oportet, non autem ſola mutatione partium aut levidenſium quarundam opinionum. In ſcripturis præſignificatum videmus, orbem Chriſtianum temporibus noviſſimis plenum fore hominibus carnalibus, civibuſque Babyloniis, homines ejus ævi futuros eſſe (c) *amatores ſui, avaros, ſuperbos, elatos, Supercilibus immorigeros, ingratos, impios, inhumanos, perfidos, calumniatores, luxurioſos, malignos, bonorum oſores, proditores, protervos, vanitate tumidos, voluptates ſuas magis quam Deum amantes, pietatis quidem ſpeciem affectantes at vim ejus virtutemque repudiantes.* Quando hæc prædictio rata fuerit atque impleta, populus Chriſtianorum profectò non erit niſi fæx perditiſſima hominum impiorum inter quos non niſi pauciſſimi boni rariſſime hinc inde diſperſi deliteſcent. Erit inquam ipſiſſima Babylon, quæ propriis ſuis turbis agitata *in partes* (d) *tres*, imò in plures, diſcedere poterit. At, quæſo, ſi eodem tempore pars partem ad ſeſe convertere conaretur, quàm egregia ea foret converſio? Videlicet, certa platea aut vico Babylonis relicto, in alia platea ejuſdem urbis domicilium ſibi conſtituere; & relicta certa ſpecie aut larva pietatis, aliam pietatis larvam adoptare! Merum ſane Babylonis opus! Equidem Deus, qui nihil magis abominatur quàm ut ne populum habeat ſanctum atque voluntarium; multum abeſt ut converſionem veram in iſtis velit contineri. Qui ſalutem ſuam amant, ii apertis oculis diligenter circumſpiciant oportet, quo tempore hæc prædictio rata erit, & iſta agendi ratio vulgo in-

(c) 2 Tim. 3. v. 2. &c.

(d) Apoc. 16. v. 19.

va-

valuerit. Et tum quidem, homines pii; lapidibus atque pulveri Hieroſolymæ, penitus jam deſtructæ, animis adhæreſcentes, dignos ſeſe præſtare conabuntur, qui per charitatem media in Babylone, Sionis cives evadant, quacunque in platea magnæ urbis impediti teneantur, dum interim ceteris ejus ritibus vulgo receptis quoad fieri poteſt ſeſe ſint conformaturi, tum ut graviora mala evitent, tum ut infirmiores ædificent. Et iſthæc quidem vera eſt converſio: videlicet ab amore proprio & odio Dei ac proximi, ad amorem Dei & proximi converti, aſſumta quidem erga Deum puritate cordis, erga proximum autem benignitate, manſuetudine, humilitate ac tolerantia. Quiſquis duritiem, ſuperbiam, ferocitatem, atque malignitatem naturalem cordis ſui ita mutaverit, is demùm verè converſus eſt Converſione vera atque ſolida.

XXIII. (4.) Verum, (repones iterum) inter Chriſtianos hodie in diverſas partes diviſos, non tantùm ſoli impii, ſed & ipſi pii, imo vel ſanctiſſimi quique unius partis, ceteros omnes quotquot in aliis partibus ſunt, condemnant. Exempla vide in ſanctis qui in Eccleſia Romana fuerunt, veluti in S. Tereſia, & quibuſdam aliis, qui damnationem Lutheranorum ac Calviniſtarum, uti contra hi perditionem Romanorum, tam graphicè deplorant. De Doctoribus eorum res ipſa manifeſtò loquitur. At Reſpondeo, aliam eſſe condemnationem hominum, aliam Dei. (a) *Habemus unum Legiſlatorem judicemque qui poteſt liberare & perdere.* Quis verò mirabitur, ſanctiſſimos quoſque, quibus inde à primis annis inculcatum fuit, eos qui in alia platea regioneve Urbis magnæ habitant, aut qui media in urbe ſeparata ſibi caſtra domiciliaque fecerunt, eſſe Dei hoſtes, homines impios, & Chriſtianæ rei peſtes, non poſſe quin eoſdem extra viam ſalutis eſſe exiſtiment, taleſque qui niſi mutentur ſervari non poſſint? Imò verò Sancti qui iſtiuſmodi præjudiciis occupati tenentur, eam quam habent ſententiam habere debent. Jus regulamque ipſam ſi reſpicias, verum eſt, eos in via perditionis eſſe qui ita animis affecti ſunt qualiter iſti iis repræſentantur; At ſi rem individuam ſpectes, error facti eſt, quod credant hos illoſve omnes, nullis exceptis, in ea via verſari, & in eadem manere: [illegible]s in errores facti, Sancti ſane poſſunt incidere, auditis relationibus aliorum, qui forte ſuis commodis ſtudent, aut præju-

XXIII. (4.) *Qui fiat ut boni qui diverſarum ſunt partium non rarò ſeſe mutuo condemnent?*

(a) Jacob. 4. v. 12.

diciis occupantur, aut zelo inconſulto æſtuant, aut denique malignitate animi aguntur. Deus autem ſanctis iſtis errores ejuſmodi relinquit, quibus charitas eorundem nequicquam læditur; quoniam eorum, quos ad perditionem ruere credunt, miſerentes, Deum pro iis deprecantur, ut videre eſt in Sanctâ illâ modo nominata, quæ rata Lutheranos omnes à ſtatu ſalutis abeſſe, tam ardenter Deo pro iiſdem ſupplicabat. Idem dicendum eſt de piis aliis alias partes ſequentibus, qui ſine dubio eadem ratione ſe gerunt erga eos qui alieni ſunt à ſuorum communione, extra quam nullam eſſe ſalutem arbitrantur, uti ſinguli ferè de ſuâ ſibi perſuadent.

XXIV. *Quomodo extra Eccleſiam nulla ſit ſalus?*

XXIV. Qua in re omnes ſequenti Axiomati, de quo nulla controverſia eſt, ſine dubio innituntur, *Extra Eccleſiam nulla eſt ſalus*. Id quod ſinguli ad partes ac cœtum ſuum applicantes, ceteros omnes inde condemnandos eſſe colligunt. At pii atque perſpicaciores non tam definitè loquuntur neque tam inconſultè agunt, atque homines vel cœci vel improbi. Pro certo dicerem, inter eos qui pietatem amant, ne exceptis quidem qui Eccleſiam Romanam ſequuntur (qui ſtrictiùs agere ſolent) neminem fore, qui verba allata, ſiquidem ea per paraphraſin exponenda eſſent, in ſententiam explicaturus ſit contrariam, ei quam hic ſubjungo. „ Extra Doctrinam illam qua ipſa eſſentia veræ „ Eccleſiæ ac filiorum Hieroſolymæ continetur, videlicet, ex„ tra renunciationem mali, extra amorem Dei atque imitationem „ Chriſti, nulla eſt ſalus; ſimiliterque extra bonas conſtitutio„ nes bonoſque Eccleſiæ ritus nulla ſalus eſt ei qui per animi ſu„ perbiam, per ferocitatem & malignitatem obſtinatam & profa„ nam eos contemnit ac rejicit: hoc enim ſignum eſt eum ab „ amore Dei deſtitui. At ſi quis ex cauſa alia extra conſtitutio„ nes illas ac ritus extraque cœtum hunc agat; ſi fortè ob præ„ judicia nonnulla, aut per ignorantiam, aut propter iniquas „ aliorum relationes ab iis abſit, modò aliàs corde ſit humili at„ que ſincero, ſique paratus eſſet eadem amplecti modo eorum „ bonitatem ſciret, videretque id ſui eſſe officii; is, inquam, „ qui animo adhæret omnibus rebus bonis quæ in optima quâque „ cœtuum omnium Eccleſiæque parte inveniuntur, quique ex „ ſola infirmitate atque errore mentis extra ea eſt, à ſpe ſalutis „ nequicquam depellendus eſt. Non puto ullum unquam eorum

qui Deum timent, quaſcunque ſequatur partes, aliter interpretaturum eſſe verba iſta, aut dicturum alio ſenſu, extra cœtum illum quem ipſe Eccleſiam eſſe putat, nullam eſſe ſalutem; niſi illos intelligat qui per ſuperbiam, per contemtum, per malignitatem & obſtinatam animi pervicaciam, extra bonum & extra veritatem verſantur; quique charitate privantur. Hi ſoli ſunt propter quos regula iſthæc propoſita eſt, & de quibus ſimiliter debet intelligi.

XXV. (5.) Quæri poteſt, quid cauſæ ſit cur Deus ipſos ſanctos ſuos relinquat in ſimilibus circa rem facti erroribus, quales ſunt, quando arbitrantur eos qui extra partes ac cœtum ſuum agunt, extra charitatem agere, & in ſtatu perditionis verſari? Cur non iiſdem revelat poſſe inter eos eſſe homines quoſdam pios, imò quandoque revera plures intereſſe? Reſpondeo, id fieri propter ſalutem infirmorum inter quos degunt, quoſque oportet ut Deo lucri-faciant. Fuit quandoque ea temporis infelicitas; ut ſi Deus animæ cuidam ſanctæ in certo cœtu agenti declaraſſet, eos qui in alia Societate agunt, ſimiliter ſervari poſſe, nec deeſſe inter eos homines verè juſtos; ea ipſa hoc nomine inter ſuos in ſuſpicionem hæreſeos incidiſſet, aut ad mortem forte abrepta fuiſſet: ſaltem omnium veritatum ſalutarium, quibus Deus eos cum quibus illa converſabatur, ad ſalutem promovere voluerat, fides ita penitus concidiſſet. Hoc caſu ergo, ea ſcientia facti, de qua loquimur, ſalutem animarum non tantum non adjuviſſet, ſed & retardaſſet; & contrà, error facti eidem promovendæ utilis erat atque neceſſarius. Unde non eſt quod miremur, Deum iis errorem iſtum reliquiſſe, unà cum aliis quibuſdam imperfectionibus ejuſdem naturæ, veluti quod fortè plus nimio adhæſerint Directoribus ſuis, aut etiam obſervationibus quibuſdam exigui momenti, quarum tamen neglectio retardaſſet ædificationem animarum in eo cœtu, aut ſi mavis, in ea regione magnæ Urbis, in qua ſanctificari debebant, viventium. Quod ſi Deus Judæis ignovit peccatum contra Filium ſuum, in quantum eum per ignorantiam cruci affixerunt, rati impoſtorem eſſe quem ad mortem abripiebant; multo magis t ique errorem facti cum charitate conjunctum filiis ſuis nunq am imputabit.

XXV. (5.) Quare Deus nonnunquam ſuos in hiſce erroribus circa factum relinquat?

Dico *errorem facti cum charitate conjunctum*: Etenim veri filii

Digitized by Google

Dei non errant in jure nec contra charitatem. Illi ea ſola condemnant quæ mala eſſe arbitrantur, eademque ſi bona putaverint, laudant atque probant: de cetero, errantium vicem dolent, parati ipſam vitam impendere ſaluti eorum quos in errore verſari credunt: hinc pro iis orant, & ſæpiſſime, per ſummam cordis humilitatem, eos minùs à regno Dei diſtare, minuſque eo indignos aut minoris culpæ reos eſſe cogitant, quàm quidem ipſimet ſint.

XXVI. *Docti ſuperbi & impii turbis omnibus quæ inter Chriſtianos ſunt, cauſam dederunt.*

XXVI. At ſoli mali, & imprimis Doctores atque Eruditi impii, filii illi Babylonii, horumce errorum *facti*, ut ne dicam infinitorum malorum aliorum, auctores ſunt & promotores. Hi ſunt qui per ſuperbiam cordis dominatum in univerſos affectantes, omnes ſibi attrahere contendunt, nec pati volunt alios conſuli, alios audiri, alios conſiderari præterquam ſe ſolos. Quod ſi ſolam Gloriam Dei cum humilitate atque renunciatione ſui ipſius quærerent, non laborarent utique utrum homines ſibi adhærerent, an ſecus, utrum ſui rationem haberent nec ne, modo Deum unum quærerent & ſequerentur. Si Deum amarent, gauderent eos qui ſuarum partium non ſunt, ad Deum adſpirare, eoſdemque ad illum ſolum adducere conantes, æſtimationem eorum nullis modis labefactarent, nec intempeſtivè eos ad converſiones ſuas frivolas compellerent, aut ad diſputationes ſuas vocarent atque controverſias futiles ac moroſas, quæ ad Charitatem divinam promovendam nullum momentum afferunt, ſed eam potiùs apertiſſimè retardant. Memores forent ante omnia verborum Apoſtoli, (a) *Seponite iram, indignationem, malitiam, maledicentiam . . . . Induite ergo tanquam electi Dei, ſancti atque dilecti, viſcera miſericordiæ, bonitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, tolerantes alii alios, remittentes ſinguli fratribus veſtris omnia de quibus forte querela eſſet, & ignoſcentes alii aliis quemadmodum Dominus vobis ignovit. Ante omnia vero induite Charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis: & pax Chriſti regnet in cordibus veſtris, ad quam vocati eſtis in unum corpus.*

(a) Coloſſ. 3. v. 8, 12, &c.

Verùm ea nunc eſt tenebrarum vis, ut de ædificatione, unione atque charitate, uti quidem volunt, promovenda ſatagentes, ipſo principio diſcordiarum (diſputationibus ſcilicet,) abutantur. Diſputant, inquiunt, pro veritate *Euchariſtiæ*. Quæ vero hæc eſt mentis cœcitas? quæ tenebræ! Teſtor omnium fidem, an

Digitized by Google

an unquam diſputatum ſit, uter proximum impenſiùs amaret, uter meliùs unanimitatem cordis opere ac factis ſuis oſtenderet; uter in charitate, in æquabilitate animi partium ſtudiis non abrepti, uter in impendendis mutuo bonis ac vita ſua pro aliis excelleret? An ad promovenda iſta, quibus eſſentia propria atque anima veræ *Communionis* continetur, operam adhibuerunt, diſputarunt, atque adeo in jurgia, in diviſiones, in odia, in exſecrationes mutuas profuperunt? Nonne potiùs hoc ipſum eſt factiones ſuas & privata ſtudia partium æſtu immaniſſimo quærere, id quod Communioni ſacræ omnino contrarium erat? Quid verò ab egregiâ hac ratione, qua Chriſtiani moderni utuntur tandem exſpectandum erit? (a) *Siquidem alii alios mordetis & devoratis, videte ne alii ab aliis conſumamini.* Et profectò eò jam res ruit, videntibus omnibus qui oculos aperire volunt: nihilominus tamen, quod longè deploratiſſimum eſt, alii quidem, cum ita agendo agnoſcere deberent ſe non niſi ſpiritu zeli falſi agi, zelo Dei ſibi animari videbuntur; alii verò ſeſe martyres eſſe veritatis exiſtimabunt, dum non niſi animi ſui factioſi, quo partibus & diſſidiis adhærent, ſupplicia ac pœnas dabant.

(a) Gal. 5. v. 15.

XXVII. (6.) Ego his in rebus, ut dixi, tam prolixus non fuiſſem, niſi eæ ad noſtra nunc tempora accommodatiſſimæ viderentur, & niſi ante omnia optandum eſſet, bonos omnes circa hæc animis eſſe pacatis atque tranquillis. Finiam autem reſpondendo huic difficultati, quæ ultima erit, videlicet, quomodo homines pii non tantum ceremoniis diverſis uti poſſint, ſed & eaſdem à manu Dei & tanquam ab ipſo venientes comprobataſque acceptare, licèt illæ revera inter ſe differant, imò nonnunquam aliæ aliis ſint contrariæ. Hanc difficultatem omnino nullam eſſe, unuſquiſque vel in rebus quotidianis & uſitatiſſimis manifeſtò videbit. Scriptura ſacra jubet omnia, ipſas etiam conjurationes impiorum ac dæmonum contra nos, & univerſa quæ nobis uſu veniunt, acceptare tanquam quæ à manu Dei nobis diſpenſentur, & ab ipſo Deo nobis adminiſtrentur. (b) *Dominus dedit*, exclamabat Jobus, *Dominus abſtulit. Benedictum ſit Nomen Domini!* Homines pii atque ſinceri, qui tum hæc externa ſacra, tum cetera omnia, tanquam ab ipſo Deo ſibi data acceptant, ſingulaque legitimè cordibus affecti & animos divinæ Majeſtati ſuæ ſubmittentes, ad ipſum referunt,

XXVII. (6.) *Utrum ceremoniarum diverſitas aut contrarietas non obſit, quo minus omnes ita acceptentur quaſi à Deo veniant.*

(b) Job. 1. v. 21.

non

non tantùm ab eo non improbantur; ſed & Deus per uſum rituum iſtorum divinam ſuam gratiam iiſdem affundit, pro modo fidei ſuæ atque diligentiæ, quâ ad ipſum recurrere ſatagunt. Et ritus quidem iſtos diverſis in locis diverſos eſſe nihil refert. Bona & adverſa valetudo, vitaque & mors, contraria utique ſunt; at nihilominus rectiſſimè facit qui eadem ex manu ejuſdem Dei acceptat, à quo procul dubio bonus eorum uſus probatur. Etenim quicquid ſit, MEDIA OMNIA EXTERNA QUIBUS HOMINES AD DEUM REVOCANTUR, DIVERSA IN SE, IMO ET CONTRARIA INTER SE ESSE POSSUNT; idque propter diverſas animorum præparationes, ac circumſtantias diverſas in quibus homines inveniuntur.

Plura dico; qui lumen ac amoris Dei principia quædam accepit, is ſine ullo ſcrupulo & in ſumma tranquillitate conſcientiæ, omnibus cultibus, omnibuſque ritibus diverſis in diverſis partibus Chriſtianorum receptis, intereſſe, & iiſdem juvari poterit. Quæ ipſa tamen ita limitari ac reſtringi debent: videlicet, ſi fortè, univerſim loquendo, boni omnes ita corrupti fuerint, aut ex hac vita ſic diſceſſerint ut non niſi degeneres quidam ac filii Babylonis atque amoris proprii, res ſacras ubique profanantes, ſupereſſent, verbo, ſi res ad eas circumſtantias deducta fuerit, quas ſupra (a) vidimus; eo caſu, à bonis abuſus iſtos ſua præſentia approbari nefas certe foret; ac futurum puto, ut Deus tum temporis paucis illis bonis qui forte ſupererunt, voluntatem adimeret impiorum cœtus frequentandi, & ſacrilegiis eorumdem aſſiſtendi: cujus rei exemplum videmus in Jeremia, quem jubebat Deus à congregatione Judæorum in templo Hieroſolymitano coëuntium deinceps abſtinere: (b) *Quia dilectus meus in æde mea, ubi ſcelera patrant?* Tum vero procul dubio inſtabit tempus, quo divina Juſtitia impiis & impiorum ceremoniis deſtructis, cultum ſuum verum *in Spiritu ac veritate*, qualis ab initio fuit, reſtituturus erit.

(a) Suprà num. 3.

(b) Jerem. 11. v. 15.

Digitized by Google

SECTIO IV.

CENSURA, *quam Auctor Epiſtolarum Paſtoralium quas vocant*, AMICO EX CHARITATE CONSILIO *oppoſuit*, *cum inſcriptione ſequenti:*

Articulus Controverſiarum; Obſervationes in Epiſtolam quandam, nuper ad Eccleſias Gallicanas datam atque tranſmiſſam.

EXpoſito jam Articulo Antiquitatum, tranſeundum nobis " erat ad Articulum Controverſiarum; at dum nos eodem " rectà tendebamus in via occurrit ſcriptum cui titulus, *Amicum* " *ex charitate Conſilium, ad levandos animos Conſcientiamque eorum qui* " *Eccleſiæ Romano-Catholicæ ritibus uti coguntur: excerptum ex Epiſtola* " *à privato quodam ad propinquos ſuos data.* Huic epiſtolæ periculo- " ſæ ſcopus eſt noſtro inſtituto omnino contrarius. Nobis enim " propoſitum eſt ſomnum vobis excutere; at illa vos in ſoporem " dare, animiſque veſtris perſuadere enititur, ſuperſtitiones illas, " quarum obſervandarum neceſſitas vobis imponitur, vobis nocere " non poſſe, imò eas vobis prodeſſe poſſe, modò iiſdem utamini " tanquam mediis ac inſtrumentis quibus cum Deo vos uniatis. " Venenum hujus ſcripti eo nomine periculoſius videtur, quod " characterem humilitatis, pietatis ac devotionis paſſim præ ſe fe- " rit. Neque etiam ignoramus nonnullos, qui ad gratiam ſibi " conciliandam, eò vos inducere quærunt ut perſecutoribus ve- " ſtris vòſmet ſubmittatis, multa ejuſdèm exemplaria vobis tranſ- " miſiſſe. Adeoque modis omnibus noſtra intereſt, ut à vobis tan- " tum periculum propulſemus, quò fortè ſcriptum hoc pernicio- " ſum eos abriperet qui jam plus nimio ad blanditias ſibi quæ- " rendas propendent, atque ultrò etiam ad ſomnum faciliores ver- " gunt. Nos verò ut vos contra Auctorem ejus defendamus, non " quidem rationes ab eo allatas refellemus: ſed qualis ille Doctor " ſit vobis indicabimus. Hæc enim ſufficient ut ſciatis quam fidem " adhibere fas ſit Principiis à tali Doctore traditis. "

Itaque ſciendum vobis eſt, non eſſe aliquem ex Paſtoribus " veſtris qui quondam vobis præfuerunt, qui hæc vobis ſcribat. " Equidem Auctor hujus Epiſtolæ hunc characterem aliquando & " ipſe "

Digitized by Google

„ ipſe geſſit; verùm ante aliquot retrò annos eidem renunciavit quo in brachia confugeret feminæ cujuſdam ſomnioſæ Antoniæ Burignoniæ. Hæc femina videns parum eſſe tot ſectas quæ hodie inter Chriſtianos adſunt, animum induxit aliam inſuper ac novam inſtituere. Cumque præterea moris non ſit à ſexu muliebri Religiones fundari, ſuam perſuaſit ſibi Religionem ex ſingulari origine cauſam eſſe habituram celebritatis ac nominis. Itaque ſummam devotionem præ ſe ferens, quod fanatici omnes ſolent, animum inſtituit ad prædicandum mortalibus per conſcripta circiter viginti volumina, quæ partim ipſa in publicum edidit, partim poſt mortem ſuam edenda reliquit. In hiſce verò operibus præter veritates Chriſtianas, eas præſertim quæ ad mores formandos pertinent, quas quibuſdam in locis ſatis feliciter diſpoſuit atque inſtruxit, mille paſſim viſiones paradoxas, mille ſomnia inania contra Veritates inter Theologos receptas venditat. Dominus P. autem, ſcripti hujus de quo nunc agitur Auctor, non tam à corruptione cordis, quàm ab infirmitate mentis ad ſectam hanc amplectendam devolutus, ejuſdem ſeſe caput conſtituit. Idem nobis brevi tredecim Volumina daturus eſt, quæ procul dubio Myſteria Magiſtræ ſuæ fuſiùs explicabunt ac longè lateque diffundent. Ut autem ſciatis qualis ſit hominum iſtorum character, ſufficiet lineamenta quædam Religionis quam profitentur, vobis nunc exhibere, & hæc quidem ex eodem hoc ſcripto, quod vobis tranſmiſſum fuit deſumemus.

„ Principiò Secta eorum eſt, nullam habere ſectam & nullam omninò affectare: recipere inter ſe Pontificios, Lutheranos, Remonſtrantes, Reformatos, Socinianos, Mennoniſtas, Anabaptiſtas; omnes enim iis optatò adveniunt, neque vel opiniones vel ritûs ſibi uſitatos mutare coguntur, ſiquidem ita videtur. Sed & Religio eorundem eſt, nullam foris obſervare. Hinc nec Conciones audiunt, nec Miſſam: nulloque exercitio Religionis vel publico vel privato funguntur. Nunquam in cœtus inter ſe coëunt, uti eorum moris eſt qui in reliquis Sectis Chriſtianorum agunt. Quod ſi impetus quidam animi eò vigat, hodie quidem facilè Miſſæ intererunt, craſtino verò ad Reformatorum cœtus frequentabunt: quanquam idipſum forte nec ſemel quotannis, imò nec ſemel in toto vitæ ſuæ tempore,

iiſdem

iiſdem accidat. Profitentur enim, exercitia pietatis à ſeſe ſum- “
mopere contemni, atque omnino indifferenter haberi, dicunt- “
que illa res eſſe externas, quarum nullus ſit uſus, niſi quatenus “
intentio & ratio iiſdem utendi ad cordis ſui atque animi correctio- “
nem, eaſdem utiles reddidit, imò quæ multo magis obſint quàm “
proſint, quoniam animam extra ſe ipſam trahant. Credo eos ma- “
gnam hac in re cognationem habere cum Sectatoribus Doctoris “
Molini, quos *Quietiſtas* vocant, qui in Italia tot tumultus dede- “
runt. Paſtores autem nimis immodicè obtrectant, ac Zelum “
quendam aſſimulantes nihil non afferunt, ut tum Miniſterium pu- “
blicum tum eos qui eo funguntur in utraque Religione, in invi- “
diam atque contemptionem adducant. Id quod in ſcriptis Auctri- “
cis Antoniæ Burignoniæ videre eſt. Imo verò nec privatis de- “
votionis exercitiis in domibus ſuis utuntur, ſaltem quæ in ocu- “
los hominum incurrant. Etenim D. P. ipſe publicè indicavit, “
in ædibus Virginis Burignoniæ moris non fuiſſe precibus ullis “
domeſticis uti, præterquam in cibo capiendo, & his quidem non “
niſi ſubmiſſa voce. Equidem uſum illi precum nemini interdi- “
cunt qui iis uti volent, perinde atque neminem vel conciones “
vetant vel Miſſam audire. At qui perfecti inter eos ſunt, in his “
non occupantur. Eſt enim inter principia D. P. & hoc, deſi- “
deria, preces, elevationes animi ad Deum & meditationes, ſpi- “
ritui Chriſtianiſmi perfecti penitus contraria eſſe, atque deſcen- “
ſionem Spiritus S. adventumque Gratiæ impedire. Status ido- “
neus qui Spiritum S. attrahat, ipſo quidem docente, is eſt quem “
vocat ſtatum *inactionis*, quo anima precibus, deſideriis, moti- “
buſque privata, in nihilum ſe decidere patitur. Et hæc quidem “
annihilatio facultatum omnium, ut volunt, eſt ſacrificium “
Deo acceptum, quo fit ut Spiritus S. deſcendat. Hinc perpe- “
tuò in ore habent verba iſta, *Sileant creaturæ, & Dominus loqua-* “
tur. quibus volunt non tantùm ut is qui Deum audire velit, “
ſilentium imponat affectibus: quod certè verum eſt: verum “
etiam ut omnibus objectis externis januam claudat, omnibuſque “
pariter facultatibus internis conſopitis veluti in ecſtaſin quandam “
devenire ſtudeat, qua durante Deus immediatè & per ſemet- “
ipſum cordi loquatur. Videtis hic quandam ex viſionibus hu- “
jus Sectæ, cujus veſtigia paſſim per totam epiſtolam diſperſa vi- “
deantur. Hoc enim eſt quod volunt humiliationes iſtæ, annihi- “

Digitized by Google

» lationeſque & actus interni animæ Deo adhæreſcentis, ad quos » faciendos illa hortatur.

» Subjungo aliud ſomnium ingeniorum horum ægrotantium, » quod legitur pag. 4. ejuſdem ſcripti, (a) ubi col. 2. ſic dicitur. » *Tum & tenendum eſt, quod in Euangelio dicitur, omnia poſſibilia eſſe* » *credenti: per fidem & montes transferri poſſe; quare & Jeſus Chriſtus* » *his ferè verbis homines ſemper compellat, Fiat tibi ſecundùm fidem* » *tuam. Unde fit, ut ſi illi qui officium Euchariſtiæ adminiſtrant, qui-* » *que in ejuſdem adminiſtratione præſentes adſunt, certa fide credant, Je-* » *ſum Chriſtum præſentem adeſſe, fides illa à Deo rata habeatur, faciat-* » *que ut Deus (quem & verba ac promiſſa ſua eadem neceſſitate obſtrin-* » *gunt) non poſſit non præſentem ſe reddere ita uti præſens eſſe creditur:* » *quæ quidem tantam perſpicuitatem habent ut neminem veſtrum futurum* » *eſſe confidam, qui vim eorum ac robur non capiat.* Quis verò dubi- » tabit eum ingenti vitio mentis laborare qui hanc doctrinam ſuſ- » tineat perſpicuam dicere? Age, vero, ego vobis eandem per- » ſpicuam dabo. Dogma eſt Cabalæ hujus Myſterioſæ, Deum » originitus hominem creaſſe rerum omnium Dominum, & qui- » dem ſenſu maxime proprio: ita ut curſum Solis ſiſtere, glo- » bum terræ commovere, montes transferre, aliaque ſimilia pa- » trare potuerit. Inſtrumentum verò, cujus uſu iſta omnia pere- » gerit, aut peragere potuerit, fuiſſe ejuſdem fidem. Etenim » *omnia poſſibilia ſunt credenti*, quæ verba nullam figuram habere, » nullamque exceptionem admittere volunt. Statum verò per- » fectionis, ad quem Jeſus Chriſtus homines vocat, eſſe hunc » ipſum ſtatum fidei, quo omnia nobis poſſibilia fiant. Adeoque » ad ſubvertendum ordinem totius naturæ ſufficiet ut credatis eum » à vobis ſubverti poſſe; & tunc quidem protinus ſubvertetur. » Etenim ipſiſſimo ſenſu proprio, ita uti verba ſonant, accipienda » eſſe volunt verba hæc Jeſu Chriſti: *Si tantum fidei haberetis quan-* » *tum eſt granum ſynapi, diceretis huic monti, conjice te in mare, & res* » *ipſa fieret.* Neque verò hoc privilegium erat ſolis Apoſtolis pro- » prium; ſed ad omnes fideles ex æquo pertinebat. Hic videtis » doctrinam illam admirabilem quæ tantam habere perſpicuitatem » dicitur, ut *non poſſitis non vim ejuſdem ac robur intelligere.* Quod ſi » tamen nec adhuc vim ejus ac robur intelligatis, eandem certè » peropportunam eſſe non difficulter intelligetis. Etenim ſi ii il- » ac credere voletis Chriſtum in titionum fulcris, aut in ſip...io

(a) Hic verò, Sup. Sect. I. n. 7.

can ini

camini veſtri corporaliter præſentem adeſſe, idipſum fiet. Qua " ratione ſinguli dum igni veſtro domi aſſidebitis, Miſſæ tamen " ſimul intereſſe poteritis; atque adeo omnia utenſilia domeſtica, " facta transſubſtantione per fidem conſecrabitis. "

In eodem ſcripto aliud occurrit phantaſma quod mihi magis " etiam ridiculum videtur, quando de Purgatorio (*a*) pag. 6. col. 2. " ſequentia afferuntur: *Si qua fortè anima amore Dei prædita ex hac* " *vita deceſſerit, priuſquam impuritatum ſuarum ac pravarum conſuetudi-* " *num maculas omnes eluerit, ſanguis Jeſu Chriſti, ſive gratia Jeſu Chri-* " *ſti purifica, poſt mortem ſe in eam diffundit ut eam peccatis omnibus* " *expurget aut purificationem cœptam abſolvat: & hæc quidem gratia* " *mali pravarumque conſuetudinum & propenſionum reliquias, quas copio-* " *ſius aut parcius in ea ſupereſſe invenit, impugnat, & longiſſimè ab ani-* " *ma rejicere ac propulſare contendit. Ea vero pugna, quâ gratia Chri-* " *ſti purifica in anima ſentiendi vi præſentiſſima pollente, ex qua omnes* " *peccati reliquiæ ejiciendæ ſunt, malum oppugnat, ſine graviſſimis præ-* " *ſentiſſimiſque doloribus nec eſt nec eſſe poteſt.* Quis verò hæc Para- " doxa eſſe neget, Sanguinem Chriſti animæ à corpore jam ſepa- " ratæ haud ſecus ac politorum pollinem, ſuperfundi, ut eam ex- " tergat & poliat? Equidem Dominus P. non potuit curioſitatem " publicam meliùs excitare quàm cùm hæc myſteriorum ſuorum " ſpecimina dedit. Neque hæc inutilia erunt Typographo ſuo; " etenim nullus dubito, quin ii qui curioſiores ſunt inter Gallos, " Syſtema completum Theologiæ hujus admirabilis quocunque " pretio videre velint. "

(*a*) Sup. ibid. n. 13.

Quicquid ſit non ſine ſingulari Providentia factum eſt, ut Au- " ctor in eodem hoc ſcripto, in quo certè non deſunt quæ animis " Nicodemitarum ſuaviſſimè blandiantur, ea ſufficienter declara- " verit quæ eundem nobis qualis eſt apertè oſtendunt. Itaque vos " nunc, Fratres mei, diſpicite quam fidem adhibere fas ſit ei, qui " talem vobis pietatis ideam affert, ſecundum quam Iſraëlitæ Vi- " tulum aureum adorantes non peccarunt, quoniam eundem ceu " Deum ipſum intuebantur: ſecundum quam licebit Turcarum " Religionem ſequi, imò & cepas adorare, modò quis iiſdem uta- " tur tanquam inſtrumentis quibus cum Deo uniatur & amorem " ſuum excitet. Ceterum homines illi noſtri volunt ut eos intactos " inturbatoſque relinquamus: Ergò & ipſi nos inturbatos relin- " quant, ſua neque CONSILIA ovibus noſtris offerre conentur, "

 „ ad

Digitized by Google

„ ad quod quidem vocati non ſunt. Ego quidem eos ex animo „ voluiſſem quietos ſibi relinquere, qui nemini moleſtus eſſe cu- „ pio; eoſdemque deinceps in receſſu ſuo tranquillè relicturus „ modò ipſi *inactionem* ſuam erga nos perinde atque erga Deum „ ſervare velint. Quod ſi verò nos turbare pergant, iis fortè „ ita agi poſſet, ut malum iis eſſet honorem collatura.

MONITUM *ad Reſponſionem* ac *Sectionem ſequentem.*

QUiſquis tantillum animadverterit quo impetu, qua injuria in nos ſcripta ſit precedens cenſura; procul dubio ei non poterit adeo mirum, adeo durum videri ſi in ea repellenda aliquid vigoris intercesserit. Non omnis animus ita ſemper conſtitutus eſt, ut indifferenti oculo poſſit adſpicere ſibi, innocentiſſimis aliis, ac veritatibus etiam ſaluberrimis, ea imputari a quibus omnes probi merito abhorrere debeant: tum ubi ſuperadduntur minæ de eadem agendi ratione continuanda; ubi & ipſe moderationis ac HUMILITATIS CHARACTER, *qui in* AMICO CONSILIO *apparet, pro eo charactere traducitur quo Scriptum ipſum* magis *reddatur* venenatum; *fatendum eſt aliquem ſupereſſe excuſationis locum ſi, eo in caſu, accideret reſponſum non eſſe omnino languidum, neque totum eo exaratum ſtylo cujus character vitio ac damno nobis vertitur. Nihilominus cum nonnulli deſideraverint, idque jure merito, ut cum majori lenitate quàm in primâ Editione factum eſt, huicce Cenſuræ reſponſum eſſet; mutavimus, vel etiam ſuſtulimus hac in interpretatione, idque magis quam in Germanica, quæ prodiit Anno* 1702, *non pauca, quæ alioqui Amor veritatis ſalutaris impugnata, indigniſque modis traducta, durius nec ſine indignatione erga eam agendi rationem, expreſſerat, reliquis, uti prius, quantum ad rei ſubſtantiam manentibus, quicquid in recognoſcendo mutationis & acceſſionis paſſa ſint.*

SECTI

SECTIO V.

RESPONSIO *ad ſcriptum præcedens,*

In qua & vis ac natura multarum rerum quæ ad RELIGIONEM *ac* PIETATEM *non parum momenti ferunt, explicantur.*

I. EX quo Deus hanc gratiam mihi fecit ut momenta ſolida divinæ Veritatis ſuæ quodammodo à fundamentis cognoſcerem, ſemper exiſtimavi, *ſpiritum diſputationis* ac *controverſiarum* quæ de cultu externo, de ceremoniis ac levidenſibus opinionibus Religionum moventur, eſſe verum inimici animarum noſtrarum fœtum, ſignumque certum ſpiritûs cœcitatis, ſuperbiæ ac crudelitatis. Homines omnes, & inprimis quidem Chriſtiani, mutuo ſe amare tenentur, tanquam qui ſint & filii Dei & fratres inter ſe tum per Creationem, tum per Redemtionem: cumque iidem nunc in corruptione ac tenebris naſcantur, ſtupidi, craſſi, à Deo & à fonte vitæ ſeparati, atque ita comparati, ut ipſe Deus, licèt pars offenſa, tantæ cladis miſericordia commoveatur; quanto magis ergò ejuſdem doloris ac commiſerationis participes eſſe debent, quotquot tantillum adhuc vel à ſtupiditate belluarum, vel à malitia diabolica abſunt? Quando itaque evenit, ut fortè nonnulli ex his miſellis, per media quædam externa, infirmitati ſuæ accommodata, ex ſtatu hoc miſeriæ ac perditionis emergere, aut alios ex eo eripere, & ad Deum appropinquare enitantur, quis unquam, qui a mentis duritie, cœcitate & malitia rectè abhorreat & purus ſit, adduci ſeſe patietur, ut creaturis hiſce miſerrimis ea in re negotium faceſſat, eoſque moroſè in his vel illis piis conatibus cavilletur, & multas iis difficultates ac ſcrupulos objiciat, quibus à mediis quæ eis uſui ſunt, retracti, ad alia amplectenda adducantur, atque id ſub pœna ſive damnationis adeundæ, ſive idololatriæ committendæ? Nonne potiùs gaudendum erat miſeris animabus iſtis non deeſſe votum animumque ex vinculis diaboli exeundi, atque ad Gratiam Dei & vitam adſpirandi? Nonne ſumma ope niti decebat, ut illæ hoc in inſtituto juvarentur

I. *Spiritus controverſiæ & ſpiritûs Pacis.*

rentur

Digitized by Google

rentur potius per media illa quæ iis ad manum ſunt, aut per ea quibus nonnulli fortè per neceſſitatem uti coguntur dum aliorum uſu interdicuntur?

Ego verò omnium conſcientiam teſtor, utrum votum ac ſcopus adeo intemeratus, utrum inſtitutum charitati adeo conveniens, adeo Chriſtianum, adeo ſolidum, animas ita ad Deum reducendi, ab ullis probis quacunque in parte aut Secta agant, improbari unquam queat? imò verò utrum ullis qui non omni ratione ac communi ſenſu carent diſplicere poſſit? Itaque poſtquam ex principio charitatis tam manifeſtæ ad ſcribendum acceſſi, & in ipſa ſcriptione eam æquitatem ita ſervavi, ut diligenter caverim, ne dum mediorum quorundam aliorum uſum iis quibus ſuis permiſſum non eſt prioribus uti, conciliare conor, eos fortè, qui ſuis utuntur mediis, & liberè uti poſſunt, improbarem; non immeritò ſpes erat, etiamſi fortè inſtitutum meum non omnibus probaretur, neminem tamen futurum qui eo nomine mihi negotium faceſſeret. At nihilominus eventus parum reſpondit. Verùm nequaquam exſpectaveram ab Auctore *Epiſtolarum Paſtoralium*, qui in medium prodire voluit, uti eam hic rationem iniviſſet nullas quidem nobis rationes quæ ad rem præſentem aliquid momenti haberent, afferendi, mera verò objiciendi perſonalia, & omnia quidem falſa, quæque tam parum ad noſtrum argumentum faciunt, quàm ipſæ *Epiſtolæ Paſtorales* ad leniendum atque ſublevandum præſentem ſtatum Reformatorum, qui in Galliis ſunt, quorum revera difficultates, quibus nunc involvuntur, non poſſunt non aggravari, eorundemque conſcientiæ miſerrime angi per hanc *articulorum tum antiquitatis tum controverſiarum* congeriem, eorum animis tam ſollicitè inculcatam, quaſi vero ex iis ſalus eorum atque tranquillitas pendeat, Deuſque in judicio noviſſimo eos ſit interrogaturus, utrum *articulos* ſuos *antiquitatis* & *controverſiarum* rectè tenuerint. Ego non video quo animo affectus eſſe debeat, qui ita agat, & hanc quidem agendi rationem *Paſtoralem* vocet, dum interim invehitur in Epiſtolam innocentiſſimam quæ remedia vera ac propria, levandis conſcientiis eorum quibus Medecina quærebatur, adferre apta eſt.

II. *Scopus Auctori & periculoſæ* II. Cauſam cur eam adoriatur, hanc profert: *Huic Epiſtolæ ſcopus eſt noſtro inſtituto omnino contrarius*, Ergo, ſi hæc

iti

ita ſint, quandoquidem Epiſtolæ meæ ſcopus eſt animas tranquillare: inſtitutum Auctoris oportet eſſe eaſdem turbare: cumque epiſtolæ meæ ſcopus ſit efficere ut ritus quibus utuntur illæſa conſcientia obſervent, inſtitutum illius neceſſe eſt ut ſit, efficere ut iiſdem utentes (quemadmodum verè iis utuntur) non poſſint non peccare. Accedit quod fortè Auctor crediderit, veritatibus in epiſtola mea propoſitis, fundamenta omnia totius ſuæ ſtructuræ, *Epiſtolarum* inquam *Paſtoralium*, omniumque partium ipſarum ſeu *articulorum* tum *antiquitatis* tum *controverſiarum* ſubverti & concidere. Et profectò, cùm ceremoniæ eatenus duntaxat bona ſint quatenus ad Deum referuntur, cumque omnes bonæ ſint ſiquidem eò nos reducant, uti Epiſtola dicta oſtendit, quid intereſt utrum prior an poſterior *antiquitas* mutationem quandam iis attulerit, & an ſequentia tempora alias etiam novas inſuper introduxerint. Imò verò ſi etiamnunc vel hoc noſtro vel ſequenti tempore conſultum videretur alias quaſdam variationes in iis inſtituere, hæc omnia bona forent & valida, modò ad memoriam atque amorem Dei & ad humilitatem cordis homines reducerent. Atque ita vidimus omnes *articulos antiquitatis* fruſtra eſſe. Ad opiniones verò quod attinet, prætermiſſa curioſa de aliorum opinionibus quæſtione, animoque circa earum ſterilem theoriam minime ſollicito, ſane ſufficit (ſecundum eandem Epiſtolam) illas eouſque amplecti quatenus per eas ad timorem ac amorem Dei, ad virtutem & ad exercitium honeſti nos revocari ſentimus. Et hoc ſolo quidem, videbimus omnes *articulos controverſiarum* diſſipatum iri. Atque hac forte de cauſa dixit noſter: *Huic Epiſtolæ periculoſæ ſcopus eſt noſtro inſtituto omninò contrarius. Nobis enim propoſitum eſt ſomnum vobis excutere; at illa vos in ſoporem dare enititur.* Certe melius eſſet ut quantum ad contentiones, diſputationes rixaſque, ac inde emanantia in alios odia, inimicitias, tumultus, furores, ceteroſque Orci fructus dormirent homines; quam ut ad ea excitarentur & expergefierent; quæ Apoſtolus inter opera carnis ac inimici evidenter recenſet. Gal. 5: v. 20. *& mihi propoſitus inter ſe pugnant.*

III. Quod ſequitur, a vero longe abeſt, videlicet, quod Epiſtola noſtra perſuadere enitatur *ſuperſtitiones non nocere*. Næ quiſquis ita loquitur vel ignorat vel certè ignorare ſe aſſimulat quid ſit *ſuperſtitio*. Una eademque res poteſt & eſſe & non eſſe ſuper- III. *Superſtitio quid ſit.*

perſtitio, prout ſcilicet cauſa inſtitutionis variat & homines eadem vel rectè vel perperam utuntur. Quæcunque ceremonia ideo inſtituta eſt ut animos cum amore ac humilitate ad Dei præſentiam recurrere doceat, & in eodem hoc ſpiritu obſervatur, ea non eſt ſuperſtitio: at quæcunque ceremonia talis eſt ut inſtitutio ejus aut praxis ab hac intentione & ab hoc uſu diſtent, ea eſt *ſuperſtitio*. Atqui ceremóniæ Eccleſiæ Romanæ, de quibus loquebar, ex principio hoc bono inſtitutæ fuerunt; pariterque oſtendi animos dociles atque ſinceros hominum piorum rectè & ſalutariter iiſdem uti poſſe, imo & reverà ita uti. Ergo propoſitum mihi non fuit ſuperſtitiones ullas defendere: imò contrà, expreſſis verbis eaſdem non ſemel incuſavi, quando ſacrarum rerum improbavi abuſum. Auctor illico ipſemet fatetur, quòd *perſuadere enitar*, ea quæ ille falſo ſuperſtitiones vocat, *prodeſſe poſſe, modò iiſdem utamur tanquam mediis ac inſtrumentis quibus cum Deo nos uniamus*. Et hæc ipſa quidem dicit inſtituto ſuo contraria eſſe. Quod profectò ſatis mirari non poſſum; qui nunquam futurum credideram, ut homo Theologus, ut Paſtor, ut homo Chriſtianus, imò ut creatura ulla rationalis, profiteri auderet, inſtitutum ſuum contrarium eſſe inſtituto ejus, qui docet, ea quibus homines utuntur tanquam mediis ac inſtrumentis cum Deo ſeſe uniendi, bona atque utilia eſſe.

IV. *Quomodo Epiſtola mea videri debeat venenum pernicioſum.*

IV. Quoniam verò Auctor putat Epiſtolam meam inſtituto ſuo tam apertè contrariam eſſe, non eſt quod miremur, illam ab ipſo appellari *venenum periculoſum* & *ſcriptum pernicioſum*. Interim tamen multi ſunt quibus neque pietas neque ſenſus communis deeſt, qui cum nihil in ea inveniant, niſi quæ optima ſunt, utiliſſima & admodum ſalutaria, hinc fortè exiſtimabunt Auctorem noſtrum parum cognoſcere quænam venena ſint & quæ antidota ſpiritualia. Atqui Epiſtolæ meæ revera unus ſcopus eſt, animas per media omnia adducere ad amorem Dei & ad imitationem Chriſti, dum eſſentialia quibus ſolis adhærendum eſt, ſollicite admodum diſtinguit ab acceſſoriis, quorum ſolus uſus legitimus commendatur. Seponat tantiſper Auctor præjudicia ſua, ac, ſi placet, ſincere reſpondeat, utrum ergo credat illos, qui quæcunque in epiſtola dicta indicantur eo modo eaque conſtitutione animi ac cordis quæ ibidem commendatur, rectè obſervarent, à ſpe ſalutis conſequendæ alienos eſſe? Id ſi non ſit, nulla ergo

Digitized by Google

ergo veritate venenum huic adſcribitur Epiſtolæ : imo certum habeo, nullam aliam viam quæ ad ſalutem neceſſaria ſit, à quoquam proponi poſſe, præterquam quæ ibi panditur. Neque aliud invenitur remedium quo animæ ſanentur à peccatis ſuis contra Deum & proximum, à totitem odiis, diſſenſionibus, diſputationibus ac controverſiis diabolicis, quibus ad imaginem Dæmonis transformantur; nullum etiam aliud quo ad amorem divinum & ad virtutes Chriſtianas reduci queant, quàm ut per charitatem ac manſuetudinem opiniones ac ritus diverſos eorum qui Deo placere quærunt, patienter tolerent, quemadmodum ipſe Chriſtus idem nobis tum verbis, tum exemplo ſuo commendavit.

V. Auctor fortè veritus ne lector videat, ibidem dicta rebus optimis optimiſque rationibus conſtare, quas nemo impugnare poſſit, *nos verò*, inquit, *ut vos contra Auctorem ejus Epiſtolæ defendamus, non rationes ab eo allatas refellemus.* Sane neutiquam opus habet uti eos contra me defendat, quippe qui ipſos minime aggrediar *Amico* illo *Conſilio*, in quo, contrà, nihil continetur niſi quod ſolatio ipſis eſſe poſſit atque ſubſidio. Caveat potius ipſemet eorum conſcientiæ pacem atque tranquillitatem ne aggrediatur ac labefactet quando & me & alios ſimul profitetur ſe velle aggredi prætermiſſo rationum examine atque pondere. *Non refellemus*, inquit, *rationes ab eo allatas: ſed qualis ille ſit, vobis indicabimus.* Egregia vero declaratio ad fidem Lectorum demerendam, quibus promittit ſe eis de aliquo verba facturum ad cujus rationes attendere nolit! Et ſane ita eſt: rationes ſcripti atque vim reliquit intactas; verbaque & fecit & dedit, in quibus obſervabunt, ſi placet, Lectores, nihil rationis, nihil veritatis ineſſe, plurimum etiam ludicri, ut derideat eos quos refellere minime potuit; tametſi dixerit ipſe, & recte, alicubi; *qui virtute præditus eſt, quamcunque Religionem ſive Sectam ſequatur; is in ipſis etiam hoſtibus ſuis ſuæque Religionis, virtutem laudat & veneratur:* quam ſane laudis ac venerationis obſervantiam in celebrem Virginem A. Burignoniam, inſigne illud Spiritus Dei hiſce ultimis temporibus inſtrumentum, ſervare debuiſſet, cujus quippe vita nihil niſi continuus Dei Amor, niſi ſanctitas, niſi virtutum omnium ſeries fuit, quæque nedum ipſi ejuſque Religioni hoſtis eſſet, omnibus bonis, omnibuſque ſacris quæ ſincere

V. *Methodus Auctoris noſtri ſua in cenſura.*

Digitized by Google

propter Deum obeuntur, quoad vixit amica fuit. Quantum ad me, licet de Auctore noſtro nihil adhuc bene meritus eram; non eram tamen de eo meritus, ut me, ſicuti hic fecit, aliis male traduceret. Tenetur, humanitatis jure, eum non lædere a quo laceſſitus non eſt: Chriſtianiſmi jure, eum diligere debet quem Chriſtus ab amore ſuo non excluſit; neque eum contemnere, quem non tam parvi fecit Chriſtus quin pro eo vitam profunderet. Iſta ſi neſcit, vel, quod pejus eſt, obſervare nolit, quo jure alios vel docere audebit, vel reprehendere?

VI. *Methodum Auctoris in Cenſura, ejuſque adeo Criticam, nullius eſſe pretii.*

VI. Velim notari totam ejus Methodum, & quam promittit criſin, nullius prorſus eſſe vel apud ſe ſuoſque ponderis. Ea ipſa eſt quam ille omneſque Proteſtantes in Catholico-Romanis quibuſdam omnino reprobavere, *Methodum* ſcilicet agendi *per præjudicia*, non autem *per rationum examen*. Res vero per ſe clara eſt atque evidens. Ponamus me eſſe, uti vult ille, ingenio ægro, debili, corrupto, imo & fanatico, & quidquid ipſi placet. Si tamen in *Amico Conſilio* nihil de ſomniis, de ineptiis, de ægritudine mentis adſperſi, ſique id tantum ibi attuli quod bonum in ſe eſt atque ſolidum, ſtabunt in eo Lectores; & hoc ſufficiet illis, maxime ubi ſciverint Auctoris noſtri hiſtorias atque narrata de iis quibus non favet, jam dudum non immerito apud quoſvis falſi ſuſpecta haberi. Quantum autem ad V. Bourignoniam, quamvis poneremus eam fuiſſe Turcam, vel Gentilem; ſi tamen fuit homo ad Dei imaginem creata, a Chriſto quæſita ſanguinis ſui pretio, ſi Dei amans pro menſura cognitionis quam de illo habuit; ſi ejus acta, verba, ſcripta pietatem, ſanctitatem, virtuteſque omnis generis ſpiraverint; nonne male ageret quiſquis eam contumeliis, injuriis, falſiſque etiam inſimulationibus ac criminationibus aggrederetur? Quis inter probos auſit aut velit vel Socratem, vel Epictetum, vel Antoninum aliquem ſimileſque alios, licet Ethnicos, irriſionibus, maledictis ac falſis impetere, quin & melioribus diſpliceat, & inter hos pro illis reperiat defenſores? qua etiam de cauſa neminem puto ægre laturum ſi innocentiæ hic accuſatæ defenſionem ſuſcipiam, illa ſiquidem mei cauſa meique *Amici Conſilii*, quod etiam defendendum eſt, in medium ſit producta.

VII. *Me non timere notum.*

VII. Non diſplicet quod Auctor intendat *notum me reddere ex* occaſione illius *Conſilii* mei, modo, bene id Conſilium animo per-

Digitized by Google

perpendatur: neque enim revera characterem gerit ſcriptum illud animi ægri aut delirantis, aut falſorum & inſulſorum quæ ille addidit tabe ulla commaculati. Optarem, ſi è re veritatis futurum eſſet, ut Auctor noſter cordis ac animi mei, quantum ad hæc, ſcrutator atque detector poſſet eſſe. Nihil aliud de eo videret ac notum facere poſſet, quam me ab ineunte ætate veritatis divinæ & ſolidæ ſalutariſque, prout eam noſſe licuit, amore captum fuiſſe adeo ſincero, ut illam ſine reſpectu ad partes, ad homines, ad commoda atque incommoda, omnibus prætulerim, etiam mihi duram, meque & in poſterum porro reprehenſuram, donec totus ad ejus rectitudinem reſtitutus ſim; quod quidem ego ab illa ſpero, traditus ac confiſus illi quæ non dedignata eſt aliquo lucis ſuæ radiolo tenebris meis illuceſcere. *reddi illo ex ſcripto meo.*

VIII. *Nonnihil ad perſonalia quæ de me Auctor.*

VIII. Quod jam mei deſcriptionem incepturus dicat Auctor, *me non eſſe* ex illorum, (ad quos ſcribit,) *quondam Paſtorum numero: Paſtorem* quidem me *fuiſſe*; ſed *ei characteri renunciaviſſe*: in eo aliquid veri ſubeſt, aliquid minus veri. Nunquam id muneris obii in Galliis, quas ab anno ætatis meæ decimo quinto non vidi: in Palatinatu functus ſum eo officio annos circiter ſeptem. At non qua Paſtor, ſed qua amicus, ſcripſi eam amicis & conſanguineis meis Epiſtolam, cujus pondus a nullo præterquam ab ipſius veritatis charactere deſumendum eſt. A veritate alienum eſt me characteri Paſtorali renunciaviſſe. Documentis certis evincere poſſum me, auditoribus alioqui gratiſſimum, & deſideratiſſimum, ob calamitates bellicas iis in locis debuiſſe a functionibus iſtis deſiiſſe; nec invitum, fateor: neque etiam poſtea illuc, aut alio, vel in ipſas aulas, etſi me cupiverint, redire volui & id quidem non characteris aut Officii Paſtoralis contemtu: contrà, majori ejus veneratione, indignitatiſque propriæ conſideratione, tum & metu abuſuum qui fiunt in ſacris. Cœcitatem meam, qua adeo infirmus ac imparatus tantum onus, quo anima mea pro aliorum (etſi paucorum) animabus reſpondere coram Deo deberet, ſuſceperam, jam incipiebam agnoſcere: advertebam hominibus nihil ita placere uti adulationes; eis, etſi *amarent mundum & quæ in mundo ſunt*, atque adeo *Patris amor in iis non eſſet*, adminiſtranda tamen eſſe ſacra, quæ negari non poterant ſine inimicitiarum eventu, nec dari ſine conſcientiæ propriæ vulnere. Quid plura? libertatem non ſine Dei provi-

dentia nactus, decrevi mihi deinceps melius vacare, optimorumque commercio vel conſortio, ubicunque illi eſſent, dignus eſſe, & melior inde fieri. Innotuerant jam aliquantum antea Virginis Burignoniæ (a) Scripta nonnulla, miris modis in manus meas incidentia: iis ad vivum in intimis Deo operante tactus, ipſam alloquendi, neſcius tamen utrum adhuc viveret, aut ubinam eſſet, deſiderio ſummo tacitus tenebar, & cum lacrymis id poſtulaveram a Domino. quo diſponente, fit ut vel à propriâ conjuge ad ſideris iſtius lucidi aditum inſtigarer, atque adeo in Belgium profecti, ibique eam Hamburgi degere docti, adiimus, illicque, contra perſecutiones Eccleſiaſticas cum uno atque altero amicorum ſuorum tunc (A. 1676.) latentem, invenimus, ſexaginta jam ſupergreſſam annos, quibus quatuor adhuc ſupervixit. Ego vero in ea inveni quod inter homines interque doctos nondum repereram, Spiritum Domini Jeſu, vita verbiſque ſeſe prodentem, ac per eam vivide in cordibus, uti Magiſtrum decet cordium per inſtrumentum vere ſuum, operantem; ita ut ab ejus amicitia, &, quantum fieri potuit, conſortio, quamdiu vixit, ſejungi deinceps noluerim. qua vero de re me æternùm gaviſurum ſpero, quicquid in contrarium ſugillent cœci homines, qui per cordis ſuperbiam ac tenebras intelligere nolunt Deum omni tempore magnalia ſua operatum eſſe, & porro operaturum, per inſtrumenta exilia quidem atque in oculis mundi hujus contempta; ſed coram Deo, ubi humilitatem, puritatem atque fidelitatem ei ſervant; præter modum pretioſa, & per eum potentia.

(a) *Lux nata in tenebris.*

IX. *Continuatio.*

IX. Hæc ipſa ſunt quæ Auctor Cenſuræ nominat, *in feminæ cujuſdam brachia confugere*, qui loquendi modus Theologo gravi certe indignus eſt. Licet autem (ut quæ me reſpiciunt hic abſolvam ſimul) quam *infirmitatem* atque *ægritudinem* mentis mihi objicit, ex communi clade Adamica ad omnes, meque adeo, & auctorem noſtrum etiam, devolutam, ex animo agnoſcam; non tamen *mentis ægritudine*, ſed Dei omnino tactu ac lumine motus, acceſſi ad eandem, cui nec cum veritate tribuit Auctor, *Sectam*. Nullam ego apud Virginem illam amicoſque ſuos Sectam, nullas partes inveni, niſi ſolius partes Chriſti, ejuſque ab eo inſtitutæ Chriſtianæ Religionis ac Doctrinæ, „ quæ eſt, ut nihil „ attendendo ad hominum male natas controverſias, & partes, „ quæ in corde eorum Dei ac proximi amorem ſufflaminant, „ ſeſe

„ſeſe quiſque reddat Deo per Chriſtum in virtute Spiritus ejus, „die noctèque in corde per orationem continuam eum invocan„do, ut hujus vi omnia poſſimus, ac grati filii Dei per imitatio„nem Filii ejus evadamus. Etſi Catholico-Romana erat, nun„quam ullum ad partes Romanas vocavit, nunquam Proteſtan„tium ritus atque ſacra contemnebat: reverenter de quibuſvis „mediis, quibus piæ animæ quarumcunque partium utuntur ut „ſe in Deo colligant „ loquebatur; ſolam animorum pravam „conſtitutionem ſacris illis non congruam iiſque abutentem, „improbans. Quæ ſane non poteram non approbare omnia: utrum id e mentis imbecillitate, judicent qui capiunt. Nunquam me fuiſſe ea mentis infirmitate, quam hic vellet auctor perſuadere, ſciunt omnes quibus innotui, & declarat ſatis Opus *Cogitationum Rationalium* quod eis circiter annis compoſui atque emiſi. Sed pauca hæc ſunt. Turba jam ſequitur.

Multa de me deque illa ac amicis mira, mireque abſurda, & tantum non hominibus ſacris ac piis indigna narraturus eſt Auctor hic, quæ neſcio unde habeat. Si cœcus Partis ſuæ Zelus ipſi hæc ut fabricaret ac ſibi tandem imaginaretur, inſpiravit, non bene eſt. Credere malim iſta forte ipſi a neſcio quibuſdam fabulatoribus eſſe enarrata, quibus vero ille non caute ſatis fidem habuit. Quiſquis namque cauſam certæ cujuſdam partis (aut Sectæ) non ſine Zelo ſuam fecit, eamque ipſius Dei cauſam eſſe putat, ac illam credit ab aliquibus impugnari qui contemni merentur; huic tanti non eſſe videtur cauſam atque rationes homunculorum horumce novaturientium, uti vocantur, examinare: unde in minimis quibuſque rumuſculis quibus forte gravantur, plus quàm legitima contra eos indicia adeſſe putabit. Quod ſi præterea talis meliuſcule de ſe ipſe exiſtimet, diceres ei perſuaſum eſſe, ſe vi ac privilegio gaudere, conjecturas atque imaginata ſua in totidem veritates transformandi. qua tamen agendi ratione, ſæpius ad extrema deventum eſt: eo ſiquidem pacto factum eſt olim ut & Dei Filium cœco Zelo crucifixerint, & Paulus perſecutorem bonorum ac oppreſſorem ſeſe conſtituerit. Omnes ferme perſecutiones è principiis hiſce ac ſimilibus ortum habuerunt. Ab iis prohibeat deinceps Deus & auctorem, & quoſvis non malos.

X. Quamvis autem Auctoris ſequentia eorumque examen ad vindi- X. *De accuſa-*

Digitized by Google

[…]tione Sectæ, [m]inus vera.

vindicationem *Amici Conſilii* nihil propriè attineant; quia tamen ad ipſam attinent veritatem, & quia per ea ſcripti mei pretium voluit imminutum Auctor; in his veritas brevibus aſſerenda eſt.

Cum veritate non concordat quod primò, me *Sectæ Caput*, & quidem *a me ipſo conſtitutum* dicat. Ubi non eſt Secta, ibi neque Sectæ caput, neque Sectæ membra. Non entis nullæ ſunt partes. Ex quo publice dicere deſii (deſii autem cum e Palatinatu, anno 1676 diſceſſi,) uſque ad hunc diem, nunquam ullum habui ſive publicum, ſive privatum vel auditorem, vel diſcipulum, nec ullum optavi, nec etiam adhuc opto. Si docere dicendus ſim, id de ſcriptis quæ interdum emitto, intelligendum erit. Verùm libros ſcribere non idem eſſe ac Sectæ caput ſe conſtituere, Auctor noſter, Librorum maximus ſcriptor, ſatis ipſus novit: adde libros meos nullius alius *Magiſtra*, (ut Auctoris verba adhibeam) quam ſolius VERITATIS divinæ *myſteria* proponere, perſequi, atque commendare: quod fateor mihi eſſe alta mente repoſtum, nec ab iis ignorari poteſt qui ſcripta mea legerunt; quæ ſane legere, & ex eorum lectione didiciſſe tenebatur auctor quiſquis me aliis notum reddere volebat. Verum qui (opinione ſua) pleniores ſunt quàm ut putent ſe ab illis quos faſtidioſe contemnunt, aliquid diſcere poſſe, malint vel debito deeſſe examinatoris officio ſuſcepto, quam iſta legere e quibus tamen non pauca momentoſa, quæ ipſi ſuique ſimiles prorſus adhuc neſciunt, intelligere poſſent. Malunt ad hunc uſque diem digladiari de *libertate*, de *natura* & *origine mali*, de vi argumentorum *Manichæorum*, *Atheorumque* a non nemine, neſcio quo fine, tantopere jactatorum, quam harum ſimiliumque difficultatum clariſſimam diſſolutionem (*a*) e ſcriptis quæ contemtibilia reddere deſiderant, edoceri.

XI. *De V. A. Bourignonia, cui non ut decet inſultatur.*

XI. Nunc de Virgine BOURIGNONIA, & primò quantum ad doctrinam. Improbat Auctor, licet modis non ſatis ſeriis, me de ea bene exiſtimare; qui tamen ei non tam adhæreo quam ipſe vel Calvino, vel Synodis humaniora paſſis. Ego vero contrà, ad ſolam Dei veritatem ac Sapientiam ubique reſpexi, nihil laborans quonam inſtrumento eam mihi Deus declarare vellet, per

(*a*) Hæc omnia, & ſimilia, facillime diſſolvuntur in Oeconomiæ Div. Lib. I. & II.

Digitized by Google

per virum an per feminam, per eruditum an per idiotam, per Catholico-Romanum an per Calviniſtam vel Lutheranum, imo vero per Judæum aut Gentilem: Omnes perinde mihi grati, modo veritatem habeant, & quo uſque habent, nec ultra. Atque ita ſi illam Deus mihi velit oſtendere per feminam, volo quoque id & ego, qui tunc lubens meritoque ad eam accedam, non quidem propter externum organum quo Deus utitur; ſed propter divinam Veritatem quam per illud nobis offert Deus, quemadmodum ad fontem aliquem non accedimus propter ejus canalem ſive ligneus ille, ſive plumbeus ſit, aliave digniori aut viliori conflatus materia; ſed propter aquas puras ex illo ſcaturientes. unde ſi quis homini non inſano ad fontem eunti inſultaret quaſi ſi hic canali adhæreret ligneo, jocoſque inde vellet excitare; is certe non poſſet non omnibus ſanis ſe ipſe præbere deridendum: quod tamen cenſuræ hujus Auctor videtur imitari voluiſſe.

Equidem innuere vult ille canalem hunc non communicare aquas veritatis puras. *Venenatas* tamen eas non audet dicere, uti dixit de contentis Epiſtolæ meæ: imo agnoſcit, eam, de qua agimus, *quibuſdam in locis veritates Chriſtianas, eas præſertim quæ ad mores formandos pertinent, ſatis feliciter diſpoſuiſſe & inſtruxiſſe.* Verum objicit illi *paradoxa*, *viſiones*, & *ſomnia*; quod ſane nemo tenetur credere ei qui ſcripta illius nunquam inſpexit nec legit, quique in iis quæ forte e rumore audiverat, nil, propter præjudicia, poterat recte intelligere.

XII. Accuſat autem illam tanquam *mille viſiones paradoxas milleque ſomnia inania* venditantem, qui tamen nulla in ejus ſcriptis, ei non lectis, videre potuit; ac ſibi præterea hoc in argumento incertus, non conſtat. Nam interdum (*a*) promiſcue omnis generis inſpirationes viſioneſque ac revelationes, in quocunque etiam homine ſano ac ſancto, nec ſine inſultatione, ridet ac rejicit: interdum verò eaſdem ambabus ulnis admittit, (*b*) non tantùm in quadam v. g. Virgine Poniatoria, cujus inſpirationem & miraculoſam dicit & *ipſis Prophetarum* ac *Apoſtolorum miraculis* æquiparandam: in Cottero alio, quem *Prophetam magnum* ac *magnificum*, ejuſque VISIONES *majeſtati plenas, nec minùs quam antiquorum Prophetarum*, dicit; in Drabicio quoque, in Joſepho Meddo, in Virgine quadam Galla rurali, ac in pueris neſcio quot nuper in Del-

XII. *De accuſatione viſionum, &c. in quo argumento ipſemet a ſe diſſidet.*

(*a*) Parallele du Calv. & Pap. Cap. 6.

(*b*) *In opere Apocalyptico* Accompliſſ. des Propheties.

bbb phi-

phinatu quædam ſupranaturalia paſſis; ſed & in ſe ipſo etiam ſuiſve de Apocalypſi conjecturis: in quibus & ſe ea in opinione eſſe ac ſpe oſtendit, fore ut brevi tota Gallia, ipſaque etiam aula regia, *per viam Inſpirationis* Reformationem Calvini ſint amplexuræ &c. Verum hæcce & ſimilia admiſit quod ejus Partibus omnia faverent: nam quando vel de ſanctiſſimis animabus, quæque ſpiritum diſcernendi divina a falſis habuerunt, agitur, ubi tamen illæ à partibus ſuis non ſtetere, omnia promiſcue in illis damnat & tantum non deridet, veluti in ſanctis Eremi ac Eccleſiæ Patribus, ac in theodidactis ſexus feminei Hildegardi, Gertrudi, Brigitta, Juliana, Tereſiâ aliiſque ſanctiſſimis mentibus, quarum in viſionibus ac revelationibus, vitaque ac doctrina characteres certiſſimi Spiritus Dei manifeſto apparent. Quid autem de ejuſmodi Auctoris ex præjudiciis ſuis contraria de eodem argumento judicantis ſententia tenendum ſit quando & de revelationibus viſionibuſve (ſi quæ ſint) D. Burignoniæ judicare ei lubebit, nemo ſufficienter non videt.

XIII. *De accuſatione Paradoxiæ.*

XIII. *Paradoxia* quam Auctor objicit D. Bourignoniæ, & quidem quæ ſit *contra veritates inter Theologos receptas*, non eſt argumentum magni ſatis ponderis ut idcirco eniti debuerit invidiam omnium adverſus illam excitare: nemo ſiquidem neſciat paradoxiam in problematicis opinionibus vel veritatibus verſari, in quibus diverſitas ſententiarum orthodoxiam neque lædit, neque heterodoxiam facit: ipſimet Theologi in hocce quæſtionum genere inter ſe non conſentiunt, ipſeque auctor noſter ab iiſdem in non paucis ſæpius diſſentit. Quamobrem ergo paradoxiam veluti malam aliquam notam, aliis objicere attentat ipſemet?

At ſubinnuit eam hic eſſe frequentiorem ac copioſiorem quam ut bonæ poſſit eſſe notæ: *millenas* enim *paradoxas* opiniones nominat; ſed nullas deſignat. Ego pro illo, millenas iſtas ad tres principes reduco, quarum *prima* eſt de Creatione mundi, quem dicit illa glorioſum, uti olim reſtituetur, conditum fuiſſe: *altera*, de ortu Chriſti, quem dicit Adamo, Moſi atque Prophetis in proprio corpore ex Adamo deſumto antequam hic peccaret, apparuiſſe: *tertia* eſt de fine ac Reſtitutione Mundi. Vix ullus eſt Theologorum, qui de hiſce opiniones quaſdam paradoxas omnino non foveat: Et in primo quidem, (*a*) ipſemet auctor totus propemodum eſt paradoxus. In altero, qui dicunt Angelum

(a) Vide ſcriptum ejus Gallicum: *Jugem. ſur les Meth.* pag. 150. &c.

Digitized by Google

lum creatum fuiſſe, qui Moſi apparuit eidemque loquebatur, non tantùm paradoxam ea in re opinionem habent, ſed & ſcripturæ ſacræ verbis contrariam, quæ Angelum hunc ita loquentem introducit, *Ego ſum Jehova Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi.* Imò verò eorundem opinio periculoſa & mala in eo eſt, quòd cauſam afferat Socinianis Scripturæ ſacræ multis in locis, quæ aliàs Deitatem Chriſti invictè probant, ita enervandæ, ut quid iiſdem reſponderi poſſit non videam. Ii verò qui dicunt Deum ipſum Moſi apparuiſſe, niſi agnoſcant eundem jam tum temporis proprium ſibi corpus habuiſſe, abſurdi certè erunt ubi apparitionem illam in qua Moſes eum à tergo vidit, & à manu ejus tangebatur, ita tamen ut faciem ejus non adſpiceret, aliaſque item multas, explicare volent; qua in re experiantur, ſi velint, vires ſuas Theologi, videantque utrum in his juſte exponendis cum ratione, ulla alia principia afferre poſſint, quàm quæ à Virgine traduntur; quæque in Oeconomiæ (*a*) ſyſtemate prolixiùs expoſui. Supereſt articulus ultimus capitalis, de fine atque Renovatione mundi, de quo D. J. librum integrum conſcripſit, videlicet *Adimpletionem Prophetiarum* quam à capite ad calcem uſque meris paradoxis conſtare nemo non novit.

(*a*) Lib. III. Cap.

XIV. Sed age videamus quinam propriè ſint *characteres* opinionum harum problematicarum quas Virgo B. tradit. Auctor quidem eaſdem ſatyricè perſtringit, at rectiùs utique iſtos nobis recenſuiſſet.

XIV. *Characteres opinionum privatarum Virginis B.*

Primus ergo harum character eſt, eas non tantùm ſcripturæ ſacræ conformes eſſe; ſed & aliquot millena loca ejuſdem, & totum Syſtema divinorum operum ita exponere, ut nemo adhuc eo pertingere valuerit. Quicunque Syſtema noſtrum *Oeconomiæ divinæ* lecturus atque intellecturus eſt, de veritate eorum quæ dixi nullus dubitabit.

Alter eſt, Opiniones eaſdem nec omnibus, nec tanquam neceſſarias commendari; ſed tantum tanquam ſubſidiarias ſive accidentes, ex quibus ſcilicet nonnulli occaſionem capiant Deum in mirabilibus ſuis admirandi & amandi, tum viliſſimas hujus mundi inanias contemnendi.

Tertiò, Omnes iſtæ opiniones ſubſidiariæ & (ut ſic dicam), acceſſoriæ, longè minima pars ſunt eorum quæ Virgo Burignonia

nia proponit, quæque ſine ulla controverſia neceſſaria ſunt; ſolida, divina & efficaciſſima.

Quartò, ipſamet ſexcentieſque tum verbis tum ſcriptò teſtata eſt, eas opiniones poſſe non credi, neque eo nomine homines Deo vel magis vel minùs probari: imò cavendum eſſe, ne quis eas ex mera curioſitate requirat; hinc enim non niſi diſtractiones, arrogantiam, ſuperbiamque cordis generari: ſatius eſſe iis relictis, ſolum JESUM CHRISTUM crucifixum, ejuſque imitationem, & renunciationem ſui ipſius diſcere; quæ ſi deſint, diabolus atque peccatum ubique ſint obrepturi. Quam ob cauſam multis ſæpe & non ſine indignatione, prolixiorem harum rerum expoſitionem recuſavit, dicens. *Quid proderit vobis mentem inutiliter diſtrahere & id quod præcipuum eſt negligere? Studete vobiſmet ipſis renunciare, ac Jeſum Chriſtum imitari; quo facto, ſcietis olim harum rerum veritatem: at eo neglecto, vos ipſi iiſdem privabitis, & per curioſitatem atque arrogantiam veſtram æternum vobis exitium comparabitis. Ne quis deinceps de iſtis mihi loquatur; ſed ſinguli maneant in eo quod ſolidum eſt, quod neceſſarium eſt, & unicum rerum omnium fundamentum; in* JESU CHRISTO, *inquam*, CRUCIFIXO, *extra quem Paulus nihil ſcire voluit.* Quid verò hic dicent? Hæccine cogitata ſunt aut dicta hominis fanatici quique mentem habeat ægram ac corruptam?

XV. *Compendium doctrinæ Virginis Burignoniæ.*

XV. Auctor Maimburgio ſexcentieſque objecit olim, eum omnia quæ illis de quibus narrabat præſidio futura erant, ſuppreſſiſſe; multa alia pervertiſſe; & neſcio quot falſa ultrò adjeciſſe. Utinam ipſe ab iſtis ſcopulis omnibus diligenter hic declinaſſet. Si decreverat, uti verba ejus habent, lectoribus ſuis oſtendere, *qualis ſit hominum iſtorum character*, quî fit, ut ea quibus illi partem ESSENTIALEM, imò verò totam doctrinam ſuam contineri docent, ita ſupprimat, ea ut nullo verbo attingat? Quî fit ut opiniones duntaxat quaſdam acceſſorias, quæ longè minima eorum pars ſunt, commemoret? Quî fit ut bona ipſa, quæ de iis negare non poteſt, verbis ludicris deformaverit? quî fit denique ut tot falſa inſuper adjiciat? Egregia verò methodus!

Atqui dicendum hîc fuerat, ipſam ESSENTIAM DOCTRINÆ Virginis B., ſeu ea, quæ, ſecundum ipſam, Chriſtianum verum conſtituunt, & à falſo diſtinguunt, quatuor hiſce articulis contineri,

1. *Sibi*

Digitized by Google

1. *Sibi ipſi renunciare*, quia toti a natura corrupti ſumus, & in malo poſiti.

2. *Indeſinenter orare*, ut eo modo impetremus a Deo vires e malo exeundi, & in bonum introeundi.

3. *Amare Deum*, quod ipſum eſt adhærere ſummo bono, ſummo vero, ac ei qui eſt omnia.

4. *Et Jeſum Chriſtum imitari cum patientia, pace & humilitate*, quæ eſt via quam ad mortem uſque tenere debemus ut tandem conſummemur.

Et hoc quidem eſſe UNICUM ILLUD atque ESSENTIALE quod ipſa ubique commendat.

De opinionibus verò ejuſdem ACCESSORIIS ea monenda fuerant, quæ ego modò monebam, dicendumque, eam, ſi quando apparitiones quaſdam vidit quas divinas eſſe credidit, nemini unquam eas commendaſſe, nullaſque omnino recepiſſe niſi poſt adhibitas cautiones quæ in Vita ejuſdem leguntur, quæque Myſtici omnes certiſſima eſſe remedia docent, ne quis in iis fallatur.

Quod ſi vero nonnulla ſpecialiora eorum quæ tradidit ſigillatim exponere voluiſſet, addere potuiſſet,

Illam mundo tanquam ab ipſo Deo annuntiaſſe, Homines omnes Deo derelicto, non niſi ſemet ipſos, ſua commoda, & res terrenas nunc amare.

Eoſdem Judaico cœcoque modo atque ex amore proprio adhærere ceremoniis ſuis, cultui externo Religionis ſuæ, imo & opinionibus ſterilibus quæ neminem unquam ſervabunt, & controverſiis ac diſputationibus diabolicis per quas animæ eorum diabolicæ efficiuntur, hoc eſt, odio, rabie ac cædibus plenæ, dum interim Spiritum ac Vitam Jeſu Chriſti dereliquerunt, verè jam Anti-Chriſtiani facti.

Doctiſſimos quoſque eſſe omnium maxime impios, deſperatiſſimoſque eos eſſe qui homines ſeducunt, & omnium malorum cauſas afferunt.

Supereſſe tamen ubique & in omnibus ſtatibus bonos quoſdam, quibus Deus luminibus ſuis datis ſuccurrere velit, ne in tenebris ſuis pereant.

Chriſtianos hujus ævi ſi converti & ad vitam Eccleſiæ primitivæ redire nolint, a Deo per plagas judiciaque ſua noviſſima

 exſtir-

Digitized by Google

exſtirpandos eſſe, quacunque in ſecta aut parte agant: illos autem ex iis conſervandos, qui ſibi ipſis ac mundo renunciantes, Spiritui Domini JESU ſeſe tradent, ut in charitate, humilitate, ſanctitate, juſtitia & pace coram eo vivant, Deumque in ſpiritu ac veritate & per omnium virtutum praxin colant atque adorent, (a) *quæ ſurſum ſunt ſapientes* ac amantes, *non quæ ſuper terram*. Hos autem, dum ceteri omnes exſtirpabuntur, in terra ſuperfuturos eſſe, ibidemque veram vitam Chriſtianam, qualis Apoſtolorum tempore fuit, renovaturos. Hæc, hæc certè utilia ſunt, & a quovis qui ſenſu divino non caret, pro ſolidis ſunt agnoſcenda.

(a) Col. 3: 2.

XVI. *De libris Virginis Burignoniæ.*

XVI. Negare non poteſt Auctor ſcripta Virg. B. pietatem puriſſimam ſpirare atque inſpirare, adeò ut frigidiſſimas quaſque animas amore Dei ſuccendere valeant; at ille parum rectè hic riſum captat, dum id ipſum vocat, *ſummam devotionem præ ſe ferre, quod fanatici omnes ſolent.* Siquidem ipſe & *libros de Devotione* conſcribit, eamque ibidem omnibus commendat, cur nunc eandem characterem eſſe *fanaticorum* dicit? Ceterum non eſt quod Lectores abſterreantur numero librorum Virginis B. quem neſcio utrum ſubjungat ut eorum numeroſa recenſione nauſeam forte pariat. Neque enim illi ideo conſcripti ſunt ut unuſquiſque omnes legat: ſed ut homines qui diverſis modis animo affecti ſunt, diverſos ſibi pro ſua quique conſtitutione ex iis eligant, alii quidem hunc, alii verò alium, prout ſinguli aliis atque aliis rebus magis aut minùs ſeſe commoveri ſentient. Ii quos lectio eorum maximè movet, quæ ad doctrinam moralem & ad Virtutem pertinent, legere poterunt *Tractatûs de Virtute Solida ſeu Conſilia & Inſtructiones Salutares*, aut *Lucem natam in Tenebris*. Qui verò conſideratione mirabilium Dei moventur, invenient, *Novum cælum & Novam Terram*, item *ſtellam matutinam*. Qui ideam veræ eſſentiæ Religionis Chriſtianæ comparare deſiderant, videbunt *Renovationem Spiritus Euangelici*, & *Lapides novæ Hieroſolymæ*. Si quis in detegenda defectione Chriſtianorum, omniumque partium inter eos, animo tangitur, habebit de gente Chriſtiana in genere, *Anti-Chriſtum detectum* & *Sepulcrum Theologiæ falſæ*; de Eccleſia Romana, *Lumen Mundi* & *Academiam Theologorum*: de Eccleſia Proteſtantium, *Teſtimonium Veritatis* & *Lapidem Lydium*: de Mennoniſtis aut Anabaptiſtis, *Cæcitatem hominum noſtri*

ſtri

ſtri temporis: de Quakeris, *Monitum* contra eos, &c. Videbit in his non correctiones invectivas, ſed potiùs admonitiones vivas & charitate plenas de malis quæ invaluerunt, ſimulque declarationem remediorum ſalutarium quibus ex iiſdem ſit emergendum. Qui adduci volet ut Deo ſeſe tradat ſine ulla conſideratione aliorum, inveniet, *Vocationem Dei*; atque ita de ceteris. Ipſa verò vis atque eſſentia Chriſtianæ Religionis paſſim in omnibus hiſce Operibus tam feliciter intermiſta invenitur, ut in ſingulis tota appareat, ſed variis modis tamen propoſita, ita ut ubique ejuſdem rei ſubſtantialis nova veluti facies oculis animiſque objiciatur.

XVII. Utrum Auctor pudore me ſuffundendum crediderit, quando publicè indicavit, me eſſe amicum Virg. B. τῆς ἐν ἁγίοις, ejuſdemque doctrinæ aſſentiri, equidem neſcio. Verùm id ſi ſit, toto ſane cœlo erravit: publice namque laudi mihi ducendum eſſe arbitror quòd illos probem charoſque habeam, qui in omni genere virtutis atque donorum maxime excellunt. Quapropter, & in gratiam eorum qui à partialitate alieni media ſolida ſalutis comparandæ ſincerè quærunt, teſtimonium meum, quod ea de me olim dixi, magis etiam publicare velim. Videlicet, ut de me ipſo iiſque quæ ad me privatim attinent dicam quæ comperta habeo, “futurum fuiſſe ut ſi ſcriptis ac converſatione Virginis B. caruiſſem, nihil hucuſque ſolidè intellexiſſem in rebus divinis, ne dicam & in ipſis naturalibus. Veritates omnes tum hic tum alibi à me expoſitas, totidem eſſe conſequentias Principiorum quæ vel ab illa accepi, vel, poſtquam illa menti meæ facem ad omnia videnda prætulerat, inveni atque penitiùs perſpexi; imò quod magis eſt, ſine divinis ejus luminibus, jacuiſſem adhuc in tenebris meis atque in cæcitate cordis mei, nec non in ſervitio atque idololatria Rationis meæ corruptæ, in quibus ſi manſiſſem, optandum utique mihi fuiſſet uti nunquam exſtitiſſem. Quiſquis autem corde erit humili atque ſincero, facilè agnoſcet, divina ejus ſcripta vividiſſimè afferre veram ac rectam cognitionem Dei, divinæque Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Juſtitiæ, Libertatis & magnorum divinorumque Myſteriorum Redemtionis; eadem detegere fundum atque amplitudinem immenſam miſeriæ hominis; mentem de omnibus dubiis Religionis tranquillam ſecuramque præſtare; Controverſias omnes tollere; hæreſes

XVII. Fruſtra objicit mihi Auctor Virginem A.B.

„ reſes omnes peſſundare ; cor è ſomno excitatum ferire & tranſ-
„ fodere ut ſalutariter inquietum eſſe incipiat donec Deo ſe dedat;
„ efficereque ut idem impartiale fiat, humile, pacificum, à rebus ac-
„ ceſſoriis expeditum, & uni ſoli rei neceſſariæ, reſignationi in-
„ quam voluntatis in manus Domini, affixum ; denique ea ſatiſ-
„ facere omnibus quæ deſiderari poſſunt in omni materia tum
„ Theoretica tum Practica, inque officiis vitæ internæ pariter &
„ externæ, tum erga Deum, tum cujuſque erga ſe, tum erga ho-
„ mines bonoſque & malos; ſimulque in omnibus hiſce tantam
„ adeſſe ingenuitatem, facilitatemque omni exemplo majorem, in
„ ipſis etiam rebus ſublimiſſimis, ut vel infantes ipſi qui bonæ
„ ſunt voluntatis eas intelligere poſſint ; tantamque evidentiam,
„ ac claritatem adeò indubitatam, ſimulque ſtudium adeò interne-
„ ratum ſolius amoris Dei promovendi peccatique exſtirpandi, ut
„ non videam quomodo ullus unquam, qui non cor habeat pra-
„ vum coràm Deo, eadem condemnare aut contemnere poſſit
„ poſtquam ſcilicet ea, aut certè præcipua ex iis non ſine atten-
„ tione legerit ; & Apologias eorum ſimiliter perluſtraverit. Et hæc quidem compertiſſima habeo, & firmiſſimè aſſevero : convictioque mea, qua eam à divino Spiritu eruditam animatamque fuiſſe perſuaſus ſum, clarior eſt, vividior atque firmior, quam ut ab alio atque a Deo operante eſſe poſſit, quamque ab ulla poſſit creatura (ſi tamen a Deo non deſerar) ex intimis meis expungi. Neque dubito quin ſimile quid ea in re experiantur ſimpliciores quique quorum cor ſincerum eſt, Deo auditæ Veritati pondus & vim ita addente, ut facile ii ſubſiſtere poſſint contra Doctorum adverſantium ſophiſmata & technas, quæ coram opere Dei in corde, inaniæ ſunt meræ & ſtipulæ, ſi non verbis, contemtu vindicandæ, & vel ſola veritatis oppoſitæ declaratione refellendæ, ſic ut fruſtra futuri ſint tandem quotquot veritatem ac innocentiam opprimere in animum inducent. Facient pugnis & clamoribus in illum ſuis, (contra quam opinantur) ut clarior atque purior ipſa appareat ; perinde ac videmus eum qui ſordes odit, ſi cœno impetatur, ejus abſterſione ac ablutione multo puriorem quam antea apparere.

Quod autem hujuſmodi abſterſionis officium ei nunc exhibeo, non inde venit quod perſonæ alicui, neque huic proinde, humano adhæream affectu. ad ſolam reſpicio Veritatem bonumque

Dei

Dei Spiritum qui in illa erant creaturâ, à cujus alioqui creaturæ privatâ adhæſione eouſque liber ſum & expeditus, ut gauderem eam ubique, nemine obloquente, obtrectationibus impeti, ſi illius univerſalis ſugillatio, nulla defenſione interveniente, medium eſſe poſſet gloriæ Dei atque ſalutis hominum promovendæ. Verum non ita res habet: neque neſcit animarum inimicus, homines qui bonæ voluntatis ſunt, ſi divini illius Organi ſcripta vere divina, divineque per Spiritum Dei, (in cujus lumine & motu ſcripta ſunt) efficacia, legere & cordi habere incipiant, ad Deum ſeſe tuto recepturos, eoque pacto ex Dæmonis faucibus eque mundi ac ſeductorum qui in mundo ſunt laqueis emerſuros eſſe. Atque hinc fit ut & impios, in quibus magnam hoſtis ille vim & poteſtatem habet; item & nonnullos etiam ex bonis, qui ſe Zelo cœco & præjudiciis aut rumuſculorum facili credulitate flecti patiuntur, ſuis impellat ſive tentationibus, ſive malignioribus impulſibus ad divina illa media quibuſcunque modis infamanda, quò animæ ſinceræ ea odiſſe & abominari, & a ſe repellere diſcentes, hoc pacto ſua ad Deum converſio ac ſalus, alioqui per ea potenter promovendæ, quantum poteſt impediantur. Deus vero iſta providebit.

XVIII. Hactenus de Doctrinâ Virginis Burignoniæ. Videamus quæ de *Vita* deque *Religione* ejus, tum in genere, tum in articulis quibuſdam peculiaribus in medium adferuntur. XVIII. *De accuſatione Sectæ condendæ. Eam minime veram eſſe.*

Et de generalibus quidem tria dicit Auctor, in quibus veritas deſideratur: videlicet, 1. non fuiſſe ei ſatis *tot Sectas eſſe quot hodie inter Chriſtianos ſunt.* 2. *novam* proinde *voluiſſe* inſuper *inſtituere.* 3. ac *illi ex ſingulari origine cauſam celebritatis* procurare.

Si ſcripta Virginis legiſſet vel inſpexiſſet Auctor noſter, non potuiſſet in iis non centenas obſervare proteſtationes quæ contrarium apertiſſime declarant, vidiſſetque nihil eam gravius deploraſſe quàm ortum numerumque infeliciſſimorum ſchiſmatum quæ gentem Chriſtianam in tot inimicas factiones diviſerunt: quæ quidem diviſio animum ejus adeo male habebat, ut vel ultimam etiam ſanguinis ſui guttulam libentiſſime profundi cupiiſſet ſi eo modo Chriſtianos in Spiritu Chriſti reſtituere in unum atque conjungere potuiſſet? Quis hunc vero dicet characterem hominis eſſe cui *non ſatis ſectarum inter Chriſtianos* videatur eſſe?

Digitized by Google

Porro, ſexcenties de ſe ipſa verbis ſcriptiſque teſtata eſt, nullam ſeſe Sectam inſtituere velle; ſibi non eſſe propoſitum hominum ullum ad ſe allicere; ſed omnes potiùs ad Chriſtum & ad praxin Doctrinæ Euangelicæ remittere, quamvis ſibi vel omnium adſpectu ſemper carendum foret, quemadmodum & hoc ipſum votis ſuis ardenter optavit, & conſortia hominum fugit, ab iiſque ſeſe abſcondidit, illos remiſit, rejecit, devitavit; ita ut vix, nec ſine inſtantiis ac precibus non paucis, impetraverint pauci vel inter domeſticos ſuos, vel inter amicos cum quibus communicaret, ab ipſa recipi. Addo, nullum cultum novum, nullam ceremoniam, nullum cœtum, nulla nova exercitia, vel leges aut regulas nullas quæ *Sectam* redoleant, ipſam inſtituiſſe. Auctor mox Sectam ejus eſſe dicet, *ſectam nullam habere*. Ego verò hæc inter ſe conciliari vellem, in hominibus Chriſtianis, Sectam nullam habere, eſſe Sectam novam inſtituere. Ergo & Chriſtianiſmus purus, ſi res ſe ita habet, nova iſtis etiam Secta erit! Itane inter homines qui ratione ſeſe non carere profitentur, pro vero edicto hoc prædicari, *cum, qui Chriſtianè juxta clara Euangelii præcepta vivere vellet, ita ut nulli materiæ controverſæ ſeſe implicaret, hoc propoſitum ſuum exſequi non poße, niſi hoc ipſo novam Sectam erigere dicendus ſit?* Quis autem adeo malignus eſſe vellet, ut ſi fortè alicubi octo, ſi deni, ſi viceni homines eodem conſilio in eadem domo vel viciniâ convenirent, cohabitarentve, & communicatione Chriſtiana inter ſe uterentur, hanc *Sectam* dicere vellet, quò eos hominibus vel contemnendos daret, vel odio aut vexationibus perſequendos? Atqui Politicis, mercatoribus, eruditis, & ipſis etiam potatoribus & aleatoribus, pro ſuo cuique arbitratu licet cuique ire, redire, quò velint convenire, etiam & una habitare, ita ut nemo eos hoc nomine accuſet quaſi novam Sectam erigant: qui vero ſecundùm mandata CHRISTI vitam agere unicè deſiderabunt, propter hanc cauſam in *novæ Sectæ* accuſationem vocabuntur; ipſique etiam Chriſtiani Paſtores, qui bonorum Defenſores eſſe debebant, primi erunt qui in illos iis modis inſurgant! (*a*) *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus eſt cum his qui oderunt pacem!*

(*a*) Pſal. 120.

Quæ Auctor de *ſingulari origine Sectæ* addit; eò ſpectant quòd indocta fuerit, & quidem puella, Antonia Bourignonia: cùm contra, eruditi velint, neminem ritè poſſe Sectam erigere niſi

utium-

Digitized by Google

utrumque & barbatus, & eruditus ſit. Statuant ſane illi pro arbitratu de characteribus eorum qui ſectas erigunt: Id nihil ad nos. At ſi velint etiam Deum lumina ſua nequaquam feminis dare, neque per feminas ea ceteris hominibus impertire poſſe; vel Novi Teſtamenti inſpectio evincet, primam & fundamentalem Chriſtianiſmi prædicationem per feminam, cui Magdalenæ nomen erat, annuntiatam fuiſſe ipſis etiam Apoſtolis, ab illa femina doctis veritatem inter omnes maxime inſignem, Reſurrectionem Chriſti, quæ, aſſerente Paulo, (1 Cor. 15.) Chriſtianæ Religionis fundamentum eſt. Quod ſi vero Deus præterea velit veritates ad renovationem Chriſtianiſmi, ſive ad reſurrectionem ac reſtitutionem Spiritus Chriſti facientes, per feminam etiam annunciare, quis Omnipotenti iſtud prohibebit? At verò tantum abeſt Antoniam in *ſingularitate hac* præſidium ſibi aut gloriam quæſiviſſe; ut contrà, ex Hiſtoria Vitæ ejus pateat, idipſum ei quidem longè graviſſimum fuiſſe; Deum verò ſingulare iſtud voluiſſe, ut per viliſſimam rem, magnorum virorum atque doctorum ſuperbiam daret in ruborem, divina virtute virgunculæ indita verbis, quæ boni ad vitæ Chriſtianæ reſtitutionem ſecuturi ſint: atque ita Deo ſoli ſuoque Spiritui, non magnis viris eorumque induſtriæ, gloria reddatur.

XIX. De Religione Virg. Burignoniæ & amicorum ejuſdem peculiariùs dicturus Auctor monet, ſe ejus Religionis *lineamenta quædam exhibiturum ex eodem hoc ſcripto*, de quo quæſtio nunc agitur, ſive ex *Amico Conſilio*. Sed prima ſtatim verba quæ ea de re prolaturus eſt, aliud præ ſe ferunt. *Recipiunt*, inquit, *inter ſe Pontificios, Lutheranos, Remonſtrantes, Reformatos, Socinianos, Mennoniſtas, Anabaptiſtas, omnes iis optatò adveniunt, neque vel opiniones vel ritûs ſibi uſitatos mutare coguntur, ſiquidem ita videatur.* Tantum enim abeſt ut *ex proprio meo ſcripto deſumantur* iſta, ut potiùs eidem contraria ſint quantum ad Socinianos àttinet. Clarum eſt, me in eo docere, partem eſſentialem Chriſtianæ Religionis hanc eſſe, ut Spiritum Dei imploremus quo ille in nos veniens mala in nobis deſtruat, bona ingeneret; tum & Chriſti Deitatem, ejuſque adorationem ſupremam, ut qui cauſa ſit ſalutis noſtræ, ibidem à me ſtabiliri: quo ipſo, articuli fundamentales Doctrinæ Socinianæ duo, quorum alter Pelagianiſmum docet, alter verò Divinitatem Domini Jeſu negat, omninò corruunt.

XIX. *De conſortibus & amicis Virginis B.*

Digitized by Google

ruunt. Ac ne qua cauſa ſupereſſe poſſit ſollicitè inquirendi, quid de nobis in hoc articulo ſentiendùm ſit, publicè declaro, nec Virg. Burignoniam, nec amicos ejus, nec me, non tantùm hujuſmodi unionem ullam, ſed nec commercium ullum unquam habuiſſe, vel habituros eſſe cum quovis qui Divinitatem ſupremam Patris, Filii, & Spiritûs S., neceſſitatemque gratiæ Dei internæ, & agnitionem ſtatus damnabilis in quo homo naturalis demerſus jacet, rejicere voluerit: Hæc enim nobis prima ſunt fundamenta Chriſtianiſmi: & hoc ipſum millies in ſcriptis Virginis B. agnoviſſet quiſquis ea legiſſet; & notabunt id evidenter Epiſtolæ Sectionis ſequentis, ubi quoque videbitur, eam docuiſſe, culpæ reum fieri quicunque malum protegit aut tolerat. Quomodo ergo à nobis pro Chriſtianis agnoſci ac recipi poſſent qui fundamenta Chriſtianiſmi convellunt, neque tamen opiniones ac vivendi rationem mutare vellent? Ne ipſi quidem Quakeri inter nos cum opinionibus ac ratione ſua agendi tolerarentur, niſi iis renuntiare vellent.

Liceat pro eo, quod Auctor nos veluti ingens aliquod corpus, aut forte metuendum exercitum, e coagmentatione quorumvis Sectariorum conflatum præter veritatem repræſentat, pro vero aſſerere, nos, nunc quidem, non niſi quoſdam privatos ac ſatis paucos eſſe, quorum ſinguli ferme ſecum habitant, ſuaſque ſibi res ſeorſum habent: at omnes tamen nos inter in Chriſto nos amare, paratos, ſi Deus id vellet, vel magis quam adhuc extra mundi conſortia ſecedere ut uni Deo poſſimus vacare, mandata ipſius, nec non & bonas loci, ubicunque erimus, leges inſtitutioneſque politicas obſervando: ac ne quis controverſiarum diſputator, vel mundi & rerum mundanarum amator, noſtram amicitiam atque converſationem ſua admiſſione perturbet, ſedulè cavendo, quippe qui iſtis miſſis, toti debeamus eſſe in ſtudio imitandi Chriſti atque beatæ æternitatis quærendæ occupati. Nullos alios voluit Virgo B. uti ad calcem (a) prolata ejus ea de re Epiſtola evidenter oſtendam: cui adjungi poterit liber e ſuis integer, titulo, *Lapides novæ Jeruſalem*, at qui adhuc ſolùm Gallice prodiit.

(a) Epiſt. 11. infra.

XX. *De Religione A. B. & amicorum ejus.*

XX. Pergit cenſura. *Religio eorum eſt, nullam foris obſervare.* Quod ſane *ex ſcripto meo*, ut promiſſum erat, minime *deſumtum* eſt: illic enim apparet Religionem in eo poni, „ut Deum ado-

„remus

„ remus in Spiritu & Veritate, ut Chriſtum imitemur per gra-
„ tiam Spiritus ejus in praxi omnium virtutum Chriſtianarum;
„ utque ceremoniis illis quas receptas invenimus, utamur tan-
„ quam mediis quatenus ad hos fines promoveri poterimus. Equidem verum id eſt, *nullos* nobis eſſe inſtitutos novos *cœtus*, quales in Religionibus Chriſtianorum variis inſtituuntur & frequentantur. Id noluit unquam pati ipſamet Antonia, ne vel novæ Sectæ umbra per hoc exhiberetur; neque vero idem paſſi fuiſſent etiam ejus Perſecutores, qui non ſemel eam perdere ſunt annisi, obtentantes, at falſo, quod cœtus illa novos, in quibus ſermones concionum inſtar fierent, erigeret. Ceterùm, ſi ludicrum enunciandi modum excipias, ſatis vere inſinuavit Auctor liberum cuivis eſſe, pro ſua cujuſque in pietate & in virtute promotione, cœtus ejus Religione in qua natus eſt ita frequentare, ut tamen non ſit piaculum & alios, ſi res ita feret & pietas, etiam interdum adire: cui addendum eſt, in locis ubi id omitti non potuiſſet ſine populi commotione bonorumve offenſione, aut etiam ſine publica perſecutione, omnino id eſſe conſilii datum, nempe, non eſſe tunc a cœtuum ac ceremoniarum uſu abſtinendum; ſiquidem ipſæ res non modo ſint non malæ, ſed origine divinæ, taleſque e quibus nonnulla poſſit bona mens emolumenta ſibi elicere.

XXI. Id vero aliud omnino eſt quàm quod in cenſura ſubjicitur, *profiteri a nobis ſummum exercitiorum pietatis contemtum.* Neque ſane hoc e Scripto meo deſumtum eſt, in quo quippe evidentiſſimum fit cultum externum actuſque ſacros ac ceremoniales, non parvi a me fieri. Imo, minime dubito quin Auctor potius offenſus fuerit quod in *Amico Conſilio* viderit & ipſas Romanæ Eccleſiæ ceremonias laudari, atque iis, quorum res ferebat, commendari, nominatim vero Miſſam, quam revera, in ſpiritu in quo inſtituta eſt, ſanctam atque divinam eſſe exiſtimo, nec non & maxime ſalutiferam illis qui eam vel celebrant vel participant ea cum animi conſtitutione qua ſanctiſſimorum plurimos, ipſumque inter plures diviniſſimum Kempiſium in libelli quarta parte, eo in ſacro exercitio animatos fuiſſe conſtat. Vide quæſo, quæ de hocce argumento non verbis contentioſis, ſed ſanctiſſima praxi oſtendit Sanctus ille, & illuſtris Vir D. Bernierius, in libro V. Tractatûs cui titulus, *Chriſtianus interior.* Neque tamen ego propter iſtam Catholico-Romanorum Sacrorum

XXI. *De Exercitiis publicis.*

ccc 3 vene-

Digitized by Google

venerationem, ceremonias Proteſtantium aut viles aut contemtas habeo, uti apud partium vel ſtudioſos vel cœca mancipia fieri conſuetum eſt: contra, eas tum in communi inſtitutione divina, tum in uſu ſuo legitimo, quo probæ mentes ad pietatis ac amoris divini flammas excitandas & fovendas iis utuntur, certiſſime maximi facio: ſitque propter hanc ipſam iſtarum rerum dignitatem, quam agnoſcimus, ut merito vituperemus ac contemnamus earum abuſum, ſentiamuſque, melius eſſe ab iis ſe abſtinere, quàm res adeo ſanctas & per ſe longè digniſſimas tam turpi dedecori exponere.

Idem ſimiliter ad *Miniſterium* Prædicationis & ad COETUS *publicos* applicandum eſt. Hæc adeò ſancta ſunt & ſancte agenda, ut iis potiùs abſtinere præſtet quàm abuti, & hoc abuſu ea dehoneſtare. Ecquis vero bonus non lugeat ſi quando videat loca illa, quæ vulgo Cathedras Veritatis vocant, ab hominibus quibuſdam occupari qui ſpiritu ventoſo & fumo Oratorum Gentilium, ut ne dicam Comicorum ac hiſtrionum turgentes, non niſi ſpeculationes ſteriles, obſervationes Criticas, blanditias affectatas, &, ad ſummum, declamationes generales ac vagas contra peccata craſſa & viſibilia ibidem proponunt; conſervantes interim atque nutrientes in auditoribus ſuis ſpiritum amoris proprii, diviſionum, indignationis, ac ſtolidæ cujuſdam perſuaſionis, qua ſe Deo præ multis aliis chariores eſſe exiſtimant, eò quòd ritibus externis, ac controverſiis & diſputationibus ſuis impiis, ab illis differant, dum ipſam tamen Chriſtianæ Religionis vim eſſentiamque obliviſcentes, aut omnino ignorantes, corticem externum pro medulla veritatis amplectuntur: Imò ſi fortè fiat ut quippiam boni proferant, mox videbis ea quæ altera manu ritè legitimeque ſemel conſtruxerant, manu altera vicies vicieſque convelli ac ſubrui. Nonne igitur præſtat hoc caſu rebus iſtis abſtinere, (modò hoc ipſum ſine gravioris mali periculo fieri poſſit,) quàm quæ adeo ſanctè inſtituta fuerunt, immani iſto abuſu tam turpiter profanare? Nonne Deus id ipſum & dixit, & obſervari ipſemet juſſit! Erat utique Eccleſia Judaica quondam vera Eccleſia, ipſeque Deus ipſius cultum omneſque circumſtantias Sacrificiorum, cœtuum, ceterorumque exercitiorum ac ceremoniarum legibus expreſſis ita ordinaverat inſtitueratque, ut nemo ea omittere potuiſſet quin & mortis pœnam,

Digitized by Google

nam, & divinam maledictionem incurreret. Nihilominus tamen cum videret Deus, hæc ipſa non ampliùs obſervari in ſpiritu amoris Dei & proximi, in ſpiritu juſtitiæ, benignitatis, pacis, veræ ſanctitatis, intimæ humilitatis & renuntiationis voluntatis propriæ; ſed ubique potiùs invaluiſſe amorem proprium, propriam voluntatem, rixas, contentiones, inimicitias, duritiam cordis & infeliciſſimam illam perſuaſionem qua Deo ſe probari putabant eo quod ad Templum ac exercitia ſua Judaicè coïrent, & alta voce clamarent, (*a*) TEMPLUM DOMINI, TEMPLUM DOMINI, TEMPLUM DOMINI! [*Conciones, cætus*, Exercitia *Religionis!*] quid eum feciſſe putas? Vide Caput I. Eſaiæ; *Quid mihi cum ſacrificiis, exercitiis ac cætibus veſtris?* & quæ ſequuntur. Vide & Capp. 57, & 66 ejuſdem Prophetæ, & Cap. 7. Jeremiæ &c. Quæ vero omnia ſecundum Auctorem noſtrum dicenda eſſent, *exercitia Religionis ſummopere contemnere.* At aliter Deus. Ille homines hoſce intra corda ſua remittit, ut ibi videant quidem ſeſe idolis abominandis eſſe refertiſſimos, ſciant vero cultum ſuum externum totum, omniaque *exercitia* ſua *pietatis*, ſeu potius *exercitia hypocriſeos*, Deo eſſe abominationi. quapropter etiam ipſis eorum uſu interdicit: tum & Templo deſtructo eos in Babyloniam mittit volens ut ibidem ſine cultu iſto maneantque & diſcant Deum in ſpiritu & veritate colere, cultumque verum ac ſervitium internum, quod nunquam non exigit, ei ſolidius reddere. Atque hic eſt cultus, hoc obſequium de quo Paulus, (*b*) *Obſecro vos, fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Et nolite conformari huic ſeculo; ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri; ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.*

(*a*) Jer. 7: 4.

(*b*) Rom. 12: 1, 2.

Utinam verò Chriſtiani, interque eos ipſi Proteſtantes, tantiſper in ſe deſcenderent, conſideraturi, utrum ad ejuſmodi *Templum, Paſtorem, cultum, exercitia* ſolida, *ſpiritualia*, divina RELIGIONIS INTERNÆ cordis & Spiritus, cujus vel verbo meminit *Amicum Conſilium*, diligenter fuerint revocati. Annon potius iſta eis plane ſint nova & omnino inaudita quædam, dum interim copioſa exercitia ſua externa, ipſorum oculis veluti totidem vela obducta, ipſis ſomnum movent quo obdormiant bellæ perſuaſioni huic, ſecum ſcilicet ita tutò & bene agi utut in ſpiritu nihil

hil proficiant quicquam, neque ſpirituales unquam evadant, imo, licet minorem in ſe reperiant pietatis ardorem poſtquam annos vicenos ac tricenos externa Sacra & Communionem participarunt, quàm cum prima vice ad ea accederent, ſimiles hac in re
(a) 2 Tim. 3: 6, 7. (a) *mulierculis* illis quæ *oneratæ peccatis & auctæ variis* rerum temporalium *deſideriis*, *diſcunt ſemper* ſteriles ac externas ſpeculationes opinioneſque; *ſed nunquam ad cognitionem veritatis*, quæ eſt ſpiritus vitalis ac divine potens, *perveniunt*, quippe *captivatæ* a multis, qui de Spiritu Chriſti nos veræ libertati aſſerente, qui de Chriſto ipſo intus habitante, docente & perficiente, vix quicquam ipſi ſciunt, nedum de eo verba Joannis ſua faciant;
(b) Joan. 3: 30. (b) *illum oportet creſcere: me autem minui. qui de terra eſt, de terra eſt, & de terra loquitur. Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt.* Ignoſcite, quæſo, poſtulanti, annon ipſa Veritas, annon Chriſtus Jeſus, noſtrum plurimos jure merito hiſce verbis compellare
(c) Math. 15: 7. „ poſſet; (c) *Hypocritæ! bene prophetavit de vobis Iſaias, dicens: po-*
(d) Jer. 12: 2. „ *pulus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe eſt à me.* (d) *prope*
„ *tu es* (Domine) *ori eorum*; *ſed longe a renibus* (cordeque) *eorum.*
„ Pulcra verba, ceremoniæ ſacræ, geſtus ac vultus ſpecioſi! at
„ intus, non ita reſpondet cor, amore mundi ardentius ac firmius
„ quam Dei percitum & actum. Mundani facti, atque carnales
„ & animales, quid ſit RELIGIO CORDIS INTERNA, ubi
„ *Deus ſpiritus adoratur in ſpiritu & veritate*, prout ipſe poſtulat,
„ dum ignorant, idola ſibi è ſuis exercitiis externis fecere toti-
„ dem, quibus adhæreant animo adeo cœco, adeo pertinaci, ut
„ qui eos illa in re noluerint ſequi, hos ſumma cum indignatio-
„ ne, ac obſtinato cum odio ob alia quædam pia exercitia idolo-
„ latriæ reos proclament, rati ſe eodem crimine minime teneri,
„ licet intus, in cordis ſacrario, idola foveant vera quæ immen-
„ ſum abominatur cordium Deus, amorem ſcilicet proprium, amo-
„ rem mundi, amorem pecuniæ, amorem proprii commodi, vo-
„ luptatum & honorum, diſſenſiones, contentiones, mendacia,
„ iras, invidias, bonorum odia, puræque veritatis atque (ut ita
„ dicam) impartialitatis averſationem; quæ vero diſſimulantes
„ ſteriles opiniones ſuas, controverſiaſque contentioſas (quibus ne-
„ mo melior fit coram Deo,) colunt adeo idololatrice, ut magis
„ eis quam ſummo bono, adhæreant; tanta vero cum obſtinatio-
„ ne, acſi vel Papâ ipſo magis infallibiles ſe crederent; tanta
etiam

Digitized by Google

etiam cum mentis cœcitate, ut potius pati malint ſuos torqueri & vel vivos comburi fratres ſocioſque, quam conſentire vel ſuadere uti ab hiſce aliquantum diſcedant. Quod ſi vero quis ab iis ſecedat, atque alias levidenſes opiniones, alia exercitia externa, aſſumat, ſeque, neceſſitate ita forte cogente, hiſce accommodet, protinus apud eos audit, *Apoſtata*, *Dei deſertor*, *qui peccet in Spiritum S. qui Filium Dei denuo crucifigat*, & ſexcenta neſcio quæ tragica quæ continuò in ore habent, ſimulque dicunt, (ad imitationem Phariſæorum tempore Chriſti), Si quis Miſſæ interſit flexis genibus, ſi ſe Sanctorum precibus charitatique commendet, ſi purgatorium credat &c. is idololatra eſt. At ſi quis cor habet amore ſui & mundi, eorumque quæ in mundo ſunt repletum, modo iſtorum ſacris exercitiis non utatur, & noſtros cœtus ſacraque frequentet, is idololatra non eſt. Quæ cœcitas! Utrum enim gravius eſt, corpuſne inflectere eo in loco ubi ob ipſa Chriſti affirmantis verba creditur ejus Sacra humanitas adeſſe; atque illic cum omnipræſente Divinitate adorationem deferre; (qua in re, licet humanitas ſacra abeſſet, nihil tamen læderetur nec minueretur in corde amor erga Chriſtum, ſed error ſolum eſſet exiguus de externa loci circumſtantia;) an vero eſſe animo ita indocili, ut nullus detur ea in re rationis audiendæ locus; ita obſtinato, ut nihil, quicquid ratio hic dicat, cedendum velit; adeo duro, ne dicam crudeli, ut potius ſit permiſſurus pias animas, difficultatibus iſtis implicitas perire, quàm ut levamen iis aliquod adferat, vel ab aliis adferri ſinat, licet id fieret per vias quibus ad ipſum Deum ejuſque amorem revera promoveri poſſint: Dum interim eodem tempore ipſimet illi animi rigidi non raro in corde ſuo præſentiſſimis inſerviunt ac ſubmittunt ſeſe vitiis; humilitatem vero, charitatem & pacem ex ſe exulare jubent. Quid vero eſt, ſi hoc non eſt, *mundare quod deforis eſt calicis & paropſidis*, exercitia externa ad ſpeciem bene parare; (Matth. 23:25.) quando tamen *mundandum* eſſet *prius quod intus eſt calicis & paropſidis, ut fiat id quod deforis eſt, etiam mundum*? ut purgato cordis interioribus, omnia pura ſint; atque evidens fiat, nullam rem externam quæ a corde ſincere Deum quærente & amante peragitur, immundam eſſe ulli, niſi illi ſoli qui eam immundam eſſe exiſtimat. Quibus ſane verbis, multiſque ſimilibus, poſſet merito Chriſtus Jeſus, ipſaque adeo Veritas, com-

pellare non quidem animas pias quæ ſive inter oves ſeu inter Paſtores ipſos reperiuntur, utpote quæ in meliori conditione verſentur; ſed multos alios, qui in ſimilibus tenebris ac malis adhuc demerſi jacent. Verùm ad Auctorem redeamus.

XXII. *Cultum externum non contemni.*

XXII. Ubi dixit, *Profitentur exercitia pietatis à ſeſe ſummopere contemni*, addit, *dicuntque illa res eſſe externas, quarum nullus ſit uſus niſi quatenus intentio & ratio iiſdem utendi ad cordis ſui atque animi correctionem eaſdem utiles reddit.* Quam probandi ratiocinandique rationem ego nullatenus intelligo. Oſtenſurus eſt; *exercitia pietatis ſummopere à nobis contemni, atque omnino indifferenter haberi.* Id ut probet, rationem hanc addit, nos eadem utilia eſſe credere ſi quis bona cum intentione & ad cordis ſui atque animi correctionem iis utatur: Quæ vero tantùm abeſt ut oſtendant exercitia pietatis indifferenter haberi; ut potius doceant, eadem magno haberi in pretio. Etenim, ſi illa in pretio habemus in quantum cor atque animum corrigunt; ſique cordis correctionem atque animi, hoc eſt, amorem atque lumen Dei, ſimiliter in pretio habemus; conſequens utique eſt exercitia pietatis quæ eo ducunt, perinde à nobis haberi in pretio.

At, dices, hac ratione quidem in ipſo uſu conſiderantur: at *in ſe* tamen, & natura ſua, indifferenter habentur. Reſpondeo.

Id ſi Auctor nobis objicere intendat, facilè video illum tum mentem noſtram, tum naturam cultus atque exercitiorum exteriorum nondum recte intellexiſſe. Ego verò ſyſtema eorum paucis explanare conabor.

XXIII. *Explicatio exercitiorum & cultûs externi: iſta poſſe tum* INDIFFERENTIA *eſſe tum* MALA, *tum* BONA.

XXIII. Quando dicitur, rem aliquam eſſe in ſe vel, *per ſe*, bonam, malam, aut indifferentem, verba hæc *per ſe* vel indicant omnia quæ ad ſtatum completum ejus rei pertinent, veluti ejus inſtitutionem, ſcopum & uſum; & hoc ſenſu quidem cultus externus non eſt indifferens in ſe vel per ſe ſive quod ad omnia quæ ex conſtitutione ſua involvit; aut verò eadem verba *per ſe*, notant ſolam formam materiamve ejus externam; & hoc ſenſu res eſt per ſe indifferens. Exempla ſubjungo.

Concipiamus, ſi placet, machinam aliquam inſtar corporis humani, quæ ſine anima divina, ſineque cogitatione ulla vel bona vel mala, motûs illos ac geſtus formet, verbaque ea pronunciet, quæ in exercitiis cultus externi formantur & pronuntiantur. Hoc caſu utique nullum eſt dubium quin exercitia hæc ſint

per

Digitized by Google

per ſe indifferentia, & nec moraliter bona, nec moraliter mala. Ipſi ſimii ac pſittaci iiſdem eatenus uti poſſunt.

Ponamus deinde in eandem hanc machinam intrare animam, quæ cum motibus hiſce conjungat cogitationes amore quidem Dei vacuas; at amore proprio, propria voluntate, ſuperbia, arrogantia ſimilibuſque vitiis plenas; quis non videt, exercitia hoc caſu, reſpectu hujus perſonæ, & ipſius Dei judicio, inquinata fore, malaque & à Deo reprobanda?

Ponamus tertiò, machinæ huic ejuſdemque motibus adeſſe animam quæ iiſdem jungat deſideria & cogitata bona, puta, amoris divini, pacis, humilitatis, ac ſimilia: hoc caſu nemo non videt exercitia hujus creaturæ longè optima fore, ac Deo multò gratiſſima.

Ponamus, quartò, eidem machinæ adeſſe animam, quæ ſine ullis motibus talibus, & ſine omnibus verbis iſtis exterioribus, cognitionem ac amorem Dei in ſe habeat; nonne vides eam hîc ſine exercitiis ac ceremoniis (non dico iis contemtis) Deo gratam fore?

Ponamus nunc, quintò, animam cum hac machina conjunctam cogitationibus habitibuſque bonis & virtute dignis carere adhuc; ita tamen, ut in iis acquirendis juvari ſe ſentiat per exercitia quædam ceremoniaſque, ex certo aliquo cœtu bono, ut creditur, & in quo ipſe Deus verbis expreſſis horum exercitiorum uſum docuiſſe dicitur. Nemo certè dubitabit Deum hoc caſu ea omnia judicare optima atque ita approbare.

At quid ſi (ut hoc ſextò addamus,) eadem machina animata, ad amorem Dei atque virtutem adſpiret, imò eum revera attingat, & in eo ſeſe conſervet per uſum ceremoniarum, geſtuum & verborum cœtus cujuſdam qui ceteris quidem legitimus non videatur; imò qui verè utatur exercitiis à Deo non quidem inſtitutis aut expreſſo verbo traditis, ſed tantum ex deſiderio atque intentione Deum quærendi, & cor pariter atque intellectum ad ipſum cum amore erigendi, inventis; ecquid hîc dicemus? Num Deus huic creaturæ dicet: *Equidem tu amas me: at quoniam cum hiſce ceremoniis me amas, hinc te rejicio: Abi ad Inferos?* Alteri autem: *Tu verò me neutiquam diligis; neque vel animum vel cor geris erga me ſincerum ac rectum. At quoniam exercitiis uſa es, quæ ego*

Digitized by Google

verbis docui; hinc, utut animi ac cordis integritas in te planè deſideretur, nihilominus te approbo; Salva ſis. Quis verò hoc cogitabit de Deo niſi qui exiſtimaret Deum eſſe ſectarium non minus cœcum, partialem & brutum, quàm hominum nunc plerique exſiſtunt? quique crederet, Deum motus quoſdam ac verba Amore ſuo divino chariora habere, imò & amorem ſuum, adeoque ſemet ipſum, odiſſe ſiquidem ceremoniæ certæ externæ non ſimul ei adſint?

XXIV. *Amor omnibus pretium addit.*

XXIV. Huncne diceres Deum qui ſit purus ſpiritus ac pura veritas? Sint vero quædam ceremoniæ à Deo expreſsè non inſtitutæ, quis tamen neget, intentionem animi per eas ad Deum cum amore erigendi, à Deo auctore eſſe? Deus ergo ita talium omnium vera cauſa tandem invenietur, ſive à verbis ejus externis ſive à motibus internis eæ proveniant. Nonne verò Amor omnia rata & facit, & probat? vel numquid erit quod & ſine amore erit, & bonum erit; aut cum amore, quod malum? AMA, dicebat S. Auguſtinus, ET FAC QUOD VIS. Lex, Prophetæ, Euangelium, homines, Angeli, Jeſus Chriſtus, ipſeque adeo Deus ab Amore Divino pretium ac pondus habent, ſine quo ipſe Deus neque foret ullius pretii niſi ſe amaret. Imo vel ipſi Dæmones ſi inferno uti ſuo poſſent ad amandum Deum, Angeli fierent beati & Deo dilecti; ipſique Angeli ſi cœlorum ulla re quacunque ſine amore uterentur, in totidem dæmones veriſſimè evaſuri eſſent. Quo jure ergo conqueritur Auctor exercitiis pietatis tantum pretii à nobis ac ponderis dari, quantum ab Amore, ſeu ab *animi correctione & cordis* accipiunt! Ego, ut verum fatear, quid hæc ſibi velint non intelligo.

An quis meritò aliud quicquam exigere poteſt præter [illegible] atque exercitia pietatis in quantum illa Amorem Dei juvant [illegible] conſervant, niſi ad Judaïſmum ipſum, & craſſiſſimum [illegible] redire contendat? Quî verò fieri poteſt, ô divine Amor, [illegible] præſente contenti non ſint hominum filii; utque exercitia quædam pietatis velint quæ ad tui progreſſum nihil proficiant? Atqui hoc ipſum vere eſt *exercitia pietatis contemnere* ac ſummoper[e] profanare, dum ſcilicet à ſpiritu Amoris ſeparantur, & pretium eorum non in Amore divino, ſed in alia re quacunque collocatur. Hoc certè ſignum eſt, homines non divino Amori, ſed alii cuipiam rei adhærere; nec Deum Amoris, ſed aliam rem quam-

quamçunque adorare, imò tales verè Judæos eſſe, & Idololatras, rebus externis & Judaicæ praxi ceremoniarum ſuperſtitiosè affixos. Namque ſi exercitiis pietatis ſine idololatria, hoc eſt, ex puro amore Dei ſineque amore proprio uterentur, iiſdem ſane ultra Amorem Dei nunquam adhæreſcerent: & ſiquidem ceremoniæ aliorum ad Amorem ducerent, neutiquam eas adeo condemnarent. Similiter etiam, niſi ex voluntate propria iiſdem uterentur, acquieſcerent ſanè animis pacatis tranquilliſque, ſi fortè Deus eadem vellet omitti, ac media eorum exercendorum adimeret; atque ita amorem ſuum, pacem, humilitatem, bonitatem ac virtutes omnes per media ea quibus uti liceret, conſervare ac promovere conarentur. Aſt longiſſimè ab iſtis hodie abſunt pars maxima. Neque vero poſſum quin rationem quam plerique in cauſa Religionis atque exercitiorum ſuorum ſequuntur, brevi conſpectu ante oculos Lectorum exponam. XXV.

Religio hominum noſtri temporis, qui ſe ipſos amant.

XXV. Principiò, Amor Dei ac puræ & divinæ voluntatis ſuæ in iis intermortuus eſt; adeò ut vix exiguæ quædam atque inefficaces etiam voluntates vel quaſi ſuperſint quæ eo tendant.

Amor proprius Religioſus videri vult.

Secundò, *Amor proprius* ibidem dominatur & adoratur, ſimulque cum eo vigent propria voluntas, ſuperbia, arrogantia atque propoſitum quo tum ſuo cerebro, tum hominibus aliis videri volunt pii, religioſi, rem ac cauſam Dei cum Zelo quærentes.

Amor proprius Religionem amplectitur.

Tertiò, quoniam nihil vetat, quò minùs amor proprius, ſuperbia, arrogantia, ac voluntas familiarem Dei amicitiam affectandi, ſimul cum Cultu externo Religionis cohabitent, hinc & *Amor proprius* ac *ſuperbia ſpiritualis* eo cultu non ſine ſuo utuntur fructu, imò vires per eum ac incrementa non parva capiunt. Quantum verò gaudium putas eſſe amoris proprii, quando hunc habitum pietatis externum induit, & hac ratione cum ſibi tum aliis divino Zelo ardens, pius, religioſus & juſtificatus videri incipit; perſuaſus, Deum pro hiſce omnibus præmia ſibi daturum eſſe!

Zelus, tormenta, & martyrium amoris proprii.

Quartò, quandoquidem ergo res illas externas deamant pro modo magnitudinis amoris proprii, qui violentus eſt, & ipſa morte fortior; hinc fit, ut iis mirè adhæreſcant mancipia amoris proprii, adeò ut ad eas conſervandas non tantum Amorem

Digitized by Google

Dei ejuſque divinas virtutes (quibus ipſi mortui ſunt) facilè obliviſcantur; ſed & ipſi vitæ propriæ corporali potiùs malint renunciare. Videſis, quæſo, Judæos (a) dierum Tiberii ac Caligulæ, qui eodem tempore quo Amori Dei, juſtitiæ, miſericordiæ ac veritati puræ omnino jam mortui erant, & verum cultum Dei, virtuteſque ac vitam Chriſti & Sanctorum ipſius impugnabant, parati tamen ſunt ſinguli, jugula potiùs ſua dare, quàm imagines Imperatorum non in Templo ſolum, ſed ne vel in ipſa etiam urbe tolerare. Si homines ita affecti, eam ob cauſam ſe trucidandos dediſſent, cujuſnam Martyres eos fuiſſe crederes? Amoris certè proprii. Namque ſi propter evitationem peccati, eorumque quæ cum Amore Dei & proximi conſiſtere non poſſunt, tantundem pati debuiſſent, nemo ſeſe præſentem ſtitiſſet.

(a) Joſephus de bello Jud. libr. II. cap. 14. & 17.

Hoſtes & controverſiæ amoris proprii.

Quintò, quoniam amor proprius Religione externa ita indutus, jam idolum factum eſt & Deus animæ, hinc & quicquid cum ipſo hac in cauſa non conſentit, diabolus ejus erit ac hoſtis. Hæc cauſa eſt, quare alios quorum ceremoniæ atque opiniones levidenſes noſtris, quas amor proprius noſter amplexus eſt, contrariæ ſunt, tanquam totidem hoſtes infenſos intueamur, contra quos diligens cautio adhibenda ſit, quoſque bonis controverſiis, ſancto odio, ac pia irâ oppugnare oporteat, ac mori potiùs quàm ſuccumbere. Et hic quidem ſibi videntur multi cauſam Dei defendere, atque Heroës in Iſraële eſſe, & agmina Dei ducere: dum revera ſub vexillo Satanæ pro amore proprio belligerant.

Amor proprius fit calumniator & perſecutor bonorum ac veritatis.

Tandem, quoniam *Amor Dei* eſt ipſa VERA RELIGIO, vera autem Religio nullos hoſtes habet præterquam ſolum amorem proprium & quæ ex eo pendent; hinc fit ut amor proprius veluti fulmine perculſus videatur ſi quis ei palam exponat eum craſsè nimis erraſſe, & corticem pro medulla, ac partem acceſſoriam aut larvam Religionis pro parte ſolida amplexum fuiſſe; diſputationes ejus ac controverſias verè eſſe exercitia Diaboli; labores ac tormenta quæ pertulit, eſſe pertinaciam atque operas deperditas; glorias, quas ſibi olim ſuas ob perpeſſiones ab aliarum partium hominibus inflictas promittit, eſſe ſolummodo ſpes vanas, maleque in eo fundatas quod putat ſe Amorem Dei eſſe, qui tamen eſt ipſe amor proprius; ſi quis denique ei oſtendat exercitia pietatis quibus utitur, eſſe velum hypocriſeos, doceatque eum

Digitized by Google

eum debere ſe ipſum odiſſe & mori, una cum omni ſua arrogantia omnibuſque quibus animo adhæreſcit, ut Amor Dei, seu ipſa & ſola eſſentia Religionis veræ (cujus ille membrum nondum eſt) in eorum locum ſuccedens reviviſcat; rebus vero externis interim utendum eſſe in pace, in humilitate, ac ſine diſceptatione, quales tunc quidem ad manum ſunt, & in quantum ad Deum ducunt: Hæc, hæc, inquam, totidem ipſi fulmina videntur, quorum ille vim neutiquam ferre poteſt. Quamobrem etiam quotquot in ſe conſervare volunt amorem hunc proprium, arrogantiam ſuam, teſtimoniumque bonum quod in rebus ſpiritualibus tum ſibi ipſi reddunt, tum ab aliis ſibi reddi audiunt, præſertim ſi inter primipilos ſint & factionum duces, illi quando ſeſe ita a veritatis lumine detectos vident, ſumma ſtatim indignatione perciti, eos proſequuntur odio non parvo qui facem illam incommodam protulere. Et quoniam pars eſſentialis veræ Religionis parum iis eſſe videtur præ iis quæ ipſi afferre & tueri volunt; hinc fit ea uti quæ de illa dicta ſunt contemptim perſtringant, argumenta ſolida diſſimulent, & technis neſcio quibus abutantur, quo veritatem, à qua in lucem protrahuntur, in odia hominum ſi poſſint adducant. Quæ vero de minus bonis in genere dicta velim: meliora de Auctore ſperem.

XXVI. Dicunt (ait ille) exercitia eſſe res externas, *quæ multo magis etiam obſint quàm proſint, quoniam animam extra ſe ipſam trahant.* Neque hæc ſane ex meo ſcripto deſumta ſunt, in quo, pariter atque in prima epiſtolarum quas poſtea ſubjungam, contrarium apertè videtur. Videlicet & à ſententia noſtra, & à veritate ipſa longiſſimè abeſt, exercitia, ſi in ſpiritu divinæ inſtitutionis ac ſcopi ſui obſerventur, magis obeſſe quàm prodeſſe, atque animam extra ſe ipſam trahere: nam contrà, dum animus ita affectus eſt, illa ſemper proſunt, animamque recolligunt. At ſi homines iis Judaico more adhæreſcant, ſi functiones eorum non rectè adminiſtrentur, verbi gratia, ſi pro puro illo verbo Domini quo animæ convertuntur, & ad amorem Dei inflammantur, afferantur vanæ argutiæ antiquitatum Criticarum, materiæ controverſiarum, & ſimiles nugæ, ſique amor proprius in iis blandè foveatur; hoc caſu illa magis obſunt quàm proſunt: Et ſi quando Deus animam non parum jam progreſſam extra exercitia omnia externa, quorum nulla neceſſitas impoſita eſt, vocet,

XXVI. *Qui externa animam ab internis abſtrahant, aut ſecus.*

vocet, anima ipſa verò voluntati Dei vocantis obſequi nolit, aut ab aliis impediatur ne poſſit; hoc caſu animam extra ſe ipſam trahunt, eamque impediunt. Hæc verò captum nonnullorum tranſſcendent, qui fortè monſtra quædam conſequentiarum ex iis procudent, ſiquidem media pluris faciant quàm ipſum finem. Neſcio autem utrum ad conſequentias ſimiles pertineant ea quæ de *Quietiſtis* afferuntur, ſive de *Sectatoribus Doctoris Molini, qui in Italia tot tumultûs dederunt.*

XXVII. *De Quietiſtis & quietudine.*

XXVII. De *Quietiſtis*, quos vocant, quæcunque fama publica nuntiavit, valde incerta ſunt. Ego verò Deo illos relinquo. Ille eos vel defendet, ſi calumniis gravantur: vel judicabit, ſi merito ſuo accuſantur, at Judicia hominum, & quidem mundanorum potiùs quàm ſpiritualium, in his ſimilibuſve rebus exigui ſunt admodum momenti. Porro in omnibus conditionibus nunquam deſunt, qui nomen ordinis ſui falsò gerant. Hinc ſi illi, quos *Quietiſtas* vocant, ad hanc pertineant claſſem, ſi nulla habitâ diſtinctione quietudinis, eam omnibus, omni in tempore, ſtatu, ac loco, divina attractione non præſente, & in contemptum exercitiorum quæ officia exteriora injungunt, commendent; abſit ut unquam pro iis cauſam velim dicere. At ſi nominis illius ſano ſenſu ſumti menſuram verè implent, duo ſunt, quæ de iis monere oportet. Alterum eſt, mentionem eorum quæ hic injicitur, à ſcopo atque inſtituto noſtro penitus aberrare: etenim illi, quos dicimus, & faciunt & facere debent omnia exercitia communia ad quæ inter ſuos obligantur, ita ut ſtatus hic quietis ad privatum duntaxat regimen ſpectet, in iis quæ libertati ſingulorum relinquuntur: unde nulla eſt cauſa quare mentio eorum huc referri poſſit. Alterum eſt, eos, qui non ex propria electione ac affectatione, ſed attractioni ipſius Dei obſequentes ad verum quietudinis ſtatum pervenerunt, longè promotiſſimos puriſſimoſque eſſe omnium qui Chriſtianorum nomen merentur. Inſtituti mei non eſt Apologiam hîc ſcribere ſtatus hujus ſublimiſſimi, *Quietudinis* inquam, qui verè eſt inter gradus altiſſimos, ad quos Spiritus S. attollit animas quæ multis in periculis, quibus eas expertus eſt, à longo tempore ipſi fideles fuerunt, præſertim ſi quies illa merè paſſiva & ſupranaturalis exiſtat. Videſis ea de re Scriptores Myſticos, veluti S. Joannem Climacum, S. Bernardum, Kempiſium, divinum Rusbrochium,

Tau-

Taulerum; Joannem à Cruce, S. Tereſiam & ſimiles; & inter recentiſſimos, Doctorem Rojas, Canfeldium, Dominum Bernierium, Malavallum, P. Epiphanium Ludovicum, & alios quoſdam. Caveant vero ne hic petulantius tumultuentur illi quos ſcriptura vocat *animales & carnales*, quique ut S. Judas ait, *blaſphemant ea quæ non intelligunt: in iis verò quæ modo quodam animali comprehendunt, inſtar beſtiarum quæ intelligentia carent, corrumpuntur.* Filius Dei in Cantico Canticorum obteſtatur, ne quis quietem turbet animarum quæ inter brachia ſua divina quieſcentes, verba Sponſæ verè ſua faciunt, dicentis *Dormio, at cor meum vigilat. Obteſtor vos*, inquit, *ô filiæ Hieroſolymæ* (hoc eſt, ô animæ, quæ activitate & diſcurſu agitamini,) *nolite excitare amicam meam donec ipſa velit.*

Sacra QUIES, *divina* QUIES, *incognita cunctis,*
Qui malunt verba, & currere ſemper amant!
O vacuum, in quo nos totos nil eſſe videmus!
Ars divina, docens perpete morte mori!

Eloquium ſilens, quo mens devota ſubeſſe
Soli vult ſancta relligione Deo!
Imperium felix, quod nullus concutit hoſtis!
O deſerta QUIES! *o* QUIETUDO *frequens*!

Mens colluſtrata eſt, ardeſcit anhela voluntas,
Ingenii ſilet vis memor atque vacat.
Nec ciet infeſtas turbas, velut ante, cerebrum;
Nec ſolito ſenſus agmine bella movent.

At tu qui Sacra nimis adverſare QUIETI,
Vanam deblaterans illius eſſe fidem;
Si lubet hoc gaudere bono, te vincito, nunquam
Rebus vel ſtudiis totus adhære tuis.

XXVIII. Sed redeamus ad actionem, necdum enim nobis [illegible]tis eſſe licet. *Paſtores nimis immodicè obtrectant, ac Zelum quen- aſſimulantes nihil non afferunt, ut tum Miniſterium publicum, tum qui eo funguntur in utraque Religione, in invidiam atque contemtionem*

XXVIII. De Miniſterio & Paſtoribus. Falſum eſſe

D. A. B. iis adverſari.

nem adducant. Hæcne quoque *ex meo ſcripto?* Non: *Id*, inquit, *in ſcriptis Auctricis Antoniæ Bourignoniæ videre eſt.* Atqui illa Apologiam Paſtorum, Miniſterii publici, & eorum qui eodem funguntur, rite atque ſolenniter conſcripſit edidítque! Quakeri eam ſcripto publico accuſaverant, quòd *Paſtores atque Miniſterium publicum magni faceret, & homines remitteret ad Sermones Eccleſiaſque eorum.* (Videſis, ut hoc per parentheſin interponam, quàm egregiè accuſatoribus noſtris conveniat! Alius cauſatur Miniſterium atque Paſtores à nobis magnifieri; alius objicit eadem à nobis contemni.) Quicquid ſit, idipſum occaſionem ei attulit, Apologiam Paſtorum atque Miniſterii Eccleſiaſtici ritè conſcribendi in Tractatu publicè impreſſo, qui inſcribitur *Monitum A. Bourignoniæ contra Sectam Quakerorum*, ubi multis paſſim in locis, & præſertim pag. 151. & ſequentibus Edit. Gallicæ, videre eſt, eam directò contrarium docere eorum quæ hic ipſi imputantur. At forte, in operibus reliquis quæ ſcripſit, in Paſtores atque Miniſterium invehitur. Egregia verò inſtantia! Quis eſt qui literam Scripturæ tam parum noſcat, ut in eadem legenda non obſervaverit, eam ipſam, quæ Miniſterii S. atque Paſtorum fundamenta & dignitatem adſtruit, ſexcenties in eoſdem invehi? Eſaias, Jeremias, Ezechiel, Oſeas, Malachias, Jeſus Chriſtus in hiſtoria Euangelica, S. Paulus, S. Petrus, S. Judas, millena vitia in iis perſtringunt, quos vocant paſſim Seductores, impios, canes mutos, hypocritas, adulatores, mercenarios, latrones, lupos, Miniſtros ſatanæ, additis titulis ſimilibus non paucis, & iiſdem interitum etiam denunciant. Qui verò hæc conciliabuntur cum aliis locis ubi Scriptura eos laudat & probat? Videlicet Scriptura ſacra non invehitur in Miniſterium ipſum in ſe ſpectatum, neque in Paſtores veros; ſed abuſum Miniſterii, & vitia Paſtorum, impioſque qui inter eos ſunt, vituperat: id quod neutiquam obeſt quo minùs Miniſterium in ſe, eoſque qui eo bene funguntur, magni faciat. Quis ergo ſine inſigni injuſtitia eandem rationem in Virgine B. condemnabit? Et poſtquam ipſa eandem hanc diſtinctionem aliquoties expreſſe agnoſcit & proteſtatur, & præterea Apologiam hujus muneris & eorum qui eò funguntur, ritè conſcripſit, quis erit inter eos qui hæc l rint, qui publicè ei imputare audeat, *eam amicoſque ejus nihil aſſerre, ut tum Miniſterium, tum eos qui eo funguntur in invidiam ducat?*

Digitized by Google

ducant? Imò nos etiam, ut calumniis omnibus finem imponeremus, hæc omnia, & quæcunque de Miniſterio ac Paſtoribus ſive ad eorum laudem, ſive aliàs, dici poſſunt, in unum veluti ſyſtema congeſſimus; & hæc quidem in Præfatione Parti II. Teſtimonii Veritatis præmiſſa prolixè expoſita inveniuntur, adeo ut totæ paginæ viginti quinque uni huic tractationi impendantur.

Ego verò Auctorem noſtrum ac quoſvis etiam non immerito interrogarem, utrum nulla in Paſtoribus vitia ſint, nulli abuſus in Miniſterio; & ſi revera ſint, utrum calumniator dicendus ſit Miniſterii atque Paſtorum, qui hæc mala ideo repræſentabit ut rite præcaveantur! Nonne auctor libri Gallici (*l'Eſprit de Mr. Arnaud*) cauſa multo minus ſalutari motus, apertè dixit, Paſtorum pleróſque *quibus Synodi conſtant* (a) eſſe *juvenes indiſcretos & fratres falſos?* Quod ſi alium teſtem mavis minus ambiguum, & Paſtorem quidem, & Genevenſem, imo & Reformatarum Eccleſiarum Gallicarum Apologeten, Auctorem dico Epiſtolarum, quas *ſinceras*, ſermone patrio *Lettres Sinceres* inſcripſit, quæ ubique applaudentibus omnibus Reformatis diſtractæ fuerunt; audiamus quæ ab ipſo *Part. II. epiſt.* 2. operis ſui ea de re commemorantur. *Vita noſtra*, (Paſtor de Paſtoribus loquitur) *conciones noſtræ, mores noſtri, & omnia noſtra in genere, à ſtatu ſuo in quo eſſe debebant, adeò defecerunt, ut nec verba mihi ſuperſint quibus id exprimam. Non poſſum quin dolore opprimar & pudore confundar, quotieſcunque hæc recogito. Et defectus quidem noſtri adeò numeroſi ſunt, adeo enormes, ut ſi eoſdem enarrare inſtituam, unde exordiar, neſciam. Si reſpicio ad Sermones plerorumque Paſtorum, video gloriæ propriæ ſtudium in iis dominari. Id unum quærimus, ut eruditi, ut diſerti aut etiam Philoſophi videamur. Derelicta ſimplicitate Euangelii floſculos & acumina ſeculi malumus. Propoſitum nobis eſſe videtur, homines potiùs eò ducere ut nos honorent, quàm ad Jeſum Chriſtum eos revocare. Utcunque Paulus dicat, ſe non veniſſe cum verbis blandis ſapientiæ humanæ, propoſitum ſibi eſſe nihil ſcire præterquam Jeſum Chriſtum, eumque crucifixum; hunc ſe annunciaſſe in evidentia ſpiritus atque potentiæ; exemplum tamen Pauli parum nos movit, qui voces noſt[illegible]s non tam voci Agni quàm vocibus hujus ſeculi conformare voluimus. C[illegible]n debuiſſemus eloquentiam atque doctrinam noſtram in cœlo quærere & i[illegible] contemplationibus ſanctis, maluimus ea conjungere quæ naturâ ſua ſ[illegible]ul conſiſtere nunquam poſſunt; & pulcritudinem cæleſtem atque divi-*

(a) Part. II. pag. 245.

nam apparatu mundi diſſimulare. Ad mores noſtros vitamque quod attinet, nulla in iis ſuperſunt exempla ſanctitatis animæ imitanda; ſed offendicula potius afferunt infirmioribus. Et profectò, ſuperbia, avaritia, ſtudium vindictæ, odia & obliquitates quibus ſcatemus, adeò prorumpere atque publicè innoteſcere cœperunt, ut ſi iſta negare velimus, non homines tantùm ſed & lapides ipſi nobis ſint obloquuturi. Et quâ ratione Eccleſiæ noſtræ integræ ſupereſſe poſſent, cùm nos ipſi corrupti ſimus? Quomodo vitia ex illis ejiceremus, quandoquidem nos tantùm abeſt ut eadem è cordibus noſtris ejiciamus, ut potiùs ea ibidem foveamus? Quomodo animos hominum ad Meditationes cœleſtes ac ſpirituales attolleremus, dum nihil in nobis apparet præterquam quæ carnalia ſunt & terrena? Profanatum eſt Sanctuarium; malum à Prophetis noſtris proceſſit, qui non ad voluntatem Chriſti, ſed ad mores mundi ſeſe componere voluerunt. Nos ſumus cauſa defectionis Eccleſiarum noſtrarum, & à nobis corruptio in illas ſerpere cœpit ----- Vereor ne Deus nos ſeverè ulciſcatur, quibus ille greges ſuos cuſtodiendos commiſit, at, qui eoſdem lupo deprædandos relinquimus, ſoli utilitati, ambitioni atque voluptatibus noſtris propriis ſervientes. Poſt hæc introducit hominem ſecularem ita loquentem. *Nonne & odio & pudore dignum videtur, quod hodie, ſi quis fortè odium inexorabile & vindictam immortalem deſignare velit, vulgo dicat, vindictam Paſtoralem, odium Paſtorale? Ego in vita mea in negotia quædam difficultateſque incidi. Et unum quidem mihi fuit negotium cum Paſtore; at duodecim, & quod excurrit cum aliis qui militiam ſequebantur, iiſque ferociſſimis. At fateor unum illud ac ſolum negotium, quod cum Paſtore habui, plus mihi difficultatis atque turbarum dediſſe, quàm cetera omnia ſimul, quæ ſingula admodum placidè compoſita fuerunt: At tanta ad erat obſtinatio inflexibilis Paſtori, adverſario meo, tantus altercationis amor, & ingenium adeò litigioſum ac fraudulentum, ut patientia mea centies centieſque ad incitas redacta ſit. Qua de re cum aliquando inter amicos quererer, reſpondebatur: Ohe, domine, putaſne eum ſolum hoc ingenio duci? Omnes ferè eodem morbo laborant. Et quemadmodum dignitas Paſtoralis conſuetudines quaſdam characteremve inſpirat iis qui eam receperunt; ita Miniſterium in genere certis qualitatibus pravis affici videtur, ſuperbiâ, puta, avaritia, obſtinatione, odio, vindicta.* Hîc vides quomodo de iiſdem loquatur, qui ex eorum numero erat, & eorum Apologetes erat. Virgo B. certè, ſi rerum ſubſtantiam inſpicias, nihil unquam vehementius dixiſſe potuit non dico in Miniſterium atque Paſtores bonos; ſed in

impios

impios & horum abuſus. Verbo, miniſterium diſtinxit ab iis qui miniſterium amplexi ſunt. Illud probavit ac laudavit abſolutiſſime: Hos diſtinxit in duos ordines: bonos, qui bene id adierunt eoque bene funguntur, ne tetigit quidem: malos, qui male id adorti & pejus id obeunt, eos ſolos ac malefacta deſcripſit ut ab eis boni caverent. quod ſi noſter malum eſſe velit, hoc ipſo oſtendet, ſe cauſam impiorum agere, & vitiis quibus illi munus per ſe ſanctiſſimum contaminarunt, adferre patrocinium, quando tamen Scripturam ſacram aliter agentem videt.

XXIX. Ab *exercitiis* publicis tranſit Auctor ad *exercitia privata devotionis, quibus* primò quidem dicit *eos non uti*: at quoniam conſcientia ejus non patitur hæc tam cruda dici ratione, verba ſua mox corrigit atque emendat addens, *ſaltem quæ in oculos hominum incurrant*. Utuntur utique iis, credite mihi, non minùs quàm ceteri, & quidem formam à Chriſto præſcriptam, forte etiam melius obſervando; nempe: (a) *cum oraveris, intra in cubiculum tuum; & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito.* Quod ſi verò infantes inter eos fuiſſent, illis etiam ad quos horum educatio pertinuiſſet, neceſſitas incubuiſſet iſtos his in rebus coram ſe exercendi. At quoniam qui inter eos erant, ſinguli poterant & legere, & orare, coacti ſunt id quiſque apud ſe agere tum ob cauſas ſibi proprias, tum ob perſecutiones Eccleſiaſticorum, parietes interdum vicinos (cum in Germania eſſent) veluti obſidentium ſubornatis hominibus qui obſervarent, an quem fortè alta voce & ſine interruptione ad tempus loquentem audirent, ut inde cauſas haberent eos de nova Secta inſtituta, deque conventiculis & concionibus habitis, accuſandi, quibus modis, per eos neutiquam ſtetit quo minùs aliquoties & bona & corpora eorum Judices comprehenderint. Fiebat inde, ut nemo ſæpe domi vel alta voce loqui, vel literas à tabellario allatas prælegere auderet. Quæ cum ita ſint, nullam ego hic, de exercitiis nec aperte nec clamoſe factis, juſtam conquerendi rationem deprehendo.

XXIX. *De exercitiis privatis.*

(a) Matth. 6:6.

XXX. Fatetur deinde Auctor, nos ad minimum *precum uſum nemini interdicere qui iis uti velint*; aſt, addit *qui perfecti inter eos ſunt in his non occupantur*. Excepta Virgine Bourignonia (quæ, mea quidem ſententia, verè perfecta erat; & cujus elementum erant preces continuæ,) nemo adhuc inter nos fuit, qui unquam vel ſe ipſum, vel ullum fratrum ſuorum pro perfecto habuerit;

XXX. *De precibus. De perfectione Chriſtiana.*

 adeo-

Digitized by Google

adeoque hi *perfecti inter nos*, figmentum ſunt. At multo majus eſt, quod dicit preces à nobis rejici. Virgo illa (adeoque & amici ejus, & ego) de PERFECTIONE *Chriſtiana* docet, eam conſiſtere 1. in abnegatione noſtri: 2. in oratione continua, ſive in commercio amantis animæ cum Deo, in deſideriis, meditationibus affectivis & elevationibus continuis cordis, ad Deum perpetuo adſpirantis. Vide *Lumen Mundi Part. I. C.* 16, 17, 18, *&c.* ubi docet, hominem ad hoc ipſum creatum fuiſſe, nobiſque in tota vita nihil aliud faciendum incumbere, & hoc eſſe UNICUM noſtrum & NECESSARIUM officium. Ego mox (*a*) Epiſtolam quandam ejuſdem prolaturus ſum de hoc argumento illic extra omne dubium poſito. 3. Tertium in quo perfectio Chriſtiana (ſecundum nos) conſiſtit eſt, ut homo iis quæ Deus fidei ipſius commiſit, & officiis omnibus quæ Deus per declarationem voluntatis ſuæ ei injunxit, fideliter reſpondeat.

(*a*) Sect. VI. Epiſt. III.

Ut autem abſurda quæ nobis objicientur, rectè elucidemus ac diſſipemus, obſervandum eſt de articulo altero, (cujus negatio nobis immerito imputatur, primò, *deſideria*, *preces*, & *meditationes affectivas* verè eſſe *actiones* animæ divinâ gratia adjutæ: Secundò, animam in his actionibus refrenare debere *activitatem ſuam* ſuæque rationis *peculiarem*, quò gratia in tota activitate animæ, & unà cum illa liberè operari poſſit: hoc eſt: anima revera neutiquam debet ab actione abſolutè & phyſicè deſinere: quod ſi non impoſſibile, tamen ridiculum eſt: ſed ejus *inactio*, ſive ab actione ceſſatio, in eo eſt, ut ſeſe non determinet ad res limitatas ac ſpeciales: anima, inquam, non debet pro ſuo arbitratu, *actus* aut deſideria ſua, ad hanc vel illam rem ſpecialem determinare; non debet hoc vel illud quod ſibi in mentem forte venit aut gratiſſimum foret expetere; ſed quacunque in re generaliùs deſiderare ut ſanctiſſima Dei voluntas in omnibus & per omnia fiat, ita ut nihil ei determinato præſcribamus. Similiter & *meditationes* non ſint oportet conamina quædam ſterilia Rationis in conceptibus theoreticis circa ideas rerum ſpiritualium ſubtiliter ſeſe torquentis; verùm ſint potiùs *elevationes anhelantes* ſive affectivæ, cordis ad amorem Dei adſpirantis.

Myſtici longiùs progrediuntur, docentque (ut non tam verba quam mentem eorum referamus,) ſi quando activitas Dei activitatem animæ vi quadam efficaci, ſenſibili & ſupranaturali occu-

pare

pare velit, activitatem animæ ab activitate Dei omnipotente ita teneri & abſorberi, ut illa præ activitate divina ſe ipſam ferè non amplius ſentiat, ac quodammodo *annihilata* & merè paſſiva videatur. Et hoc eſt quod illi *ſoporem*, *ſomnum*, *annihilationem*, *quietem*, &c. vocant, quæ revera operationes ſunt realiſſimæ; at ſolius Dei: etenim ſi homo eaſdem producere conaretur, non niſi nugas daret meras, & æquè foret ineptus ac ſi Creator atque Omnipotens eſſe vellet. Et in hac quidem quiete dum eſt anima, Deus (ut Myſtici tradunt) eidem ſæpius impertit, ſenſationes, luces, guſtus, amores tenerrimos, gratiaſque longè ſublimiſſimas & verè ineffabiles. Ceterum iidem hic monent 1. Perfectionem animæ, & multò magis Chriſtianiſmi, in his non conſiſtere; ſed in eo potiùs, ut anima iis donis carere velit, quo pure ſoli Datori, ſolique ejus voluntati adhæreat. 2. Has gratias proprio motu expetendas non eſſe. 3. Impoſſibile eſſe ut anima iis recipiendis ſeſe proxime præparet, multo minùs ut ipſa per ſe eas attingat: atque ita *ſopor* ille atque *annihilatio*, quam à conatibus creaturæ pendere volunt, & in quam anima per ſe *devenire ſtudeat*, (uti falsò à Myſticis doceri aſſerunt, & cujus pariter auctor meminit) meræ ſunt ineptiæ. 4. Obſervandum etiam eſt, Doctrinam Virginis B. in hiſce non verti; ſed in ſolis articulis tribus ſuprà dictis, quibus illa perfectionem animæ ac veri Chriſtianiſmi contineri docuit.

His præmiſſis, ſciendum eſt præterea Auctori noſtro perſuaſum eſſe, (neſcio unde) Virg. Bourignoniam ejuſdemque amicos in hoc negotio extraordinario, quod modò de Myſticis expoſui, unicam rerùm ac votorum omnium ſummam collocare, imò & perfectionem Chriſtianiſmi ſecundum illos hoc ipſo contineri. Id quod non ita eſt: nam & illa eam rem vix in tranſitu attingit, & neutiquam ei inſiſtit. Secundò, quoniam Auctor hanc doctrinam Myſticorum neutiquam intelligens eam in chaos quoddam confudit, ex quo jam à longo tempore conſequentias quaſdam abſurdas expreſſerat, *quas iiſdem attribuit*; hinc jam falſæ hypotheſi facti innixus, omnia hæc figmenta tum Virg. B. tum mihi attribuet, quò mihi hominis inſani titulum laudemque conjiciet.

Singulæ hæ obſervatiunculæ neceſſariæ ſunt ad exponenda ver- cenſuræ, quæ nunc videamus.

Eſt

Digitized by Google

Eſt inter Principia D. P. (me intelligit,) *& hoc, deſideria, preces, elevationes animi ad Deum & meditationes, ſpiritui Chriſtianiſmi perfecti penitus contraria eſse; atque deſcenſionem Spiritus S. adventumque Gratiæ impedire.* Semper obliviſcitur Auctor quæ promiſerat, nuſquam oſtendens ea quæ de me affert *ex proprio meo ſcripto deſumta eſſe.* Hæcne verò ex eo loco deſumſit, ubi ego inter characteres eorum qui in via ſalutis ſunt, recenſui, (*a*) *eos* IN OMNI TEMPORE ET LOCO ET OPERE, *quoad fieri poſſit*, CORDA SUA AD DEUM ELEVARE, *bono ejus Spiritui* SUPPLICARE *ut in ſe deſcendat, ejuſque* LAUDES *prædicare:* & ubi dixi, *eſſentiam Religionis Chriſtianæ eſſe Deum in ſpiritu ac veritate* ADORARE. Si quis peculiariùs quæ mea ſit de his rebus ſententia ſcire deſideret, is videat ſi placet & legat Cap. II. IV. & IX. Lib. V. Oeconomiæ Div. De cetero, quod ſolum nunc poſſum, publicè hîc declaro, „illa quæ mihi hîc attribuuntur, nunquam mihi in mentem veniſſe, meque ſummopere ab iis eſſe „alienum. Et ſi ullus mihi probare poſſit, me unquam cogitata adeò monſtroſa foviſſe, nihil recuſo duri quo in me animadverti poſſit. Vel hic unus articulus meritò prohibebat ne prorſus tacerem. Ambiguitatem quæ eſt in voce *meditationis*, diſſolvi modò, de qua ſola fortè contentio quædam affectata mihi moveri poſſet. Statuo, & ſemper ſtatui, *deſideria, preces, elevationes animi ad Deum, & meditationes* affectivas univerſalioreſque *ad ſpiritum Chriſtianiſmi perfecti, ad deſcenſionem* ac communicationem *Spiritus S. & ad adventum gratiæ, eſſe* ABSOLUTE *ſineque ulla exceptione* NECESSARIAS. Qui fit ergo ut publice contrarium mihi imputetur? Quid dicturus eſſet Auctor ſi ego eadem ipſi coram omnibus imputarem? Et nihilominus liceret mihi colores afferre hujus rei multo magis probabiles, qui ſi per conſequentias contra eum agere vellem, facillimè oſtenderem ipſum potiùs eſſe qui per Principia ſua, quæ ille in doctrina Providentiæ, decretorum, atque concurſus ſequitur, preces atque pietatem nullas reddat.

(*a*) Amic. Conſ. n. 2. & 4.

Pergit: *Status idoneus qui Spiritum S. attrahat, ipſo quidem docente,* (rurſus me intelligit,) *is eſt, quem vocat ſtatum* INACTIONIS: *quo anima precibus, deſideriis, motibuſque privata, in nihil ſe decidere patitur.* Hæc *inactio*, hæc *privatio*, hoc *nihilum ad trahendum Spiritum S. idoneum*, eo ſenſu quem ille hic dicit mi-

Digitized by Google

que imputat, mera figmenta ſunt. Verbum *inactionis* meum non eſt, (quo non memini me unquam bis uſum eſſe in libro quodam quem is adhuc videre non potuerat): ego vero utor potius voce *vacuitatis*, qua intelligo animam non debere actionem aut deſideria ad ullas res ſpeciales ex ſe determinare, (uti modò dicebam,) ſed omni voluntate propria ſeſe evacuare. Quæ ſubjungit de *annihilatione facultatum, quò Spiritus S. deſcendat*, & paulo poſt *de conſopiendis facultatibus, ita ut anima veluti in ecſtaſin quandam devenire ſtudeat*, eundem in finem, ſimiliter nugæ ſunt, de quibus ego nunquam cogitavi.

Sequitur: *Perpetuò in ore habent verba hæc, Sileant creaturæ, & Dominus loquatur.* Ego revera nunquam ea verba ab ullo amicorum meorum prolata audivi; & pro certo, nemo me unquam iiſdem utentem audivit. Neque tamen hæc a me ſic propello quaſi ea mali quippiam in ſe habeant; quippe quæ ſint adſpiratio optima S. Auguſtino, Kempiſio & Sanctis quibuſdam uſitata, imo & (*a*) cum Scripturis Sacris conſpirantia: ſed ut pateat, quantam ſibi libertatem ſumſerit Auctor omnia quæ in mentem veniunt de nobis dicendi. (*a*) Hab. 2: 20. Pſ. 35: 3.

Judicent nunc poſt hæc Lectores utrum Auctor jure nobis attribuat *viſiones*, quas vocat, quæ tamen ſunt totidem ipſius inventa: & an meritò addat, *earum veſtigia paſſim per totam Epiſtolam meam diſperſa videri: hoc eſſe quod volunt humiliationes iſtæ, annihilationeſque & actûs interni animæ Deo adhæreſcentis, ad quos faciendos ego hortor.* Certe iſtarum vocum nulla in ſcripto illo meo ſum uſus, qui verba Scripturæ S. illic adhibui duntaxat: quamvis autem & iſtis uſus eſſem, minime tamen propterea in illis reperienda eſſent veſtigia nugarum iſtarum ab illo nobis modo adjudicatarum. Sunt enim voces iſtæ origine, ſenſu ac uſu tam ſanæ, tam ſacræ, ut optandum eſſet & Auctorem, & omnes qui animarum culturæ incumbunt, cum vocabuli uſurpatione & ipſam rem ſignificatam animi adeo profunde in medullis imprimere, ut toti nihil aliud in poſterum ſpirarent, quam veras *humiliationes, annihilationes, & internos animæ Deo adhæreſcentis actus.* Et tunc quidem in Religionis Chriſtianæ ſubſtantiæ ignorantia non ita profunde demerſi eſſent, uti revera ferme ſunt univerſi.

Neſcio utrum per jocum vel exprobrationem fecerit inter iſta

mentionem *de Deo*, *immediate & per ſemetipſum cordi loquente*. Si irridendi gratia, poſſet facile confutari per ſe, per Scripturas, per Theologos omnis generis, ſpeciatim vero per ſacros atque Myſticos, licet etiam forte hoſce riſu excipere vellet. Verùm incertus hîc utrum loquelam illam Dei ad cor rejiciat an admittat, tacere malim, quam ipſi àliquid minus veri adſcribere: ille verò non minus prudenter aget ſi de Myſticis, qui ipſi prorſus adhuc ſunt incogniti, altum ſervaturus ſit ſilentium.

XXXI. *De reali præſentia Corporis Chriſti in Eucharistia.*

XXXI. Tandem nonnulla, ut promiſſum ſuum non ſit undiquaque vanum, è ſcripto meo adferuntur in medium, ſcilicet verba mea *de præſentia reali* per *verbum Dei* & *per fidem* in Sacra Cœna: quibus vero ridendi gratia adjungitur explicatio non minus abſurda quam quæcunque præceſſerunt. Neutiquam deceret ſane Theologum gravem in hiſce ſacris adeo comicè jocari, ac dum amicitiam & Syncretiſmum apud Lutheranos ſollicitat, imprudenter *præſentiam realem* hic habere deridiculo, alibi monſtrum etiam appellare. Male quoque principia noſtra ab illo & intellecta ſunt, & enarrata, & abſurdis exemplis obſcurata. Glorioſa potentia in qua homo rerum Dominus eſt creatus, cum à Sapientia Dei eſſet in illo indivulſa, minime ad confuſiones ordinemque univerſi perturbandum potis erat ferri. Ad fidem homo, uti nunc, minime opus habebat uti recurreret. Non credimus quoque *ſtatum perfectionis ad quam Chriſtus nunc nos vocat*, *ipſum eſſe ſtatum illum* Adamicum potentiæ adeo glorioſæ: contra, ad ejus omniumque abnegationem nos vocat primùm Chriſtus: dein, ubi Reſurrectionis tempus acceſſerit, ad illius reſtitutionem. Denique verba Chriſti, *de monte in medium mare per fidem transferendo*, & quod *omnia credenti poſſibilia ſint*, *ſine figura*, *ſine exceptione*, ſecundum nos, intelligenda eſſe, à veritate diſcedit. Exceptiones enim & figuras utique adhibemus, at non tales quæ præſentiam realem excludant: atque hoc ipſi diſplicet; eaque de cauſa, ridiculam aliquam fidem cum effectis abſurdioribus in ſcenam adducit, quæ quidem potius eſſet hominis atra bile perciti imaginatio male ſana, quam *cogitatio ſive deſiderium pium Dei rerumque ſalutarium*, *quod Spiritus S.* (ſpiritus ſapientiæ ac ordinis) *verbumque Dei inſpirant*, *firmant*, *reguntque*, qualis eſſe debet FIDES Chriſto accepta ac rata ei habita. Ex hac vero ejuſmodi abſurda quæ ille objicit, conſequi non poſſunt.

XXXII.

Digitized by Google

XXXII. Iterum ludicram ſpeciem paucis illis affigere tentat quæ *de purificatione animæ poſt mortem* in tranſitu dixi, quæque evidentiſſime & abundantiſſime in Libr. V. Oeconomiæ comprobata dedi. Librum, quem nondum editum, nondum poterat videre, contemnere voluit, conſuetudini ſuæ de ignotis judicandi cedens. At qui librum & loca viderunt e Proteſtantibus, eorum maxima pars coacti veritatis efficacia, manus huic ſententiæ, licet ſibi antea exoſæ non dederunt tantum, ſed & eandem in aliis propagarunt. Similibus malim ſatisfacere, quàm cum aliorum irriſionibus tempus & operam perdere. Conſulat qui volet loca in margine indicata.

XXXII. *De purificatione poſt mortem.* Oecon. Lib. V. Capp. VI. & VII.

XXXIII. Concluſurus idem una, atque altera obſervatione cenſuram, dicit, *non ſine ſingulari Providentia factum eſſe ut Auctor* (ego ſc) *in eodem hoc ſcripto in quo certe non deſunt quæ animis Nicodemitarum ſuaviſſimè blandiantur, ea ſufficienter declaraverit, quæ eundem nobis qualis eſt apertè oſtendunt.* Dolendum eſt, divinam Providentiam ita immiſceri ad auctoritatem conciliandam judiciis quibuſdam obliquis & falſis quæ homines animis aliorum affectu non benevolo obtrudere conantur. Quis credat, Providentiam decreviſſe me ſcripturum eſſe hanc epiſtolam de qua quæritur, ut homines ex ea cognoſcerent, me fovere opiniones omnes iſtas adeo abſurdas quæ mihi hic imputatæ ſunt? Certe homines cordati, ut puto, qui epiſtolam eo nomine legent ut animum atque caracterem Auctoris ejus ex ea cognoſcant, aliter judicare non poterunt, quàm eum ſine partialitate, allatiſque rationibus ſolidis, lectori commendare tum partem eſſentialem Religionis Chriſtianæ, tum & partem ejus acceſſoriam, quatenus hæc ad eſſentialem reducit, uſuſque ejus hominum libertati in quo ſunt ſtatu relictus eſt; at ita tamen, ut ſimul oſtendat, neceſſitate cogente poſſe aliquem rebus acceſſoriis aliorum quatenus illæ ad Deum ducunt, ſeſe conformare potiùs, quàm hoc obſequio negato multis malis graviſſimis cauſam dare, vel conſcientiam ſuam contaminare ea faciendo quæ illicita crederet: eundem præterea hanc Epiſtolam ſcripſiſſe ex vera charitate, qua vicem piarum animarum, quas in ea cauſa letalibus anguſtiis torqueri novit, ex animo dolet. Permiſit vero Providentia divina atque effecit ut in manus non paucorum veniret quorum conſcientiæ atque vitæ & lumen & pacem ac tranquil-

XXXIII. *De quondam Amici Conſilii effectu.*

 litatem

Digitized by Google

litatem in re cultûs Divini conciliavit; utque ejus impugnatio eſſet occaſio cognitionem ac defenſionem innocentiæ atque veritatis ſalutaris multis paſſim in locis, ubi illa aliàs vel ſuſpecta manſiſſet vel omnino incognita, divulgandi.

XXXIV. *Inſtantia de vitulo aureo, de Turcarum religione & de cepis adorandis.*

XXXIV. Addit obſervationem ſecundam, & hanc quidem, *Itaque vos nunc, Fratres mei, diſpicite quam fidem adhibere fas ſit ei, qui talem vobis pietatis ideam affert, ſecundum quam Iſraëlitæ Vitulum aureum adorantes non peccarunt, quoniam eundem ceu Deum ipſum intuebantur: ſecundum quam licebit Turcarum Religionem ſequi, imò & cepas adorare, modò quis iiſdem utatur tanquam inſtrumentis quibus Deo uniatur & amorem ſuum excitet.* Ad inſtantiam de *vitulo aureo* jam ſuprà reſpondi, oſtendique ſecundum ideam pietatis quam ego aſſero, Iſraëlitas eum adorare non potuiſſe quin hoc ipſo Idololatriam longè brutiſſimam verè commiſerint. At verò inquit Auctor, *illi vitulum aureum ceu Deum ipſum intuebantur.* Sed quid cauſæ erat quare Deum in vitulo intuebantur? An verbo Dei nitebantur? An Deus de vitulo aureo dixerat, *Hoc eſt Corpus meum,* id quod de Euchariſtia dixit? Diabolus potiùs, luxuria, & craſſa Ægyptiorum idololatria hoc iis dixerat, neutiquam verò os ipſius Dei, cujus verba tamen in cauſa Sacramenti Corporis ſui adeò expreſſa & propria ſunt. Addo ſecundò, nunquam Iſraëlitas ſcire potuiſſe Deum junctum eſſe corpori beſtiæ cujuſdam, quemadmodum Chriſtiani eundem ſciunt hypoſtaticè unitum eſſe Corpori humano, quod ipſum præſens adeſſe dixit. Hæc verò quando utrinque paria erunt, tum demum rectè ita rationem colliges, ergo ſi in uno horum peccatum non eſt, nec erit peccatum in altero. Verùm dum hæc paritas non adeſt, ſed potiùs immanis illa ac eſſentialis inæqualitas quam vidimus, toto utique cœlo viſibiliter errabit qui ab uno horum ad alterum argumentari volet: & non immeritò dixero abſque animo ullum hominum lædendi, inſtantiam ſimilem, ſi poſthac iterum urgeatur, non poſſe non veluti *inſtantiam vitulinam* omnino negligi.

Inſtantia de amplectenda vel *ſequenda religione Turcarum*, & *de adorandis cepis*, multo etiam magis abſurdo laborat. Pro idea pietatis quam ego aſſero, ſolus Deus amandus eſt & adoratione ſuprema adorandus; ſolaque humanitas Jeſu Chriſti tanquam Divinitati perſonaliter unita adoranda. Ex hac idea concludit Au-

Digitized by Google

ctor noſter, ergo licebit *Turcarum Religionem ſequi, aut cepas adorare.* Quàm mirifica verò hæc conſequentia! Hi vel illi in exercitiis pietatis ſuæ, quibus cum Deo ſeſe uniunt, utuntur eodem fine mediis quibuſdam quæ ſolum Jeſum Chriſtum Θεάνθρωπον ſibi ob oculos ponunt: Ergo *licebit Turcarum religionem ſequi* ex hoc principio! Porro, pium eſſe, Deo ſeſe unire, Deum ſolum amare, Deum ſolum & Deum hominem factum adorare, ipſi cor ſuum & omnes amores ſuos dare, unum idemque ſunt; & hic finis eſt, ad quem homines tendant oportet: atque ut eò progrediantur, licet, ſecundùm principia mea, omnibus mediis uti quæ ad eam rem proſunt. *Ergo*, inquit Cenſura, licebit eum in finem *adorare*, (hoc eſt cor atque amores ſuos dare, aut pro creatura Divinitati perſonaliter unita agnoſcere) adorare, inquam, ex eo principio, *cepas*: hoc eſt, ut quis Deum ſolum adoret, licebit adorare quæ nec Deus ſunt, nec Deo perſonaliter unita: Licebit ad finem conſequendum, media eligere, quæ hunc ipſum finem deſtruunt. Hanc ego ratiocinandi artem ac methodum neutiquam intelligere poſſum.

Enim vero, eſt hic nonnihil quod animos eorum importunè ſollicitos habet, eo quòd non rectè cognoſcant *Principium* quoddam quod parum diligenter adhuc conſiderarunt. Id verò hoc eſt. "Is qui Jeſum Chriſtum non cognoſcit, ſive Turca ſit ſive Ethnicus, quatenus in ceremoniis quibuſcunque inter ſuos receptis media invenit animum ad amorem ſupremi Numinis, rerum omnium Creatoris erigendi, aut in eo proficiendi, eatenus rectè facit ſi iiſdem utatur: Et Deus quidem id non tantùm in eo non vituperabit, ſed & *imputabit* ei (ut verbis Apoſtoli utar) *præputium in circumciſionem.* At inter eos quibus Deus revelavit admirandum hoc medium ſeſe nobiſcum communicandi & nos ad amorem ſuum elevandi, videlicet Jeſum Chriſtum, ceu Thronum, canalem, & medium vivens communicationis & unionis Dei cum omnibus qui hunc Filium ſuum audient, & ex obedientia ei ſe ſubmittent; ſi quis inquam horum ſacratiſſimum hoc medium quamcunque aliam ob rem vel cauſam rejiceret, is verè Deum ipſum ejuſque communicationem abnegaret atque rejiceret." Hinc ergo præſtat mori potiùs, quàm Jeſu Chriſto renunciare, aut iis qui nos ad renunciationem ejus adducere conantur, aſſentiri. Sed nunc conſcientias omnium teſtes voco, utrum opiniones ac Cere-

Digitized by Google

Ceremoniæ quibus Catholici in Euchariſtia utuntur, nos adducant ad abnegationem Jeſu Chriſti, tanquam Θεανθρώπου, tanquam canalis communicationis Dei nobiſcum, tanquam medii viventis nos ad Amorem Dei elevandi? Et utrum in illis vel minima ſuperſit umbra conſequentiarum harum formandarum, quibus objiciendis, poſt intentionem eorum ſufficienter perſpectam, ſolus ſpiritus partialitatis obſtinatò inhærere poteſt?

XXXV. *Silentium non bene injungi ab iis qui alios ipſi aggrediuntur: nec eorum minas timeri.*

XXXV. Reliqua Auctoris noſtri licet non ſunt adeo conſideratu digna; perſequar tamen paucis. Quando nos admonet *ne conſilia offeramus ovibus ſuis, cum ad id vocati non ſimus*, id undiquaque fruſtra eſt. Cathedram ejus nequaquam conſcendi, uti auditoribus ſuis inde documenta darem: tum ipſe neutiquam legitima auctoritate præditus eſt privandi me jure aliquam piam ſcribendi ad familiares meos epiſtolam, quam deinde evulgari permittam; vel etiam, ſi lubet, integros ſcribendi & emittendi libros de iis quæ ad ſolidam veri Chriſtianiſmi promotionem, animarumque in ſanctificante veritate tranquillum progreſſum, adeoque & ad earum ſalutem & ad Dei gloriam facere poſſe judicavero, permiſsâ omnibus libertate eos vel legendi vel prætermittendi, vel etiam, ſi id ſine veritatis ac pietatis læſione facere poſſint, eoſdem refutandi, modo ipſi non ægre ferant nos jure ad aggreſſiones ſuas reſpondendi interdum forte uſuros eſſe, quod tamen Auctor hic improbare videtur, exigens a nobis, poſtquam nos hactenus, quemadmodum vidimus, aggreſſus eſt, *inactionem erga ipſum*, additis minis, *ne alioqui res ita cedat, ut nobis vertatur in dedecus*. quaſi vero crimen eſſet ſeſe a criminibus falſiſve accuſationibus cum veritate expurgare! qua quidem in re, uti & in publicandis iis quæ ad ſalutiferæ Veritatis illuſtrationem conferunt, nullius pertimeſcimus minas, ſive ad mores arguendos illæ, ſive ad doctrinam, ſive ad convicia ſolùm, vel etiam ad examinationis vel diſputationis aſtutias aut Sophiſmata oculos intendant.

XXXVI. *Virgini A. B. nihil mali quantum ad vitam moreſque objici poſſe?*

XXXVI. Nam quantum ad vitam moreſque ejus quam nobis perpetuo (etiam extra oleas, uti hic) objiciunt Virginis, ea a tenerrimis annis in virtute tota fuit, ita ut vel quadrimula obſervans Chriſtianos præceptis ac vitæ Chriſti æterna anhelantis, temporalia contemnentis, minime inſiſtere, poſtularet enixe a parentibus uti ipſam in Chriſtianorum regionem ducerent. Cum

autem

autem illi ſe in ea regione eſſe, & Chriſtianos eſſe reſponderent; negabat iis lacrymabunda id verum eſſe poſſe, Chriſtus ſiquidem vita & factis mundana fugerit, totus dum æternis ac immortalibus eſſet intentus; eos autem quos inter vivebat, totos nummis, honoribus; ac voluptatibus caducis acquirendis ſedulo incumbere. quo illa in Spiritu ac deſiderio, vitæ Chriſti nempe imitandæ, veroſque Chriſtianos qui Chriſti vita & ſpiritu viverent quærendi, ad finem uſque conſtanter perſeveravit, inimicis ſuis, qui in vitam ejus bis publice inquiſiverant, pudore confuſis, cùm vel à Judicum aliquibus non ſine lacrymis diceretur, teſtimonia jurata fere ſatis numero & pondere adeſſe ut illa in canonem Sanctorum referretur. nec minora ad calumniarum quarumviš confutationem publicata ſunt in calce libri dicti, *Teſtimonium Veritatis*, Part. I. ubi vel ſexaginta, plurimaque ex iis jurata, extant teſtimonia, omnis generis fide dignorum teſtium, literatorum etiam atque doctorum, imo & Theologorum qua Catholico-Romanorum, qua Proteſtantium, vitam in ea virtutemque pluſquam humanam agnoſcentium, & eam pro vero ac vivo Spiritus Sancti ſacrario habentium: id quod ego, qui per totos fere quatuor ultimos vitæ ſuæ annos ei fui familiaris ita eſſe ac veriſſimum eſſe, iterum atque iterum vel ſub ſalutis periculo confirmare poſſim. De amicis ejus, in quorum numero ſoli admiſſi ſunt qui relicta vanitate ſeculi voluerunt æterna per viam a Chriſto oſtenſam quærere, dimiſſis qui retrò reſpicere cupiverunt, nihil eſt cur adeo ſim ſollicitus eos uti declarem nullis iſtiuſmodi minis ullatenus commoveri, ſed tranquillo vultu atque animo admodum hilari expectare qui ipſos accuſent.

XXXVII. Quantum ad Doctrinam, equidem non ſemel dum inter mortales eſſet beata illa anima, aggreſſi ſunt eam ex ipſis etiam eruditis, imo & e Theologis nonnulli; idque libellis in publicum emiſſis, qui dicebant eam negare SS. Trinitatem, Deitatem Chriſti, ejuſque merita, Satisfactionem item, ut & Redemtionem, & Verbum Dei, & Sacramenta, & Eccleſiam, & miſſionem Spiritus S. in Apoſtolos, ac præterea eam odiſſe omnes ſtatus atque ordines, eorumque ruinam optare, & neſcio quæ alia monſtra. quæ cauſa fuit quamobrem creatura illa ſancta atque innocentiſſima per reliquum vitæ ſuæ tempus tam furioſis perſecutionibus vexata fuerit, ut poſtquam ſe maximâ bonorum parte

XXXVII. *De Doctrina A. Bourignoniæ ejuſque Amicorum* PROTESTATIO PUBLICA, *articulis duodecim conſtans.*

Digitized by Google

parte viderat ſpoliatam, vix ullum inveniret locum perſecutionibus exemtum ubi caput reclinare potuerit. Verum quoniam ſuis & aliorum pro ipſa reſponſionibus apologeticis patuit omnibus criminationes iſtiuſmodi pudendas duntaxat eſſe calumnias; neminem probæ mentis fore reor qui vel eaſdem vel eis ſimiles ipſi in poſterum minari poſſit a ſe impingendas. idque ut minus eveniat, non pigebit hic publice, in Dei hominumque conſpectu, de ejus Doctrina contra ea quæ ipſi nobiſque falſo imputata ſunt, proteſtari ſequentia.

1. Teneri à nobis in omnibus fundamentalia veri Chriſtianiſmi.

1. A. BOURIGNONIAM, ejuſque amicos & me, nunquam habuiſſe, neque nunc habere, neque in poſterum (juvante Divina gratia) habituros eſſe ulla alia dogmata, aut ſtudia intentionemque, præterquam ut credamus & vivamus uti Chriſtianos veros decet, profitentes corde, ore, atque opere omnia quæ ad FUNDAMENTA VERI CHRISTIANISMI pertinent, quæque in SYMBOLO Apoſtolico breviter continentur.

2. SS. Scripturas utriuſque Teſtamenti.

2. Nos SCRIPTURAS Sacras utriuſque Teſtamenti, a Deo inſpiratas ac infallibiles agnoſcere, omniaque eis contraria rejicere.

3. Doctrinam SS. Trinitatis.

3. Nos & credere & profunde adorare TRINITATEM SACRO SANCTAM atque incomprehenſibilem, *Patrem* nempe, *Verbum* ſive Filium; & *Spiritum Sanctum*, Deum UNUM ET TRINUM, æternum benedicendum, in quo ſunt diſtinctiones internæ (ſive reales, ſive relativæ, ſive hypoſtaticæ perſonalesve aut ſubſiſtentiales, vel quocunque alio nomine appellentur) non minus veræ, quam Rationi humanæ incomprehenſibiles, ac proinde fide ſilentioque magis adorandæ & venerandæ, quam de eis temere & abſurde multa garrienda; dum interim magis ſalutari uſui nobis erit SS. TRINITATEM veluti per Trina ejus *effecta* aut etiam per trina ejus *attributa*, quibus conformandi ſimus, conſiderare, puta per effecta Creationis, Redemtionis, & Sanctificationis perfectæ; vel per attributa Potentiæ, Sapientiæ, Sanctitatis; vel etiam Bonitatis, Juſtitiæ & Veritatis; ſive, per notiones (1) Dei qua Creatoris potentis & boni, (2) Dei qua Redemtoris ſapientis & juſti ſeu juſtificantis, & (3) Dei qua ſanctificantis, perficientis, & vere omnia implentis, fœcundæque veritatis lumen quaquaverſum diffundentis: quæ vero nos ad imitationem, item & ad reſtitutionem imaginis SS. Trinitatis

tis in nobis (qui in ea fuimus creati) vivide promoveant, donec SS. Trinitas ſeipſa uti in ſe eſt, ſi non hic, in altera tamen vita plenius manifeſtet.

4. Chriſtum Θεάνθρωπον Salvatorem Mundi.

4. Nos credere JESUM CHRISTUM eſſe verum Deum æternum atque altiſſimum & verum Hominem, Salvatorem ac Redemtorem Mundi, Mediatorem inter Deum & homines, qui per merita ſua, per ſatisfactionem ſuam, per juſtitiam ſuam, per vitam, mortem, glorioſam Reſurrectionem, per Dominium Omnipotens in cœlis atque per operationes Spiritus ſui, *Auctor ſalutis eſt omnibus* qui ſe ſuaſque omnes facultates ei ad ejus virtutem recipiendam reſignant, ſeque ad ejus imitationem & obſequium vera fide tradunt, ſive, ut cum Apoſtolo loquar, *omnibus qui ipſi obediunt.* Heb. 5: 9.

5. Soli gratia Dei omne bonum tribui: Omne malum homini a Deo diſcedenti.

5. Nos gloriam omnis boni adſcribere ſoli Gratiæ Dei, id ipſum in nobis operantis per actus internos Spiritus ſui boni ac Sancti: malum autem omne ſoli culpæ tum Diaboli, tum hominis, qui homo ex ſe ipſo, ſine *Gratia Dei interna*, hoc eſt, ſine effuſione & operatione luminis ac amoris Dei, non niſi ſolum malum efficere valet, quoniam natura ejus, inde a lapſu Adami, vere eſt fundus corruptionis infinitæ, unde nec ipſe Deus ullam vel minimam boni micam elicere poſſet niſi eandem in eum prius infunderet per miſericordiam ſuam, e qua miſericordia, ſi homo illi reſiſtere nolit, procedit & procedet omne bonum, atque etiam tandem ipſa ſalus & reſtitutio perfecta hominis; ſi vero homo illi reſiſtat, natura ejus corrupta, pro impia conditione in quam lapſa eſt, nihil aliud poterit fabricare quam omnis generis peccata, & errata, tenebroſa atque angentia, ac tandem conſummatam ipſam æternam damnationem, quæ eſt opus proprium hominis à Deo diſcedentis.

6. Veram quoque teneri Doctrinam de eſſentia & perfectione Chriſtianiſmi:

6. Nos docere *eſſentiam* ac *perfectionem* Veri Chriſtianiſmi ſive Religionis Chriſtianæ, conſiſtere,

(1) in renunciatione ſui, ſive maligni iſtius fundi, (qui in Scripturis *vetus homo* dicitur) & inclinationum ac operationum ejuſdem, (quod eſt veræ *pœnitentiæ*:)

(2) in converſione interiorum noſtrorum ad Deum per Orationem continuam adeundum ac retinendum; (quod eſt veræ *fidei*:)

(3) in amore Dei & proximi; (in quibus eſt *Charitas* vera: &

 (4) in

(4) in imitatione Chriſti, qui eſt via vera & vitalis, (lucem vireſque ſubminiſtrans) per quem reditur ad Patrem, (in vera ſpe eum tandem glorioſe ac fruitive inveniendi.)

7. Et de acceſſoriis. 7. Theorias ſive ſpeculationes ceteras & ritus reliquos a nobis conſiderari veluti res acceſſorias, in quibus expedit neminem, qui ad eſſentialia jam dicta per hæcce adſpirat, condemnare; ſed unicuique, quo ad fieri poteſt, libertatem relinquere hæc illave amplectendi vel non amplectendi, prout in eis adminicula inveniet promovendæ partis eſſentialis, tum in ſe, tum etiam in aliis.

8. Claves Scripturæ. 8. Veram clavem qua divinarum rerum, ipſarumque adeo SS. Scripturarum cognitio pateſcat, eſſe, ex parte quidem hominis humilem intellectus ſui paſſive ſe habentis oblationem, cordiſque ſinceri ad Spiritum Sanctum orationem ardentem ac perſeverantem: ex parte Dei, ipſiuſmet Spiritus ſancti in cor mentemque diffuſionem, ac luminoſam & amatoriam operationem, motus, notiones, cogitata, qualia & quouſque vult & ſcit ad ſalutem opus eſſe, vivide & divine efficientem: ſine quibus quæcunque Rationis humanæ a lapſu tenebroſæ, necdum a lapſu per lumen Dei reſtitutæ, omnis activitas, induſtria, ſtudium, operatio ac ratiocinationes, dare poſſunt, nihil aliud omnino eſſe poſſunt quam ſteriles mortuæque, imo & erroneæ & hæreticæ & monſtroſæ ideæ, picturæ, chimeræ, verum Chriſtianiſmum perdere, & ex eo Babelicos ſtructores, lingua quemque propria utentes & alterum minime intelligentes, ſeſeque inter ſe dividentes ac ad internecionem digladiantes, efficere idoneæ.

9. Status omnes a Deo inſtitutos agnoſci. 9. Status omnes, tum Eccleſiaſticum, tum Politicum, tum Oeconomicum, a Deo inſtitutos & eſſe & probatos: ſinguliſque, pro cujuſque ratione, honorem deberi, ſubjectionemque & officia quæ iiſdem reſpondeant, quæque divini Verbi regulis non ſint contraria, ſed, vel generalius ſaltem iis conſentientia; Deus ſiquidem, Scripturarum Auctor, ſit Deus Ordinis.

10. Nihil in bonos dici, ſed in malos abuſus ad eorum emendationem. 10. Mala nonnulla ſi quando in ſcriptis noſtris reprehenduntur, verba iſta non pertinere ad ſtatus ipſos in ſe conſideratos, neque ad probos qui malo non implicantur; ſed ad abuſus, ad vitia ipſa, ad malaſque praxes quibus mali homines ſtatus in ſe bonos, deturpant, corrumpunt, deformant, & quantum in ſe eſt,

eſt, contemtui atque odio ipſimet exponunt, a quibus tamen optandum eſt uti repurgentur, utque omnes ab iſtis malis ſibi ſedulo caveant. qua ſola de cauſa etiam ea à nobis indicantur.

11. Si quæ forte exſtant in Scriptis Virginis illius aut amicorum ejus quæ vel obſcura ſint, vel contraria ſupra dictis videantur, paratos nos eſſe qui ea vel elucidemus ac cum iis conciliemus; vel ſi quis oſtendere poſſit in bonam ea partem accipi non poſſe, nec in ſolis verbis errorem eſſe, publice adeo revocemus. *11. Candide ſoli nos veritati adhærere.*

12. Proteſtamur contra omnia quæ forte adverſus ea quæ dixi ex ſcriptis ejus afferri aut per conſequentias quaſdam objici poſſent, tanquam contra totidem conſequentias minime æquas, aut interpretationes minime veras, aut detruncationes minus fideles, aut apertas forte calumnias. Neque minus proteſtor, & contra omnes qui de noſtris ſiniſtre non dubitant judicare quamvis nec ſcripta Virginis illius, ſaltem præcipua, nec Apologias pro iis, neque Syſtema meum Oeconomiæ divinæ legerint, veluti contra totidem Judices minime æquos, inconſideratos, ac proinde fide omnino indignos. *12. Adverſus iniquitatem conſequentiarum & male judicantium.*

Poſtulo quoque, & id quidem æquiſſimo jure, ut ſi qui ſint aperte malevolo animo ac inimico, ſi convicti ſe olim nobis falſa non pauca imputaviſſe; ſi iiſdem quidam alii protinus ſine ullo examine fidem adhibuiſſe inveniantur; illi quidem deinceps inter legitimos accuſatores, hi vero inter æquos judices non recipiantur; ſed repellantur potius, illi ob calumniam, hi ob temeritatem.

XXXVIII. Venio ad vituperationes & convicia, quorum minus non adeo pertimeſcimus: nemo enim iis malus redditur aut deterior coram Deo, quin potius præmio dignior: ſibi nocet quiſquis conviciatur, quanquam & illi etiam qui conviciis fidem habent facilem, a veritate quærenda & cognoſcenda per hæc deterretur & removetur. *XXXVIII. De conviciis, præſertim fanatiſmi.*

Inter convicia vero quæ ut plurimum invidiam Veritati, & contemtum, & odium pariant, palmam habet titulus *fanatici* ac *fanatiſmi*, &, ſi verbum ex Gallico fingere liceat, *viſionarii.* quibus quidem vocibus triplex hominum genus ſolet uti, probi, improbi ſive profani, ac denique Pelagiani vel Sociniani.

Probi piique viri, qui ſolida veri Chriſtianiſmi principia tenent atque diligunt, qui agnoſcunt quam miſeri, quam cœci, quam perditi ſint ipſi in ſe ac in Adamo, quam neceſſe ſit ut ex Adamo & ex ſe eruantur, ac in Chriſto inſerantur, fiant divinæ illius vitis palmites, divini ejus corporis membra, Spiritumque adeo capitis, hoc eſt, Spiritum Chriſti ſanctum vere participent, ab eo recipiant vitam, lucem, ſapientiam, regimen, fidem, ſpem, Charitatem virtuteſque Chriſtianas ad ſalutem & reſtitutionem abſolute neceſſarias, quibus & alia dona ſpecialiora & minus ordinaria addit quando vult idem Spiritus; iſti, inquam, probi ac pii inter Chriſtianos qui omnia hæc profitentur, & quadantenus in ſe ſentiunt ac experiuntur, tantum abeſt vera iſta ut in contemtum adducant, ea aliquo vel fanatiſmi vel alio deturpent titulo; ut potius eas veritates magni facientes, ſolam ſpecialiorum & non ordinariorum donorum Dei imitationem falſam, quæ vel Dæmonis ope, vel cerebri intemperie, vel utriſque fit, ſeque per incompoſitos profert geſtus atque maleſanas agendi rationes, appellent nomine *fanatiſmi*; & qui horum habitudine infectus eſt, *fanaticum* hominem. Atque hic eſt verus ac legitimus vocabuli iſtius ſenſus.

Improbi ac profani, qui ſolidas virtutes Chriſti, fructuoſam fidem, ſpem vivam, amoremque Dei ſincerum ac gloriationem in Deo horum auctore minime habent, quibus denique ſolida pietas eſt deriſui, & contemtui; iſti omnia divina, quæ diximus, quo ſalſius derideant, ſolent impio vocabulorum abuſu, *fanatica* dicere, & *viſiones*, atque *deliramenta*.

Sociniani autem ac Pelagiani, qui e ſuperbia corruptionem ac impotentiam miſeræ naturæ Rationiſque ſuæ agnoſcere nolunt; ſed lumina omnia, & virtutes ipſas Chriſtianas ab activitate & induſtria Rationis, ratiocinationum, facultatumque ac virium ſuarum naturalium exſpectant; *fanatiſmi* nomen indiderunt Veritati quæ hæreſi huic ſuæ oppoſita eſt; ita ut *fanaticum eſſe*, aut *fanatiſmo teneri*, ipſis idem ſit ac, ſtatuere & tenere communicationem atque operationem internam Spiritus Dei, eſſe neceſſarias ad converſionem cordis, ad illuminationem mentis, ad ſanctificationem affectuum, ad ſpem, fidem, Charitatem, ſalutemque adeo noſtram æternam.

Jungant nunc ſe fanatiſmi (ſive enthuſiaſmi) objectatores utris

horum

Digitized by Google

horum velint. Si ad claſſem alteram atque tertiam pertineant, illud illorum convicium non magis nos quam quoſvis probos atque orthodoxos Chriſtianos reſpiciet, ſignificabitque, nos neque profanas, neque Pelagianas habere mentes nec ſententias: quod quidem honori magis nobis ducemus quam dedecori. Chriſtiani vero probi ac pii primæ claſſis, ſi mentem noſtram norint, quam ipſi apud ſe agnoſcunt Spiritus Dei virtutem, omnis boni ſalutaris ipſiuſque ſalutis agentem cauſam, eam ipſi ne in nobis ſub fanatiſmi convicio blaſphement ac damnent, procul dubio cavebunt ſollicite: neque etiam ob problematica quædam, & forte non ita communia, protinus geſtient, malevolorum inſtar, iſtiuſmodi contumeliis graſſari, quando audient, nos, in iſto rerum problematicarum genere, neutiquam res proponere quæ minime ſint veriſimiles, quaſque obſtinato animo, rejectiſque omnibus rationibus contrarium ſuadentibus velimus defendere: ſed ea proponi quæ, utut forte minus adhuc recepta ſint vel conſiderata, ſunt tamen & ſani omnino ſenſûs, beneque ſibi cohærent, & benè à nobis comprobantur tum rationibus, tum S. Scripturæ verbis, tum comparatione facta cum rationibus partis contrariæ bene etiam perpenſis, quibus quidem aut debito modo reſpondetur, aut ſi illæ noſtris meliores inveniantur, cedere ſumus parati. Quis autem, niſi in mentem ſanam injurius, hunc dicet eſſe fanaticorum hominum vel viſionariorum characterem? Fiat vero hujus adverſum nos periculum. proponantur hoc nomine duo vel tria ex placitis noſtris (modo vere noſtris) iſtiuſmodi exempla, & paratum me offero qui vel iiſdem, uti dictum eſt, ſatisfaciam, vel meliori inſtitutioni me lubens ſubmittam. neque ſane video quid ulterius deſiderari hic poſſit, poſtquam in operibus publice à me editis, ſinceritatis meæ ſimili in caſu indicia ſatis idonea non ſemel dedi, amplexus in poſterioribus alia cogitata quàm in prioribus, ex quo ultima primis meliora mihi viſa fuerunt.

XXXIX. Supereſt ultima quædam in nos inſurgendi via, eaque non tam rationibus diſputandi, quam e Scriptis noſtris, Virginis præſertim de qua agitur, multas paſſim lacinias diſcerpendi, eaſque deinde alio ordine, aliis in locis, aliiſque modis ita coagmentandi, ut ab argumento ſuo hac ratione ſeparatæ, ut forte in ſe ſubobſcuræ, recipere poſſint deinde iniquas in- XXXIX. *Summa origo oppoſitionum & calumniarum hominum malevolorum.*

 ter-

Varia media invicta eoſdem confutandi.

terpretationes omnes quas iis dare volent; & e quibus tantumdem conſequentiarum falſarum atque abſurdarum deducent, quantum malevolo animo commodum videbitur. Quâ quidem methodo uſi ſunt non pauci ſuperiorum temporum Virginis illius adverſarii, imitandi forte à nonnullis, uti accepimus, qui & nunc ſimilia moliuntur. Verùm nequaquam mihi opus erit omnes eorum captiones ſigillatim examinare, qui mox vicenas aut tricenas iis machinas oſtendam, quæ caſtellum hoc, quod putant, at verè ficulneum, facilè è longinquo disjicient.

Oſtendam iis, ſecundum egregiam hanc methodum qua utuntur, nullas eſſe hæreſes, impietates nullas, nullas etiam contradictiones, quæ non ex Scriptura ſacra ſimiliter educi poſſint. Id quod eos pudore ſempiterno meritò confundere debebit. Specimen hujus videri poteſt in ultimis paginis Tractatus proxime præcedentis.

Mittam eos ad Patres quoſque ſanctiſſimos antiquiſſimoſque ad SS. Clementem, Barnabam, Hermam, Ignatium, Juſtinum, Origenem totamque ſimul Antiquitatem de libris hujus inter ſe adeo diſſidentem ut pars partem ferè anathemate percuſſerit. Producam Lactantios, Cyprianos, Athanaſios, Hilarios, Hieronymos, Auguſtinos, (& quando omnes referam?) quos ſingulos oſtendam talia dixiſſe, ſcripſiſſe, ac defendiſſe, ut ſi quis ea ad vivum reſecare vellet, ne dicam in partem malam, ut fieri poſſet, interpretari, ſique ea cum conſequentiis quibuſdam conſideraret quas ingenia moroſa indidem fortè exſtruerent, non poſſet non antiquitatem Chriſtianiſmi ſanctiorem purioremquè transformare in corpus monſtroſum, ridiculum, paradoxum, fanaticum & erroribus omnibus inſulſiſſimis abundans.

Opponam iis vel ipſa Concilia, & ea quidem quæ ſanctiſſima creduntur, eximi non poſſe quo minùs errorum, imò & hæreſium accuſentur, ſiquidem iſtiuſmodi cenſura malevolorum moroſa & inepta locum haberet. Et hæc adeò certa ſunt, & vera, ut vel ſanctiores quique, ſi quando hanc viam tantillum experiri voluerunt, ad mutuas indignationes, ſugillationes, morſus, lacerationes & anathemata alii contra alios (imo ipſa Concilia contra Concilia) devenerint, ut ignoraretur cuinam parti adhærendum eſſet.

Indicabo iis, Doctores quoſque maximos & eruditiſſimos horum

rum temporum, nulla unquam opera ſcripſiſſe, quin, ſi quis ea in lacinias diſcerpere, ad vivum reſecare, aut malignè interpretari, & conſequentiis gravare vellet, in accuſationes multò atrociores vocari poſſent, quàm quæ adverſarii noſtri contra nos afferre poſſint.

In memoriam eorum revocabo ſexcenta volumina, quæ paſſim tum Catholici, tum Lutherani, tum Calviniſtæ alii contra alios ſcripſerunt, quibus partim, hac ipſa via utentes in errantes, in fanaticos, in hæreticos, imo & in Turcas, ſe ultro citroque transfigurant; partim verò ſeſe mutuo defendunt à maledicentia, à calumniis & injuriis, quas ſinguli ſe ab Antagoniſtis, in doctrinis ſuis & in verbis auctorum ſuorum malè intellectis accepiſſe clamant. Ubi eadem via quam ſinguli ſibi aperire conati ſunt ut ex hoc Labyrintho emergerent, nobis ſimul defenſionem dabit, quam quærimus.

Exponam, inter Reformatos, Doctores quoſque celeberrimos, & Calvinum ipſum, in ſcriptis ſuis ne eatenus quidem cenſuras aliorum præcavere valuiſſe, ut nec impedire potuerint, ne alii loca quædam & conſequentias ex iis decerperent, quibus Atheïſmum, Turciſmum & mille blaſphemias iis imputarunt, cauſati eos Deum facere auctorem peccati, crudelemque & impium, eos Jeſum Chriſtum deſperationis reum facere, imò & damnare; & oſtendam ipſos Lutheranos, fratres eorum, Auctores eſſe multarum accuſationum ſimilium, contra quas vero aliter ſeſe defendere non poſſunt quàm ut mihi ſimul arma ad profligandos miniſtrent calumniatores Virginis B. in qua impugnanda nemo unquam euſque progredi poterit.

Proponam Lutheranis, Antagoniſtas ſuos ſcriptis ipſorum citatis, explicatiſque jam neſcio quoties indidem collegiſſe eos eſſe Eutychianos qui Humanitatem Chriſti deſtruerent; addamque eos ipſos in articulo *ubiquitatis* ac tolerantiæ Reformatorum tantis animis in ſe mutuo egiſſe, ut alii alios eo nomine hæreticos irreconciliabiles declaraverint. Quid verò non dici poſſet in cauſa libri, quem Lutherus *de ſervo arbitrio* conſcripſit, nec non in cauſa *neceſſitatis bonorum operum*, contra quæ libros integros propalam ediderunt ſermone tum ſoluto tum ligato? Novi eis non deeſſe excuſationes ſuas, exceptioneſque dum propoſitum ſuum explicant, dicuntque iſta hoc vel illo reſpectu, hoc vel illo ſenſu,

Digitized by Google

ſu, dicta fuiſſe, &c. quæ vero tranſeant. At quomodo poſtea in impugnandis nobis hac via uti audebunt, quæ ſi quidem legitima eſſet habenda, rite atque ſolenniter probaret ipſos eſſe omnis veri, æqui, ac boni inimicos?

Producam iis Confeſſiones fidei, ac omnes omnium ferè Eccleſiarum Catechiſmos, ex quibus eadem hac via, accuſationes longè atrociſſimas extrahere liceret.

Quod ſi Auctor noſter viam hanc contra me experiri vellet, defenſioni meæ ſufficerent quæ ipſe voluminibus non paucis contra adverſarios quoſvis ſuos ſcripſit, nec non quæ illi contra ipſum non pauciora ediderunt, in quibus utrinque clamant verba ſua infideliter truncari, violenter explicari, & conſequentiis injuſtis gravari, ac placita ſibi quæ ſua non ſint falsò imputari; ſimulque egregias quaſdam regulas præſcribunt adhibendæ moderationis, monentes (a) *verba non eſſe ad vivum reſecanda; ea quæ obſcuriùs dicta ſunt, & ſenſum duplicem alterum bonum, alterum malum recipere poſſunt, ſenſu bono accipienda eſſe; & nemini attribuendas eſſe conſequentias, utut naturales ac neceſſarias, ſiquidem ipſe eas diffiteatur*, &c. Mihi verò in defendenda Virgine B. vel viceſima pars obſervationum mitigationumque quas ipſimet afferunt, abundè ſufficiet.

(a) Vide & 3 aut 4. capita ultima libri quem Auctor Gallicè conſcripſit, *Jugement ſur les methodes*.

Præterea memor erit Auctor eorum quæ alicubi (b) faſſus eſt, ſcilicet placita tum ſua, tum aliorum, ita comparata eſſe, ut à nullo unquam ingenio humano, cum odio illo ſupremo quo Deus peccatum abominatur, conciliari poſſint: ſciatque me facillimè per conſequentias neutiquam coactas probaturum eſſe, ipſum Deum facere peccati amatorem. Novi eum conſequentiam hanc deteſtari; ac abſit ut eam ipſi attribuam; ſed ajo, conſequentiam eam eſſe naturalem quæ ex ſyſtemate ipſius ultro, neceſſario ac indubitatè fluat. Quod ſi ille mihi ſpinas ullas ſimiles in operibus Virginis B. aut meis inventurus eſt, erit mihi magnus Apollo. Ceterùm, licet eas fortè inveniret, præſertim in rebus problematicis, ea tamen eſſe debet ipſius æquitas, ut eas nobis non imputet, ſed mitigationes potiùs & explicationes noſtras exſpectet aut admittat.

(b) Ibidem.

Revocabo etiam eos ad æquitatem vel ipſius Inquiſitionis, quæ hanc regulam ſancivit, ut, *ſi quis Auctor in uno loco obſcurè loquitur, in alio clarè; verba obſcura eo ſenſu accipiantur, quem clariora ſignificant.*

Com-

Commemorabo iis æquitatem omnium proborum & cordatorum, qui uno ore conſentiunt, in legendis hominum indoctorum operibus magna utendum eſſe indulgentia, magnaque tolerantia; illi ſiquidem ignorent tum regulas, tum terminos inter Scriptores literatos receptos, tum & difficultates quas hi in certis loquendi formulis inveniunt, quæ ſenſum quidem bonum admittunt, attamen propter abuſus erroreſque graviſſimos, quos alii verbis iſtis tegere voluerunt, damnatæ fuerunt; quæ cùm neſciant ii qui literis imbuti non ſunt, hinc fieri poteſt ut locutionibus quibuſdam utantur ſuſpectis aut damnatis, in exprimendis iis quæ per ſe optima ſunt, idque cum intentione innocentiſſima & rectiſſima.

Interrogabo eos utrum velint, puellam quæ ſtudia nunquam attigit, quæ & methodum & ſcrupuloſitatem terminorum ſcholaſticorum penitus ignorat, quæ ſcripſit non ut doctos ad argumentationes vocaret ac ratiocinia; ſed ut ſimplices atque indoctos ad amorem Dei invitaret; ita ſcribere debuiſſe, ut nullum locum relinqueret cenſuræ altercatorum ſpinoſorum; qui ſcripta ejus in lacinias diſcerpere volent ut ſenſus malos malaſque conſequentias ex iis adſtruant? dum tamen revera nemo doctorum, nemo ſanctorum, imò nemo mortalium idipſum præcavere potuit, aut impedire, ne alii ex ſcriptis ſuis utcunque accuratiſſimè amuſſitatis mali quippiam eruere poſſent.

Oſtendam iis, ſi qua ſint loca in ſcriptis ejus quæ ſenſum malum & minùs probatum recipiant, eadem tamen & ſenſum longè optimum admittere; ſolius autem malignitatis eſſe in eorum explicatione ſenſum malum ſequi aut excogitare; cùm contrà, charitas jubeat ſolum bonum amplecti, eoque gaudere.

Oſtendam eis pro uno loco obſcuro aut ambiguo in iiſdem ſcriptis, adeſſe viginti, triginta imò vel centum loca alia clara, & ſenſui malo quem malevolus animus afferre volet directo oppoſita, quæque ſine omni controverſia ſenſum bonum apertè deſignant.

Denique indicabo iis, omnia aut tantùm non omnia, de quibus quæſtio erit, eſſe duntaxat res problematicas, quæ nullatenus commendantur ut neceſſariæ, quæque poſſunt ſibi relinqui, ac in quibus homines opinionibus diverſis bona fide diſſidere poſ-

ſunt, ita ut nullum inde periculum vel gloriæ Dei vel ſaluti animarum accedat.

XL. *Optandum quemque ſe ipſum aggredi prætermiſſa bonorum impugnatione.*

XL. O quam optandum eſſet potius omnes & ſingulos, tam qui privatam agunt vitam, quàm qui ceteris docendis præſunt, prætermiſſa aliorum & quidem bonorum vexatione atque impugnatione, ad ſe ipſos quemque redire, in intimos mentis ſuæ receſſus ſe recipere, illicque attendere & obſervare a quo & ad quid vocati ſint, antequam ipſi inconſiderate extra proruant, ac ſeſe pro primis quibuſcunque affectuum impulſionibus in actiones, ſæpe pœnitendas, conjiciant! Vocamur, & male vocamur, tum à natura quiſque ſua corrupta, tum ab animarum inimico Satana, ad omnis generis mala, interna & externa, etiam ſub ſpecie boni, & boni divini, ad amorem proprium, ad exiſtimationem cujuſque ſui, ad laudis deſideria, ad larvas virtutum quarumdam religioſarum quibus idolum noſtrum nobis vel aureum appareat atque divinum, item & ad vaniſſima & ſtolide curioſa quæque, ad noxia, ad alios contemnendos, diſcutiendos, judicandos, damnandos; ad rixas & contentiones, ad odia, ad turbas, ad inimicitias omneſque furoris fructus inde emanantes; & ecce, illuc a pleriſque vehementiſſime curritur! Vocamur, & ſalutariter vocamur à benedicto Salvatore noſtro ad interiora quiſque ſua, Deo decenter & æternitati præparandaque & offerenda, atque idcirco ad agnitionem miſeriæ, paupertatis, cœcitatis, nuditatis & corruptionis noſtræ immenſæ; ad poſtulationem Spiritus boni, Spiritus Dei & Chriſti, Spiritus ſapientiæ, in cujus luce & viribus detegamus, lugeamus, deponamus mala noſtra, veterem naturam & creaturam, veterem hominem ab Adamo in nos derivatum, cum deſideriis & actibus ſuis; & induamus hominem novum qui eſt ex cœlo, Dominum JESUM, in quo tota habitat plenitudo Deitatis, adeoque & omne bonum & omnis boni cauſa potentiſſima; ita ut cum eo habeamus cordis puritatem, humilitatem, charitatem, pacem, errantium commiſerationem, inimicorum dilectionem, nullius condemnationem, pro omnibus deprecationem & beneficentiam, & cetera quæ in Chriſto ſunt; & ecce, quam pauci hanc veram vocationem curent, quam pauci huc veniant, patet e Chriſtianiſmi hujus temporis ſtatu miſerabili, in quo tantum non omnes terrenis deſiderandis & conquirendis omni affectu atque opere toti deduntur, Deo dum

Digitized by Google

dum mortuas in cerebris ſuis ideas ac propoſitiones, frigidoſque in exercitiis ritus, corruptionis tegmina ac fomenta, conſervant & offerunt tantum; ob quarum vero idearum ac ceremoniarum differentiam, dilectionis vel tolerantiæ loco, in Sectas abeunt ſeſe mutuo mordentes, & tantum non furiata mente devorantes. qui cum a ductoribus ſuis amanter ad cœleſtia, ad interna, ad dilectionem, ad unitatem in Spiritu charitatis, paciſque ac tolerantiæ eſſent reducendi; ad majorem potius incitantur a non paucis carnalitatem ac vanitatem; ſuperſtitionem ac hypocriſin; lacerationem, diviſionem atque odia immortalia, imo & ad opprimendum conjunctis viribus ſi qui eos compellere vividius nitantur a rebus vanis ſeculi ad res æternas; ab hypocriſi & à vana externæ ac idealis Religionis larva, ad internum Dei cultum in *Spiritu* puro & in *veritate* cordis ſincere æterna anhelantis; atque a funeſtis ſuis ob ideas de cultibus ſacris vacuas, mortuas & ſæpe nugaces diviſionibus, ad Unitatem mentis & cordis in Spiritu Salvatoris, qui omnes, etiam inimicos, diligens, tolerans, ſuſtentans verbo potenti ſuo, univerſos profuſione ſanguinis ac vitæ ſalvare & in cor ſuum unire annititur. Quis vero hæc ita ſe habere poſſe in ſeculo quod illuminatum dicunt & doctum & eruditum, credidiſſet, niſi rei exempla extra hunc atque præcedentem tractatum quærenda non eſſent? O utinam Deus ipſis, & omnibus præſertim qui vel docendo occupati ſunt, vel ad id officii ſunt præparandi, aperiat & divino lumine ſuo illuſtret oculos, ut videant ipſi imò & teneant & poſſideant atque exerceant id quod ab ipſis tanta vocatio poſtulat! Utinam & a Domino meſſis mittantur cœleſtes operarii in meſſem ſuam, inter homines diſperſos, inter Chriſtianos diviſos, in quibus inſunt reliquiæ adhuc vivæ aliquæ, ſed cinere oppreſſæ imaginis Dei, ſcintillæ nonnullæ divini Numinis ad Originem ſuam adſpirantes, ut recolligantur in Deo per Chriſtum! Operarii veri, qui vere teneant caput, in quibus vivat Chriſtus ac Spiritus ejus, in quorum cordibus illuxerit e tenebris lux Chriſti; qui ſint miniſtri non literæ quæ occidit, ſed ſpiritus qui vivificat; qui ſint inſtrumenta viva per quæ Spiritus Dei ſcribat in tabulis cordium epiſtolam Dei, legem vitæ, legem regiam libertatis in amore Dei & proximi; qui abundantes in omni plenitudine Dei, eam quaquaverſum effundant; qui ſint ſcaturigines & canales aquarum

ſalientium in omnes ad vitam æternam: qui ſint ſidera longe à terrenis in cœleſtibus poſita, ac inde lucem & calorem cœleſtem profundentia non in aliquos ſolum homines unius vel regionis, vel conſtitutionis, vel Sectæ; ſed in omnes qui ſine ſectarum diſcriminibus odioſis volunt oculos aperire ad Solem juſtitiæ ut ambulent in luce ejus, in juſtitia, ſanctitate & charitate coram Deo omnibus diebus vitæ ſuæ: qui quærant, cum Paulo, vero Eccleſiæ Chriſti Doctore ac Paſtore, (*a*) *implere verbum Dei, manifeſtare omnibus glorioſas divitias myſterii Chriſti, annuntiantes eum,* CHRISTUM IN NOBIS, *ſpem gloriæ, corripientes* OMNEM *hominem, & docentes* OMNEM *hominem in omni ſapientia ut exhibeant* OMNEM *hominem perfectum in Chriſto Jeſu*; (*b*) ſeſe, ut *plures lucrifaciant, omnium ſervos* facientes, *Judæos Judæis, ad lucrandum Judæos; iis qui ſunt ſub lege* (ſub hoc illove ritu, ceremonia, ſecta, opinione) *quaſi & ipſi eſſent ſub illa lege, ut & eos lucrifacerent: iis qui ſunt ſine lege* (ſine illorum ceremoniis ac opinionibus) *quaſi & ipſi eſſent ſine lege* (etſi habeant legem & mentem Chriſti,) *ut & illos qui ſine lege ſunt,* (quos etiam vulgo dicunt Libertinos) *lucrifacerent:* fierent *infirmis infirmi, & omnibus omnia, ut omnes,* quantum in ipſis eſſet, *lucrifacerent:* Denique, imitarentur exemplum magni Paſtoris animarum JESU CHRISTI & PATRIS ejus æterni. Hic, non eſt Deus certæ alicujus hominum partis aut Sectæ; ſed eſt Deus & Pater benignus omnium qui ipſum filiali amore ac corde quærunt ſincere diligere, & invocare in auxilium Nomen ejus. Ille, *cum eſſet in forma Dei, & non rapinam arbitraretur eſſe ſe æqualem Deo eſſe,* videns nos in ſordibus, in miſeriis, in peccatis, in maledictione eſſe, ex commiſeratione & charitate, &, ut ſic dicam, condeſcendentia immenſa ſe ipſum exinanivit, formam accepit ſervi, *ſub maledictione factus eſt, & pro nobis peccatum factus eſt, humiliavitque ſe ipſum ad mortem crucis*, non ut ſectam unam Judaïcam ſervaret, aut aliquam aliam erigeret, & ſolam ſalvaret; ſed (*c*) AD COLLIGENDUM IN UNUM OMNES FILIOS DEI QUI DISPERSI SUNT inter diverſas Sectas ac nationes, *ut* (*d*) *eos exhiberet ſanctos & immaculatos, & irreprehenſibiles coram Patre.* Cujus ſpiritu vivo & exemplo infallibili ut diſcat unuſquiſque, verum Dei Servum & Miniſtrum non eſſe vocatum ad erigendam aut confirmandam vel augendam Sectam aliquam,

(*a*) Col. 1: 25. &c.

(*b*) 1 Cor. 9: 19.

(*c*) Joan. 11: 52.

(*d*) Col. 1: 22.

Digitized by Google

quam, non debere unius vel alterius partis eſſe mancipium; ſed anniti quantum in ſe eſt ut ſaluti omnium conſulat qui Dei deſiderio tanguntur, quo omnes, ceteris rebus ac reſpectibus quibuſvis poſthabitis, cum ſapientia & prudentia Spiritûs & lenitate ad dilectionem adducat, ad lapidem fundamenti vivum Chriſtum Jeſum, (a) *ut ei inædificati fiant* dignum *Dei in Spritu* Sancto *habitaculum*, votum meum eſt.

(a) Epheſ. 2: 22.

SECTIO VI.

In qua porro refellitur Cenſura Amici ex charitate Conſilii *quantum ad A. B. per quatuor ejuſdem* EPISTOLAS.

QUandoquidem inter præcedentis Cenſuræ (Sectionis IV.) contra *Amicum Conſilium* articulos non minimum fecerunt numerum accuſationes adverſus Virginem *A. Bourignoniam*, cui attribuitur quod Sectam voluerit condere ubi opiniones omnis generis, etiam Socinianorum tolerarentur; abrogatio item cultûs externi pietatiſque exercitiorum, uti & precum ſive Orationis, miraque alia de Perfectione Chriſtianiſmi; neceſſe viſum eſt ex ſcriptis ejuſdem verbiſque illorum conceptis Defenſionem Veritatis quam hiſce de rebus tenet ac profitetur, Lectoribus oſtendere: quod ſequentibus ejus quatuor Epiſtolis ſufficienter effici poſſe, judicavimus.

EPISTOLA I.

De TOLERANTIA: *eam nunquam tantam eſſe debere ut communionem peccati vel manifeſtam vel non manifeſtam importet. De eſſentia &* PERFECTIONE *Chriſtianiſmi, de* Religionibus, cultibus, *& ceremoniis ac earum uſu.*

(*Hanc epiſtolam ſcripſerat ad quendam ex intimis ſuis Dominum van de Velde, eademque altera eſt* Partis III. Lucis natæ in tenebris.)

CHARISSIME,

NOvi te quærere perfectionem animæ tuæ & ad Deum adſpirare: neque ignoro ipſum ſuas tibi gratias imper-

pertiiſſe, & voluntatem ſuam quibuſdam in rebus te docuiſſe peculiariter: at ſcio etiam te nondum recepiſſe Spiritum S. qui nos veritates omnes doceat. Etenim non ſatis diſcernis bonum à malo; & ex bonitate quadam naturali omnia indifferenter amas, quemadmodum & faciebat Adamus, qui ſolatium ac quietem animæ cum Deo converſantis optime quidem cognoſcebat, at quid eſſet malum ignorabat, eo quod nunquam illud fuerat expertus. Is creatus erat mediis in voluptatibus atque deliciis, & cum Deo ſuo otiosè converſabatur, non pertimeſcens malum in quod incidere poterat ſiquidem derelicto Deo in creaturis gaudere vellet. Quam ob cauſam tam facilè delapſus eſt in peccatum, antequam mala atque miſerias à peccato oriundas cognoſceret.

2. Idem ferè & tibi accidit, chariſſime frater: qui dum converſatione ſuaviſſima Dei fruebaris, in voluptatibus ſenſuum naturæ corruptæ remanſiſti, per quas factum eſt ut commercium Dei ſenſim ſine ſenſu perdideris. Etenim Deus ex quo videt hominem in ulla alia re præterquam in ſe ſolo oblectari, paulatim diſcedit, & animam ſibi ſoli vivere relinquit, quæ ſæpe in mala plurima ſe dejicit præcipitem; quoniam voluntas noſtra propria ex quo per peccatum corrupta eſt, mortem progenerat.

3. Amaſti quidem bonum, idemque etiam nunc amas; at malum non ſatis odiſti, quoniam id ſatis non habuiſti cognitum, perſuaſus ſufficere ut malum in aliis toleremus: ideoque non obſervàſti, novem eſſe modos quibus in aliis peccare poſſimus: videlicet (1) primò malo *conſentiendo*, (2) idipſum *conſulendo*, (3) *tolerando*, (4) *juvando*, (5) *defendendo* (6) *jubendo* (7) *participando*; (8) *non impediendo*, quod impedire poſſumus, (9) aut *celando* eum qui malum erat impediturus.

4. Hæc omnia vulgo non diligenter ſatis conſiderantur, facileque in iis labimur nec animadvertentes. Et quanquam Deo ſoli placere optemus, Diabolus tamen nos ſæpe incautos capit per ea quæ extra nos ſunt, peccata, quando videt ſe efficere non poſſe ut ea in nobis ipſis committamus; novit enim tantundem ſibi poteſtatis dari in animas noſtras per peccata quæ in aliis committimus, quàm per ea quæ in nobis ipſis facimus; quoniam utraque nobis æqualiter imputabuntur: & niſi

Digitized by Google

niſi ego te monerem, facilè in ea non animadvertens incideres.

Sunt, verbi gr., homines quidam avari, ſuperbi, aut in aliis peccatis quibuſcunque viventes, cum quibus fortè converſaris: aut qui ſubjecti tibi ſunt, aut inferiores tui, quales ſunt uxor, liberi, ſervi ac ancillæ, aut operarii qui mercede conducti operas tibi præſtant; aut alii in quos poteſtas tibi competit: tu verò conſentis peccata ab iis committi, non audens nec volens ipſis contradicere, veritus ne ipſis diſpliceas, aut ne amicitiam eorum perdas. Hæc omnia peccata, inquam, quæ per *conſenſum tuum* committuntur, certo certiùs tibi imputabuntur perinde ac ſi ea ipſe commiſiſſes. De *conſulendo* verò eo quod malum eſt, ſcio id nunquam à te fieri poſſe quamdiu Deum timebis. At vereor ne interdum malum *toleres*; eo quod peccatum non ſatis odiſti uti fas eſt; veluti ſi videas, te ab eo à quo emis aut qui operas ſuas tibi locavit, falli; & nihilominus ejuſdem opera uti, & ab eodem emere pergas, verè *toleras malum* ab ipſo commiſſum.

5. Præſtaret iis quæ nobis neceſſaria ſunt carere potiùs ac non emere, nec uti eorum opera qui per avaritiam, fraudes atque fallacias vendunt vel laborant. Etenim anima major eſt ac pretioſior corpore, quod potiùs neceſſitates ſuas patienter ferat oportet, quàm ut iiſdem ſubveniendo præjudicium faciat animæ, quæ revera ex tolerantia peccati in aliis labem contrahit. Idem multo magis fit ſi quis malum *adjuvet* aut defendat. Veluti ſi quis homini avaro, ſuperbo aut helluoni, ignavo aut ebrioſo pecunias ac bona donaret, is adjutor ei foret in peccatis ſuis tum continuandis, tum etiam augendis poſt donationes ac largitiones ſibi factas. Similiter qui malum alterius *defendere* vult aut excuſare, ejuſdem peccati culpam contrahit, nemo enim unquam peccatum excuſare aut protegere debet, veritus ne per defenſionem hanc delinquentem confirmet in peccatis ſuis, ad quæ committenda natura noſtra corrupta nullo patrocinio, defenſione nulla indiget. Et quicunque id facit, is peccati alterius ſeſe participem reddit, etiamſi communiter dicatur *excuſanda eſſe peccata aliorum & ſuccurrendum eſſe peccatoribus*; eſt enim hæc Theologia falſa, non parum præjudicii faciens juſtis, qui non rarò incauti à malo falluntur eo quod illud malum non cognoſcant.

6. Ne-

Digitized by Google

6, Neque etiam periculum erit, ne quem peccare *jubeas*, quamdiu Deum timebis; ſimiliter & nunquam *particeps eſſe* voles peccati manifeſti, veluti furti; etenim te Deus per gratiam ſuam ab avaritia liberavit. Attamen diligenter tibi providendum eſt *ut impedias peccatum*, quod impedire potes, aliàs per prætermiſſionem hanc particeps eris peccati quod alii committunt; idemque erit ſi peccatum non *declares* iis qui illud erant impedituri. Hæc peccata omnia aut partem eorum committere poſſunt homines probi, ad PERFECTIONEM adſpirantes, qui, præſertim ſi bonitatem naturalem habeant, omnia in meliorem partem accipiunt.

Ego ex nimia bonitate aut ex nimio reſpectu hominum aliquoties in nonnullos horum defectuum incidi; at Deus mihi poſtea peccata hæc quæ in aliis committi poſſunt, apertè indicavit: quamobrem ea tibi quoque ſimiliter oſtendi, quippe cùm per veram charitatem Chriſtianam perfectionem tuam perinde ac meam propriam amem, videamque te revera ad PERFECTIONEM adſpirare, quæ perfectio in quo conſiſtat pariter docebo. Etenim tenebræ hujus mundi tantæ ſunt hodie, ut animæ quæ intentionem rectam habent ignorent ubinam incedant ratione perfectionis ſuæ, & falſum non raro pro vero, imperfectum pro perfecto amplectantur: idque ideo quoniam hodie tot diverſa media *perfectionis* attingenda doceri cœperunt, ut non conſtet quodnam ex omnibus tutiſſimè eligi debeat.

De RELIGIONIBUS & exercitiis piis ac externis.

7. Alii dicunt, frequenter eundem eſſe ad Eccleſiam, aut utendum Sacramentis; alii perfectionem Chriſtianam in eo conſiſtere docent ut quis ingrediatur in Sodalitium aut Communitatem religioſam; alii eam collocant in jejuniis & afflictatione corporis. Hæc omnia bona eſſe poſſunt modò quis bene iis uteretur; at hîc tamen *finis* ipſe non eſt, nec id in quo *perfectio* conſiſtit: hæc enim facilè fieri poſſent ab iis qui ſalutem nunquam attingent: eò quod nullæ res externæ animam perfectam reddunt, uti & nullæ eam contaminare poſſunt. Illa enim ſunt tantùm media quibus fit ut vel faciliùs virtutem acquiramus, vel faciliùs in peccatum decidamus.

8. Unaquæque anima tenetur ſigillatim eligere media omnia externa, quibus ad virtutem Chriſtianam magis incitatur, pariterque evitare debet media omnia externa quæ ad peccatum impel-

Digitized by Google

pellunt: ſcriptum eſt enim, *qui amat periculum peribit in eo.* Adeoque qui ſeſe in caſtitate adeò infirmum eſſe ſentit ut feminam adſpicere non poſſit quin eandem concupiſcat, is nullam unquam intueri debet; & qui in ebrietatem incidit ſi vinum bibat, is ab ejus uſu abſtinere tenetur; idemque de rebus omnibus aliis dicendum eſt; quæ utut per ſe & naturâ ſua mala non ſunt, mali tamen occaſiones afferunt propter infirmitatem noſtram, quemadmodum aliæ ſunt quæ occaſiones boni atque virtutis animabus noſtris afferunt, quando ſcilicet media illa perfectionis comparandæ, perfectionem ipſam nobis ingenerant.

9. Verbi gratia: Si experientiâ vera compertum habeas, te magis in Deo recolligi dum Eccleſiam frequentas, aut magis cum eo unitum eſſe, dum ad uſum Sacramentorum accedis, teneris utique media hæc amplecti, iiſque quoad fieri poteſt, maximè uti: unuſquiſque enim perfectionem ſuam maximam quærere debet. At ſi eadem media in anima tua nihil operentur, utendum iis non eſt; unde ſi te in Deo magis recolligi ſentias dum in conclavi tuo tecum manes, tuum eſt ibidem manere, & animum Eccleſiarum aditione non diſtrahere; quod ſi anima tua magis ſe cum Deo unitam experiatur in ſolitudine quam dum eandem unionem in uſu Sacramentorum quærit, tuum eſt in ſolitudine agere, ibidemque cum Deo ſuo intus convivari; *etenim bona conſcientia juge eſt convivium*, ubi anima cum Deô ſuo quieſcit & recreatur: unde non ſemper opus eſt eam mediis externis uti quibus ad unionem hanc excitetur.

10. Etenim Deus eam nonnunquam gaudio quodam atque lætitia ſpirituali prævenit ita, ut ipſa unde id ſit ignoret; quoniam *Deus ſpiritus eſt*, rebus materialibus, aut locis aut mediis quibuſcunque neutiquam affixus; cumque tum ipſe ſit ſpiritus, tum anima pariter ſpiritus exſiſtat, hinc in ſpiritu inter ſe communicant. Qui verò Deum in diverſis Communitatibus aut ſodalitiis Religioſis quærere tenetur, is in cognitione Dei parum provectus, ignorat locum ubi ille in meridie epulatur & noctu quieſcit: hunc enim ſi ſciret, neutiquam ex conventu in conventum currens Deum quæreret, ſed in ſe ipſo potiùs fixus perſiſteret; quoniam CENTRUM CORDIS NOSTRI verè eſt Palatium ſplendidum in quo Deus quieſcit, deliciaſque ſuas quærit & invenit. Omnia ſodalitia omniumque ordinum Religiones,

Digitized by Google

quotquot uſquam ſunt, hanc UNIONEM CUM DEO dare non poſſunt; ſed oportet ut eam in nobis ipſis inveniamus; & quanquam Societates quæque perfectiſſimæ media nobis atque adminicula præbere poſſint, quibus ad Perfectionem Chriſtianam promoveamur, eædem tamen ſalutem ipſam ſine virtutibus internis afferre non poſſunt.

11. Alius ſeſe *Catholicum* prædicat; alius *Reformatum*; alius ſeſe ſpiritualem eſſe gloriatur eo quòd certo *Ordini* nomen dederit, aut Reformationem *Mennonis* ſequatur, quales hic ſunt *Anabaptiſtæ*; alii verò credunt ſe lumen Spiritûs S. poſſidere, eo quod in Societate *Quakerorum* agant. Profectò, chariſſime, hæc omnia Deus non ſunt, nec perfectiones ullas animabus dare poſſunt. Quicunque ſalutis ſuæ ſpem in Religionibus ullis collocat, ſemetipſum fallit; quoniam nullæ nos Religiones ſervare poſſunt, dum nos veram perfectionem Chriſtianam in animabus noſtris non habemus.

Egregia regula & ſimilitudo.

12. Si nos in Regulis aut Statutis Religionum quarundam *media* invenimus, quorum uſu nos *cum Deo uniri* experiamur, noſtrum omnino eſt ea amplecti & ſequi. MEDIA enim non minùs æſtimanda ſunt, quàm aliàs æſtimare ſolemus vaginam gladii pretioſiſſimi: at nemo unquam vaginam tanti facere debet, quanti facit gladium ipſum qui in vagina ineſt, quoniam vaginæ nullus eſſe poteſt uſus ad pugnandum contra hoſtes noſtros, aut ad repellendum eos à nobis. *Diabolus*, *Mundus* & *Caro*, tres ſunt *hoſtes* noſtri jurati, qui animas noſtras perpetuò oppugnant, contra quos pugnemus oportet *gladio* fidei & *clypeo* charitatis. Quod ſi enim nobis perſuaderemus, eos vaginâ exteriore Religionum noſtrarum eſſe oppugnandos, Diabolus nos irrideret haud ſecus ac derideretur miles aliquis qui vaginâ gladii ſui contra hoſtem pugnare vellet. Imò verò magis etiam ridiculi ſunt Chriſtiani qui Regnum Dei auferri poſſe opinantur per Religiones ſuas, quæ neminem ſervare poſſunt ſine AMORE DEI & CHARITATE *erga proximum*.

Vera religio Catholica & ejus cultus.

13. Quiſquis Ordini cuidam aut Religioni certæ innititur, aut verò eo nomine ſalutem ſibi promittit, quod Ordini aut Religioni omnium perfectiſſimæ nomen dederit, is fruſtrà omnino animum ſuum lactat. Si te ideo ſalvum fore exiſtimas, quod *Religionem Catholicam* ſequaris, licèt fides viva, & ſpes in Deum,

Digitized by Google

ac charitas erga proximum tibi non adſint, falleris; quia nemo verè *Catholicus* eſt præterquam qui eſt in communione Sanctorum; etenim *eſſe Catholicum* verè & propriè eſt, *corde ac voluntate* UNITUM *eſſe animabus* OMNIBUS *Spiritui* JESU CHRISTI UNITIS. Vides hic in quo conſiſtat Communio Sanctorum ac cœtus Catholicorum. At ſi videas & ſentias te per inſtituta Catholicorum ad Deum duci, oportet eadem fideliter obſervare, & mori potiùs quàm ab iis deficere: nam quemadmodum conſtat eum *qui periculum amat, periturum eſſe*; ita & dubium non eſt quin is qui media perfectionis ſuæ attingendæ fideliter amplectitur, ad perfectionem ſit acceſſurus: & natura noſtra ob infirmitatem ſuam ſemper juvanda eſt atque confirmanda per media à quibus vires ei accedere poſſunt.

14. At verò ſi animæ noſtræ ad UNIONEM cum Deo perveniſſent, nullorum mediorum uſus iis poſthac foret neceſſarius, quoniam tunc AMOR ſibimet ipſi lex eſt; & unio iſta motus omnes naturæ corruptæ ſuperat, adeò ut tunc non ampliùs neceſſum ſit contra eam pugnare per jejunia aut per alias afflictationes corporis. At eadem hæc media utilia ſunt iis qui ſenſibus ſuis frenum laxantes in edendo ac bibendo modum exceſſerunt, aut corpori alias voluptates carnis indulſerunt, quarum rerum conſuetudo non aliter ferè vincitur, quàm faciendo omnia contraria: quoniam natura noſtra eſt inſtar equi petulantis & refractarii, diſciplinæ neutiquam aſſuefacti, qui poſtquam libertati ſuæ relictus fuerat, domari poſtea non poteſt, niſi frenis & calcaribus, hoc eſt, macerationibus carnis, ſubjiciatur.

15. Vides hic ea, chariſſime, ex quibus diſcas animam tuam rectè gubernare, ac dignoſcere, in quo PERFECTIO vera conſiſtat, ne ſimulacrum virtutis pro virtute vera amplectaris: etenim adeſt nunc tempus illud periculoſum de quo Jeſus Chriſtus præmonuit, dicens, *diligenter ſibi cavendum eſſe, multos falſos Chriſtos & prophetas falſos ſurrecturos eſſe, qui magna ſigna atque miracula ſint edituri.* Non ignoro te ſenſim ſine ſenſu in malum incidiſſe, ac commercium cum Deo paulatim amiſiſſe per ignorantiam, ideo quòd malum non ſatis oderas, nec cognoveras peccata quæ in aliis committere poteras; at reſumto nunc animo redordiendum eſt, & penitiùs perſcrutandum in quo *perfectio Chriſtiana* conſtat; ut quemadmodum Adamus nunquam iterum

in peccatum incidit ex quo cognoverat malum quod peccatum ei advexit; ita & tu nunquam deinceps incidas in voluptates ſenſuum naturæ; ſed motuum Spiritus S. regimen ſemper ſequaris, quemadmodum Adamus fecit quando eos cognovit: tota enim vita ejus continua fuit pœnitentia & perpetuus dolor ob *commercium* quod *cum Deo* habuerat, derelictum.

16. Si dolor ille perfectus in te ſimiliter adeſt, impoſſibile erit ut ad voluptates ſenſuum naturæ redeas, videns eas commercium quod tibi cum Deo erat, ſuſpendiſſe. Hic dolor purgabit animam tuam ac idoneè præparabit ut unionem iſtam iterum inveniat: ego interim in epiſtolis meis ſequentibus tibi oſtendere conabor, quæ propriè ſit vera virtus, & à quonam eam diſcere oporteat, ut ita à neminè decipiaris, & perfectionem veram à falſa ritè diſcernas. Qua in re multi qui bonam intentionem habent, errant tum in ſe tum in aliis; imò tu etiam nondum accepiſti lumen hoc veræ diſcretionis ad cognoſcendas res, quales ſunt judicio ipſius Dei; ſed eas adhuc intueris quales judicio hominum videntur, qui tamen ſæpe errant. Etenim ſcriptum eſt, *homines omnes mendaces eſſe*, imo verò non rarò nobis ipſis mentimur, perſuaſi nos res myſticas ſcire atque intelligere, dum revera eas penitus ignoramus.

17. Ego in multos incidi qui ſeſe ſpirituales prædicabant, at neque vel unum adhuc inveni, qui peccatum atque virtutem qualia illa ſunt judicio Dei, verè cognoverit. Multi ſunt qui de iis optimè loquuntur, & ſublimes meditationes in iis alunt; at in praxi vitæ eorum nihil eſt quod veritati Dei conſentiat; imò verò hi ſunt quibus vera virtus offendiculo eſt, quoniam eam nequaquam cognoſcunt. Id quod facilè videbis ex epiſtolis meis quas ad diverſos de ea re ſcripſi quod alii dixerant, me bene de me ipſa exiſtimare; alii, me eſſe avaram; alii, me difficilem eſſe atque moroſam, cui nemo hominum ex voto ſervire poſſit; deque aliis defectibus quibuſdam, de quibus multi homines ſpirituales me accuſarunt, eo quod non acceperant à Deo lumen illud quo bonum verum à vero malo diſcernerent. Atque ita *in hunc uſque diem* SOLA *manere* coacta fui, quandoquidem neminem adhuc inveni qui me intelligat, aut viam per quam me Deus ducit diſcernat: ſinguli proprio ſenſu abundantes, lumen veritatis ſibi inveniſſe videntur, dum revera tamen mediis

adhuc

Digitized by Google

adhuc in tenebris ambulant, ex quibus & tu nondum egreſſus es; at ſpero Deum te ab iis liberaturum eſſe per veritates, quas ego tibi detectura ſum. Interim ſemper ero

Tua tota in Deo

Amſtelod. 3 Maji 1670.

A. B.

Epistola II.

Virgo Bourignonia, tantum abeſt ut homines ad ſe alliciat, aut advenientes omnes læta recipiat, *ipſoſque etiam* Socinianos, ita ut hi nec opiniones nec ritus ſuos mutare cogantur, (uti ſuprà accuſata fuerat,) *ut potiùs unicè deſideret in ſolitudine vivere ad ſolum ſtudium Æternitatis quærendæ perſequendum, rebus, amoribus, opinionibus, agendi modis, obſequiis omnibus humanis & temporalibus, ipſiſque etiam propinquis atque amicis renunciando ac bellum indicendo; ita ut malit ſemper ſola eſſe & perſecutionibus vexata, quàm comites habere eos quorum animi ita affecti non ſunt ut ad ſolam Æternitatem adſpirent. Vanitas rerum hujus mundi.*

(Hæc epiſtola ad eundem Amicum ſcripta fuit ad quam ſuperior, eſtque 12 *Partis IV. Lucis natæ in tenebris.*)

Charissime,

1. Novi te mœrore affici ob verba mea quibus dico, ME *omninò in mundo* SOLAM *eſſe*; quandoquidem me comitari & ſequi deſideras. Deſiderium tuum hac in re bonum eſt; at vera tamen ſunt quæ dico, me *ſolam eſſe* in via, per quam me Deus ducit. Noli verò audita veritate turbari, ſed diſquire potiùs quid tibi faciendum ſit ut me comitari poſſis.

Ego iter facio ad Æternitatem; at video homines omnes iter ingredi ad terram exilii, ad mundum inquam hunc

infeliciſſimum, ad quem ſinguli adſpirant. Neque enim vel unum adhuc inveni, qui bona æterna unicè quærat.

2. Homines omnes quotquot judicio rectè valent dicunt, *ſe adſpirare ad bona æterna*; dum tamen cogitationes, labores & ſtudia ſua in ea conferunt quæ ad terram & tempus ſpectant. Ergone fieri poteſt ut quis ita animo occœcatus ſit, ut bona æterna à ſe deſiderari putet dum tamen eadem contemnit? Nam quicunque bona hujus mundi quærit, is certo certius teſtatur, Æternitatem à ſe contemni; quoniam hæc pleniſſimam ſatietatem affert ei qui eam deſiderat, ita ut aliud nihil deſiderari poſſit. Etenim omnia temporalia & peritura fumus ei videntur ac ſordes, quibus utitur *quoad parciſſimè poteſt*, unde ſi corporis ſui gravitate non præpeditus foret, neque ad ejus conſervationem alimenta adeo craſſa aſſumere cogeretur, per ipſum aërem ad æternitatem lætus volaret ita ut terram nunquam tangeret. At qui verſus mundum eunt, aurum adhuc atque argentum ſibi exoptant, ut his inſtrumentis aliorum ſervitia obſervantiamque ſibi concilient; iidemque in cibo, in potu, in ambulationibus, in veſtitu commodo & in pulcra ſupellectile ac ſplendidis ornamentis inſtructa domo delicias ſibi quærunt, ut quinque ſenſibus ſuis naturalibus, viſui, puta, auditui, odoratui, guſtui tactuique ſatisfaciant.

3. Adeoque mirum non eſt eum qui iter æternitatem verſus ſuſcepit, ſolum inveniri ea in via; quandoquidem homines omnes quotquot hodie videmus, ad iſta omnia quæ dixi adſpirant, ea deſiderant, ac ſtudiis ſuis laboribuſque ſibi pro viribus comparare conantur, ita ut contemnere ea atque deſerere omnino nolint, ſed quaſcunque rationes eo facientes potius audiant. Æternitatem quidem habere volunt; at tempus [ſive temporalia] deſerere nolunt, etiamſi Jeſus Chriſtus dicat, *neminem poſſe duobus dominis ſervire quin alterutri infidelis ſit futurus*. Quæ verba illi detorquent ad concupiſcentiæ ſuæ atque ſenſuum inclinationes quas ſequi volunt, & æternam vitam ſimul poſſidere, id quod impoſſibile eſt. Quam ob cauſam nec ego homines hujus temporis nec illi me intelligunt, unde unà eſſe ac convivere non poſſumus.

4. Non poſſum equidem quin inter homines tranſigam dum neceſſitas jubet: at ſimul atque potero illis relictis viam ſequar quam Deus mihi monſtrat, eos verò in viis ſuis ire ſinam, quas

ad

Digitized by Google

ad propriam perditionem amare volunt. Nolim equidem dicere, chariſſime, te in eadem hac perditionis via etiam incedere, quippe qui deſiderium habeas efficax ſalutis quærendæ, imò & me ſequendi: nihilominus tamen & verſus mundum adhuc incedis, qui nondum in te crucifixus eſt: imò ne cognoſcis quidem hucuſque quomodo quiſque ſibimet ipſi in omnibus rebus mori oporteat. Atque eam ob rem moleſtiam tibi exhibeo dum SOLA INCEDERE VOLO; tu vero majorem etiam mihi exhibes qui vis ut te ſequar terram verſus atque tempus euntem, qua vero in via me comitem habere non potes ſine rixis ac contentionibus perpetuis. Etenim in itinere aut via hac æternitatis, ſingula verba & ſingulæ actiones temporales reprehendi meritò debent: unde ſimulac fortè te audirem de iis loqui quæ ad terram ſpectant, reprehendendus à me eſſes tanquam verba proferens otioſa & ad æternitatem inutilia. Similiter ſi in actionibus tuis propter ea te viderem quæ in terra ſunt laborare, operam quam impendis deplorans labores tuos meritò vanos eſſe exiſtimarem.

5. Itaque vides & me tibi gravem, & te mihi intolerabilem fore. Ideoque triſte foret iter noſtrum ac tædioſum utrique, tibi pariter ac mihi, & triſtius quidem, quàm iter duorum hominum quorum neuter alterum neque per ſigna ulla neque per verba intelligeret. Neutiquam tamen me tædet te comitem habere: id enim mihi gratum accidit propter deſideria bona quæ in te eſſe video: neque etiam reprehenſiones meæ correctionem aut objurgationem præ ſe ferent, ſed benevolam voluntatem promovendæ perfectionis tuæ, quam perinde ac perfectionem meam propriam amo: At natura tua moleſtias in iis inveniet, quarum vim fortè tolerare non valebis, aut quæ valetudinem tuam fortè lædent.

6. Ego enim NATURÆ NULLA IN RE CEDO, quæ non ignoro eam & corruptam eſſe, & peccata omnia progenerare, quibus animæ mors infertur beataque perditur Æternitas. Hinc neceſſarium omnino eſt ut ei naturæ contradicamus, & voluntatibus ejus nunquam obſequamur; alioqui ad calamitates omnes æternas infeliciter nos abducet. Quod vero pauci intelligunt. Etenim videmus ſingulos propriam ſuam voluntatem ſequi neutiquam cogitantes ſe ea in re peccare, eo quod non ſatis intelligant quod VOLUNTAS noſtra PROPRIA MOR-

TEM

Digitized by Google

TEM GENERET ÆTERNAM: id quod veriſſimum eſſe, oculis fidei perſpectum habeo. Idem autem nobis & Jeſus Chriſtus ſimiliter tradidit, quando dixit: *eum qui ſibimet ipſi non renunciat, diſcipulum ſuum eſſe non poſſe*. Quæ verba tam expreſſa ſunt, ut non videam quomodo apertiùs doceri poſſit, *voluntatem noſtram propriam ſequendam non eſſe*, ſed abſolutè ei deneganda eſſe omnia quæ ab ea expetuntur. Interim tamen videmus, hodie illos qui intentionem optimam habent, felices ſibi videri ſi voluntatem ſuam propriam ſequi poſſint, quæ revera ad terram ſemper ac tempus prona ſpectat, nunquam autem ad Æternitatem, quam neque videt neque intelligit.

6. Quam ob cauſam ego nullatenus comitari poſſum eum qui mundum verſus ingreditur, & propriam voluntatem ſequitur. Coacta ero SOLA ambulare ſemper quamdiu comites alios invenire non licet, ſimilis Viduæ deſolatæ, quæ nec ſocios habet nec ſolatia ulla in hoc mundo: id quod perquam triſte accidit naturæ, quæ ſemper ſociabilis eſt, & cum ſimili gaudet convivere. At ego uſque adhuc in hoc mundo in ſimilem nullum incidi, coacta ſemper ſola ambulare, quòd nullos invenerim quibuſcum me conjungere poſſem, etiamſi eos nunquam non quæſiverim, ſemper indagans, ubinam ſint ANIMÆ ILLÆ ÆTERNITATEM VERSUS ITER FACIENTES, quas in hunc uſque diem nuſquam reperi.

7. Uſa fui converſatione hominum religioſorum ac devotorum inter noſtrates; at inveni illos omnes quærere ea quæ in terris ſunt: etenim dum literis incumbunt, aut concionantur, ſeipſos hominibus commendare, aut ventri proſpicere ſtudent. Similiter inter ſeculares, qui medicinam exercent, aut mercaturam, omnia duntaxat agunt ut rem faciant, aut honores ſibi atque voluptates in hoc mundo acquirant. Atque ita nemo horum in via æternitatis me comitari poteſt: ideoque oportet ut ſola incedam, aut retro ut gradiar ad viam hujus mundi: quod neutiquam factura ſum, quæ malim in via ſalutis ſola mori, quàm cum numeroſo comitatu aliorum perditionis viam ſequi; ſcio enim in magna damnatorum multitudine nullum mihi levamen fore; ſed potiùs ex majori perditarum animarum numero graviores mihi pœnas eſſe acceſſuras.

8. Hanc ob cauſam in via æternitatis ſemper perſiſtere decrevi,

Digitized by Google

vi, etiamſi ad mortem uſque SOLA in ea incedere deberem, malimque cum Jeſu Chriſto ſola eſſe, quàm cum mundo atque inferno in magna ſocietate verſari. Novi equidem, chariſſime, te non deſiderare mundum atque infernum ſequi; at reipſa tamen eos ſemper adhuc ſequeris quamdiu aliud quippiam præter æternitatem quæris. Non putas quidem te aliud quærere velle ex quo Mundum relinquere jam decreviſti; at, crede mihi, quamdiu hominibus adhuc placere ſtudes, & iis diſplicere times, tamdiu in via Mundi adhuc verſaris: & quamdiu hîc in honore ac commodis mundi oblectaberis, nunquam guſtabis delicias atque quietem Æternitatis: pariterque ſi divitias adhuc in pretio habes, certo certius eſt te ad cognitionem bonorum Æternorum nondum perveniſſe: hæc enim ſemper efficit ut bona terreſtria contemnamus, videntes ea vana eſſe, & amore noſtro omnino indigna.

9. Ex his ergo verè diſcernere licebit, utrum verſeris in via Æternitatis, an verò in via temporis ac terræ, prout ſcilicet videbis ſtudia ac vota tua ad illam ſpectare vel ad hanc referri. Hæc regula generalis eſt, & ad OMNES omnino homines extendenda, ex qua judicium facere poſſunt, utrum incedant in via ÆTERNITATIS BEATÆ, an verò viam ſequantur quæ ad ÆTERNAM MISERIAM ducit, examinantes, an curæ, ſtudia ac amores ſui ad res terrenas adſpirent, an verò ad res æternas.

10. Non quod in otio vivendum ſit nobis hoc in mundo; quandoquidem contrà, continuè *laborandum* eſt, ad implendam pœnitentiam quam nobis injunxit Deus. At verò oportet ut ad æternitatem, ad gloriam Dei, ad ſalutem animæ noſtræ, aut ad ſalutem proximi ſpectent labores noſtri. Quicquid verò eo non ſpectat, id malum eſt. Quod ſi quis pro hoc mundo laborat, is ibidem laboris ſui mercedem accipit: adeoque non eſt ultrà, quod in æternitate futura ſibi promittat; niſi ſi Deus non eſſet juſtus: quandoquidem is qui ideo laboravit ut pecuniam acquireret, poſtquam eam acquiſivit, ſalarium laboris ſui jam accepit, & nullo jure aliud quippiam exigere poteſt, quoniam is nihil aliud deſideravit. Sic ſi tu laboraveris ut Muneri cuidam præficiaris, ſique idem tibi decernatur; in adeptione muneris meritum laboris tui præmium conſecutus es. Si in mercatura & negotiatione exercenda labores animo quæſtum facien-

Digitized by Google

di, ſique ea res pro voto ſuccedat, non oportet aliam mercedem exſpectare quàm pecuniam quam lucratus eris. Si literis incumbas ut hominum judicio excellens videaris, in laude atque encomiis hominum qui te in honore habebunt, mercedem tuam inveniſti. Vides hic omnia quæ ſibi promittere poteſt is, qui pro terra & tempore laborat. Huic Deus illæſa Juſtitiâ ſua Æternitatem beatam dare non poteſt, cùm labores ejus omnes ad terram ſpectaverint, quam vero verſus eunt homines omnibus diebus vitæ ſuæ, uti ſane nunc ab omnibus fieri videmus, ita ut ſapientes ſibi ac fortunati videantur dum commoda ſua hoc in mundo ritè quærant. quod ſi quis autem ad ea non adſpiret, is vero contemnitur paſſim, & pro idiota habetur.

11. Et hæc quidem via eſt in qua homines omnes incedunt, ubi impoſſibile mihi eſt eos uti ſequar aut imiter: quoniam univerſa iſta mihi totidem duntaxat nugæ atque ſtygia videntur retinacula. Quid enim proderit homini ſi dignitatem aliquam aut beneficium conſequatur, aut multas opes acquirat ut hoc in mundo voluptatibus ſuis indulgere poſſit? Omnia hæc in morte deſinunt; laudes verò hominum, quas captavit is qui inter eos excellere ſtuduit, verè ſunt inſtar venti repentini, cujus flatu cineres corruptionis noſtræ excitati, illico ex memoria eorum per oblivionem avolant: interim verò infeliciſſima anima, æternâ ſeſe gloriâ privatam mox videt, quam nunquam deinde recuperare poteſt, poſt elapſum caducæ hujus vitæ ſpatium, quæ ſola via eſt qua ad æternitatem vel felicem vel infelicem itur. Adeoque quiſquis hic in amore atque deſideriis terræ ac temporis ambulat, is ad Æternitatem beatam nunquam perveniet. Contrarium ſi ſperet, inſanit revera & errat. Acquieſcendum ei erit in terra quam amavit, & in hominibus, quibus placere voluit.

12. Vide nunc, chariſſime, quam tandem mercedem à terra hominibuſque pro ſervitiis omnibus quæ ipſis præſtitiſſe invenientur, exſpectare poſſint! Videlicet nonniſi mœrores atque angores animi dolentis ea neceſſario derelinquenda eſſe, ſimulque propriæ conſcientiæ objurgationes quòd terram ſequi ac verſus mundum fallacem ac pereuntem ire voluerint. Ego quidem hæc omnia clariſſimè video non minùs ac Sōlem ipſum: ideoque decrevi iſthæc contemnere omnia atque oblivíſci, ac ſola tantum permanentia bona, quæ nunquam deſinent, cogitare. Tu verò ſi

me

Digitized by Google

me comitari velis, poteris utique; Deus enim te creavit liberum, *poſuitque medium inter ignem & aquam, ut eligeres alterutrum quod velles*. Ignis quidem in te ſuccendet deſiderium opes, honores ac voluptates in hoc mundo quærendi: at aqua te ad pœnitentiam amplectendam ducet, quo contra Diabolum, mundum atque carnem, ceu hoſtes totidem Beatitudinis æternæ, bellum geras. Et vero jam decreviſti æternitatem verſus progredi: atqui id nondum perfecte executioni mandas. Quamobrem me comitari necdum potes, donec à bonis terræ omnino liber fueris, ac deſiderium omne hominibus placendi reliqueris: quandoquidem hæc in itinere noſtro conficiendo ſemper tibi forent offendiculo.

13. Etenim bona hujus terræ nonnunquam amittenda ſunt aut prodigenda propter æternitatem: id quod non niſi invitus facturus eſſes quamdiu animus tuus bonis iſtis quodammodo adhuc adhæreret. Similiter in via æternitatis ſæpe neceſſum eſt ut hominibus diſpliceamus. Hinc Jeſus Chriſtus dicit, *eum qui hominibus placere ſtudet, diſcipulum ſuum non eſſe*. Idemque alibi docet, *ſe non veniſſe ut pacem afferret in terras, ſed ut bellum afferret inter patrem & filium, inter fratrem & fratrem, inter maritum & uxorem* &c. indicans, ei qui Æternitatem verſus ire decrevit, pugnandum eſſe contra omnes qui verſus mundum eunt; etiamſi illi ejus ſint amici atque cognati proximi.

Si quis enim retardari volet ut iis placeat, is ad Æternitatem nunquam perveniet; quoniam illi ſemper nos in via detinebunt ut finem neutiquam attingamus. Etenim cognati noſtri proximi ſunt hoſtes omnium potentiſſimi in quos incidere poſſumus ad Æternitatem contendentes, ſiquidem illi nos comitari nolint. Quare relinquendum eſt deſiderium iis placendi: unde & Jeſus Chriſtus, *eum qui non relinquit Patrem, Matrem, ſorores, fratres & omnia propter Nomen ſuum, ſeſe*, dixit, *indignum eſſe*. Quibus verbis docet, quale fundamentum virtutis habere debeant ii qui iter Æternitatem verſus ingredi volunt.

14. *Principio*, Deo offerre debent bona omnia quæ poſſident, ut hæc non amplius ſerviant deſideriis ſuis, aut voluptatibus ſenſuum ſuorum ſequendis; ſed ut ſoli ejus gloriæ impendantur. *Secundo*, abjiciendum eſt deſiderium hominibus complacendi, quia dum iis placebimus, neceſſarium omnino eſt ut Deo diſpliceamus; quandoquidem deſideria eorum alia ſunt ac deſideria

Digitized by Google

Dei, & ad propria duntaxat commoda ipſorum ſpectant; unde nunquam iis approbantibus fiet ut nos mundum & divitias ac voluptates mundi derelinquamus, quas tamdiu illi participant dum nos eas poſſidemus ut ipſis gratificemur. Vides hic cauſam quare oporteat amicitia eorum excidere, ſiquidem velimus Dei amicitiam invenire, & bellum hoc ſuſcipere quod Jeſus Chriſtus contra carnem ac conſanguineos attulit.

15. Vulgo putant, rectè fieri ſi pacem cum iis conſervemus; quod ego quoque pariter concedo quamdiu ſcilicet illi nobiſcum in via Æternitatis incedere volent. Nihil in hoc mundo optabilius eſt pace atque concordia inter amicos atque propinquos. At quando illi nos retinent aut impediunt ne Æternitatem verſus eamus, diſſolvenda eſt pax illa quæ ſolam Dei iram prænunciat: ea enim inter ſigna plagarum noviſſimarum annumerantur: *Quando homines Pacem ſibi ac ſecuritatem dicent* (inquit Spiritus S.) *tempus adeſt ruinæ univerſalis*. Idem accidet ei qui iter Æternitatis ſuſcipit, at pacem tamen conſervare vult cum iis qui mundum verſus ambulare pergunt. Quin potius bellum his denuntiandum eſt ſiquidem nos retardent aut impediant ne Æternitatem verſus progrediamur; quoniam amicitia eorum tanti non eſt, quanti eſt æterna ſalus noſtra, quam illi nobis dare neutiquam poſſunt, licet iidem damnationis noſtræ cauſam nobis facilè afferre queant. Etenim hæc duo capita, *amor* inquam *divitiarum*, *ac ſtudium hominibus placendi*, fecerunt, ut multi æternùm perierint, etiam inter eos qui intentionem bonam alioqui habuerunt.

16. Etenim tantiſper dum animus noſter rebus ullis terræ adhuc adhæreſcit, nunquam poſſumus Æternitatem verſus ire. Oportet ut omnino liberrimi ſimus, & ad ſolam Patriam noſtram beatam adſpiremus, ſumentes interim ad iter noſtrum conficiendum ex ſola neceſſitate minimam quam poſſumus partem eorum quæ in terris ſunt, minimam, inquam, partem honorum, dignitatum, pecuniarum, veſtituum, ciborum ac potus, quoad fieri poteſt: & hac ratione commodè una ibimus Æternitatem verſus, ac iter non difficulter conficiemus. Nam etiamſi forte in via labores, curas, perpeſſiones, vexationes, contemtum, injurias, captivitates aut mortem ipſam ſimus inventuri, ea omnia tamen in exſpectatione Beatitatis hujus æternæ levi-

Digitized by Google

levicula nobis videbuntur. Quod ſi enim is qui mundum verſus contendit, fortunatus ſibi videatur ſi per dolores, curas, laboreſve ſuos pecunias lucretur; quanto magis [contentus erit] qui Æternitatem verſus ambulans, retributionem exſpectat æternam? Hic certè neutiquam retardari volet in colligendis arenis auri argentique, quarum pondere non poſſet non in itinere Æternitatem verſus faciendo ſummopere gravari. Ideoque conſilium meum eſt, ut eaſdem procul à te rejicias: quo facto, porrecta manu te ducam ut iter noſtrum meliùs abſolvamus. Id quod exſpectans maneo,

In Deo tibi fidelis Amica

Amſtelodami d. 23. Octobr. 1670.

A. B.

EPISTOLA III.

De oratione; *quid ſit Oratio? De* precibus ſtatutis *&* *ordinariis earum exercitiis, & quæ earum utilitas. De* ORATIONE CONTINUA, *ejus natura & neceſſitate abſoluta ad ſuperandos hoſtes noſtros tum internos tum externos, ad obtinendam* Gratiam *Dei, ad attingendam & conſervandam* perfectionem, *ita ut nunquam ab oratione hac continua diſcedatur.*

(Eſt hæc Epiſtola 7. *Partis* IV. *Tumuli Theologiæ falſæ.*)

CHARISSIME,

QUoniam tibi ipſi renunciare & cupiditates ſenſuum non ampliùs ſequi decreviſti, hinc neceſſaria tibi eſt *Oratio continua*, quò vires tibi ſuppetant bonum hoc propoſitum rite exſequendi. Etenim ex quo diabolus ſemel imperium habuit in hominem, eumque ad cupiditates carnis amandas ſequendaſque abduxit, non facilè deinde ex eo diſcedit, arcem nolens derelinquere cui eouſquè præfuit; unde non ſine vi retinere illam annititur vel invito eo qui ipſum ejectum vellet: ideoque neceſſum eſt ut adhibita vi impugnetur. Hæc ſimiliaque

Digitized by Google

liaque dæmonia intelligit Jeſus Chriſtus, quando dicit, *ea non exire niſi per jejunium & Orationem*. Non quod in Jeſu Chriſto & Apoſtolis ejus, gratia Dei non ſatis efficax adfuerit ad ejiciendos dæmones omnes; verùm poſtquam illi jus ſibi poteſtatemque in hominis voluntatem acquiſiverunt, & homo ſuggeſtionibus omnibus diaboli conſenſit, diabolus deinde ex eo diſcedere non vult niſi per vim *jejuniorum* & *orationum* expellatur, quippe cùm animam per cupiditates voluptateſque quibus obedivit, & per *negligentiam orationis*, imperio ſuo ſubjecerit.

2. Diabolus neceſſariò expellendus eſt per ea arma aut media quæ directò contraria ſint iis, quibus adhibitis in animas hominum ingreſſus eſt. Hinc ſi homines Diabolo obedivérunt in cupiditatibus ac voluptatibus naturæ corruptæ ſequendis, oportet ut poſtea iiſdem cupiditatibus voluptatibuſque renuntient per *jejunia* & *abſtinentiam*; quod ni fiat, genus hoc dæmoniorum nunquam depelletur. Et ſi rejectis Dei inſpirationibus, diaboli potiùs *tentationes audiverunt*, neceſſaria iis eſt *Oratio continua*, ut id genus diabolorum ejiciant; cùm enim Dæmon ſpiritum huc uſque *cogitationibus vanis* continuis occupaverit, oportet ut idem ſpiritus jam *continuè converſetur* cum Deo; alioqui Dæmones iſtos nunquam expellet.

3. Ideoque & te hortor ad ORATIONEM CONTINUAM, ut hoſtem hunc animæ tuæ devincas ejiciaſque per preces, quæ potentiſſima ſunt arma contra omnes furias totius Inferni.

4. Oportet tamen ut exponam tibi priùs quid ſit *Oratio* antequam ea uti poſſis: quoniam multi ſæpe credunt orationem conſiſtere in verbis quibuſdam egregiis quæ fortè legerunt aut ab aliis audiverunt. Ita in his locis quando precibus aut oratione uti volunt, Pſalmos decantare ſolent: alibi verò qui oraturi ſunt, Orationem Dominicam ac Salutationem Angelicam aliquoties repetunt; aut alias etiam preces in libris quibuſdam deſcriptas, ſive verba nonnulla, quæ memoriæ mandarunt, recitant.

5. Hæc verò omnia Oratio nequaquam eatenus dicenda ſunt, cùm verba iſta ac Pſalmi facilè ita recitari poſſint, ut nullæ tamen preces Deo fiant. Si quis dum Pſalmos recitat verè precari velit, oportet ut eadem habeat DESIDERIA, quæ habuerunt illi qui Pſalmos compoſuerunt, eademque verba proferat eo animo deſiderioque quo ipſi ea protulerunt; alioqui Pſalmi quos recitat

PRE-

PRECES dici non poſſunt; ſed potius verba ſunt otioſa, atque inutilia. Imo verò non rarò fit ut per verba illa injuriæ effundantur contra Deum, aut mendacia quædam vel ineptiæ ridiculæ proferantur. Sic quando recitantur Pſalmi Davidis pœnitentis, jejunantis & medias inter preces lacrymis ſtratum proluentis, dum interim ii qui hæc ipſa decantant vino ac cupediis repleti noctes in peccatis ac luxuria tranſigunt, quis non videt Deum irrideri, & in ipſius præſentia mendacia dici? Similiter faciunt, qui Orationem Dominicam aut alias preces recitant, dum *deſideriis*, quæ verba pronunciata præ ſe ferunt, deſtituuntur.

6. Dicunt quidem Deum eſſe *Patrem ſuum*, at eidem tamen liberorum inſtar obedire nolent. Dicunt, *ſanctificetur nomen tuum*, dum revera eum injuria afficiunt atque contemnunt impenſiùs amantes voluntatem propriam atque honorem ſuum, quàm voluntatem honoremque Dei. Dicunt, *Adveniat regnum tuum*, dum tamen nonniſi in hoc mundo regnare deſiderant, in quo libenter perpetuò viverent, modò Deus iis proſperitatem daret. Verbis orant, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*, dum nulla unquam in re voluntati Dei ſeſe reſignare volunt; ſed propriam voluntatem ſuam pro viribus ſemper implere conantur. Dumque *panem quotidianum* à Deo petunt, labores ac ſtudia ſua eo conferunt ut in rerum omnium abundantia vivere poſſint, & invito Deo plus habere volunt quam panem quotidianum quem petebant. Sic orant, *Remitte nobis peccata noſtra*, dum ea amant & in iiſdem ſemper committendis ac magis magiſque augendis perſeverare volunt. Addunt, *Libera nos à malo*, dum malum à quo ſe liberari velle dicunt, quærunt ipſi & faciunt: dumque Deum orant ut ſe *à tentatione liberet*, eandem & alunt, & ſequuntur, ac ei obediunt.

7. Hic vides quomodo, dum preces iſtas faciunt, Deo illudant, & in præſentia ejus mentiantur. Itaque nequaquam deſidero ut tu ejuſmodi preces ſimiliter fundas; illæ enim nullæ ſunt, neque tu per eas gratiam Dei unquam tibi conciliabis: ſed potius damnationem tuam augebis: quoniam Deus certè non vult illudi, neque vanis ſermonibus oblectatur. Ille *renes explorat* & examinat conſcientias, neque vero auditor eſt verborum noſtrorum ſimulatorum, ſed *Scrutator cordium*. In Euangelio etiam dicitur, *non eſſe orandum inſtar* Phariſæorum, *qui exaudiri ſe exiſtimant quando*

multa

multa verba loquuntur; & conſilium datur, *janua claudenda quando Patrem noſtrum invocare volumus in ſecreto*, doceturque, *Patrem* noſtrum *quibus rebus indigeamus ſcire, licèt multa verba non faciamus.*

8. Adeoque non ad ejuſmodi preces fundendas te hortor, mi fili; ſed ad ORATIONEM CONTINUAM, quæ EX CORDE PROGREDI debet. Singulis momentis neceſſariæ tibi ſunt vires atque auxilium Dei ad pugnandum contra diabolum, mundum ac carnem. Et quanquam eos jam ſuperare enitaris; re ipſa tamen eos nondum ſuperas, ſed ſæpius adhuc iiſdem ſuccumbis. Ideoque *viribus* tibi opus eſt SUPRANATURALIBUS, quas nunquam obtinebis niſi per PRECES atque ORATIONEM, quam ſi rectè cognoſceres, eam & facilem invenires, & aſſidua conſuetudine familiarem tibi redderes. Ac quemadmodum auxilio Dei perpetuò & *continuè* indiges; ita ſimiliter neceſſaria tibi eſt *Oratio continua*.

9. Itaque oportet ut hanc amplectaris, & NULLO UNQUAM TEMPORE RELINQUAS, ſi quidem victor eſſe deſideras hoſtium tuorum; quos aliàs nunquam ſuperabis, invitus licèt & contrà quàm ipſe voles. Facilè adducor ut credam te interdum Deum oraſſe ut ab hoſtibus tuis te liberaret. At *preces* illæ *temporariæ* non ſufficiunt ad oppugnandum hoſtem adeo inſtantem ac perpetuum, qualis eſt diabolus, qui ſingulis momentis novas vires reſumit, & nunquam defatigatus nos ſemper tentat & ex inſidiis adoritur, quippe cùm nunquam quieſcat aut ab inferendo damno deſiſtat. Facilè quidem nos tantiſper quietos relinquet dum Orationi vacamus: at ſimulac illa peracta eſt, redit, & ſæpe quidem majori vi auctus; atque ita recuperat ea quæ dum preces fiebant, amiſerat.

10. Hanc ob cauſam neutiquam terretur precibus quas *manè* fundimus ac *veſperi*, *anteque* vel *poſt epulas*, aliiſve temporibus ſtatutis, quæ orationi deſtinamus, etiamſi ad preces noſtras ritè attenderemus. Equidem Diabolus ad tempus illud breve receſſit: verùm quemadmodum amicus, qui fortè ad tempus ab amico abfuerat, poſt confectum iter ad eum redit majori cum affectu atque ante diſceſſum, & non raro eidem ſe novo nexu adſtringit; ita ſæpe Diabolus cum eo ſimiliter agit qui per conſuetudinem ſtatutis temporibus orationi vacat. Hic enim Deo ſatiſfeciſſe ſibi videtur illas poſtquam *preces* ſuas *ordinarias* recitavit, ideo-

Digitized by Google

ideoque temporibus ceteris Dei immemor, mentem ſuam in ſollicitudinibus bonorum terreſtrium aut in voluptatibus ac oblectamentis ſuis capiendis occupari ſinit.

11. Nolo equidem improbare preces veſpertinas & matutinas, eaſque quæ inter epulas fiunt, aut aliis temporibus certis orationi fortè deſtinatis: id enim inſtitutum eſt laudabile in hominibus mundi; qui, cum negotiis ac rebus ſuis adeo toti occupentur ac diſtrahantur, verendum meritò eſt ne unquam tempus invenirent de Deo cogitandi niſi certa tempora orationi faciendæ deſtinarent: hi ergo rectiſſimè faciunt ſi regulam ſibi præſcribant, & certis temporibus ſtatutis orationi vacent, ut aliquando ſaltem de Deo cogitent, nec in negotiis mundi ſe ipſos obliviſcantur.

12. Verum ad filios Dei quod attinet & qui ad perfectionem Chriſtianam adſpirant, illi debent *continuè orare*, *& nunquam ceſſare*; Diabolus ſiquidem ab iis tentandis nunquam ceſſat: imò ipſi quanto ardentiùs perfectionem deſiderant, tantò magis tentationibus vexantur, ideoque & tanto magis iis neceſſaria eſt *oratio continua*, interdum ut auxilium cœli implorent, aliquando ut Deo pro beneficiis acceptis gratias agant, nonnunquam ut ei benedicant eumque laudent: Adeo ut nullum unquam momentum totius diei effluat, quin is qui diſpoſitionibus animæ ſuæ examinandis ſollicitè vacat, cauſam inveniat Deum invocandi. Is inquam SEMPER NECESSARIUM eſſe inveniet UT ORATIONI CONTINUÆ inſiſtat, quandoquidem occaſiones in quas incidimus, tum intus tum foris, perpetuam ipſi materiam orandi ſuppeditabunt.

13. Etenim ſi cum hominibus converſamur, illi nos interdum laudabunt, qua in re periculum erit vanæ gloriæ captandæ; alio tempore nos deſpicient, atque tunc ad iram aut indignationem, ſive ad contemtionem eorum odiumve movebimur: quod ſi aliquid nobis eſt cum iis negotii, avaritia nobis facilè obrepet, aut ſtudium noſtri commodi. Proſperitas faciet ut gaudeamus aut animo extollamur; adverſitas ut mœſti dejiciamur; atque ita millena alia foris nobis obvenientia continuè cauſas afferunt ad Deum SEMPER recurrendi per ORATIONEM, qua gratiam ab eo ac vires expetamus ut in periculis tot diverſis ſuſtenti in peccata non incidamus. Et hæc quidem foris nobis ſuperveniunt;

Digitized by Google

niunt; at plura ſunt quæ intus inſtant. Nam ſi quis agitationes ac motus varios affectuum animæ rectè conſideraret, infinita in iis mala inveniret, contra quæ reſiſtendum eſt. Quiſquis perfectionem animæ ſuæ quærit, hic certè inveniet ubi operas ſuas omnes omneſque labores collocet ut vitioſas inclinationes animæ refrenet; & PERPETUÒ habebit CAUSAM DEUM ORANDI, ejuſque opem atque auxilium implorandi, ſine quo contra tot hoſtes tum viſibiles tum inviſibiles pugnare non poſſumus. Oportet ergo ut vel *orationem continuam* amplectamur, vel ſub eorum jugo vivamus ac moriamur perpetuò miſerrimi futuri.

14. Non deſidero uti nervos omnes animi in precibus continuè intendas, uti aliàs ſoles: ita enim cerebrum læderes, & innumeris imaginibus parum neceſſariis, nedum utilibus obrueres. At vellem ut Deum inclamares quotieſcunque auxilio ejus indiges; utque ei benediceres quoties gratiis ejus atque auxilio juvaris; ingrati enim animi eſt ei non pro ſingulis donis quæ nobis confert ſigillatim gratias agere; quandoquidem grata beneficii agnitio novis ſemper favoribus augetur à Deo, qui & deſiderat ut nos in neceſſitatibus noſtris ipſum imploremus, addita promiſſione auxilii atque liberationis futuræ. Quod ſi Deus à nobis invocari vult, quidni nos eum invocaremus? *Quærite*, inquit, *& invenietis; petite & dabitur vobis; pulſate* oſtium miſericordiæ, *& aperietur vobis.*

15. Quid impedit igitur, mi fili, quo minùs hoſtes tuos ſuperare poſſis; cùm Deus tibi tot promiſſiones offerat, quæ ex parte Dei nunquam non erunt ratæ atque inconcuſſæ? Neceſſariò dicendum eſt, cauſam hujus mali in te eſſe; neque ego ullam aliam in te video præterquam defectum *orationis continuæ*, quam adhuc non ſatis intelligis; unde hoſtes tuos propriis conaris viribus ſuperare; id quod nunquam perficies. Tu quidem iis poteſtatem dediſti tibi nocendi per voluntatem tuam propriam: at vires hujus non ſufficiunt ad hoſtes eoſdem depellendos. Hic nunc opus eſt GRATIA DEI VERE PECULIARI, QUÆ NUNQUAM TIBI DABITUR NISI PER ORATIONEM & quidem CONTINUAM.

16. Docebo te quid ſit ORATIO, ut eam rectè cognoſcas, ne fortè putes eam difficiliorem eſſe quàm ut amplecti eam poſſis, quanquam revera nihil ſit amœnius, nihil jucundius. Verùm

rùm per imaginationes hominum fit, ut difficilis, imò verò quibuſdam impoſſibilis videatur; eo quod nunquam rectè detexerunt quid ſit ORATIO. Alii hoc nomine deſignant multa VERBA ORE PROLATA; alii verò ſpeculationes quaſdam [aut meditationes] mentis, quas vocant *orationes mentales*. Sed crede mihi nec verba propriè, nec meditatio Orationem conſtituunt; ſed VERA ORATIO conſiſtit in Colloquio mentis quo homo ad Deum ſuum recurrens, corde ipſi loquitur, & petit ea quibus indiget; aut pro gratiis ipſius ei benedicit eumque laudat; aut ejus magnitudinem, bonitatem, charitatem ac attributa alia quæ in Deo ſuo agnoſcit, prædicat. Hæc ELEVATIO MENTIS, aut hoc colloquium ejus cum Deo, propriè eſt vera oratio, ſine qua nulla vera precatio eſſe poteſt, quanquam diverſa multa ſint quæ hoc nomine appellentur, quæ tamen impoſſibile foret ut ab homine continuè fierent, quemadmodum Jeſus Chriſtus dixit, *ſemper orandum eſſe, & nunquam deſinendum*.

17. Ille nunquam ab homine poſtulare poterat impoſſibilia quædam; qualis revera foret oratio continua uti eam intelligere volunt. Etenim ſi ſemper oporteret nos in templis adeſſe ibique precibus vacare, omnia cetera ad conſervationem vitæ neceſſaria perirent, & homo ipſe eorum defectu moreretur. Et ſi ſemper nobis flexis genibus orandum eſſet, corpus noſtrum perpetuæ huic laſſitudini ferendæ non ſufficeret. Sique ſemper *ſpeculationes* [ſive conſiderationes] *quædam egregia* in animo *meditandæ eſſent*, caput obtunderetur; aut ſi preces ſemper recitandæ eſſent, nunquam poſſemus dormire, neque bibere aut edere. Itaque non credendum eſt Deum aliam orationem continuam ab homine exigere, præterquam *colloquium hoc mentis ſuæ cum Deo*; cui continuè vacare poteſt, dum laborat, dum edit, dum bibit, dum ſcribit, imò & dum dormit; quoniam ille qui per totum diem in animo ſuo cum Deo converſatus eſt, certò certius etiam cum ipſo quieſcit dum dormit; quandoquidem animus qui cum Deo ſuo ambulavit dum vigilabat, in ſomno cum eodem requieſcit: ipſique etiam ſpiritus vitales pleni ſolent eſſe objecto amato; & quæ per diem vidimus audivimuſque, ea quoque menti in ſomno obverſantur. Adeoque quiſquis interdiu *animum* in converſatione *cum Deo elevatum* habet, noctu eadem converſatione non multum carebit; imò nonnunquam Deus per ſomnia ſe cum ipſo communicat.

 18. Ex

Digitized by Google

18. Ex his videmus neutiquam impoſſibile eſſe ut *continuè oremus*, quod Jeſus Chriſtus faciendum eſſe docuit: imò verò nihil facilius eſt ac jucundius. Ego certè, ſine hac oratione continua in vita ſupereſſe non poſſem; & mors ipſa mihi gratior accideret, quàm ſi per unam horam ſine ea vivendum eſſet; quoniam oblectamina omnia extra hoc colloquium totidem mihi ſunt tædia atque afflictiones letales. Quapropter in eo perpetuo ago, neque puto te unquam vidiſſe, me commercium hoc reliquiſſe ut in ulla alia re oblectarer. Ex his ergo vides, poſſibile omninò eſſe *ut ſemper oremus & nunquam ceſſemus*, idemque etiam bonum eſſe atque jucundum; quandoquidem is qui in oratione hac continua verſatur, melancholiæ vitio nunquam infeſtatur: id quod ſimiliter tibi in me obſervaſſe licuit inter tot eventus varios totidemque triſtitiæ occaſiones.

19. Itaque age, Orationem hanc continuam amplectere, & ſuperabis per eam hoſtes tuos tum internos tum externos. Experieris in te ipſo gaudium atque quietem, & omnia quæ tibi tum facienda tum omittenda ſunt diſces. Noli animum intendere ad ſcrutanda magna mirabilia Dei, aut vias quibus in hominibus regendis utitur, aut ad alia myſteria Divina ſeu Religionis arcana indaganda; ſed exerce ORATIONEM hanc CONTINUAM, prout neceſſitas tua exiget, DEO SEMPER LOQUENS. Si tentari te ſentis, auxilium ejus implora. Si in ignorantia verſaris, pete ab eo ſapientiam ad exſequendam ipſius voluntatem. Si infirmus es, vires expete; & ſi gratias ejus accipis, benedic ei, & pro favore quem tibi peccatori exhibuit, gratias ei age. Atque ita nunquam non cauſam habebis animum ad Deum ſemper elevatum habendi, qua in re VERA ORATIO conſiſtit. Ita paulatim conſueſces Deo loqui, atque in animo cum eo converſari; & tandem ipſe tibi loquetur, tuque hìc cum eo unitus, unitatem perfectam in æternitate futura exſpectabis. Id quod tibi optat quæ ſemper erit

Tibi in Jeſu Chriſto benevola

Ex refugio meo 7. April. 1671.

A. B.

Digitized by Google

EPISTOLA IV.

In hac Epiſtola exhibetur veluti in Epitome, medulla & ſcopus omnium quæ ſcripſit Virgo A. B. *ſimulque totius Chriſtianæ Religionis* ESSENTIA *verior ac ſolidior.*

(Hac epiſtola ſcripta eſt ad Paſtorem quendam Mechlinenſem, eſtque quinta decima Partis I. Lucis nata in Tenebris.)

DOMINE,

1. NEutiquam video quomodo quiſquis judicio rectè valet aliud quicquam poſſit amare præter ſolum Deum, cùm nihil creatarum rerum amore noſtro dignum ſit perinde atque ille, qui fons eſt omnis boni, Sapientia ipſa & ſapientiæ omnis dator, pulcritudo ipſa & pulcritudinis omnis creator, Juſtitia juſtorum, Bonitas bonitatis omnis, omniumque perfectionum conſummatio, verbo, Objectum unum amore noſtro dignum, præter quod nihil uſquam, neque in cœlo neque in terra, datur amabile: extra quod nihil eſt quod animam noſtram exſatiare poſſit, nihil in quo illa conquieſcat, nihil in quo perfectè oblectetur, nihil quod beatam eam reddat ſive hoc in tempore, ſive in futuro. Ille eſt qui nos creavit, ille qui nos conſervat, illeque idem nobis olim Judex futurus eſt. *Deus ſolus* amabilis. *Cauſæ moventes ad* Amorem *Dei, petitæ* 1. ex eo quod Deus eſt *origo atque conſummatio omnis boni.*

Quod ſi *bonum* natura ſua ſemper eſt amabile, quidni facultates ſuas omnes impendit anima amandæ Origini, Perfectioni ac Conſummationi omnis boni, qui Deus eſt?

2. Si *ſimilitudo* amorem parit, quomodo *Anima* tua quæ *ad ſimilitudinem Dei facta* eſt, ſine ejus amore viva ſupereſſe poteſt? Quodnam objectum aliud amabile inveniet extra Deum, unicum Archetypum ſuum? Quænam contrà rerum omnium periturarum comparatio atque proportio cum Animâ hac Divinâ atque immortali, quæ nuſquam ſui ſimilem invenit præterquam in ſolo Deo? 2. *à* ſimilitudine *quæ Deum inter & animam eſt.*

3. Si *beneficia* exhibita vel Naturam ipſam cogunt ſuos benefactores amare, quantum ergo amorem debet anima Deo ſuo; qui & omnia ei dedit quæ ipſa poſſidet, & infinita bona ac æterna, eaque verè incomparabilia, in vita æterna daturum promiſit? Ipſe & animam dedit, quam ex nihilo creavit. Neque eam ad 3. *à* beneficiis à Deo *tum animæ tum corpori datis, quà ad*

imaginem SS. TRINITATIS *creavit.*

ſimilitudinem Angelorum Cœli; ſed ad *ſimilitudinem ſuæ Deitatis* formavit, ita ut animæ ſingulæ per creationem totidem parvi Dei factæ ſint. Poteratne Deus ille Amoris, ut hominem ad ſe amandum alliceret, majora ei bona ac dona conferre, quàm hanc ipſam animæ creationem, quam immortalem, ut ipſe eſt effecit? Ipſum vero *Corpus*, quod animæ domicilium atque veluti thecam eſſe voluit; potuiſſetne majoribus inſtrui perfectionibus? An enim quid uſquam in univerſa rerum natura magis eſt admirandum quàm Corpus humanum, quippe animatum facultatibus Animæ omnibus, intellectu puta, ad intelligendum, memoria ad recordandum, voluntate ad agendum; adeò ut & ipſum Corpus ſit imago quadantenus ac *ſimilitudo* SACROSANCTÆ TRINITATIS?

4. *à* bonis *ad* conſervationem *animæ ac corporis datis.*

4. Deuſne homini plura potuiſſet ac majora dona concedere, quàm dedit ei ut ejus amorem demereretur; ſiquidem poſtquam eſſentiam ei ac vitam dedit, eundem etiam ſuſtentat ac conſervat, conceſſis omnibus rebus neceſſariis, quas inſuper ad ejuſdem hominis conſervationem creavit, tot creaturis aliis poteſtati ejus ſubjectis dum eum animalium omnium Principem ac omnium operum Dei conſummatiſſimum decus eſſe voluit ac confirmavit, Terramque ei dedit in qua incederet, Cœlum quo colluſtraretur, aërem quem reſpiraret, ignem quo calefieret, aquam qua potaretur, fruges quibus aleretur, flores quibus recrearetur: verbo, viſibilia & materialia omnia quæ Deus creavit, propter ſolum corpus humanum facta ſunt. Quanta igitur non erunt ea quæ Animæ ipſius, certè longè excellentiori digniorique, quippe divinæ & ad Dei ſimilitudinem creatæ, reſervat, cum tot ac tam admiranda fecerit ad conſervandum corpus, moriturum tamen, & tantillum hîc ſuperfuturum? Nonne dona illa omnia, totque beneficia, hominem cogunt tantum hunc Benefactorem diligere? quandoquidem nulla unquam bona vera accepit aut accepturus eſt homo præterquam a ſolo hoc bonorum omnium Datore?

5. *à* miſericordia *Dei Salvatoris hominum.*

5. Ecqui committere idem poteſt eum ut non diligat, Amorem ipſius ſi bene conſideret, cui neque ſatis etiam fuit tot dona nobis gratuitò conceſſiſſe? Etenim cum idem ingratus homo tanto favore illico abutens, à Creatore ſuo averſus creaturis ſeſe jungere voluiſſet, ac donum præ ipſo Donatore impenſiùs amans, pluraque ſibi etiam deberi ratus, contra ſtatuta ipſius rebellaſſet, ac ex

animi

Digitized by Google

animi ambitione plura ſcire vellet quàm Creatori ſuo placuerat, ſic ut æqualis ipſi eſſe volens mandata ejus violaſſet; ecce, amantiſſimus ille Deus, qui tot ingratitudines poterat protinus æterna punire damnatione, ad quam Angelos rebelles ablegaverat, hominem magis quàm Angelum amavit; quapropter Amorem ſuum erga hominem potiùs quàm hominis inobedientiam, conſiderans, peccatum ei *condonat*, & culpæ admiſſæ veniam facit, modò ut ille pœnitentiam ejus agat temporalem.

6. Poſt tantam amoris demonſtrationem qua creaturam ſuam Deus complectitur, nonne is ab illa amari meretur? Idem verò & per media alia efficaciora, illam etiam ſibi præterea obligat. Etenim ut ei oſtendat *delicias ſuas eſſe, cum filiis hominum verſari*, hinc *Hominem ſe ipſe viſibilem facit* ſenſibilemque, inſtar noſtri; ac neutiquam contentus hominem feciſſe ad imaginem atque ſimilitudinem ſui; facit ipſe etiam Deum ad imaginem ac ſimilitudinem hominis, ſeque adeò verè hominem facit, ut verbis homines atque corporalibus operibus materialibuſque, qualia captus humanus exigebat, amare doceret. *6. ab Incarnatione ejus.*

7. Anne, quæſo, Deus majorem unquam amorem teſtari potuit erga hominem, quàm ſe ipſum exinaniendo, imo verò ad nihilum reducendo (ut noſtro more loquar) indutâ Natura humana? Quis unquam majora Amoris documenta animo concipere valeat? aut quæ unquam graviores cauſæ dari poſſint, quibus coactus homo ad amandum Deum adducatur quam dum ſe ipſe Deus fecit homini naturâ ſimilem ac conditione æqualem? quo in ſtatu ne mortalium quidem infimo præferri volens, fratris inſtar aut ſocii familiariter cum iis converſatur; imò verò ut hominis ſibi amicitiam alliciat, ei ſeſe ſubmittit ac obedit, eique adeò ſervit, ut & pedes ipſius abluat; quanquam autem homo eum interim offendat, ille tamen eum amore perpetim prævenit, atque ipſi adeo Judæ, mortem ſuam machinanti, oſculandum ſeſe permittit; & eo ipſo tempore quo ab eo hoſtibus traditur, amicum ſuum appellat eundem. *7. ab annihilatione ſua.*

8. Atque ut re conſtet ſe hominem ſibi amicum habere, *ſecreta ſua*, & omnia quæ à Patre ſuo audivit, eidem declarat; quæ quidem facit omnia ut homines ad *amorem* invitet reciprocum. Hinc fit ut cum iis edatque & bibat, ſuaviſſimaque converſatione ſua eos alliciat, & media omnia neceſſaria quibus amari debet, familiariter eos doceat. Legem iis dat quæ *tota Amoris Lex eſt*, nihilque aliud *8. à munere doctoris & Prophetæ.*

aliud continet præterquam *Amorem Dei & proximi*. Totum Euangelium quod nobis reliquit, nihil aliud quàm media docet vera & propria quibus lex illa amoris impleri poſſit? Hunc vero amorem tam inſtanter urget, ut & æternam minetur iis damnationem qui non *ex toto corde ſuo, ex tota anima ſua, & ex omnibus viribus ſuis ipſum diligant*. Ecquî, quæſo, efficaciùs exprimeret deſiderium quo ab homine amari optat, quando eundem per vim etiam ad Amorem ſuum adſtringit!

9. *à munere* ſacerdotis.

9. Ut autem vim illam nihil aliud quàm Amoris vim eſſe oſtendat, peccatorum hominis onus in ſe ipſe ſuſcipit, propter Amorem quo eum complectitur, pœnas pro iis debitas in proprio corpore perpeſſurus. Famem ergo patitur, ſitimque & laſſitudines, per tot obambulans loca ut hominem quærat pœnitentiamque ejus ſublevet, quò ille curas omnes ſuas ſoli amori ſuo impendere poſſit. Fierine poſſit ut homo hunc tantum amorem & jam non agnoſcat? Itane naturam eouſque exuet ut tantum non amet Euergeten, qui tot documentis amoris ſui, iiſque tam laborioſis, eum ſibi obligat, ut limites omnes rationis excedere videatur?

10. *quod* pro ipſis hoſtibus *vitam ſuam dederit.*

10. Quis unquam vidit Amorem ad tantam progreſſum exſuperantiam benevolentiæ erga amatum ſuum. Deum pro creatura ſua ſeſe exinanientem, ſe ſubmittentem, atque patientem! id quod nemo pro æquali ſuo faceret unquam. Quis vero non ingentem eſſe Amorem diceret, ſi aliquis vitam daret pro amico? atqui eam JESUS CHRISTUS dedit pro inimico ſuo homine, cujus malitiam exſuperantiâ amoris ſui ſuperavit: quantoque proclivior homo eſt ad injurias ei faciendas, tanto ille eſt promtior ad ipſum amandum, vel vitæ ſuæ voluntaria profuſione, ut ſibi eum magis obliget conſideratione tanti AMORIS, *qui intellectum omnem exſuperat*, quando ſcilicet DEUS amare vult terræ vermiculum, cujus nullatenus indiget, imò qui tantum abeſt ut Deum redamet, ut & inſultare eum atque etiam offendere minime dubitet.

11. *ab* utilitatibus *Amoris Dei.*

11. O ingrata creatura! quare vero Amori iſti tanto te ipſa non tradis? Næ, ut tibimet ipſi adeo crudelis es, adeo propriæ felicitati inimica! quidni huic tam ſuavi jugo, tamque amabili te ipſa ſubmittis? Ejus namque captivitas verè eſt libertas: ejus ſervitus, regnum: ejus moleſtiæ ſunt deliciæ: ejus labores ſunt quies: ejus dolores ſunt gaudia. Hic AMOR animam exſatiat, omni felicitate replet, ſolatur & ornat, facitque ut cum Dilecto ſuo in gaudiis agat

con-

continue: ita ut eam nihil dein poſſit offendere. Quanta vero felicitas, quæ gaudia, quanta tranquillitas, quantæ deliciæ animæ hunc poſſidentis AMOREM! Nihil illa timetque ſperatque, nihil quærit, nihil uſquam extra AMOREM hunc amabile invenit.

12. Quanta autem cœcitas ac ignorantia ejus qui bona, honores ac voluptates hujus mundi amat! Hic nunquam contentus eſt, nunquam ſatiatus: etenim *divitiæ* millenas curas atque inquietudines in receſſu habent, ſimulque ſitim afferunt inſatiabilem, quâ anima terræ atque metallis affigitur, & à Divinitate diſtrahitur. *12. à vanitate amoris terreſtris* divitiarum.

Honorùm verò major adhuc vanitas eſt quàm divitiarum; illi enim non niſi imaginarii ſunt & mera ſomnia, quæ nihil in animam eos amantem afferunt præter ventum quendam ſuperbiæ, quo cor tantùm non diſrumpitur ſimulac fortuna nutat, quo fit ut perpetuo timore ac curis omnibus miſerè ſemper torqueantur ac excrucientur, veriti ne illos amittant. Et licèt fortè legitimè atque ſecurè poſſiderentur, ſemper tamen ſunt fumus vanitatis: quoniam nos revera nihil ſumus, & quotquot nos honorant ſinguli ſimiliter nihil ſunt ac nulli. Quæ verò hæc ſtultitia? ab omnibus hiſce nullis, ſive ab ipſo NIHILO, gloriam exſpectare ac honores tam vanos & tam cito perituros amare! Honorum.

Voluptates, qualeſcunque ſint hominem parum admodum oblectant, in genere quidem; quoniam tam cito tranſeunt; in ſpecie verò, quoniam viles ſunt atque terreſtres, nobilitate animæ noſtræ divinæ ac ſpiritualis omnino indignæ. Etenim qui in cibo ac potu voluptatem capit, beſtiis ſeſe eatenus aſſimilat, & ſæpe animam pariter ac corpus lædit; quoniam hæ voluptates nonnunquam faciunt modum excedere, unde ſanitas labefactatur, & corpus pariter ac animus inhabiles fiunt, ac voluptates quas in edendo ac bibendo quæſiverant, ſatis graviter luere coguntur. Ceteræ voluptates corporis omnes ſunt in iis inſatiabiles qui quinque ſenſibus ſatisfacere volunt; *non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu*, idemque in reliquis obtinet: ac niſi ratio omnia ordinet, ſinguli nobis importuni, imò & inſolentes erunt atque moleſti. Qui luſum amat, non niſi temporis jacturam facit; qui venationem amat, laſſitudinem invenit; qui mundum amat, inquietudinem: nunquam enim expletur ille: quoque magis eum demereri ſtudebis, eo minus ei ſatisfacies. Ecquid tandem habebimus ubi ſenſibus omnibus ſatiſfeciſſe ac corpori voluptates omnes quas expetit dediſſe invenie- Voluptatum. Eccl. 1: 8.

 mur,

Digitized by Google

mur, præterquam laſſitudines ac conſcientiæ morſus, quibus anima noſtra, præſertim tempore mortis, miſerè diſcruciabitur? Poſſumus equidem rebus iſtis omnibus legitimè uti, at amare eas non poſſumus: quippe quæ amore noſtro omnino ſint indignæ.

13. Nihil *amabile præter* DEUM.

13. SOLUS OMNINO DEUS AMABILIS eſt, ſolus animam noſtram exſatiare poteſt: neque etiam illa propter ullum alium *finem* eſt creata quàm ut *Deum ſuum amet, eique ſoli adhæreat*. Cetera bona omnia & falſa ſunt, & ſunt fallacia. Cum autem ſine AMORE vivere non poſſimus, quidni HUNC DEUM, qui SOLUS AMABILIS eſt, diligimus; idque eo magis, quod & idem deſideret ipſe, & nos ei illud debeamus quos tot ſibi obſtrinxit donis quæ etiam ſingulis momentis ipſe continuat & ad mortem uſque porro nobis continuabit?

Extra quem omnia ſtultitiæ ſunt miſeria & horror animæ quæ DEI SPONSA *eſt.*

Quis eſt à quo *felicitatem* noſtram omnem exſpectamus, niſi Deus ille unus, qui & nos judicabit? Si mundo ſervivimus, mercedem nobis mundus dabit ingratitudinem; ſi nobis ipſis, impotentes per nos ſumus ac miſeri ſolum. Nullam ego *felicitatem* uſquam video, præterquam ſi DEUM DILIGAMUS. Cetera omnia & vana & fluxa ſunt: divitiæ, ſcientiæ, voluptates, honores quid vero ſunt niſi fumus duntaxat quando ad finem alium præterquam ad hunc AMOREM tendunt? Reliqua cuncta meræ ſunt inaniæ, ſordes & levitates, indignæ ſane quæ ab anima adeò nobili & divina, à SPONSA legitima Dei, à JESU CHRISTI cohærede, diligantur. Quis ſine dolore, imò verò quis ſine horrore videat, currere eam ad amplexus adulteros ſordium terrenarum, derelicto fideliſſimo Sponſo ſuo qui eam tam perfecto ac tenero amore proſequitur, quique tot admiranda fecit ut amorem ejus mutuum ſibi demereretur, imò ut vel conſenſum ejus obtineret, quo ipſe eam non renitentem ex voto ſuo amare poſſet, dum nihilominus ea ſeſe ab ipſo divellit & amores ſuos, terræ, ventis, metallis, carni & ſanguini adſtringere mavult. O mentem inſanam! Ego vero id gemo ſæpius, conſpicata creaturas adeo adverſus Creatorem ſuum ingratas, quem oro ut oculos animæ iiſdem aperiat quo vera media ſalutis ſuæ queant intueri. Interim ſum perpetuo,

DOMINE, Tibi humillimè addicta

A. B.

Gandavi d. 15 Mart. 1667.

THEO-

Digitized by Google

THEOLOGIÆ
MYSTICÆ

Auctorumque præcipuorum qui de ea ſcripſerunt

IDEA GENERALIOR.

Additur CATALOGUS *auctior Scriptorum Myſticorum aut Spiritualium, notatis iis qui ſunt* Syſtematici.

Digitized by Google

LACTANTIUS Div. Inſtitut. LIB. IV. CAP. II.

Illic potiſſimum quærenda eſt Sapientia, *ubi* ſtultitiæ titulus *apparet; cujus velamento* Deus, *ne* arcanum *ſui Divini Operis in propatulo eſſet, theſaurum Sapientiæ ac veritatis abſcondit.*

Digitized by Google

PRÆFATIO

Ad ſequentia de THEOLOGIA *&* AUCTORIBUS MYSTICIS.

POſt IRENICUM UNIVERSALE, quod præceſſit, placuit hic ſubjungere nonnulla quæ antea de MYSTICA ſcripſimus THEOLOGIA, ad quam revera pervenirent quotquot eſſentialia Chriſtianæ Religionis in Irenico indicata, pacifico & integro animo obſervarent; hæ ſiquidem ſint promiſſiones Chriſti fallere neſciæ; *Qui habet mandata mea, & ſervat ea; ille eſt qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, &* MANIFESTABO EI ME IPSUM. Ac paulo poſt: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum* VENIEMUS, ET MANSIONEM CUM EO FACIEMUS. Joan. 14: 21, 23. Hoc eſt: qui ſervat eſſentialia Chriſtianiſmi, atque adeo diligit Chriſtum ejuſque Patrem, is non ſolum eſt in ſtatu gratiæ ac ſalutis, ſed & in ſpeciali quodam gradu Amoris quo diligitur a Patre & a Chriſto, unde fit ut ſpeciali modo ſeſe Chriſtus ei, ejus interioribus, menti ac voluntati, videndum, cognoſcendum, ſentiendum, luminosè fruendum præbeat; ut Pater & Chriſtus ſpeciali modo ad eum veniant, eum peculiariter afficiant, ejus fundum, intellectum, cor, inhabitent, poſſideant, utque ita fiant perpetui Patris ac Chriſti contemplatores, Amatoreſque Dei intus poſſeſſi indeficientes, ſingulariſſimique atque puriſſimi. Hoc autem nihil aliud eſt quam ipſa THEOLOGIA MYSTICA, id eſt, Religionis Chriſtianæ Eſſentia obſervata, & Dei Chriſtique ſpe-

ſpeciali unione, lumine, amoreque coronata; Religio, inquam, Chriſtiana in ſplendore intimo ac divino poſſeſſa, ſtatus Contemplationis & Amoris continui, Unioveque cum Deo, quantum quidem hac in vita placet Patri ſeſe communicare.

Ultimis hiſce annis tantus de ea Theologia undiquaque rumor inceſſit, ut hominum quilibet, ineruditus æque ac eruditus; voluerit de ea aliquid ſcire, imo & judicare & garrire ſive bono ſive malo animo. Inter alia ad ejus cognitionem aliquam facientia, editus eſt ſermone Gallico, libellus (a) tres quatuorve egregios ac Myſtici argumenti intimi tractatus continens, quorum primus erat & præcipuus celebris illa *Theologia Germanica*, nec reliqui minoris pretii: quibus vero præfixa erat Præfatio partim generaliora Theologiæ Myſticæ indicans, partim eandem à cenſuris nonnullorum ejus adverſariorum vindicans; atque hoc modo data eſt occaſio ut quivis, quem hujus argumenti curioſitas tenebat, poſſet certius quam vulgari e rumore ſcire, ecquid vere eſſet Myſtica illa Theologia tantopere ab omnibus, tunc quidem, decantata, ab aliis laudata, ab aliis vituperata. Sed cum nec omnes eruditi Gallice ſint ſcientes, excerpta ſunt deinde ex eo libro, tum nonnulla quæ in ejus præfatione de *Theologia Myſtica generalius* dicta erant, relictis ſpecialioribus, vel res controverſas reſpicientibus; tum ex ejuſdem libri ultima parte tota de *Characteribus Myſticorum Epiſtola*: quæ Latine reddita, anno 1702 præfixo alio libello in lucem (b) emiſſa ſunt ſub titulo, *Theologiæ Pacificæ itemque Myſticæ ac hujus Auctorum Idea brevior in gratiam eruditorum qui ſine multa lectione [illegible]ctam ſimulque ſolidam ac fructuoſam rerum Theologicarum*

(b) *Amſtelodami apud Weſtenios.*

&

(a) *La Theologie Reelle; vulgairement ditte la Theologie Germanique, avec quelques autres traités de même nature &c. Amſterd.* 1700. *chez H. Weſtein.*

Digitized by Google

& ſpiritualium expoſitionem deſiderant. Et hunc quidem Tractatum huc tranſferre nobis animus eſt, neque tamen totam, neque ſine aliqua in eo facta immutatione.

Totum non licuit huc tranſferre, ſiquidem primus in eo tractatu occurrit libellus, *Theologia Pacifica ſive comparativa* dictus, licet excellentiſſimus ſit, nec videam unquam aliquid ordinatius atque præſtantius ad diſtinguenda eſſentialia ab acceſſoriis in Religione Chriſtiana, ac ad redigendas ejus doctrinas & praxes, ad varios neceſſariorum & minus neceſſariorum ordines atque gradus, ita ut etiam neceſſarius videatur ad diductiorem explicationem & peculiariorem eorum quæ obiter ſolum & generaliter de hoc argumento in *Irenico univerſali* dicta ſunt; attamen quia libellus is me auctorem non habet, & præterea ſeorſum adhuc habetur, poterit Lector, ſi placet, (nec pœnitebit) ſeorſum eundem adire atque conſulere. Non ita de reliquis, de *idea* nempe *Theologiæ Myſticæ Generaliori*, ac *Epiſtola de characteribus Myſticorum*, quæ, pro meo jure, non tantum huc tranſportavi, ſed & recognovi, & interdum, *Epiſtolam* maxime, tum *Catalogo* annexo, reddidi auctiora. Sufficiet, niſi fallor, *Idea* iſta *generalior*, ut qui de Theologia Myſtica judicare volent, requiſitam ad hæc poſſint illinc haurire rei cognitionem quantum neceſſe eſt, atque ita evitare indignam illam homine erudito imo & idiota viliſſimo agendi rationem, qua nonnulli, etiam Theologos inter, cæco impetu de Theologia iſta judicium proferre interdum audent licet illius omnino rudes ſint atque ignari. Plura de eadem, ac etiam ſpecialiora declarabit *Epiſtola de Auctoribus Myſticis*, non tamen omnia indicabit, ne quidem quantum ad hiſtoriam: neque enim ſcopus fuit vel materias omnes myſticas, utut breviter, recenſere, vel etiam Myſticorum Auctorum hiſtoriam aliquam

quam

quam ſcribere; ſed internos quoſdam eorum characteres, interdum & doctrinæ ſummam, principiorumque & methodi, aut viarum quibus varie varii utuntur, multiplicem diverſitatem ad paucas admodum numero ſpecies reducere; ad quarum ſingulas revocantur cum recentioribus, tum ex antiquioribus ſcriptoribus non quidem omnes, imo neque tot quot potuiſſent; ſed e præcipuis pars non minus præcipua, eaque quæ exemplorum loco ſit ad ſcopum noſtrum ſufficientiſſima; & hæc quidem interdum quibuſdam quæ hiſtorica ſunt, veluti ornamentis non minus utilibus quam jucundis, hinc inde condecorata ſunt.

Ex iis vero poterit Lector, ſi quem habeat in his guſtum, ſi quod deſiderium argumentum aliquod iſtiuſmodi perluſtrandi, videre quem ex pluribus ſcriptoribus eligere debeat quo propenſioni ſuæ ea in re guſtuique fieri poſſit ſatis: tum, ſi boni ſit animi, occaſionem forte hinc nanciſcetur ad aſſequenda inſignia ac ſolida quædam emolumenta, præ quibus deinde omnia cetera quæ in mundo ſunt, non poterunt non ei vileſcere: Sumus namque revera conditi ad ſpiritualia, ad intima, ad cœleſtia, ad Myſtica atque arcana Dei mirabilia; neque in æternum quietus erit animus noſter, donec illa inveniamus atque acquiramus.

Si quibuſdam forte videatur Auctores Myſticos quoſdam interdum a me nimium extolli, reſpondebo verbis Auguſtini Matrem ſuam laudantis, (a) *Non ejus* (Domine) *ſed tua dicam dona in ea.* Omne donum, & perfectum donum (quod amorem Dei & æterna ſapit,) cùm ſit à Domino, ſintque opera Dei in Sanctis ſuis mirabilia, non poſſum ea non ſatis digne ego æſtimare, ut inde glorificetur Pater qui eſt in cœlis, præſertim vero quando ipſa nihil aliud ſunt quam ſtimuli, documenta & hor-

(a) Conf. VIII. I.

Digitized by Google

hortationes ad amandum, ad laudandum, ad magnifaciendum UNUM DOMINUM, ac contemnenda cetera omnia quæ extra illum ſunt, nec ad eum ducũnt.

Ut autem non ſine fructu legi poſſint myſtica quælibet ſcripta atque argumenta, non ferant ægre Lectores ſi unam eis atque alteram (*a*) hic cautelam propoſuero atque commendavero.

(*a*) Vide, quæ & huc referri poſſunt, *de Erudit.* Lib. II. §. LV. LVI. pag. 311. &c. ad 317.

Non ſemel monui atque explicui, in Libris de *Eruditione* præſertim, duorum generum eſſe in nobis facultates pro objectis quibuſvis, ſive ſpiritualibus, ſive corporeis; facultates videlicet *reales*, quæ objectum ipſum ejuſve veriſſima influvia, (ut ſic dicam) reipſa ſuſcipiunt: Deinde facultates *umbratiles*, quæ abſente objecto ejuſque influviis remotis, ideas imagineſve horum ſuſcipiunt ſolas, imo & fabricant. Hanc facultatem *Rationis* humanæ eſſe oſtendi, quam & propterea, cum ejus actibus ac exercitio, vocavi *activam*: illas vero *paſſivas*, utpote quæ non efficiant objecta ſua eorumve influvia viva, ſed patiantur ea ac recipiant; quales vero facultates, pro ſpiritualibus Objectis ſunt deſiderium ſive fames quædam animæ intima atque etiam immenſa, item & intellectus paſſivus, oculus animæ ſpiritualis, multique deinde ſpiritualiores in intimis ſenſus, a Deo, divinis, eorumque effluentiis realiter, vive, ſolide, affici idonei: quando contrà, anima a *Rationis* ideis affecta, ſuperficiarie, umbratiliter, mortuo modo ac evanido prorſuſque picto afficitur ſolum, ſiquidem ipſæmet ideæ, picturæ duntaxat quædam mortuæ ſunt ac ſteriles, & prorſus evanidæ.

Nunc ſi quis ad Lectionem rerum myſticarum adferat tantum facultatem idealem, umbratilemque *Rationis* ſuæ, & per intellectum ſuum activum legendo excitet ſibi induſtria ſua *ideas* rebus quas legit quantum quidem poteſt

congruentiſſimas, quas deinde jungat, disjungat, comparet, conſequentias inde commodas, incommodas eliciat, amplificetque & ratiocinetur de his magis ac magis, neque aliud quicquam adhibeat quam ſuam iſto modo agentem humanam Rationem; fruſtra eſt omnino ille, & vana figmenta, chimæras abſurdas ſibi tantum iſto pacto fabricabitur vel e Sanctiſſimorum ſcriptorum lectione diligentiſſima, ob ingentem ſcilicet Rationis noſtræ depravationem atque corruptionem: Unde & non poterit quin res ipſas vel diviniores ignoret non tantum, ſed & rejiciat, & earum, divinorumque Auctorum, fiat tandem protervus irriſor atque adverſarius ſingularis. Imo quamvis idem omnium rerum ſpiritalium vel rectiſſimas ſibi ideas ratiocinando efformare poſſet, (quod tamen fieri non poteſt,) nihil tamen ſibi efficeret quam inanes umbras picturaſque plane infœcundas ac vita vacuas, quæ tantum abeſt ut ipſius animam ſatiare poſſent atque vivificare; ipſam potius vento ſtygio, diabolica ſuperbia ſtolidaque ac vana gloria implerent duntaxat atque ad profundiorem damnationem deducerent; & nihil præterea.

At ſi quis adhibitæ ad lectionem rerum Myſticarum facultati Rationis umbratili pictori æque jungat & facultates *reales* deſiderii vivi & intellectus paſſivi, quæ & ipſum Deum, reſque divinas ipſas ac earum vividos effectus actuſque reales reſpiciant atque anhelent, ille vero demum incipit eſſe aliquantum in meliori via, in qua neque ſucceſſu, fructu ac ſcopo deſtitutum ſeſe videbit modo bene ille, & non male pergat.

Male enim pergunt multi, qui bene inceperant; at quanto magis qui non ſatis bene inceperant. Non bene ſatis inceperunt qui pro ſcopo habent acquirere ideas ac cognitiones rerum ſpiritualium, uti illas ſciant, invocato etiam ad hoc divino auxilio. Melius incipiunt qui pro

pro ſcopo habent quærere ipſum Deum ejuſque operationes vivificas ac reales, ut cum ipſis tandem uniantur: qui tamen cum infirmi ſint adhuc, ac captûs craſſioris, adhibent ſimul uti Subſidia quædam, non res tantummodo quaſdam externas, ſed & ipſius Rationis ſuæ ideas atque induſtriam, occupando illam quantum fieri poteſt circa ſpiritualia objecta ſibi idealiter repræſentanda, adjunctis ſimul deſiderii ſinceri ad Deum precibus uti realitatem ille ipſam, divinas ſui effluentias & lumina non Rationi modo, ſed & cordi & intellectui paſſivo & totis intimis noſtris, benigne largiatur. Quo vero in exercitio facultatum realium & umbratilium ſimul, ſi ſe ita illi gerant ut potiores partes tribuant Rationi, eam magis circa ideas per ratiocinia exercendo, quam cor, intellectum, deſideria intimaque omnia Deo ejuſque operationibus ardentius & ſæpius offerendo; tunc vel nihil promovebunt, vel facultate ideali activaque ſuperiores partes tandem obtinente, degenerabunt in ideales, ſuperficiarios, ſuperbos falſoſque ac deceptos ſpirituales ac Myſticos, licet prius quædam vere ſolida atque realia habuerint, & propterea ſibi ſolidiſſimi adhuc videantur, ceteroſque ſui non ſimiles, ſæpe ſolidiſſimos audaciſſime atque confidentiſſime judicent ac condemnent. quo quidem periculo ac deceptionis genere vix ullum aliud quod ſit majus accidere poteſt. At ſi in facultatibus realibus exercendis Deoque offerendis ſeſe magis ac magis exerceant quam in ſcrutandis diſcutiendiſque rerum divinarum activitate Rationis ſuæ ideis; ſi circa has, earumque partes, caſus, difficultates ratiocinationibus examinandas atque perpendendas ſeſe indies minus minuſque occupent, ut ex occaſione eorum quæ velut præcipua iis repræſentantur, ad Deum elevent ſolidum illum ac ſincerum Mentis facultatumque realium & intimarum fundum, (quem Pe-

Digitized by Google

trus τὴν εἰλικρινῆ διάνοιαν nominat: 2 Petr. 3: 1.); tum verò ſunt tutius in recta proficiendi via, in qua, ubi Deus eorum ſinceritatem ac perſeverantiam ſatis exploraverit, auxilium procul dubio mittet ſuum, lucis ſuæ ſapientiæque divinæ participationem aliquam, quæ Rationis activitatem corruptam ejuſque imperfectas ac umbratiles ideas magis magiſque ſupprimat, ipſa agentis, dirigentiſque partes ſuſcipiente, & hominis animam præparante ad receptionem magni & adorandi hoſpitis illius qui dixit ipſemet, *ego & Pater ad eum veniemus, & manſionem cum eo faciemus;* ad quem vero potenti & benigno Spiritus ſui auxilio nos adducat bonus ille & miſericors & ſuavis Dominus, cujus præſentia eſt immenſus omnis boni, omnis veri, omnis jucundi theſaurus ac fundus realiſſimus, indeficiens, omneſque mentium vel ampliſſimas & tantum non infinitas facultates ac receſſus gratiæ ſuæ, gloriæque rivis, ac ſemet ipſo, realiſſime atque beatiſſime implere idoneus, extra quem omnia ſunt fumus, falſitas, mors, & mortifera nugamenta vanorum hominum à Satana excœcatorum, atque ad perniciem
Matth. 20. æternam per ea deductorum. *O Domine fac ut aperian-*
Pſ. 73. 80. *tur oculi noſtri ut videamus! O Domine Deus virtutum*
& 118. *converte nos, & oſtende faciem tuam*, & *quam bonus ſis his qui recto ſunt corde; & ſalvi erimus. Confitemini* DOMINO, *quoniam bonus; quoniam in ſeculum miſericordia ejus.* Amen!

CON-

Digitized by Google

CONTENTA

Ideæ Generalioris Theologiæ Myſticæ.

I. *ABſurdos eſſe qui Theologiam Myſticam propter terminos ac loquendi modos eis ac vulgo non captos, rejiciunt ac contemnunt.*

II. *Realitas Theologiæ Myſticæ vel ad conſcientiam ipſiuſque Rationis captum oſtenditur.*

(1.) *Ex principio & fine omnium ſummo, adeoque & ejus, & noſtri.*

(2.) *Ex æternitate iſtius finis, Theologiæ Myſticæ objecti; item & hominis Theologiæ Myſticæ ſubjecti.*

(3.) *Ex natura & objecti & ſubjecti (Dei & hominis) quæ ſpiritualis, interna & inviſibilis.*

Hæc principia ac fundamenta Theol. Myſticæ à conſcientia & Ratione comprobata, conformia eſſe ſcripturis SS.

(4.) *Rationi & æquitati conſentaneum eſſe, ut amiſſo bono interno, homo iſti in intimis quærendo ſeſe offerat cum ſpe recipiendi tum ejus effecta, tum ipſum Principium Boni.*

(5.) *Rationi & æquitati conſentaneum eſſe, ut Boni recipiendi impedimenta ex anima prius tollantur.*

(6.) *Id vero ſine Dei hominiſque operatione fieri non poſſe.*

(7.) *Animam à materialium purificatione debere incipere.*

(8.) *Corruptionem malumque ex ipſis animæ potentiis activitatiſque fontibus, ſolius Dei, non animæ actione tolli poſſe, illa paſſive tunc ſe habente.*

Præparatio ad Myſticum ſtatum.

(9.) *Hanc purificationem paſſivam non poſſe non eſſe ſummopere anxiam.*

(10.) *Animam officio ſuo active & paſſive functam, à Deo obſtaculis liberari atque puram reddi.*

(11.) *Animam purificatam participare operationes lucis & amoris, imo ipſammet Lucem ipſumque Amorem, Deum.*

Myſticus ſtatus ordinarius.

(12.) *At ante pleniorem donationem probationibus eſſe ſubjiciendam.*

(13.) *In his diverſitates non paucas eſſe poſſe, quamdiu hîc vivitur, tum quantum ad experimenta miſeriarum in natura relictarum.*

(14.) *Tum quantum ad diverſas Dei operationes & communicationes in diverſis; de quibus quidem hominum adhuc corruptorum judicia contemni mereantur.*

Myſtica extraordinaria.

III. *Quibuſnam hæc ſint propoſita & quibus non.*

IV. *Hactenus dictis* Theologiam Myſticam *concludi.*

V. *Terminorum Myſticorum uſus & neceſſitas, Rationi etiam conſentanea, e brevitatis ſtudio oriunda.*

VI. *Alia neceſſitas e defectu experientiæ communis.*

VII. *Rationem & conſcientiam teſtari poſſe hactenus dicta de Theologia Myſtica, non eſſe abſurda.*

VIII. *Quî Theologia Myſtica cum Religione unum idemque ſit, necne.*

IX. *Religionis duplex ſtatus: imperfectior, qui & communior eſt: & perfectior, qui à Theologia Myſtica vera non differt.*

X. *Probatur hoc exemplis & Scripturis SS.*

XI. *Religionis Chriſtianæ renovationem ac perfectionem per praxin Theologiæ Myſticæ, ſive per* Amatoriam Dei Contemplationem *ſperandam eſſe.*

XII. *Unde Theologiæ Myſticæ compendioſa idea exprimi poſſit, indicatur unius ac alterius libelli nominatione.*

XIII. *Obſervationes duæ, quibus cavetur ne res Myſticæ prave intelligantur.*

XIV. *Quædam ex præcipuis Myſticorum argumentis in SS. & ſcriptis Sanctorum oſtenduntur.*

XV. *Purificatio, illuminatio, unio, transformatio, Deificatio, τὸ* NON-EGO, *annihilatio, contemplatio activa & paſſiva, purus amor, probationes amoris, indifferentia, expropriatio, pars animæ ſuperior & inferior, diſtinctio inter ſpiritum & animam, in SS. Scripturis reperiuntur, & in libris ſanctorum Patrum.*

XVI. *S. Macarii locus admirabilis de Contemplatione ſive Oratione activa, & paſſiva.*

XVII. *Ejuſdem de puro amore; item de divinis animarum ſtatibus ac experimentis variis. Item animæ perfectæ deſcriptio.*

IDEA

Digitized by Google

IDEA GENERALIOR THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

I. NEminem qui ſanâ mente aut eruditione præditus ſit, imitari velle crediderim methodum eorum qui, dum vident nomen & terminos Theologiæ Myſticæ haud eſſe communiter in uſu, mox de ea Theologia judicium ferre, eandem condemnare, imo vel ob ſolum *Myſticæ* titulum veluti *ſtultitiæ* quoddam genus irridere haud verentur; minime attendentes quam puerile ſit in titulos, in verba, in modos loquendi cujuſcunque ſcientiæ aut profeſſionis invehi, vel animo in ea eſſe adverſo, una hac de cauſa, quod eadem vulgi captum exſuperent. Nulli ſane dubium eſt, meritò pro ſtolido habendum talem, qui ſic ſeſe gereret, ex. gr. circa Geometriam, aut modos exprimendi Algebraïcos, qui à plurimis (exceptis expertioribus) longe magis judicabuntur continere verborum (*a*) ſonitus inanes, & terminos *barbaros*, quam quicquam aliud. Eccur ergo hujuſmodi renunciare volunt æquitati reſpectu ſolum THEOLOGIÆ quæ *Myſtica* dicitur, quo titulo quidam temerarii petulanter abutuntur dum quicquam irriſioni exponere ſatagunt? Interim vox iſthæc nihil in ſe ridiculi fovet, imo propriam ſecum fert apologiam: denotat nimirum tum *abſconditum* aliquid, vel *arcanum*, ac proinde non omnibus conveniens; tum *internum* quid & *ſpirituale*. Theologi, imo Chriſtiani omnes, termino iſthoc cum veneratione utuntur quando Eccleſiam vocant *Corpus myſticum* Jeſu Chriſti, & quemlibet Chriſtianum, unum ex ejus membris *myſticis*. Nemo eſt qui non agnoſcat ac ſerio teſtetur occurrere in Sacro Codice plurima loca quæ in ſenſu *myſtico* debent intelligi. Vox hæc fuit in ore & adhuc extat in ſcriptis Sanctiſſimorum ex antiquitate Patrum, & a S. Paulo quadantenus eſt conſecrata, quum dixit, *ſeſe annunciare Sapientiam Dei quæ eſt in* MYSTERIO, *id eſt, quæ* MYSTICA *vel* occulta

I. *Abſurdos eſſe qui Theologiam Myſticam propter terminos ac loquendi modos eis ac vulgo non captos, rejiciunt vel contemnunt.*

(*a*) Galimatias.

occulta eſt, quamque nullus ſapientum ſeculi cognoverit. (1 Cor. 2.) Quare igitur, rurſum innuo, tam injuſte, tam pueriliter ab iſthoc, ſicut & a ceteris ejuſdem terminis abhorrent, quos pro *idiomate barbaro*, pro vocibus ſenſu carentibus haberi vellent? At cui bono hic puerilis ſtrepitus? Sunt termini iſti lectoribus rerum myſticarum æque familiares ac perſpicui ac cuilibet artifici ſunt termini artis ſuæ, licet alii eoſdem minime intelligant, nec propterea tamen in abſurdis habent, aut eoſdem irrident. Eadem ſcientiarum omnium & profeſſionum eſt ratio; quas propriorum & peculiarium terminorum numero Theologiâ Myſticâ ſuperiores eſſe certus ſum. Vaſta quæque Lexica quarundam idiotiſmos vix exhaurire queunt, quando circa argumenta ſpiritualia voces decem aut viginti ob neglectam animi applicationem illico obſcuriores judicant. Nonne idiotæ foret coram publico irridere velle *Hypotenuſas*, *Ellipſes*, *Parabolas* & *Hyperbolas*, ſexcentaſque alias Geometrarum voces, propterea quod vulgus eaſdem minime capiat? Profecto qui coram mundo honori ſuo conſulere cupiunt, rubore ſuffundi deberent ob vel minimas iſtiuſmodi ridiculas querelas contra Myſticos, ex quo hi monuerunt ſe non ſcribere pro quibuſlibet, at tantummodo pro iis qui ſerio & attente amplecti volent res, & tota mente ſeſe iis accommodare, prout præſcripſerunt.

II. *Realitas Theologiæ Myſticæ vel ad conſcientiam ipſiuſque Rationis captum oſtenditur.*

II. Ecce hæc de nomine; progrediamur ad ipſam rem denominatam. Commonſtrare animus eſt cuilibet ſana mente & æquitate prædito, nil magis Rationi conforme, nil juſtius, nil clarius, nil ab omni parte eſſe ſolidius quam THEOLOGIAM MYSTICAM; atque hoc ſecundum propriam eorum confeſſionem: Attende igitur ad ea quæ tuo examini tuæque conſcientiæ nunc proponere aggredior.

(1.) *Ex principio & fine omnium ſummo, adeoque & ejus, & noſtri.*

(1.) Annon longe veriſſimum eſt, Deum eſſe unicum omnis realitatis omniſque boni *Principium*, quemadmodum idem quoque eſt finis ſummus ac unice ultimus omnium; atque hoc nomine juſtum & Rationi conſonum eſſe, ut omnia quæ exiſtunt, & imprimis homo, omneſque ejus actiones, ſeſe ei ſubjiciant, omnem in ipſo ſpem ponant, ad ipſum referantur, & pro ipſo in effectum deducantur?

(2.) *Ex æternitate iſtius finis, Theo-*

(2.) Nonne veriſſimum eſt, Deum, veraque bona, quæ ab ipſo tanquam fonte dimanant, eſſe *æterna*; hominem quoque æterni-

tati

tati creatum eſſe; contra vero, mundum hunc, ac omnia quæ mundi ſunt, ſolum per momentum ſubito tranſiens nec unquam recurrens ſubſiſtere; ac propterea maxime juſtum & æquum eſſe, ut quilibet mortalium ſerio totiſque viribus rebus æternum duraturis ſit intentus, circa reliqua vero obiter duntaxat occupatus, ſolummodo prout fluxa poſtulat neceſſitas exigui medii, quod in ſe reſpectuque æternitatis nihil fere eſt?

logia Myſticæ objecti; item & hominis, Theologia Myſticæ ſubjecti.

(3.) Nonne itidem certum eſt, Summum Bonum, quod eſt Deus, eſſe merum *Spiritum*, remque omnimode *internam* & *inviſibilem*; atque pariter hominem, quantum ad primariam ſui partem, & in quantum Summi Boni capax eſt, eſſe merum ſpiritum, remque totaliter internam; & idcirco juſtiſſimum ac æquiſſimum eſſe, ut verum ille bonum, reſque ſpirituales, inviſibiles & internas acquirere, & in animæ ſuæ centro poſſidere annitatur, id eſt, ut ſit homo, cujus vita, regimen & actiones ſint *interna* & *ſpirituales*?

(3.) *Ex natura & objecti, & ſubjecti (Dei & hominis) qua ſpiritualis, interna, & inviſibilis.*

Poteritne quiſquam ob modo dicta mecum litigare quin ſimul & veritatem, & juſtitiam, Rationemque & propriam ſuam conſcientiam violet? Atqui his conceſſis, ecce ſcopum, fundamenta, & principia Theologiæ Myſticæ omnino conceſſa, ſimulque penitus congruentia veritati, Rationi, & æquitati; ſicut & non minus Scripturæ S. quæ inquit: (a) *Ab ipſo* (Deo) *pro ipſo, & per ipſum ſunt omnia.* (b) *Deus eſt ſpiritus, & adorari debet in ſpiritu:* (c) *Non reſpicimus viſibilia, ſed inviſibilia; viſibilia enim non niſi temporaria ſunt, inviſibilia autem ſunt æterna.*

Hæc principia ac fundamenta Theol. Myſticæ a conſcientia & Ratione comprobata, conformia eſſe Scripturis SS.

(a) Rom. 11.
(b) Joh. 4.
(c) 2. Cor. 4.

Hæc de fine & principiis; nunc de mediis.

(4.) Annon certum quoque eſt, ſiquidem homo (qui pro rebus æternis & divinis interior eſt,) amiſerit verum bonum, (quod internum eſt, & ejuſdem ultimus finis omniſque boni cauſa perpetim manet) nihil tunc pro ipſo magis eſſe æquum, magiſque conforme rectæ Rationi, (ſecundum illud quod conceſſum eſt,) quàm in intimis animi ſeſe offerre iſti inviſibili & incomprehenſibili Bono, cum deſiderio & ſpe, ab ipſo in nos redundaturum tum bonum quod largiri voluerit, cujuſque ipſe fons eſt; tum & Bonum quod ipſe eſt, & propter quod tanquam finem creati ſumus?

(4.) *Rationi & æquitati conſentaneum eſſe, ut amiſſo bono interno, homo iſti in intimis quærendo ſeſe offerat cum ſpe recipiendi tum ejus effecta, tum ipſum Principium Boni.*

(5.) Ecquis negabit porro & verum & juſtum eſſe, ut ſi in interioribus noſtris vel in anima noſtra, impedimenta aut obſtacula

(5.) *Rationi*

Digitized by Google

& æquitati conſentaneum eſſe, ut Boni recipiendi impedimenta ex anima prius tollantur.

Deo ejuſque bonis ſeſe opponunt, ſive in anima in quantum Dei eorumque quæ pure ab ipſo proficiſcuntur capax eſt, ſive in eadem anima in quantum eadem corpori juncta, & ſuſcipiendis tam hujuſce quam mundi impreſſionibus obnoxia eſt; ut, inquam, memorata impedimenta removeantur, antequam Deus, ejuſdemque ſpiritualia bona, eorum loco ibidem reponantur?

(6.) Id vero ſine Dei hominiſque operatione fieri non poſſe.

(6.) Nonne veriſſimum eſt iſtam mali extirpationem abſque Divinis operationibus neutiquam fieri poſſe, quod Deus omnis realitatis omniſque potentiæ ſit origo; & nihilominus juſtiſſimum eſſe, ſiquidem homini quandam vel reliquit vel reddidit potentiam, ut homo ipſe etiam a ſua parte eandem in actum deducat; atque hoc pacto ad mali exciſionem cum Deo coöperetur?

(7.) Animam a materialiorum purificatione debere incipere.

(7.) Annon ſanæ rationi plane conſonum eſt, ut, ſi anima rebus corporeis nimium affixa, iiſque oppreſſa & inquinata ſeſe ipſa ad operationes Dei maxime ſpirituales omnimode ineptam reddidit, illa primo incipiat (ratione ordinis) ſeſe expedire e vinculis craſſiorum obſtaculorum, vitiorum & ſordium a materiali parte provenientium, quo dein ad ſpiritualiora facilius progrediatur?

(8.) Corruptionem malumque ex ipſis animæ potentiis activitatiſque fontibus, ſolius Dei, non animæ actione tolli poſſe, illa paſſive tunc ſe habente.

Præparatio ad Myſticum ſtatum.

(8.) Nonne veriſſimum & manifeſtiſſimum eſt, ſiquidem boni obſtacula, malum, peccatum, aut hujus effectus, uſque ad animæ potentias penetrarunt, vimque ejus agendi ac ſeſe gubernandi depravarunt; has eaſdem potentias & hanc corruptam activitatem, ſiquidem a perverſitate ſua liberari debent, nequaquam poſſe hoc per propriam vim, neque per hujus aut earundem harum potentiarum actus conſequi; at ſolummodo per unum Dei actum: adeo ut animas iſtas imprimis oporteat, præter ſolum actum quo Deo ſeſe offerunt eidemque ſuum præbent conſenſum, ipſi ſuas committere potentias, tanquam non amplius quærentes ſanationem in actibus ſuis, ſed in ſolo Dei actu, quem pati, ac ut in ipſis agat permittere, cupiunt?

(9.) Hanc purificationem paſſivam non poſſe non eſſe ſummopere anxiam.

(9.) Annon merito credere oportet animam, quæ adhuc proprios actus cum voluptate exercuit, quales actibus divinis gratiæ contrarii, ſaltem ab iis plane diverſi, non poſſe privationem propriorum actuum ſentire, nec puros Dei actus, qui perverſitates ejus adoriuntur & impugnant, perferre, quin miras anxietates & extremos dolores internos inde patiatur?

(10.) Animam officio ſuo active &

(10.) Ecquis porro æquiſſimum eſſe negabit ſtatuere, ſimulac anima mox memorato officio ſuo active erga Deum ſatisfecerit, ſeque

ſeque etiam ei iſthoc pacto paſſivam tradiderit; tum Optimum Maximum illum a ſua parte, hunc, inquam, tam bonum, tam liberalem, tam magnum tamque potentem Deum, eandem animam poſſe & velle ab omnibus obſtaculis, quæ in ea bonis divinis, ipſique illi reluctantur, liberare?

paſſive functam, a Deo obſtaculis liberari atque puram reddi.

(11.) Nonne extra omnem controverſiam eſt, quum Deus ſit pura *Lux*, puruſque *Amor*, teſte S. Scriptura; poſtquam anima ab eo quod in ipſa Deo ejuſque bonis fuerat contrarium, eſt purificata, Deum tum non poſſe non participem eam reddere *Lucis* & *Amoris* per puras & divinas operationes ſuas; imo *puram Lucem* & *purum Amorem* donatione SUI ipſius in ipſam conferre?

(11.) *Animam purificatam participare operationes lucis & amoris, imo ipſammet Lucem ipſumque Amorem, Deum.*

(12.) Annon juſtiſſimum eſt, quum Deus animæ cuidam & bona ſua & ſe ipſum largiri velit, ut eandem ille tot probationibus ſubjiciat quot e re fore judicaverit, tum quo eam doceat ſe præmunire adverſus inimici fallacias, tum ut ejuſdem fidelitatem exploret?

Myſticus ſtatus ordinarius.

(12.) *At ante pleniorem donationem probationibus eſſe ſubjiciendam.*

(13.) An inficiari quiſquam poterit, Deum & ſe & bona ſua tradere quidem poſſe maxime realiter intimis animæ, at nihilominus tamen haud plene, quamdiu ſcilicet hæc anima per capacitatem, aut partem ſuam inferiorem, adhuc alligata eſt corpori mortali; unde in ea exurgunt impreſſiones ſtuporis, quæ actus ejus interrumpunt & offuſcant, diſtractiones item & ſenſationes materiales, doloreſque & afflictiones, & mille alia miſeriarum genera, quæ ipſi a parte proprii corporis ac totius mundi eveniunt? & quum Sapientiſſimum illud Numen hic veram ſui perfruitionem ſuique ſenſum per intervalla impertiat, nonne plenam eorum donationem uſque ad diſſolutionem mortalis hujuſce corporis differre poteſt?

(13.) *In his diverſitates non paucas eſſe poſſe, quamdiu hic vivitur, tum quantum ad experimenta miſeriarum in natura relictarum,*

(14.) Tandem cum Deus ſit incomprehenſibilis ac infinitæ ſapientiæ, in ſe, in bonis ſuis, in ſuis actibus & operationibus, in viis ſuis ſuoque regimine; annon in diverſis animabus mille ac mille modis diverſis operari poteſt, iiſdem conferre gratiæ dona, ſenſationes, lumina, uno verbo, bona atque dona infinitæ varietatis; gubernare illas modis infinite diverſis, quos mens creata & finita nunquam nec comprehendere nec penetrare poterit, multoque minus mens peccati labe corrupta & offuſcata? Et num vel minimæ probabilitatis eſt, hominem, qui Deum ejuſque ſpiritualia bona peccando amiſit, nec adhucdum ad Deum reverti, ejuſ-

(14.) *Tum quantum ad diverſas Dei operationes & communicationes in diverſis; de quibus quidem hominum adhuc corruptorum judicia con-*

Digitized by Google

temni mereantur.

Myſtica extraordinaria.

ejuſque Faciem denuo quærere eſt anniſus, quique necdum decrevit quod officii ſui eſt exequi, ac multo minus operationes cœleſtes percepit, aut bona divina recuperavit; hominem, inquam, talem, veram poſſe rerum harum habere notitiam, aut rite de iis judicare? Nonne e contrario, veriſſimum eſt, ipſum ne τὸ quidem horum comprehendere? & ſiquidem de iis judicium ferre audeat, hoc non plus valere mereatur, quam *Hylax in limine latrans?*

III.

Quibusnam hæc ſint propoſita, & quibus non.

III. Suppono, me hic non loqui & quæſtiones haſce proponere bardis aliquibus ac plumbeis mente humana carentibus; neque ferocibus beſtiis violento ſolum affectuum turbine agitatis; neque fatuis ratione deſtitutis, qui actutum reſpondeant, antequam ex ipſis quæſita intellexerint, ſed hominibus ſedatioris animi, qui *ſerio expendant* ea quæ ſupremum ipſorum *finem* reſpiciunt; qui *ſana ratione* prædi ti, evidentiam & æquitatem eorum advertere poſſint; qui *conſcientiæ* candore impulſi aperte ac ſincere declarent quæ in ſe ſentiunt, quorumque in intimis animi ſunt convicti. Scilicet hi ſunt de quibus procul omni dubio conſenſum mihi ſpondeo circa ea omnia quæ mox in medium attuli, minime dubitans quin eorum evidentiam, veritatem, æquitatem & ſoliditatem promte fateantur.

IV.

Hactenus dictis Theologiam Myſticam *concludi.*

IV. Hæc vero omnia abſolute nihil aliud ſunt quam THEOLOGIA MYSTICA, hancque univerſam comprehendunt: (nam plurimum falluntur, qui eandem operationum ſupranaturalium parte, articulo 14. memoratâ, unice abſolvi putant.)

Supereſt ſolummodò ut in membra *dividatur* & articulos, una cum *deductione* magis ſpeciali & amplius extenſa; ſicut & ut in progreſſu ejus detur opera ut *uno* alterove *verbo* deſignentur res jam per prolixiores circumlocutiones expoſitæ: quo ſine tædioſum foret aſſidue repetere longiorem orationem, quoties menti repræſentare quis vellet ea quæ jam ante fuſius erant commemorata.

V.

Terminorum Myſticorum uſus & neceſſitas, Rationi etiam conſentanea, e brevitatis ſtudio oriunda.

V. Atque hæc eſt *terminorum* cujuſlibet artis ac ſcientiæ aut profeſſionis origo. Exempli gratia: In Matheſi mentio fit *figuræ e quatuor lineis rectis, cujus latera oppoſita ſunt æqualia, eandemque inter ſe ſervant diſtantiam, & cujus anguli ſunt obliqui lateribus inæqualibus.* Siquidem quoties de iſtiuſmodi figura loquendum eſt, toties prolixam iſtam verborum ſeriem denuo commemorare oporteret, quam moleſta & operoſa foret narratio? Ad evitandam hanc,

ſatius

ſatius eſſe judicarunt, cuncta iſta denotare per unicam vocem *rhomboidis*, hominum vulgo barbaram & minime intellectam, nihilominus a nemine adhuc riſu exceptam, & ob quam nullus ſanæ mentis ſermoni cui intermixta illa fuerit, *barbarici* (a) titulum affricare volet. An incongruum erit, ut qui Theologiam Myſticam exponunt, eadem ſeſe gerant ratione; & ſic quoties *animæ, quæ conceſſa a Deo poteſtate ad removenda, per coöperationem cum ipſo, ſalutis obſtacula nititur*, ſtatum indicare volunt, toties non debeant repetere omnia illa vel ſimilia verba; ipſiſque liceat totum iſtum proceſſum exprimere per terminum *Purificationis activæ*? porro num crimini dandum vel irridendum, quando Myſtici ſimile compendii genus uſurpant, & *Purificationis paſſivæ* terminum aſſumunt, ad ſignificandum ejuſdem *animæ ſtatum, quo eâdem Deo ſeſe tradente, ut ipſam, ejus potentias & activitatem a perverſis reliquiis quas profligare illa nequit, liberet; Deus idem hoc in ipſa operatur, atque tum illa recipit & pure ſuſtinet divinas purificantes iſtas operationes*? Poſſem hic alios Theologiæ Myſticæ terminos enarrare, & quantum ad hos, ab omnibus ſana mente præditis ſciſcitari anne hunc tam utilem & generaliter ubique comprobatum procedendi modum, abſurdum judicare audeant?

(a) Galimatias.

VI. *Alia neceſſitas e defectu experientiæ communis.*

VI. Alia adhuc ſeſe offert ratio, neceſſitatis nimirum, ob quam ſubinde uti cogimur verbis alias minus uſitatis. Scilicet quando aliquis peculiaria quædam eſt expertus, quæ vix quiſquam alius expertus eſt ac animadvertit. Si quis per remotiores terras iter feciſſet, ibidemque conſpexiſſet fructus, plantas aut animalia, quantum ad figuram, colorem, ſapores ac quaſlibet proprietates attinet, multum diverſa ab omnibus iis quæ unquam vidimus, aut guſtavimus; ac ipſe generalem eorum nobis ingerere conceptum allaborans, quoſdam novos ac inſolitos adhiberet terminos ad deſignandas iſtas plantas aut iſta animalia, eorumque quaſdam proprietates, quoſdam colores & ſapores; num propterea talis merito irrideretur; vel mirum videretur, non poſſe quenquam imaginatione ſua tam perfecte tamque vivide res illas comprehendere atque ille, quamdiu quis eaſdem propriâ experientia haud cognoviſſet? Supra (b) vidimus modo, neminem poſſe negare, in Deo, in ejuſdem Sapientia, in viis & operationibus ipſius, infinitas reperiri varietates, quas pro arbitrio ſuo animabus ab omni impedimentorum genere liberis

(b) Sup. n. 14.

impertiri poteſt : Cuncta vero hæc minime poſſe concipi ab illis qui ad talia neutiquam ſunt idonei, neque eadem unquam experti ſunt. Ponamus nunc, animas iſtas ſpirituali experientia inſtructas, mirabilia illa aliis rudiori modo repræſentare velle, ut in ipſis excitent deſiderium a perverſo ſuo ſtatu recedendi, viamque eligendi per quam horum bonorum perfruitionem aſſequi poſſint. Debetne hoc iniquum haberi ab ullo ſana mente prædito, propter inſolitas quaſdam voces, queis uti oportet, quaſque adhucdum clare intelligere alii nequeunt?

VII. *Rationem & Conſcientiam teſtari poſſe hactenus dicta de Theologia Myſtica, non eſſe abſurda.*

VII. Nota, me hactenus unice ad teſtimonium Rationis & ſanæ mentis circa omnia quæ in medium attuli provocaſſe, non quod Rationem tanquam legitimum hic judicem agnoſcam, multoque minus tanquam principium in rebus divinis agens; verum ut nonnihil indulgerem iis, qui per viam hanc procedere conſueverunt; opto etenim ut quæ in genere & in ideâ per illam de rebus mox memoratis percepturi ſunt, ipſorum conſcientiæ *teſtis* loco ſint, quo illa declaret, an ei videantur rationi, & æquitati repugnare, imo res abſurdæ & contradictoriæ.

VIII. *Qui Theologia Myſtica cum Religione unum idemque ſit, necne.*

VIII. Forte quiſquam mihi objiciet, ſi quidem totum iſtud negotium hoc pacto ſeſe habeat, neceſſe eſſe, univerſum mundum fieri myſticum & ſpiritualem ut ſalvetur; quum tamen huc uſque creditum fuerit, *Religionem*, quæ nos ſalvandi medium eſt, & *Theologiam Myſticam*, eſſe duo admodum diverſa. Cui reſpondeo, ſi per Theologiam Myſticam intellexerit certas quaſdam Dei in quibuſdam animabus operationes extraordinarias vel tranſeuntes (quæ tamen Theologiam Myſticam minime conſtituunt,) aut etiam cognitionem actualem vel idealem omnium argumentorum Myſticorum; hoc ſenſu eandem cum Religione non eſſe unum & idem: At ſi per eam Theologiam intelligamus, ut fieri debet, praxin & exercitium eorum quæ propoſuimus, ſcilicet coöperationem hominis, & dein Summi Numinis operationem ad eum purificandum, & uniendum ipſamque cum Deo unionem ac Dei ejuſdem intellectui, cordi, intimis ſpecialiorem patefactionem, quam promiſit; illam eſſe ipſam Religionis ſubſtantiam & puram vim, Dei lumine amoreque ſplendide inſignitam.

IX. *Religionis duplex ſta-*

IX. Jam ab ipſo mundi initio uſque ad hoc tempus, veræ Religionis ſemper reſpectu hominum duplex fuit ſtatus: in non-

nullis

Digitized by Google

nullis nempe Religio fuit in ſtatu vigoris ac plenitudinis divinæ; in aliis vero, qui maximum & fere totum numerum faciunt, in ſtatu infirmitatis, ægritudinis, & languoris. Pauci ſunt qui poſtquam lumine & amore Dei relictis, ad creaturas & ad malum ſeſe converterunt, denuo viam hanc relinquant, ut Deo iterum ſeſe tradant. Qui hoc exequuntur, maximam partem imperfectiſſime procedunt, per intervalla, modoque adhuc valde infirmo & ſumme languido: attamen, dummodo ſincere agant, Deus eſt tam benignus, ut a mortalibus acceptet illa quæ ipſi offerunt; & prout ad recipiendum diſpoſiti ſunt, ſic bonorum ſuorum largitione Optimus Maximus ipſis reſpondet; proinde ſi hæc diſpoſitio exigua eſt & interrupta, Deus ſalutarem ſuam gratiam identidem & fruſtillatim quaſi confert; & ſiquidem eveniat, ipſos durante bono iſthoc intervallo mortalium numero eximi, gratia perpetim cum ipſis manet, eoſdemque ſalvat, at longe difficilius, minus copioſè, minus jucunde, minuſque glorioſe pro tota æternitate, quam ſi alia ratione, & fidelitate minus interrupta operanti Lumini reſpondiſſent. Ecce ſtatum Religionis in vulgari bonorum, qui ſalutem ſuam quæſivere, cœtu. Verumenimvero ſi quis a creatura animum omnimode retraxiſſet, ad cor ſuum Divino Numini pleniſſime exhibendum, flagrans ejuſdem ardentiſſimo & unico deſiderio, coöperando gratiarum donis pro modo menſuraque omni virium ipſi a Deo communicatarum, ut dein ſe *duci aut agi ſineret* (ſicut (*a*) inquit S. Paulus) & *perfici* (ſecundum verbum (*b*) ejuſdem Apoſtoli,) purificari & regi per puriſſimas boni ejuſdem Spiritus motiones, quas non potuiſſent non inſequi omnia dona omneſque divitiæ quas Domino placuiſſet tali animæ infundere: talis ſane & exercuiſſet ac commonſtraſſet veram Religionem, Religionem Chriſtianam, ejuſque puram vim ac perfectionem; & ſimul vere patuiſſet, hanc Religionem in perfectione & pulchritudine ſua, nil quicquam differre a praxi Theologiæ Myſticæ.

...tus: imperfectior, qui & communior eſt, & perfectior, qui a Theologia Myſtica vera non differt.

(*a*) Rom. cap. 8: 14. ἄγονται.
(*b*) Eph. cap. 2: 10. ποίημα.

X. Et hoc pacto rem experti ſunt Abel, omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ, Apoſtoli & Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ, tot millia ſanctorum Eremitarum, qui in deſertis Ægypti & Paleſtinæ degebant & quorum vita nil niſi contemplatio & amor purus erat; totque ſanctæ animæ hinc inde diſperſæ aut deli-

X. *Probatur hoc exemplis & Scripturis SS.*

deliteſcentes, omnibus ſeculis; qui omnes tanquam certiſſimorum teſtium legiones nobis inſerviunt. Quamvis autem reliquorum mortalium reſpectu ingens iſte numerus admodum ſit parvus, & pauca ſancti illi ſint locuti, paucaque ſcripſerint, ſaltem parum perſpicue, de memoratis rebus, ut ne ſacra illa & margaritas canibus & porcis exponerent; tamen ea quæ ex illis ſuperſunt abunde ad veritatem iſtam confirmandam ſufficiunt. Familiaritas v. g. Dei cum Abele, cum Henocho, cum Abrahamo, ceteriſque Patriarchis, qui coram Divina ejus Facie tam familiariter perpetim ambulabant; declarationes item Davidis,

(a) Vid. Pſ. 4, 16, 25, 105, 116, 143, &c.

(a) *Jovam mihi jugiter habeo propoſitum, quo mihi dextero non labefiam: Jovam in oculis ſemper habeo: Anima mea in ejuſdem verſatur præſentia, ſicut terra* pluviam *ſitiens. Studete Jovæ, ejuſque potentiæ, ejus vultum requirentes continenter. Hæc cum animis veſtris cogitate in veſtris cubilibus & ſilete. Amo Jovam, qui meam ſupplicem vocem exaudiverit: Ambulabo in præſentia Domini cunctis diebus vitæ*

(b) Jeſ. 26. verſ. 9.

meæ. Tum effata Jeſaiæ: (b) *Animo* ſeu ſpiritualiter *te noctu cupio, tibi avida mente pectoris invigilans:* Jeſu Chriſti,

(c) Matth. Capp. 5, 6, 7. Joh. 13.

(c) *Eſtote perfecti, quemadmodum Pater veſter qui in cælis eſt, perfectus eſt: Mente puri Deum videbunt. Ne congerite vobis opes in terris, ſed in cælo, ubi animus veſter ſit. Nemo poteſt duobus ſervire dominis. Quærite Regnum Juſtitiamque Dei. Diligite vos invicem ſicut ego vos dilexi.* S. Pauli:

(d) Rom. cap. 5. & 8. 2 Cor. cap. 3: 24. Eph. 2. Phil. 3: Col. 3. &c.

(d) *Dei amore perfuſi ſunt animi noſtri per Spiritum Sanctum nobis datum: Quicunque Dei Spiritu aguntur, ii Dei filii ſunt. Nos omnes detecta facie ſplendorem Domini ſpeculantes,* (ſive contemplantes,) *in eandem transformamur imaginem, ſplendore perpetuando, tanquam a Domini Spiritu. Non reſpicimus amplius viſibilia, ſed inviſibilia. Noſtra converſatio eſt in cælis. Vita noſtra abſcondita eſt in Deo cum Chriſto. Sublati ſumus cum eo in loca ſupercæleſtia. In novo homine Chriſtus eſt* OMNIA *in omnibus.* S. Joannis:

(e) Joh. Capp. 2, 3, 4.

(e) *Quicunque manet in Chriſto, debet ambulare* [*ſeu vivere*] *ſicut ipſe. Si quis mundum diligit, amor Patris non eſt in ipſo: Vos eſtis fortes & viciſtis. Vos habetis unctionem Sancti, & omnia noviſtis. Hæc interna Unctio eſt vera. Illa manet in vobis. Non habetis opus ut alii vos doceant: Illa vos omnia docet. Permanete in illa. Quicunque in illa permanet, non peccat, natus & renatus a Deo. Deus eſt Amor: qui manet in Amore, manet in Deo & Deus in ipſo. Perfectus Amor expellit timorem: & ubi timor eſt, ibi amor nondum purus eſt, aut* per-

perfectus. &c. Hujuſmodi teſtimonia infinita, quæ tum e Sacro Codice, tum aliorum Sanctorum ſcriptis citari poſſent, debent nos omnimode certos reddere, quovis tempore animas, quæ Religionem Chriſtianam conſummatiſſime poſſederunt, vere fuiſſe ſpirituales & contemplativas, eoque ipſo revera ſubſtantiam *Theologiæ Myſticæ* in interioribus foviſſe, utpote a perfectione Religionis Chriſtianæ minime diverſam.

XI. Quod autem hujuſmodi Spirituales & veri Myſtici tam raræ aves nullo non tempore fuerint, id generalis a ſancta iſthac Religione defectio unice effecit; & ſperandum eſt, Optimum Maximum Eccleſiam ſuam renovare, Religionique Chriſtianæ priſtinum vigorem ac ſplendorem circa poſtrema, in quibus nunc vivimus, tempora, reddere cupientem; hoc facturum per veram & ipſa praxi efficacem inſtaurationem divinæ hujus Theologiæ, per CONTEMPLATIONEM & per AMOREM PURUM, quæ ejuſdem caput & cor ſunt, *Urim* & *Thummim* Sacerdotalium animarum, principia duas nobiliſſimas hominis facultates perficientia, CONTEMPLATIO ſcilicet *intellectum*, & AMOR PURUS *voluntatem*. Et hinc probabile eſt, Dominum, qui ſacra indignis carnalium oculis exponere prohibuerat, hanc ob cauſam nunc permittere ut eadem ubique incipiant evulgari; dum ab altera parte humani generis inimicus contradictiones & obſtacula ſuſcitare pro viribus annititur, utpote ſatis prævidens, neminem non, qui ſummo Numini *mentem* ſuam ad recipienda ejuſdem lumina, & *cor* ſuum divini Amoris igne incendendum obtulerit, e tenebris, erroribus, peccatis, vitiiſque omnibus emerſurum, ac proinde Sancti Spiritus fore habitaculum, quod ſemel extructum non amplius diruetur. Quapropter ii, qui ad inſtitutionem animarum & Eccleſiæ Dei regimen ſeſe vocatos eſſe autumant, ſummo ſtudio quemlibet præparare deberent, & quantum fieri poteſt idoneum reddere his fundamenti ſaxis, *Contemplationi*, inquam, & *Amori*, vel, uno verbo, AMATORIÆ CONTEMPLATIONI DEI: ſive, ut verbis Chriſti utar, *Amori Dei ex toto corde, ex toto intellectu, ex tota anima & omnibus viribus:* ſin ſecus, tamen opus hoc cœleſte ſine ipſorum molimine perficietur, & Canticum Divini Vatis aliquando in eorum pudorem implebitur: (a) *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris.*

XI. *Religionis Chriſtianæ renovationem ac perfectionem per praxin Theologiæ Myſticæ, ſive per* Amatoriam Dei Contemplationem, *ſperandam eſſe.*

(a) Pſ. 118.

XII. *Unde Theologiæ Myſticæ compendioſa idea exprimi poſſit, indicatur unius ac alterius libelli nominatione.*

XII. Forte judicabit quiſpiam, e re eſſe, hic paucis commemorare primarias divinæ hujus Theologiæ Myſticæ partes, earumque argumenta, ad ſuggerendam ita compendiariam totius ideam. At quum hoc præcedentibus quæſtionibus jam aliqua ex parte præſtiterim, ecquid poſſem hic expromere amplius ubi me ſuccinctum eſſe oportet? Quoniam tamen, jam alibi talia ab aliis deſcripta animadverti, velim Lector adeat tractatum, quem æque prompte atque hunc inveniet, cui titulus, L'ABREGE' DE LA PERFECTION CHRE'TIENNE, ſeu COMPENDIUM PERFECTIONIS CHRISTIANÆ. Bis nuperrime typis eſt excuſſus in (a) *Theologia Cordis*. Brevis, methodicus & ſuccinctus eſt, tamque excellens, ut vix exprimi id queat. Tractat argumentum ſuum fere eadem methodo quam in ſupra memoratis quæſtionibus notavimus; nimirum animam, dum ſuum nihilum ſuamque perverſitatem ab una parte intuetur, cum intimo contemtu & averſione ſui ipſius, & ab altera Deum cum ſumma veneratione & ſincero amore reſpicit, coöperari cum ipſo, ejuſdemque gratia, ad removenda a ſe obſtacula Deo oppoſita; ac dein Deum ſolum pravas emendare diſpoſitiones, ubi anima per propriam *activam* coöperationem nil efficere poteſt, ſed ſolum perferendo ſive *patiendo* operationem Dei. Jam in hujuſce tractatus initio notabilis memoratur diſtinctio inter viam Myſticam *ordinariam*, quam ſuadet & exponit; & *extraordinariam*, quando ſcilicet Deus mox in principio per ecſtaſes, viſiones, ſenſationes & lumina agit in intellectum, in imaginationem, aut in ſenſus hominis, qualem viam exoptare periculoſum; & quam *cum peccato* etiam mortali, *in tironibus Chriſtianiſmi ſubſiſtere poſſe* dixerunt Sancti nonnulli; dum Optimus Maximus per vivida lumina ſua & ſupranaturales ſuavitates eoſdem ſubinde allicit, in mediis etiam eorum aberrationibus. Hinc autem concludere velle, ceu contentioſæ quædam mentes audent, divina & supranaturalia Gratiæ dona, quæ Deus in Contemplatione animabus in ſanctitate promotis aut perfectis impertit, imprimis quando eædem per vias ordinarias duce Spiritu S. proceſſerunt, cum peccati mortalis ſtatu poſſe eſſe [illegible]

(a) *La Theologie du Cœur*, de quo infra in Epiſt. de Character. Myſt. §. [illegible] iis autem quibus Latinum aliquod Compendium indicari gratum eſſet, commendandus eſt Tractatus P. *Conſtantini Barbanſonii*, nuper Amſtelod. 1698 recuſus, titulo, *Veræ Theologiæ Myſticæ Compendium, ſive, Semitæ occultæ Amoris Divini*,

cta; craſſam circa hoc argumentum ignorantiam oſtendit; atque COMPENDIUM, Tractatus ſcil. memoratus, abunde commonſtrabit, fieri iſtud minime poſſe. Omnes ſtatus, per quos anima ad perfectionem tendere debet, ad tres redigit idem; & ſex in primo ſtatu gradus deſcribit, in quo animadvertitur, animam diverſimode & cum majori minorive activitate cum Deo concurrere, ut liberetur ab eo quod ipſam quolibet reſpectu indiſpoſitam reddit. Secundus ſtatus pure paſſivus eſt; & tertius meram continet nuditatem; quo omnimoda abſolvitur perfectio, tumque anima quam maxime Deo redditur conformis in contemplatione & puro Amore Dei. Termini *annihilationis*, (a) *expropriationis*, *ſubtractionis*, *indifferentiæ*, *conformitatis*, *uniformitatis*, *transformationis* aut *Deificationis*, hic clariſſime ſunt expoſiti, & imprimis in augmento ſecundæ editioni inſerto. Eadem quoque argumenta denuo recenſentur, & magis adhuc ſingulatim pertractantur contra amorem proprium (qui omnia, quæ abdicare oportet, obſtacula complectitur) & quo ad *orationem quietis*, in ſecundo tractatu ejuſdem generis, qui priori eſt annexus, & inſcriptus, (b) *Ruina amoris proprii*, aut *Abnegatio interior*, in quo poſſibiles omnes præcautiones occurrunt ad evitandum quaſcunque illuſiones ſive deceptiones, omneſque, qui excogitari queunt, abuſus in hiſce ſpiritualibus viis.

(a) l. deſapropriation.

(b) *La Ruine de l'Amour propre, ou l'Abnegation interieure.*

XIII. Optaverim duo ſatis memorabilia hic bene obſervari: *primo*, ne diverſi ſtatus inter ſe confundantur, quoniam maxima difficultatum & abſurditatum pars, quæ Myſticis objici ſolent, inde exurgit, quod rerum harum ignari applicent ſtatui inferiori, quæ de ſuperiori fuerunt propoſita; aut ſtatui ſuperiori, quæ ad inferiorem pertinent: id quod idem eſt, ac ſi quis homini adulto lactis vel juſculi loco cibum ſolidiorem potumque fortiorem præſcripſiſſet, ac dein, ut conſilium hoc appareat ridiculum & perverſum, idem convitiis coram infantibus denigrare niteretur. *Secundo* obſervandum eſt, ne nimis definite ſumantur, nimiſque præciſe reſtringantur multa, quæ tum de operationibus Dei, tum de viis & officiis animarum proferuntur: multoque minus adhuc oportet eſſe pronum ad condendas univerſales regiminis regulas quibuſvis accommodandas. Operationes Sanctiſſimi Numinis ſunt & numero & varietate infinitæ; ſicut & ipſæ animarum diſpoſitiones. Deus etiam utplurimum multiplicem diverſitatem

XIII. *Obſervationes duæ quibus cavetur ne res myſticæ prave intelligantur.*

Digitized by Google

Sapientiæ ſuæ ubique commonſtrare amat. Hoc vero penitus ſubvertit quæſtionem nuper agitatam circa *ſuſpenſionem* aut *ligaturam facultatum* in ſtatu paſſivo. Status hic inſignis eſt amplitudinis, æque ac ille diverſas qui conſtitutiones animarum & modos quibus eædem excoli debent, reſpicit. Modi & gradus ſuſpenſionis itidem admodum ſunt numeroſi; ſic ut ſubinde in certo ſubjecto nihil fere ſuſpenſionis ejus ſeſe offerat, interdum plus; ibi plurimum, alibi amplius; & quibuſdam temporibus aut in quibuſdam ſubjectis, abſolutæ & perfectæ fuerint ſuſpenſiones, & poſtmodum plane nullæ in mentibus paſſivis, quæ omnium perfectiſſimæ erunt. Mater quæ infantulum ſuum brachiis amplectitur, nonnunquam eundem pannis vinctum tenet, totumque corpuſculum quaſi colligatum; quandoque minus; & ſubinde plane nudum & ſine vinculis. Optimo Maximoque Deo liberum eſt pari ratione agere, quomodo & quando ipſi lubuerit. Hæ duæ obſervationes haud exigui uſus ſunt circa maximas difficultates.

XIV. *Quædam ex præcipuis Myſticorum argumentis in SS. & ſcriptis Sanctorum oſtenduntur.*

XIV. Erunt forte qui exſpectabunt, ut ſaltem obiter quaſi uno alterove verbo mentionem faciam primariorum quorundam e Myſticis argumentorum; ſcilicet, viarum *purificationis*, *illuminationis*, *unionis*, *transformationis*, *Deificationis*: *τ͂ non* EGO: *annihilationis*: *contemplationis activæ & paſſivæ*: *amoris puri*, *cum ejuſdem probationibus*: *expropriationis* ſive denudationis, *& indifferentiæ*. Haud recuſo de iis quicquam memorare, ut eaſdem in Scriptura S. & in Sanctorum ſcriptis commonſtrem.

XV. *Purificatio, illuminatio, unio, transformatio, Deificatio, τὸ* NON-EGO, *annihilatio, Contemplatio activa & paſſiva, purus amor, probationes amoris, indifferentia, expropriatio,*

XV. Quum loca jam alibi indicaverim, verear ne Lectorem, poſt loca modo (*a*) indicata, craſſæ nimis ignorantiæ haberem ſuſpectum, ſi ulterius inſiſterem terminis *purificationis* & *illuminationis*, qui in Sacro Codice toties occurrunt, ut nemo eorum immemor eſſe poſſit. Chriſtus (*b*) in ultimis precibus ſuis a Patre ſuo conceptis verbis petit *Unionem* pro diſcipulis ſuis & cunctis fidelibus, *ut omnes ſint unum in Patre ſuo & in ipſo: ut omnes ſint conſummati in unum*; quo ipſo cum unione ſignificatur *transformatio*, quæ & ipſa in S. Paulo legitur, dicente (*c*) TRANSFORMAMINI *per renovationem Mentis veſtræ*, & (*d*) *nos qui contemplamur gloriam Domini* TRANSFORMAMUR *ad ejus imaginem*. Veriſſimum quoque nec minus evidens eſt, *Deificationem* exprimi per alium textum Paulinum, nimirum (*e*) quum inquit: *Qui junctus aut unitus eſt Domino*, UNUS

(*a*) Supr. n. X. (*b*) Joh. 17: 11, 21, 23. (*c*) Rom. 12: 2. (*d*) 2 Cor. 3: 18. (*e*) 1 Cor. 6: 17.

Digitized by Google

UNUS SPIRITUS *cum ipſo eſt*; quemadmodum etiam per illam *conſummationem in unum* a Chriſto Servatore memoratam, pariter ac per verba S. Petri (*a*) eos nempe qui evitarunt *corruptionem & deſideria mundi fieri* PARTICIPES *Naturæ Divinæ*. Sicut enim calefactio & participatio caloris idem ſunt, eodem modo *participatio Naturæ Divinæ* & *Deificatio* termini ſunt manifeſte æquivalentes. Vox *Deificationis* comparet quoque in 15 & 26 Homilia S. Macarii, ubi ait, „Hominem qui victoriam reportavit, & in quo vitiorum „ radices ſunt evulſæ, primam formam & gradum primi Adami re„ cuperare, imo ipſum antecellere, quia (*b*) *eſt Deificatus*; Ibidem verbum *Deiformis* (*c*) ſimiliter & animæ, & ipſi corpori tribuitur. Quod amplius, in S. Scriptura (*d*) vocantur DII, *ad quos ſermo Dei factus eſt*; ſi hoc, quanto majori jure illi, quibus Verbum ſubſtantiale, Jeſus Chriſtus, ipſe Deus, adeo eſt unitus, ut non ſint niſi *unus Spiritus* (teſte S. Apoſtolo) poterunt *Deificati* appellari, titulo inferiori iſthoc Scripturæ S. quæ tales nominat Deos; in quo eandem imitari voluit S. Macarius, non dubitans perfectos Chriſtianos eodem *Deorum* titulo (*e*) inſignire. Multi e Patribus (*f*) terminos ſimiles, idemque ac quos in S. Macario vidimus, denotantes, adhibuerunt. Quum S. Paulus inquit, (*g*) *vivo; attamen non ego: ſed Chriſtus in me*; ecce terminum NON-EGO, & Deum in loco iſtius EGO; ecce illud *meum* EGO EST DEUS S. Catharinæ Genuenſis. Quando ille Apoſtolus de ſemetipſo teſtatur, (*h*) *nihil ſum*, &, de Jeſu Chriſto, (*i*) quod *ſeipſum ad nihilum redegerit*; ecce *nihilum* & *annihilationem*. Loci ſupra citati e Pſalmis, Euangelio & S. Paulo deſignant *contemplationem* a parte hominum qui Deum intuentur; & a parte Dei, qui puris cordibus ſeſe infundit, inque illis lucet, quemadmodum S. Apoſtolus profitetur, (*k*) *ipſum in corde ſuo lucere*; ecce *Contemplationem activam* & alteram *paſſivam*, utramque unico textu Davidico comprehenſam, (*l*) *aſpicient ad eum* (ſcilicet Deum) *& illuminabuntur*. *Purus Amor* non poſſet exactius notari, quam verbo hoc Servatoris: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis & ex tota mente tua*; id quod conſummato ſenſu innuit Deum debere eſſe objectum, cauſam & finem omnis noſtri amoris, omniſque noſtri conſilii. Erat ſane hicce Amor admodum purus *omniſque proprietatis expers* in Moſe, qui paratus erat (*m*) *e libro vitæ expungi pro* populo ſuo; nec minus in S. Paulo, (*n*) *qui anathema eſſe volebat pro* eodem; ut & in primis Chriſtianis; quorum Charitatem deſcri-

pars animæ ſuperior & inferior, diſtinctio inter Spiritum & animam, in SS. Scripturis reperiuntur, & in libris Sanctorum Patrum.

(*a*) 2 Petr. cap. 1: 4.

(*b*) ἀποθεοῦται.

(*c*) θεοειδής. Opuſc. VII. Cap. 25.

(*d*) Pſal. 82: vſ. 6. Joh. 10: 34.

(*e*) Homil. 27. υἱοὶ καὶ θεοί.

(*f*) Chryſoſt. Athan. Cyrill. &c. Vid. *Theſaur. Suiceri, in vocibus* θέωσις, θεοποίησις, &c.

(*g*) Gal. 2: vſ. 20.

(*h*) 2 Cor. 12: vſ. 11.

(*i*) Phil. 2: vſ. 7.

(*k*) 2 Cor. cap. 4: 6.

(*l*) Pſ. 34: 5.

(*m*) Exod. cap. 32: 32.

(*n*) Rom. cap. 9: 3.

Digitized by Google

(a) 1 Cor. cap. 13: 5. (b) Cantic. cap. 2: 4. (c) Pſ. 18, 31, 77, 116. &c. (d) Luc. 22: vſ. 42. (e) Deſapropriation.

deſcribens Apoſtolus, inquit, (a) *illam non quærere quæ ſua ſunt*; porro in Sponſa Cantici (b) quæ in vexillo ſuo unicam hanc gerebat vocem, AMOR. David de tentationibus ſuis loquens, vocat eas (c) *dolores inferni, vincula mortis, repudiari a facie Dei*: Similia, imo efficaciora adhuc pronunciavit Jobus. Nullibi autem major comparet *indifferentia*, quam illa Chriſti Domini Patri ſuo dicentis, (d) *non mea voluntas, ſed tua*; neque major (e) *proprietatis rejectio*, quam in hac ipſa conſummata reſignatione, & quando vult ut quilibet *propriam ſuam voluntatem abneget*; quo ipſo omnia comprehenduntur, quia res minime nos afficiunt, niſi per deſiderium & voluntatem. Denique diſtinctio *partis inferioris* & *ſuperioris animæ*, aut differentia *animæ* & *Spiritus*, & eorum, quæ ſpiritualiter fit, ſeparatio, fundamenti loco inſerviens ſublimioribus Theologiæ Myſticæ argumentis, iiſdem verbis eſt expreſſa a S. Paulo in ejus Epiſtolis (f) ad Theſſalonicenſes & ad (g) Hebræos. Integro libro opus foret ad commemoranda omnia S. Scripturæ loca tum de hocce ſubjecto, tum de omnibus aliis Theologiæ Myſticæ terminis, quorum ne ullum quidem reperias, qui non poſſit monſtrari, ſaltem ſignificatione æquivalenti, in Divinis Literis & Sanctorum operibus. At præveniamus hic pudorem & confuſionem eorum qui verba ipſius Dei ludibrio habere, imo injurioſe eidem obtrectare imprudenter auſi ſunt.

(f) 1 Theſ. cap. 5: 23. (g) Hebr. cap. 4: 12.

XVI. *S. Macarii locus admirabilis de Contemplatione ſive oratione activa, & paſſiva.*

XVI. Relictis terminis, progrediamur ad res ipſas. Ecce quomodo S. Macarius in Homilia 31 deſcribit CONTEMPLATIONEM, aut orationem *activam*, ubi contra diſtractiones pugnatur, & *paſſivam*, quæ per illam acquiritur: *Deus ſummum bonum eſt, in quem debes colligere mentem & cogitationes, nec quid aliud animo concipere, quam exſpectationem ejus intueri. Sit igitur anima, perinde ac* Mater *quæ filios vagantes colligit, & caſtigans diſperſas per peccatum cogitationes inducat in domum corporis ſui, ſemper exſpectans Dominum in jejunio & dilectione, quando veniens vere colligat eam. Cum autem ſit incertum quando hoc futurum eſt, eo amplius ſperet, in gubernatore ſpe recte collocata ——— Quemadmodum nihil nocuit Raab habitatio cum alienigenis; ſed fides eam conciliavit partibus Iſraëlitarum: ita peccatum nihil lædit eos qui in ſpe & fide Redemtorem exſpectant, qui veniens immutat cogitationes animæ, ac reddit eas divinas, cæleſtes, bonas, & animam docet veram orationem, non diſtractam nec vagabundam.* (h) *Ne timeas, inquit, ego ante te ibo, & montes adæquabo, portas æneas conteram, & vectes ferreos confringam. Et rurſum,* (i) *Attende tibi ipſi ait, ne quando verbum abſconditum in corde tuo*

(h) Jeſ. 45: 2. (i) Deut. 7: vſ. 27.

Digitized by Google

tuo fiat iniquitas: ne dicas in corde tuo: Gens hæc numeroſa eſt, & potens. Si nos ſocordia non diſſolvamur, nec pabula præbeamus inordinatis cogitationibus malitiæ, (corruptionis;) ſed voluntate noſtrâ trahamus mentem, cogendo cogitationes ad Dominum; omnino Dominus ſponte ſua veniet ad nos, & verè congregabit nos ad ſeipſum. Omne enim id quo ei placendum eſt & obſequendum, in cogitationibus conſiſtit. Quocirca contende ut placeas Domino, exſpectans eum perpetuo interius, quærens eum in cogitationibus, & compellens atque vi adigens tuam ipſius voluntatem atque intentionem, ut in eum perpetuo intendant: & vide quomodo venit ad te, & manſionem facit apud te. Quanto enim magis colligis animum tuum ad eum quærendum, tanto magis ipſe compelletur a propria miſericordia atque benignitate ut veniat ad te, & te refocillet. Fixus enim intuetur mentem tuam, cogitationes & meditationes, conſiderans quomodo quæras eum, & an ex tota anima tua, an non ſegniter, an non negligenter. Et ubi viderit diligentiam tuam in eo quærendo adhibitam, tunc manifeſtatur & apparet tibi; auxiliumque ſuum impertit, ac victoriam tibi efficit, liberans te ab hoſtibus tuis, conſpecto tamen prius tuo quærendi eum ardore, & quo pacto omnem tuam exſpectationem continue ad eum habeas. Hic docet atque largitur veram ORATIONEM, *verum* AMOREM, *qui eſt ipſemet omnia in te factus, paradiſus, lignum vitæ, margarita, corona, architectus, agricola, patibilis, impatibilis, homo, Deus, vinum, aqua viva, ovis, ſponſus, bellator, arma,* OMNIA IN OMNIBUS CHRISTUS. *Quemadmodum vero infans non novit ſeipſe curare vel ornare, ſed ſolum oculos convertit ad matrem, flens, donec miſericordiâ commota illum ſuſcipiat: ſic fideles animæ in ſolo Domino ſpem habent perpetuo.* Neutiquam hic peto, ut excuſatum me habeat Lector ob prolixitatem inſignis hujuſce loci, cui ſimiles ejuſdem efficaciæ jungere poſſem. Ecce vero breviorem de PURO & privatam utilitatem negligente AMORE.

XVII. *Ejuſdem de puro amore; item de divinis animarum ſtatibus ac experimentis vanis. Item animæ perfectæ deſcriptio.*

XVII. (a) *Qui Deum vere amaverunt, iineque ob ſpem regni (cœleſtis) elegerunt ei ſervire, quaſi mercatores lucrum, aut operarii mercedem captantes; ſed neque ob metum præparatæ peccatoribus pœnæ; verum in illum uti Deum ſolum & Creatorem proprium affectu inclinati, ex recte concluſa inde ratione conſequenter agnoſcentes, æquum ac juſte debitum eſſe, ut creatura Conditori, ſervi Domino. --- Anima non ab afflictionibus ſolum, ſed & a conſolationibus periclitatur tentari. Et per iſtas res a Conditore animæ probantur; ut his explorationibus manifeſto*

(a) Opuſcul. VII. Cap. 20. pag. 208, 209. Edit. Lipſienſ.

feſto appareat quales ſint mercenariæ nundinatrices charitatis, quæſtu ſui cauſa Deum amantes; an ſolum propter ſe ipſum eum diligant; quod illum, ut eſt in ſua natura propria, citra reſpectum ad nos, omni dignum amore honoreque ſciant. Ne nimium prolixus ſim, *probationes* animarum hic deſcribere ſuperſedeo, æque in Sacro Codice quam hujus Sancti ſcriptis occurrentes, qui in Homilia 18. plurima gratiarum dona, quæ Deus in hac vita animabus infundit, pluresque ſtatus, per quos eaſdem ducit, dinumerat, ut ſunt „gaudia epuli cœleſtis, divina Sponſi Sponſæque unio, levitas Angelica, ebrietas divina, luctus ob interitum animarum, ardores lætitiæ & charitatis, profunda infra omnes humiliatio, ineffabile animi gaudium, fortitudo contra inimicum, deliciæ mentis, ejuſdemque inexplicabilis quies in alto ſilentio, in tranquillitate, in pace; detectio inenarrabilium ſecretorum; & ſubinde ſtatus plane communis. Teſtatur de cunctis hiſce gratiæ donis, (quorum & nomina & novitatem admodum inconſiderate recentioribus Myſticis quidam cum ludibrio objiciunt,) Deum eadem identidem conferre & auferre prout ipſi lubet animas exercere & puriores reddere, quamvis a perfectione haud longe abſint, necdum tamen eandem attigerint; nam quod ad perfectas, haſce hunc in modum genuine depingit.

(a) Ibid. Hom. 18.

(a) Ubi anima ad perfectionem Spiritus pervenerit, perfecte ab omnibus affectibus expurgata, & Spiritui Paracleto ineffabili participatione unita & permixta, ac digna habita fieri Spiritus cum Spiritu mixta; tunc tota lux, tota oculus, tota Spiritus, tota gaudium, tota delectatio, tota exultatio, tota Amor, tota viſcera, tota bonitas & clementia fit. Sicut enim lapis in profundo maris undique aqua circumdatur; ſic hi omni modo Spiritui S. permixti, ſimiles ſunt CHRISTI, *virtutes potentiæ Spiritus conſtanter in ſe ipſis habentes, intus & extra irreprehenſibiles, ſine macula, ac puri. Cum enim per Spiritum ſint reſtaurati, quomodo poſſunt extra fructum corruptionis proferre? Verum perpetuo per omnia fructus Spiritus in iis perluceat.* Volui hæc locorum nonnihil prolixorum in medium afferre ſpecimina, tum ut conſtet Theologiam Myſticam haberi & in S. Macario; tum ad defendendos Myſticos contra eorum accuſatores de novitate, deque miris ac inuſitatis rebus & terminis: quoniam Auctor hicce, qui ob ſanctitatem perſpectam omnium admirationem excitavit, ſeculo quarto vixit. &c.

EPI-

EPISTOLA
De Principiis & Characteribus
MYSTICORUM, &c.

---

1 JOAN. III: 1.

Propter hoc Mundus non novit nos; quia non novit Deum.

MONITUM.

Neutiquam publico deſtinata erat hæc Epiſtola, at ſolummodo in gratiam pii cujuſdam Viri, qui Auctorum quorundam Myſticorum characteres noſſe cupiebat, conſcripta; quibus tum & alios ſimiles jungere conſultum judicabatur. Poſtquam autem, ut in publicum eadem emitteretur, nonnullis e re fore viſum eſt, revocata ſub incudem ac duabus tertiis & ultra eſt adaucta. Qualis quidem conatus minime, ut ſpero, poterit diſplicere ulli ſanæ mentis, qui ſerio expenderit, tot extare Catalogos totque Indices, qui ſtupendam librorum humano ingenio conſarcinatorum molem, interque illos copioſiſſimam nugarum venalium ſegetem (queis mortalium mentes diſtrahuntur & cæleſtes divini Amoris igniculi ſuffocantur) commemorant; adeoque haud incongruum eſſe, ut per quandam diſſertatiunculam pariter conſtet, campos iſthac zizaniorum conſluge necdum adeo eſſe obtectos, quin adhuc, Deo ſit laus, ſalutares hinc inde plantulæ promineant, exiguus ſcilicet talium Auctorum numerus, quorum mentes, Dei Spiritu imbutæ animas ad verum unicumque exoptandum finem reducere annituntur, noſque eadem

opera efficaciter convincunt, Summum Numen haud obſcura poſtremis hiſce temporibus ſui dediſſe teſtimonia: quis perpetuo Bonitati ejus placuiſſe, dulce cum filiis hominum colere commercium, dummodo libera & a terreſtribus quiſquiliis emundata corda ſeſe offerrent. Potuiſſent eorum Auctorum plures commemorari, imo longe majori numero, quam vel Sandæus, vel Cardinalis Bona, vel alii quicunque deſcripſerunt, niſi ad ſcopum propoſitum, ſaltem pro hac vice, ii, quorum mentio facta eſt, ſufficerent. Ceterum illi, qui hujuſmodi lectioni animum applicare volent, præ oculis habeant velim ea, quæ in calce hujus Epiſtolæ dicta ſunt. Faxit Deus ut unice ea ſeligant, quæ ipſis quam maxime poterunt eſſe ſalutaria! Valete.

INDICULUS EPISTOLÆ.

Ejus Occaſio & ſcopus. Quibus in rebus Myſtici omnes conſentiant. In quibus ſint varii & quibus de cauſis. num. 1–3.

SECTIONES.

I. Joannes Taulerus; & quidam huc pertinentes. 4–7.
II. Henricus Harphius. 8–9.
III. Joannes a Cruce; & qui huc pertinent. 10–18.
IV. Sta. Tereſia; & quidam ejuſdem characteris. 19–24.
V. S. Catharina Genuenſ. & qui huc ſpectant nonnulli. 25–28.
VI. S. Angela de Fulginio; & quidam huc referendi. 29–34.
VII. Bened. de Canfeld; & qui huc ſpectant aliqui. 35–37.
VIII. Joan: Engelbertus; & qui huic appropinquant. 38.
IX. SS. Hildegardis, Eliſabeta, Mechtildis, Brigitta; & nonnulli illis accenſendi. 39–41.
X. Jacob Boëmius; & qui huc referri poſſint. 42–50.
XI. Hiel; & qui ad hujus claſſem referendi. 51–58.
XII. Anonymus Belga; & quidam hujus characteris ſimiles. 59–62.
XIII. Margarita Evangelica, Anonymæ. 63–66.
Aſcetici, Practici, atque Contemplatores huc ſpectantes. 67–83.
XIV. Antonia Bourignonia; & de quibuſdam in utramque partem. 84–90.
Concluſio, characterum conformitas cum S. Scriptura.
Conſilium de legendis Myſticis. 91–100.

EPI-

EPISTOLA

De Principiis & Characteribus; quibus præcipui ultimorum Seculorum Auctores Myſtici *& Spirituales fuere inſtructi.*

Occaſio & ſcopus hujus Epiſtolæ. §. 1. *Quibus in rebus Myſtici omnes conſentiant unanimiter.* §. 2. *In quibus ſint varii, & quibus de cauſis.* §. 3.

NOn ſemel me inſtigaſti, Domine ac Amice in Chriſto plurimum colende, ut quædam ad te perſcriberem de argumento colloquii quondam noſtri quod ad Auctores, qui res myſticas & ſpirituales tractarunt, quique cœlitus illuminati creduntur. Jam ante mihi dixeras, illos tibi apparere nimis varios nimiumque ſibi invicem diſſimiles, quum potius unanimis inter ipſos præſumeretur conſenſus. Circa quod tibi inter alia tunc indicaveram, iſtam varietatem nequaquam in fundamento & primario ſubjecto hærere; ſed eſſe ſolummodo donorum & characterum diverſitatem, per quam Sapientiæ & Gratiæ Dei, quam Scriptura S. *multiplicem* & *diverſam* nominat, ſeſe diversè in variis ſubjectis manifeſtare lubuit; ut inde & in alias itidem diverſiſſimæ conſtitutionis animas redundaret; dum interim hæcce characterum & modorum varietas ad unum eundemque ſcopum rediret. Applicabam tum hæc quibuſdam hiſce Auctoribus, qui præ aliis in mentem veniebant. Atque ibidem nos ſubſiſtere velle credebam, imo continuo de iſthoc argumento quicquam perſcribere recuſavi, tum tenuitatis meæ conſcius, tum quod non niſi admodum imperfectas, & a reali divinorum iſtorum Auctorum lumine valdè remotas habeam ideas. Attamen non deſiſtis rem urgere, &, quo ipſo effectu me eam ſuſcipere cures, nominas mihi iſtorum Auctorum circiter decem, quorum deſcriptione, prout eadem mihi in mentem inciderit, te penitus contentum fore affirmas.

§. 1. *Occaſio & ſcopus hujus Epiſtolæ.*

Epheſ. 3: 10.
1. Petr. 4: 10.

Igitur, ut tibi ſatisfiat, rem nunc eam aggredior; & quum ſancti iſti Scriptores ſummo in pretio mihi ſint, fortaſſe eo ipſo

 impul-

Digitized by Google

impulſus & plures, & prolixius eorum dotes, virtutes ac libros, ſtylo quamvis tenui, exſculpere annitar. Et revera longe mihi gratiſſimum foret, (ſiquidem præter te ad aliorum quoque manus hæc Epiſtola pervenerit) illos qui hujuſmodi argumentorum adhucdum ſunt ignari, certiores fieri poſſe, ubinam talia quantum ad originem reperire ac cognoſcere queant; porro alios, qui eadem æſtimant, & imprimis qui iiſdem afficiuntur, & ad bona ſolidiora per certas quaſdam vias magis quam per alias ſeſe allici ſentiunt, hinc anſam arripere ad ſeligenda ea, quæ ſibi præ ceteris accommodata judicabunt e Myſticorum iſtorum ſcriptis, eorumque characteribus. Horum enim numerus non niſi ob iſtam ſeligendi libertatem in medium producetur, minime vero ac ſi quilibet omnes & ſingulos, vel maximam eorum partem, pervolvere, mentemque illis occupare ſimul deberet; quæ quidem agendi ratio non niſi confuſos ſuggereret conceptus, & diſtractionibus animum obrueret potius, quam ſolida luce erudiret.

§. 2. *Quibus in rebus Myſtici omnes conſentiant unanimiter.*

(2.) Omnes Auctores Myſtici in ſequentibus unanimi conſpirant.

Scilicet, a Deo Opt. Max. nos eſſe eum in finem creatos, ut per intimam unionem ipſi jungeremur, transformati ad ejus ſimilitudinem, atque ut ipſe foret *omnia in omnibus*, ſecundum ipſius S. Scripturæ eloquium, Joh. 17: 21. 1 Corinth. 15: 28. 2. Cor. 3: 18.

Hoc quum non niſi virtute Dominici Spiritus, eadem S. Scriptura teſte, fieri queat; hominem ſeipſum cum univerſa propagine ſua in interitum præcipitaſſe quando propriis tum mentis tum voluntatis ſeſe regere, viribus, ſibi ipſi opem ferre, ſeque propria methodo perfectum reddere conatus eſt.

Porro per hanc ſeparationem, qua a Deo divulſus ſibi ipſi & ſubjectis creaturis adhærere voluit homo, eundem tenebris, vitiis & corruptione eſſe obrutum, adeoque a ſupremo fine ſuo redditum eſſe omnimode alienum.

E qua malorum lerna ſolo Divini Numinis auxilio ipſum poſſe eripi, atque in integrum reſtaurari in illo nobiliſſimum Dei opus, quod eſt ipſemet homo, ſic a lapſu perditus, & miſeriarum abyſſo immerſus.

Atque ad hoc exequendum Summam Bonitatem ſeſe cum divinis

vinis ſuis operationibus homini offerre; hujus vero eſſe, ipſi Domino operanti conſentire, Gratiam oblatam acceptare, eidem coöperari, ſeſeque totum tradere; & hoc facto, Deum vim ſuam ei ingerere, ipſum purgare, illuminare, & ad unionem ſecum diſponere, imo tandem actu ipſo unire ſimulac e re erit & prout perfectæ Sapientiæ lubuerit, transformando eundem ad imaginem ſuam, & per Spiritum ſuum ſecretis incrementis indies magis ac magis promovendo a glória in gloriam, ceu loquitur S. Paulus.

Demum, unionem & perfectionem ad quam homo in hac ærumnarum valle debet contendere, non eſſe unionem aut transformationem plenam & fruitivam, futuræ vitæ prærogativam; at unionem & perfectionem viatorum, fidei adhucdum obſcuritate mixtam, quæ in quadam identificatione (ſi ita loqui liceat) voluntatis cum voluntate Dei conſiſtit, in quam voluntas hominis adeo ſit transformata, ut Deus dein ipſum formet ſecundum beneplacitum ſuum, ſine ullo a parte hominis renixu: ſive ipſum velit Deus relinquere in ſtatu in quo hæret, aut eundem conſtituere in crucis ac privationis conditione; vel ipſi concedere ac dein retrahere plus minuſve quoſdam unionis fruitivæ prægustus, & nonnulla extraordinaria Gratiæ dona, ſicut ipſi placuerit. Circa quæ omnia hominis eſt, Domino in totum relinquere modum agendi & diſponendi, ſine electione, aut ullo ſpeciali humano molimine.

Ecce conciſam epitomen ſubſtantiæ Theologiæ Myſticæ; quæ in ipſo fundamento eadem plane eſt, quam illuminati omnes Auctóres inculcant quotquot ſcientiam iſtam Sanctorum explanarunt.

(3.) Hic vero mecum obſerves velim ea, in quibus illi a ſe invicem diſcrepant. *§. 3. In quibuſnam ſint varii; & quibus de cauſis.*

Scilicet, inſignis, quod ad ſtatum attinet, animarum noſtrarum eſt varietas, æque ac in corporibus, in habitu, in impedimentis noſtris, quibus diverſe operanti Numini reſtitimus, alio atque alio modo: temporum & locorum, in quibus vivitur, inſuper diverſitas, ac eorum, quibuſcum degimus, non poteſt non eſſe tanta, ut ex hiſce omnibus neceſſario ſequatur, vias tam internas quam externas nequaquam poſſe eſſe eaſdem per quas nempe e labyrintho obſtaculorum expediamur, & ſecundum quas

Digitized by Google

diſponi & formari debeamus ad unionem divinam denuo obtinendam. Deus, qui per cuncta mediorum genera mortales ad ſe revocare vult, qui ſolus & perfectus mentium arbiter, variam earum conſtitutionem, infirmitatem & captum pervidet, qui optime novit quænam ferre poſſint, quæque non poſſint; quibus indigeant, & qualia ipſis nocitura ſint; per ſummam bonitatem vias & operationes ſuas ſtatui cujuſvis accommodare, & quemlibet ab ea parte, qua convinci & vinci poteſt, ad ſe allicere haud dedignatur, hunc per ſenſibilitates (quæ & ipſæ variæ ſunt,) illum per privationes & ariditates; iſtum per non unius generis ſuavitates, alium per ſemitam aſperiorem; nonnullos per ſpecialia lumina, alios per nudam plane fidem; quoſdam per ſenſibiles Amoris illecebras, alios per timorum & deſolationum flagella. Sunt in quorum mentes fortius ſeſe effundit; alii, quorum imprimis voluntates inflammat, vel alias earundem animæ facultates attingit; & ſic infinitis aliis modis operatur. Et quum in hac mirabili diverſitate nunquam non fuerint qui agenti Numini fideliter ſeſe ſubjecerunt, ac proinde ad ſublime luminum & gratiarum culmen ab Optimo Maximoque Gratiarum Auctore ſunt evecti; hic impulit poſtmodum eos, ut quilibet ſecundum viæ & experientiæ tramitem per quem a Spiritu ductus eſt, ſalutis ſuæ mirabilia deſcriberet. Atque hinc diverſiſſimi iſti Myſticorum Scriptorum characteres ſunt exorti, quorum nonnullos hic expromere decrevi, eo propemodum ordine, quo tibi eoſdem mihi ſuggerere lubuit.

I.

JOANNES TAULERUS.

Et quidam huc pertinentes.

§. 4. TAULERUS. (4.) Hic ſanctus & doctus Dominicanus docuit Coloniæ & Argentorati, ubi & diem ſuum obiit anno 1379. Habetur inter Myſticos pro Auctore quam maxime probato & primi ſubſellii, cujus ſententiæ cum extrema veneratione omnes adſtipulantur. Et revera, nemo bonorum eundem noſſe poterit, quin mox ejus doctrina & ſapiat ipſi, & penitus approbetur. Imo etiam quidam ſapientiores e Proteſtantium numero, Doctor

Arn-

Arndius, Mullerus, pluresque alii, ne Luthero quidem & Melanchtone exceptis, præclara ejuſdem prodiderunt elogia, neutiquam inferiora iis quæ ſunt Catholico-Romanorum, ceu patet in fronte Editionis Germanicæ Sermonum ejus, quam pientiſſimus Arndius in commune contulit, item in Editione omnium Operum cura celeberrimi D. Speneri, iterum iterumque (a) Francofurti impreſſa. (a) An. 1680. & 1692. &c.

Character illuminati hujuſce Auctoris, meo judicio, hic eſt. Urget nimirum, ut anima per affectuum & vitiorum ſuorum mortificationem, per virtutum praxin, per deſertionem & abnegationem ſui, ſuarum cupiditatum, ſuæ voluntatis, amoris proprii, imo omnis ſuæ activitatis, omniumque rerum creatarum, ad intimum ſuum *fundum* revertatur, Deum ibi quærens, tandemque inveniens, qui ſeſe ibidem manifeſtat per nativitatem Verbi ſui Divini, & per afflatum S. ſui Spiritus: & ut deinde per continuam & durabilem introverſionem eadem in hoc interiori ſtatu ſeſe conſervet, quo Deus voluntatem ſuam, ſuaque mirabilia & ſpeciales regiminis ſui modos in ipſa exequi poſſit. De quibus tamen hicce Doctor non niſi in genere diſſerit. *Ejus character.*

(5.) Scripſit Taulerus antiquo idiomate Germanico; quæ Editio rariſſime invenitur. Surius eandem in Latinum ſermonem vertit, plurimis vicibus impreſſam Pariſiis & Coloniæ, ab anno 1552, uſque ad annum 1615. quæ jam originalis loco habetur. Extant ejuſdem multifariæ Editiones Germanicæ tam per Catholico-Romanos quam Proteſtantes, Coloniæ, Baſileæ, Hamburgi, Francofurti, Moguntiæ &c. in lucem emiſſæ. Idem fecerunt Belgæ; attamen vetus Editio Belgica Francofurtenſis de 1565. eſt immutata; quemadmodum & illa, quam Petrus Serrarius Hornæ anno 1647. publica luce donavit; quamvis hæc plenior ſit & conſummatior quam ulla præcedentium. Omnibus Belgicis præferenda eſt Antuerpienſis 1685: cui tamen deſunt *Inſtitutiones* ejus, ut & *Epiſtolæ* ac *Exercitia circa Paſſionem Chriſti*; quæ ſeparatim inveniuntur, Inſtitutiones nempe & Epiſtolæ ſub titulo, *Medulla Animæ*, cujus vetus quædam editio Gallica extat, at abſoleta, ex quo nova & pulcherrima verſio comparuit, tum Inſtitutionum ejus, Pariſiis anno 1668. impreſſarum, tum Exercitiorum circa Paſſionem, quæ ibidem ſequenti anno junctis *Exercitiis* pii ESCHII circa viam purgativam, illuminativam, §. 5. *Ejus Opera.* *Eſchius.*

vam, & unitivam, impreſſa ſunt: Pater Mabillonius in Catalogo, ad finem Gallici tractatus ſui de Studiis Monaſticis, inter ſpirituales libros in Gallicum tranſlatos *Opera* Tauleri collocat. Nunquam *Sermones* ejus Gallica lingua conſpexi, qui inter opera ejus primas tenent, at exſtant tamen, citante eos P. Rigoleuco in Epiſt. ſua 24. ad quandam Virginem Religioſam: ſed ipſius tractatulum *de Paupere Vita Jeſu Chriſti* Gallice non reperiri certus ſum, quippe qui deeſt in Latina interpretatione Surii, nec niſi Germanice & Belgice unquam prodiit. Tractatus ejuſdem *de Contemplatione* non occurrit (*a*) niſi in Editione Germanica D. Speneri, qui primus eandem publico dedit, Francofurti, 1692. *Exercitia* ejus *de Paſſione* Domini (a quibus converſionem ſuam exorſus dicitur) ſeorſum Latine prodierunt Coloniæ, anno 1625. in 12o.

§. 6. RUSBROCHIUS. (6.) JOANNES RUSBROCHIUS, coævus & ex parte Magiſter Tauleri, ejuſdem atque hic propemodum eſt characteris, imo ſubinde & ſublimior & methodice magis procedens. Erat ſanctus Canonicus ac Prior Monaſterii Viridis Vallis prope Bruxellas, illiteratus quidem & magnæ ſimplicitatis, at ſimul admirabili vitæ ſanctimonia a puero præditus, ſublimiſque contemplator; unde per viam experientiæ & infuſionis profundiſſimam & originariam univerſæ Theologiæ Myſticæ notitiam acquiſivit, plurimorumque in ea ductor extitit. *Opera.* Non habentur ejus opera niſi Latine reddita à Surio, excepto inſigni ejus libro *de Ornatu Nuptiarum Spiritualium*, qui nonnunquam antiquo idiomate Belgico occurrit, & unum ex optimis ejus eſt operibus. Excuſa ſunt ter Coloniæ, ſcilicet annis 1552, 1609. & 1692. Qui rerum typicarum allegoricas interpretationes quærunt, abunde eas invenient in ejuſdem *Commentario in Tabernaculum fœderis*, aut in Leviticum. Germanica hujuſce Auctoris Editio prodiit noviſſime Francofurti, 1701.

Hæc de RUSBROCHIO paucula conſcripſeram poſtquam nonnullos ex ejus libris ante aliquot annos pervolveram, quorum quidem generalior ſolum remanebat mihi memoria. Aſt iiſdem omnibus recentius à me perlectis, fateri cogor Rusbrochium,

(*a*) *Imo conſulta Editione Hornana anni 1647. illic eum reperi a P. Serrario Belgice converſum ex editione Germanica, ut ait; a Daniele Sosterman anno 1621. publici juris facta. Id quod Editorem Francofurtenſem latuit.*

chium, mihi quidem, nullo negotio videri inter omnes omnino Myſticos facile principem, ſolidum, tutum, pium, ſanctum, humilem, infirmis ſeſe accommodantem, cum ſublimibus ſublimia & arcana petentem, ſenſu profundum, Moraliſtam ſacerrimum, Contemplatorem incomparabilem, Doctorem illuminantem, inflammantem, rapientem admiratione patefactionis arcanorum divinorum & vitæ æternæ; perfruitionis Dei ac beatæ quietis expertum, verbo, talem qualem neſcio utrum alicubi ſimilem reperies. Quod ſi quis Rusbrochiani *Characteris* ſive ejus Methodi ac rerum Epitomen conceptis ipſius verbis habere deſideret, en quæ huc e libro de *Septem Cuſtodiis* cap. III. facere videntur: *Si* AMOREM *&* SANCTITATEM *in ſupremo gradu colere, exercere, ac poſſidere velis,* (& hic quidem eſt ejus ſcopus, ſequuntur media & progreſſus,) *vim* INTELLECTIVAM *à cunctis expedias ac nudes formis & ſimulacris oportet, & per* FIDEM *ſupra Rationem eleves, ubi æterni* SOLIS *micant radii qui te ſuo illuſtrabit ſplendore, & omnem docebit* VERITATEM; *& veritas liberabit te, & nudum aſpectum tuum in formæ-neſcia defiget ac ſtabiliet nuditate. ---- Viſionem hanc* VIS AMATIVA *nudo Amore ſemper inſequitur; & in ipſo ſequendi actu divinæ* GRATIÆ RIVUS *jugiter manat, animam iſtiuſmodi ad vividum Sancti* SPIRITUS FONTEM *introducens, ubi æternæ ſuavitatis* SCATURIUNT VENÆ, *inebriantes animam, ſupraque Rationem eam ſublevantes in quandam velut aberrationem ſeu avia itinera, in ipſam ſcilicet æternæ ſalutis ac* BEATITUDINIS EREMUM: *& hæc vera* SANCTIMONIÆ RADIX *ac ſubſtantia eſt, ex eademque radice interna* VIRTUTUM EXERCITIA *continenter emergunt ac proficiſcuntur: non enim poteſt* AMOR *vacare otio.* Iſta autem, & quicquid præterea docet ſanctus vir, non eſſe nuda duntaxat verba aut meras ideas, ſed divina illuſtratæ mentis experimenta, teſtantur hunc in modum alia ejuſdem verba, humilitatis ſuæ egregia ſimul monumenta: *(a) Mihi ipſi renuntio; atque æternæ veritati, & S. Catholicæ Eccleſiæ fidei, & Doctoribus qui ſacras Scripturas per Spiritum S. explanarunt, me meaque ſcripta libens ſubmitto. Attamen id quod intus ſentio & experior, mihi manet, nec poſſum id è ſpiritu meo depellere: imo ſi vel totum poſſem lucrari mundum, equidem diffidere non poſſem; neque deſperare de Domino Jeſu, quod me damnare velit. Quod ſi diverſa audiero, libens conticeſcam.*

Characteris ac Scriptorum Epitome.

(*a*) de Contemplat. cap. 80.

§. 7. P. J. Evangeliſta. Character. (7.) P. Joannes Evangelista, Capucinus Lovanienſis, non longe abeſt a *charactere* Tauleri in excellentiſſimo tractatu ſuo de *Regno Dei in anima*, qui tam familiariter, tam exacte, & methodo tam genuina & concinna eſt conſcriptus, ut cuivis etiam mediocri ingenio pro introductione ad intelligentiam rerum myſticarum quas admirandis & facillimis ſimilitudinibus explanat, ſervire poſſit. Liber hicce Belgicus eſt, aliquoties impreſſus Antuerpiæ ab anno 1639. (ipſo Auctore tum adhuc vivente) ad annum 1686. * Extat etiam Anglicè, A. 1657. & Germanice ab anno 1665 &c. Poſtremæ autem Editiones Francofurtenſes annorum 1690. & 1692. auctæ ſunt altero tractatu de *Separatione Animæ & Spiritus*, quem Profeſſor Lovanienſis (*Libertus Fromondus*) jam antea Latine publica luce donaverat, junctum ſuæ *Explicationi Cantici Salomonis*. Hic vero tractatus repetita potius ſummorum primi ejus libri capitum videtur commemoratio ac deductio, ſpeciatim de elevatione animæ ſupra ſeipſam; quam continuatio ejuſdem libri, quicquid de eo titulus præ ſe ferat. Nil horum hucuſque Gallice prodiit. Illud imprimis notabile in Auctore iſthoc occurrit, quod nullibi in toto ejus libro ulla deprehendatur vox quæ directe aut indirecte ad controverſias, queis Chriſtianorum Scholæ & Templa ſtrepunt, pertineat; adeo ut nemini non lectio ejus ſit ſine offendiculo ſalutaris. Imo dicitur, e Proteſtantium cœtu eſſe, qui iteratam iſtius impreſſionem promoverunt, tum Amſtelodami, tum Fliſſingæ, 1666. tanti ipſum æſtimant, nec ſine cauſa. Ejuſdem libellus quidam poſthumus habetur *de Euchariſtia*, e Belgico in Gallicum verſus, & Bruxellis Anno 1662. excuſus.

L. Fromondus.

Nihil in medium proferam de pluribus aliis Tauleri characterem gerentibus, præterquam de Harphio.

II.

Henricus Harphius.

§. 8. Harphius. (8.) Hic Auctor, quem numero eorum qui charactere Tauleri præditi ſunt, mox accenſebam, meretur omnino ſpecialem articulum. Apprime cum Taulero congruit; attamen exactiorem tenet methodum, ſpecialia magis attingit, & longe altius pro-

progreditur: imo fateri oportet, ante ipſum, & forte etiam poſt ipſum, neminem adeo feliciter ſicut ipſe, ſtatus internos eorumque profunditatem in anima Deo dedita penetraſſe; ubi ſatis apparet, Rusbrochium notabile ipſi adminiculum ſuggeſſiſſe. Ejuſdem *character* eſt, depingere gradus Reſurrectionum, ſeu, ut termino interpretis ejus utar, *Conſurrectionum*, quantum ad diverſos vitæ ſpiritualis ſtatus in anima omnimode probata & depurata. Oſtendit, quo pacto poſt non unius generis mortificationes, purificationes, & probationes animæ, excitentur in illa gradatim novi divinæ vitæ ſtatus, primo activæ, deinde paſſivæ, in inferioribus animæ facultatibus, ac poſtmodum in ſuperioribus (memoria, intellectu & voluntate:) porro in intima ejus eſſentia, & tandem ſupra ipſam & facultatum ipſius operationes, dum tres SS. Trinitatis Perſonæ eandem poſſident, ibique per adorandos effectus ſeſe exerunt. *Syſtema* hoc eſt Theologiæ Myſticæ tam egregium, tam eſſentiale, tam conſummatum & profundum, atque unquam comparuit. *Ejus character, & Doctrinæ Summa.*

Hoc vero ut conſtet, minime oportet adhærere ordini quo Editores Opera ejus Myſtica non ſatis attente publicarunt. Conſpecto enim communi titulo hoc, *Theologia Myſtica Libri tres*, non poteſt non totum hoc cenſeri unicum Corpus Theologiæ diviſum in tot libros, tanquam in ſuas totidem partes: quum tamen hæ ſic dictæ partes potius tres diverſiſſimi libri ſint, atque eorum quilibet per ſe integer & completus. Primus, ceteris prolixior, multo magis eſt moralis quam myſticus, & vix noſtri hujus argumenti: Secundus autem & tertius proprie Myſticis ſunt accenſendi; & inſuper in ſecundo (qui inſcribitur *Directorium Contemplativorum*) oportet lectionem patienter continuare uſque ad Cap. 25. (veterum ſcilicet Editionum) ubi recta via in imos argumenti ſui incipit penetrare receſſus, uſque ad finem. Tertius ejus liber, itidem in ſe perfectus, titulo, *Eden Contemplativorum*, longe citius Myſtica aggreditur. Repetit ibidem illa ipſa quæ in Directorio occurrunt, adjiciendo tamen nova & memoratu digna; & conſummata ſerie exponit ea de quibus hactenus non niſi obiter diſſeruerat, plurimis Doctorum & Sanctorum locis dicta confirmans. Recenſentur inſuper multa alia ejuſdem ſcripta, quæ tamen vix inveniuntur, neque cum illis quæ notavi, comparari ſolent. *Opera.*

rrr 2 (9.) Erat

Digitized by Google

§. 9. (9.) Erat Harphius Cuſtos (quem Guardianum communiter nominant) Franciſcanorum ſtrictæ, ut vocant, obſervantiæ, Mechliniæ ante ducentos, & amplius annos vivens. Myſtica ejuſdem Theologia prodiit in lucem Latine, & prima quidem vice Coloniæ, anno 1538. poſtmodum vero, anno 1556. P. Mabillonius recte judicat; haſce Editiones ob integritatem omnibus aliis eſſe præferendas; quamvis hæ poſtmodum per Inquiſitionem fuerint prohibitæ, haud quidem ob myſtica dogmata, ſed ob tres quatuorve lineolas quæ ineptitudinem Directorum & Spiritualium iſtius ævi eloquuntur. Dixerat Auctor cap. 12. Directorii ſui, perfectos, aut eos ſaltem qui adeo à Spiritu Dei aguntur ut ipſos ſanctum ejus impulſum unice ſequi oporteat, non indigere humana Directione, ſive, *iſtis non eſſe neceſſarium ſub obedientia ſtare & regi*, adjectis hiſce verbis: *Præſertim temporibus iſtis in quibus communiter omnes ſuperiores qui alios regunt, magis ad exteriora quam ad interiora dediti ſunt, ita ut valde parum aut nihil de interna vita percipiant; & ideo ſubditis ſuis, qui a Deo ad internam vitam trahuntur, potius impedimenta ſunt quam auxilio. Et hæc eſt cauſa quare inter Religioſos adeo magna acedia eſt & immortificatio, quia regimen non ordinant ut interna ac proficiens vita exigit.* Hic textus (qui & legitur in originali Belgico Antuerpiæ anno 1502. emiſſo) ipſum reddidit inviſum; quem & e Romana Editione 1585. ac e Colonienſi 1611. itemque ex aliis eliminarunt: ut & e Gallica verſione, ubi etiam interpres delevit verbum Auctoris, (a) *Creatura* ſcilicet *æterna*; quod ipſius captum ſuperabat.

(a) *Lib.* 3. *cap.* 21. *omnium qui (vel quæ) ſumſerunt originem* in tempore & in æternitate. *Poſtremum hæc verba in verſione Gallica ſunt omiſſa.*

Opera Myſtica Harphii noſtri Gallice evulgata ſunt, Pariſiis anno 1616. verſione Domini de la Mothe-Romaincourt Conſiliarii Regii; at cum dictio hæc vetus ſit, nova interpretatio, ad minimum *Directorii*, optimi ejuſdem tractatus, jam admodum foret opportuna. Ultimus hic Tractatus etiam antiquo, ut dixi, idiomate Belgico & quidem titulo *Speculi Perfectionis*, invenitur, imo & idiomate Germanico, at rarius tamen. Inſigniter hic Scriptor ſeſe opponit Amori *propriæ quæſitionis*, reſpectu eorum qui ad perfectionem tendere allaborant.

III.

Joannes a Cruce.

Et qui huc pertinent.

(10.) Quod ad ſublimitatem, ejuſdem plane cum Harphio ordinis eſt Joannes a Cruce; imo hic illi haud parum antecellit in iis quæ huic propria ſunt. Scopus ejuſdem eſt, oſtendere, quî per puritatem omnimodam anima ad unionem cum Deo & præparetur, & vere attingat, ſuggeſto nobis ſpecimine aliquo ſuaviſſimi Supremæ Majeſtatis cum emundata anima commercii. §. 10. J. a Cruce.

Præter viam activæ purificationis, quam tribus libris *Adſcenſus ad montem Carmelum* methodo valde ad expurgandam Eruditorum ad Cœleſtia aſpirantium mentem accommodata deſcribit, quamque etiam oſtendit effici per Virtutum praxin, in quâ vult ut quis perpetuo & abjectiora & duriora amplectatur; ſingularis Joannis a Cruce character eſt (1.) in *purificatione* quidem *activa*, animæ & facultatum ejus nuditas, eaque tam univerſalis, ac eo uſque ſeſe extendens, ut etiam affectum omnem retrahat ab omnibus ſenſibilis & ſpecialis Gratiæ divinæ donis, quæ Summa Bonitas non raro ſcholæ ſpiritualis tironibus impertit, ſive per ſenſuum, ſive imaginationis, aut aliarum facultatum canales affluant; exceptis ſolum verbis & attactibus Dei *ſubſtantialibus*. Præ omnibus aliis Auctoribus hic imprimis animam munit contra omnis generis *illuſiones* deceptionesve ſpirituales, qualeſcunque etiam ſeſe obtulerint; adeo ut qui ejuſdem principia obſervaverit, non poſſit non in ſemita Spiritus tutiſſime incedere procul omni deceptionis periculo, idque per puritatem nudæ fidei, ſpei & charitatis. (2.) Alius præterea ſublimis hujus Auctoris character reputari debet in *Purificatione paſſivâ* terribilis illa *Nox* tum *Animæ*, tum *Spiritus*, ſive proxima præparatio ad unionem cum Deo, quam purificationem longe profundius, exactius, & tam inſigni vivacitate in ſua *Nocte Obſcura* eruit, ac unquam quiſquam fecit. (3.) Tertio ad characterem ejus refero, quæ in *Viva Amoris Flamma* de Unione divina, ejuſdemque admirandis memorat, modo magis ſpeciali & longe mirabiliori Character & opera.

atque ab ullo alio factum ; ſicut & in *Cantico Sponſi Divini & Sponſa de diverſis proceſſibus* & amabilis commercii viciſſitudinibus, itemque amaris probationibus, quæ inter Deum eveniunt, & animam ipſi junctam, quæ tamen hac in vita a Deo diverſe exerceri debet ob rationes ipſi Sapientiſſimo Numini cognitas. Hoc mirabile Canticum compoſuit Auctor per vivam experientiam quam ſenſit in anguſto & crudeli carcere, cui perſecutores, proprii ejus ſodales, ipſum incluſerant, & e quo dein non ſine miraculo fuit eductus.

Claudunt ejus opera *Epiſtola* ejuſdem decem, *Cautela ſpirituales* novem contra Mundum, Dæmonem ac carnem, & *ſententia ſpirituales* centum; quibus pro fine addit hanc, unde hominis ſpiritum ac doctrinæ ſanitatem puritatemque dignoſcere queas, exclamationem ad Deum :. *Domine Deus, Amator meus, ſi adhuc memor es iniquitatum mearum, ut non exaudias orationem meam, fac mecum ſecundum voluntatem tuam, hanc enim & ipſe volo; tuamque bonitatem & miſericordiam exerce, & in illis cognoſceris. Si vero opera mea exſpectas, ut ipſis intercedentibus annuas Orationi mea, da illa tu, Domine, & in me illa operare; nec non pœnas quas tibi placuerit acceptare, mitte; & ſic fiat! Quod ſi opera mea praſtolari non vis, quid, ô Clementiſſime Domine, exſpectas? cur moraris? cur tandem, ſi gratia & miſericordia futura eſt, quam in Filio tuo requiro? Accipe operum meorum teruncium ſi quidem tibi placet; & hoc mihi bonum largire ſi quidem etiam & hoc tu vis. Quis evadere poterit infimos modos ac terminos, niſi tu, ô Deus meus, in puritate amoris eum erigas ad te?*

§. 11. *De operibus, eorumque interpretationibus nonnulla.*

(11.) Hic profundus, realis & ſolidiſſimus Scriptor res ita tractat, ut ſatis liqueat, ipſum ex origine cœleſti & experientia vera loqui, unde & lectorem attentiſſimum reddit, eique venerationem inſpirat haud exiguam. Scripſit Hiſpanice, quum fuerit Carmelita diſcalceatus iſtius nationis, & Coadjutor S. Tereſiæ, illo ævo, quo per notabilia ſchiſmata Eccleſiæ corpus eſt divulſum, quæ adhuc hodie mutua diſſidia fovent. *Vita* Jo. a Cruce, cujus extat & epitome; & prolixior deſcriptio, clariſſime Angelicam ejus puritatem detegit; prærogativam, quæ ipſius *Operibus* maximum pondus addit. Reperiuntur hæc in Latinum ſermonem tranſlata & edita Coloniæ 1639. Germanice Pragæ 1697. & alibi aliis linguis. Habentur duæ interpretationes Gallicæ,

Digitized by Google

licæ, una vetus, Pariſiis quater vel quinquies impreſſa, & ultima vice anno 1665. cui annexus eſt alius cujuſdam Religioſi tractatus *de Unione Animæ* cum Deo; quem tractatum ipſe tanquam neceſſarium ſupplementum Operum Auctoris noſtri venditat; quamvis hocce additamentum non ſit niſi arida oſſa ſcholaſtica, quæ in noviſſima verſione merito eſt omiſſa. Hæc Pariſiis anno 1694. in publicum emiſſa per P. Maillardum e Soc. Jeſu, puriſſimo ſtylo eſt exarata, longeque majori perſpicuitate, & felicioribus terminis res non paucas exprimit quam vetus editio. Veruntamen in quibuſdam locis interpres ſenſum verborum non ſatis forte percepiſſe, atque hinc inde eundem infirmaſſe videtur, quod non paucas Auctoris dictiones modoſve loquendi, hujus ævi Anti-Myſticis immerito ſuſpectos, omittendos crediderit: Inſuper hoc in verſione hac reperitur incommodum, quod interpres textum hinc inde nimium caſtraverit, ſub prætextu evitandi repetitiones; fortaſſe autem ad ſupprimenda ſimul non paucis nunc inviſa loca, haud diſſimilia illi quem in Harphio expungere (ut modò vidimus,) haud dubitarunt; de quo explicatio tertii paragraphi in Cantico vivæ Amoris flammæ poſſet ſuppeditare exempla. Quapropter illi qui Auctorem hunc omni ex parte integrum deſiderant, oportet ut priores Editiones ſeligant; tanto magis quod in his inveniantur in Gallica quidem P. JACOBI A JESU *tres Diſſertationes*; in eadem vero & in Latina, P. NICOLAI A JESU-MARIA *duo libri vel duæ partes illuſtrationum*, tum Theologiæ Myſticæ, tum phraſium aut terminorum ejus, & imprimis Auctoris noſtri: quæ quam maxime faciunt ad horum argumentorum explanationem, & plurimas difficultates removent, tam per rationes, quam per allegatas abunde auctoritates, ad præveniendam nonnullorum infirmitatem, vel aliorum quorundam malignitatem, qui perverſum textui ſenſum affingere poſſent. Interim ultima Editio Gallica aliud in ſe gerit commodum; ſcilicet extat ibi in fine utiliſſimus Catalogus omnium Sententiarum ſpiritualium Auctoris noſtri, quæ ex omnibus ejuſdem Operibus circa quælibet argumentorum genera ſunt collectæ; imo & ab initio, in Præfatione Interpretis, exſtat Methodi Auctoris rerumque ab eo tractatarum argumentum adeo ſuccinctum atque ordinatum, ut non poſſim quin illud hic Latine redditum exhibeam, ſiquidem & Theo-

Jac. a Jeſu.
Nic. a J. Maria.

Methodus Auctoris & ſeries rerum.

Theologiæ Myſticæ breviſſimam ideam, at plenam ſatis & ſolidam ſimul complectitur. Id vero ſic habet.

„ Initio proponit ſibi ſanctus hic vir pro fine ac ſcopo perfectam
„ cum Deo unionem. Dein pro fundamento ponit affectuum,
„ ſenſuum internorum ac externorum, memoriæ, intellectus &
„ voluntatis mortificationem; ut anima a creaturis & a ſe ipſa li-
„ berata, ſe ad Deum elevet per obſcuritatem fidei, firmitatem
„ ſpei, & ardores divinæ Charitatis.

„ Quoniam autem primis hiſce initiis ſolent ut plurimum adjun-
„ gi guſtus quidam interni, ſuavitates ſenſibiles, ardores ſpiritua-
„ les, quibus vero nutriuntur atque foventur proprius amor, men-
„ tis activitas, meditationis diſcurſus, aliæque diſpoſitiones, na-
„ turæ corruptæ etiam blandientes & commodæ; docet idem,
„ eum qui ad unionem illam divinam tendit, imperfectiones iſtas
„ omnes debere à ſe amovere, ac renuntiare ſpeciebus notionibuſ-
„ ve materialibus creatarum rerum, viſionibus item imaginariis,
„ aliiſque id genus operationibus, quo per infuſionem ac paſſivo
„ modo recipiat ſupranaturalem contemplationem, quæ ad ſum-
„ mum ducit bonum per vias certas, licet obſcuriſſimas.

„ Et è hoc quidem capite procedunt, uti oſtendit, ſiccitates,
„ ariditates, dubia circa Deum propriumque ſtatum, inquietudi-
„ nes, timores, pavores, de divina miſericordia deſperationes,
„ aliæque internæ anxietates, quæ vel Orci tormentis pares viden-
„ tur animæ, Deo interim hoc in ſtatu illam cum ſenſibus & po-
„ tentiis ſuis ſpiritualibus purificante, atque idoneam reddente quæ
„ cum illo uniatur modo puriſſimo ac ſublimiſſimo.

„ Namque ſimul ac ipſa e duris iſtis egreditur probationibus,
„ ingreditur eadem in altas æquabiliſque conſtantiſque ſemper Amo-
„ ris elevationes; quietem in Objecti ſui guſtat perfruitione; inque
„ Creatore ſuo tota transformatur. Et hac quidem in transforma-
„ tione felici Deus ſe cum anima communicat, hæc vero ipſi Deo
„ unitur, prout in Canticis ſuis explicat magnus hic interioris vitæ
„ Magiſter. Hactenus Interpres.

§. 12. (12.) Quum poſtremis hiſce temporibus Theologiæ Myſti-
cæ inſigne pondus & notabilem lucem addiderit hic Scriptor, non pauci eorum qui de ea quicquam protulerunt, ejuſdem divinis luminibus edita ſua exornarunt, quorum alii Joannem a Cruce nominarunt, alii de eodem plane conticuerunt. Ec-

cc

Digitized by Google

ce quoſdam qui hoc reſpectu ipſius characterem plus minuſve referunt.

JOANNES A JESU-MARIA, in ſua *Theologia Myſtica* Latine conſcriptâ, & Coloniæ 1611 edita, ſicut & alia ejus opera, ann. 1622. 1644. Illa in Gallicum verſa eſt per antiquum Operum Jo. a Cruce interpretem, & edita Pariſiis anno 1666. J. a Jeſu-Maria.

(13.) THOMAS A JESU, cujus Latinum Opus de *Oratione divina* Antuerpiæ anno 1623 impreſſum, eſt quaſi *Syſtema* aliquod Theologiæ Myſticæ ſecundum tres vias diſpoſitum, Purificationis nempe, Illuminationis, & Unionis; atque variis plurimorum ſpiritualium Auctorum allegationibus ſuffultum. Idem hic alium adhuc *de Contemplatione* Latinum tractatum publico dedit, ibidem excuſum anno 1620, ubi argumentum ſuum exacta ſerie pertractat, & multis auctoritatibus confirmat. Reliqua Operum ejus non ſunt ejuſdem notæ. §. 13. Th. a Jeſu.

(14.) CONSTANTINUS DE BARBANSON, Capucinus, doctrinam Joannis a Cruce ſatis profunde imbibiſſe videtur, præſertim quod ad rigidam Purificationem, in exiguo & præclaro tractatu ſuo de *Semitis occultis Amoris Divini*, qui eodem fere tempore Gallice, Latine & Germanice in lucem prodiit, ac nuperrime denuo Latine ſub incudem revocatus nitido charactere, titulo: *Veræ Theologiæ Myſticæ Compendium, ſive Semitæ occultæ Amoris Divini*, Amſtelod. 1698. quod revera pro *Syſtemate* quodam Myſtico admodum ordinato ſolidiſſimoque haberi debet. Nuſquam ejuſdem *Anatomiam Animæ*, Leodii anno 1635. Gallice impreſſam, quæ maximi fit, videre licuit. Eſt hic Auctor expertus, penetrans, ſublimis, conciſus, & longe utiliſſimus. §. 14. C. de Barbanſon.

(15.) Inter Myſticos Scriptores, qui cum notabili fructu Opera Joannis a Cruce evolverunt etiam numerarem P. VICTOREM GELENIUM, Capucinum Trevirenſem, niſi in Latino ſuo Tractatu, qui inſcribitur, *Summa Practica Theologiæ Myſticæ*, Coloniæ annis 1646. & 1652. impreſſo, voluiſſet indiſcriminatim variorum Auctorum ſpiritualium lumina mutuari, ut in publicum exprimeret *Syſtema* quam maxime univerſale & amplum, quale de materiis myſticis necdum comparuerat, tam quantum ad theoriam, quam quantum ad praxin attinet. §. 15. P. V. Gelenius.

(16.) Iiſdem, ratione ſubſtantiæ, principiis innituntur, perque eaſdem vias & ad eundem cum Auctore noſtro ſcopum tendunt, §. 16.

dunt, nulla licet inter ſe alia niſi ejuſdem Spiritus communicatione, parva Compendia *de Perfectione Chriſtiana*, &, *de Interiori Abnegatione, ſive, de Ruina Amoris proprii*, ſeculo ſuperiori Italice ſcripta, variis deinde linguis in publicum emiſſa, & denuo in Belgio Gallice recuſa annis 1690. & 1696. in primo volumine Collectionum, titulo, (a) *Theologia Cordis*, quod etiam Germanice prodiit Francofurti ac Lipſiæ, anno 1702. Vix invenies quicquam quod eam vim, iſtum ordinem, præſtantiam, & circumciſam concinnitatem præ ſe ferat, quibus iſtud inſigne & admirandum libellorum par inſtructum eſſe animadvertes; cujus Auctorem ſi requiras, femina eſſe creditur; quamvis Editio Italica Coloniæ anno 1642. evulgata, & Nuntio Chiſio, (qui ipſe dein Papa Alexander VII.) inſcripta, primum horum opuſculorum (quod etiam Latine exſtat, imo Germanice, Norimbergæ 1634. & Belgice, Roterodami 1674. titulo, *Praxis tendendi ad ſummam perfectionem*) *Achilli Gagliardo* e Soc. Jeſu tribuat, contra aliorum ſententiam, & contradicente Pariſienſi Editione anni 1598. Duo hi exigui tractatus, & imprimis poſtremus, haberi poſſunt pro Compendiolis *Syſtematicis* Theologiæ Myſticæ & ſolidioris, & ad praxin accommodatiſſimæ, atque ab omnibus tum illuſionum aut deceptionum nebulis, tum omnis generis adverſariorum diſputandi libidine flagrantium tricis remotiſſimæ.

Anonymi.

(a) *La Theologie du Cœur*, &c.

A. Gagliardus.

§. 17. (17.) Tandem in medium produco Auctorem, imo originarium & vividum exemplar characteris J. a Cruce circa purificationem paſſivam & ſeveram, MATTHÆUM ſcilicet WEYERUM, laicum, anno 1560 Veſaliæ e cœtu mortalium ſublatum, qui, dum vixit, in ſpiritualibus anxietatibus dies ſuos tranſegit, mente cœlitus illuminata, ceu clariſſime apparet ex ipſius *Epiſtolis* cor intime afficientibus, & *divinorum ejus eloquiorum* Compendio; e quibus videre eſt, quî cuncta ea quæ hominis ejuſdemque potentiæ ſunt, actuſque & omnis proprietas, tandem in judicium prolabantur & concidant coram Juſtitia Divina ante perfectam purificationem & juſtificationem hominis; ut nihil dein ſuperſit in nova creatura, nilque coram Deo & in æternitate ſubſiſtat, niſi merum Summi Numinis opus, atque nulla caro, ſecundum Scripturam, coram ipſo gloriari poſſit; ſoli vero Supremæ iſti Majeſtati omnis honor & gloria in æternum tribuatur. Vetus dictio primæ Editionis Belgicæ hujuſce Auctoris, Francofurti anno

M. Weyerus.

Digitized by Google

no 1597 impreſſæ, ornatior comparet in ſecunda Amſtelodami anno 1652 in lucem emiſſa, quæ rarius nunc invenitur. Perperam vero ibidem in margine inſerta legitur (quamvis in parentheſi) nota plane erronea priſtini Editoris, qui alibi mentem habuit, quum Auctoris cenſoriam quandam caſtigationem applicuit cuidam per D. J. (*a*) expreſſo, de quo tamen Auctor neutiquam cogitavit, & cui caſtigatio iſthæc minime erat accommoda. Opuſculum hoc verſum & editum eſt Germanice Amſtelodami anno 1658. eodemque tempore Latine, titulo, *Theologiæ Myſticæ praxis viva, ſive* Matthæi Weyeri *Effatorum Libri tres* &c. Verum Latinus interpres ſubinde Auctoris ſenſum perperam intellexit. Audio præclarum hunc libellum nuperrime Londini Anglice in lucem prodiiſſe; Gallice necdum comparuit.

(*a*) Vide infra §. 59.

(18.) Epitomen viæ hujus Weyerianæ continet *Epiſtola* virginis cujuſdam *de Regeneratione*, quam junctam invenies recenti Gallicæ interpretationi Theologiæ realis aut Germanicæ, quæ Epiſtola bis Belgice Amſtelodami edita eſt annis 1677, & 1688. brevis quidem mole; ſed rerum pondere eximia. §. 18. *Maria Henrici.*

IV.

S^TA^ T e r e s i a.

Et quidam ejuſdem characteris.

(19.) Quæ Joannes a Cruce docuit modo theoretico ſecundum viam intellectus, imo, aliquatenus ſcholaſticam; ea ipſa practico modo comprehenduntur narrationibus & prolationibus propriæ experientiæ, methodo penitus affectiva viamque cordis reſpiciente, in ſcriptis S^tæ^ Teresiæ; cujus characterem judico, quod ſine ullius methodi affectatione (licet interim haud careat ordine) loquatur & ſcribat e mero ſenſu & motu animi, amoris, humilitatis, & ſecundum vivam experientiam quam in rebus ſpiritualibus & ſupranaturalibus habuit. Urget ipſa inprimis viam *Orationis*, tam activæ, quam ejus quietis quæ dicitur, quæque & paſſiva, ſupranaturalis atque unitiva eſt; memorat ejuſdem gradus, & infinitum ac ineffabile gratiarum flumen quo Optimus Maximus perfundit animas quæ illi ſeſe conſecrare annituntur. Elocutio ejus humilis, efficax, & Dei ſpiritu fervens, tenerrime §. 19. S. Teresia. *Character.*

Digitized by Google

afficit eorum corda qui vel aliquam verſus Deum proclivitatem fovent, excitat in his amorem Dei, & profundam animabus imprimit erga divinam Majeſtatem, & ſacratiſſimam humanitatem Servatoris, venerationem, cum ſingulari admiratione ob gratiarum, & operationum ineffabiles Altiſſimi theſauros in animis illorum qui ſincere ipſi ſeſe dedunt.

§. 20. *Ejus Opera.* (20.) Notiſſimum eſt hanc primi ordinis Sanctam fuiſſe Carmelitam in Hiſpania; cujus ſtatum ſatis detegunt libri ejus, quibus ipſa magnam *vitæ ſuæ* partem deſcripſit, at cujus hiſtoriam *P. Ribera.* completam Epiſcopus Taraconenſis, & P. Ribera, quilibet ſeparatim, publico dederunt, Hiſpanico idiomate, unde & in Gallicum utraque converſa eſt. Verſi ſunt & ex Hiſpanico ejuſdem Sanctæ libri in omnis generis linguas, & editi Latine quidem Coloniæ anno 1626. ac ibidem Germanice anno 1686. ut & Herbipoli, anno 1649. &c. Inter plures verſiones, quæ Gallice extant, recentiſſima & optima eſt illa D. Arnaldi d'Andilly, multoties Lutetiæ Pariſiorum impreſſa, & ultimo (ann. 1688.) Antuerpiæ, tribus parvis voluminibus, queis annexæ ſunt *Epiſtolæ* antiquiores Sanctæ hujus, quibus carebant Editiones Pari- *J. de Palafox.* ſienſes, at quæ nimis obrutæ ſunt Notis Epiſcopi Oſmenſis: *Antiquiores* voco has Epiſtolas reſpectu illarum, quæ haud ita pridem Antuerpiæ anno 1698 duobus tomis (Gallice,) in manus hominum venerunt, nec adhuc lucem viderant. Inter ejus Opera, illud quod inſcribitur *Caſtellum Animæ*, præ aliis eſt ſublime: Tractatus *de Via Perfectionis*, omnium maxime familiaris & utiliſſimus: *Vita*, quam ipſamet deſcripſit & *Exclamationes* ejus, altius quam ulla alia, cordis intima tangunt: *Epiſtolæ* & *Fundationes*, cum ſingulari jucunditate leguntur.

§. 21. S. Gertrudis. (21.) Inter eos, qui characteri S. Tereſiæ quam maxime appropinquant, imprimis memoranda Sta GERTRUDIS, nequaquam illa Brabantina, quæ ſeculo vixit ſeptimo; ſed quæ in Germania vixit, Comitiſſa nata; & quæ quingentis circiter abhinc annis Abbatiſſa fuit Religioſarum Ordinis S. Benedicti in Diœceſi Halberſtadenſi. Scripſit illa ipſa Latine. Crediderim per titulum, Vitæ & Revelationibus ipſius præfixum, nimirum *Inſinuationes divinæ pietatis* (non ſemel Coloniæ, ſicut & Pariſiis atque Saltzburgi anno 1662 excuſæ) ſignificari, quod ipſa revera cordibus inſinuaret pietatem plane divinam & Amoris ardorem ſin-

gularem

gularem erga Majeſtatem Numinis, ceu imprimis e ſecundo illarum Inſinuationum libro conſtat; ubi converſionem ſuam & partem vitæ ſuæ deſcribit ipſa eo pacto, ut non imitari ſolum, verum & ſuperare videatur S. Auguſtinum in Confeſſionibus ſuis. Ejuſdem *Exercitia Amoris divini*, quæ preces ſunt proprio ejus uſui pro ſingulis ſeptimanæ diebus deſtinatæ, ſingularem quoque vim ſpirant. Verterunt ea ex Latino & Gallice evulgarunt Pariſiis anno 1672. & anno ante ut & 1687. Ejus Inſinuationes, at ſub titulo, *Vita & Revelationes* S^tæ *Gertrudis*, quem titulum verſio Germanica Colonienſis anni 1657, ut & 1674. itidem aſſumſit. Interpres, cetera Gallus, quamvis facundus, tamen non ubique ſatis aſſecutus eſt mentem ſanctæ hujus animæ, quæ inter omnes, quæ tum vixerunt, puriſſima fuiſſe creditur. Ceterum habetur & alia operum ejus interpretatio Gallica antiquior, anno 1634 Pariſiis per D. Ferraige evulgata, cum titulo, *Inſinuations* &c. quæ fere ad verbum reddita eſt, cùm prior, quæ & eloquentior, minus eapropter verbis adhæreat.

(22.) Hujus Sanctæ deſcriptio anſam mihi dat de alia ejuſdem nominis piiſſima virgine cogitandi, quæ ſcripſit *Confeſſiones animæ amantis*, eodem charactere, intime afficientes, & mire efficaces ad emollienda & accendenda in Amore Dei pectora, itemque in vera reſignatione, humilitate, puritate, animique ſolida pace atque lætitia in conſpectu Dei. §. 22. Gertrudis More.

Eſt hæc GERTRUDIS MORA, e ſtirpe celebris illius Cancellarii Anglici ejuſdem nominis, olim Religioſa Cameracenſis, cujus libellus Anglice eſt excuſus Lutetiæ Pariſiorum, 1658. & Germanice verſus prodiit Francofurti, anno 1704.

(23.) Eodem Tereſiano charactere omnimode præditam obſervo CATHARINAM, de *Senis*, ſeu *Senenſem* dictam, quod ibidem circa medium ſeculi decimiquarti naſceretur. *Meditationes* ejus *in Paſſionem*, cum Vita ejuſdem per Confeſſionarium ipſius editæ (ac Gallice etiam Pariſiis & alibi publicatæ,) *Sex Dialogi*, quos ipſamet dictavit (impreſſi Latine Ingolſtadii anno 1538, & Coloniæ 1601.) & qui imprimis tractant de Doctrina Chriſtiana quantum ad inſtaurationem hominis, de amore Dei, de lachrymis pœnitentiæ, de Eccleſia & ejus Miniſtrorum corruptione, de Providentia Dei, ac de obedientia; ejuſdem *Preces*, iſtis junctæ; *Epiſtolæ* ad omnis generis homines perſcriptæ, Ve- §. 23. S. CATHARINA Senenſis. *Opera.*

netiis Italicè 1506, & Gallice Pariſiis in lucem emiſſæ anno 1644. tandem veneratio, imo vero ſubmiſſio & obedientia quam ipſi præſtitit univerſus pene Chriſtianus orbis, haud exceptis ipſis Pontificibus, Regibus, magnis parviſque, eruditis ac non eruditis, (licet ipſa ſimplex virguncula in flore ætatis triginta circiter annorum extincta,) abunde commonſtrant a Summo Numine

Character. donum ipſi fuiſſe conceſſum commovendi animos, & inflammandi deſideria per ſacros ardores & cœleſtis amoris ignes, quibus ipſa in intimis medullis flagravit.

§. 24. L. Bloſius. (24.) In operibus *Ludovici de Blois*, (qui vulgo dicitur *Bloſius*, Benedictinus, Abbas Lætienſis, & abhinc ſeculo & ultra vixit) idem Spiritus idemque character comparent, ad accendenda veræ pietatis & ſanctimoniæ igniculis pectora; unde & ſemper, quoties mentio ejus fit, Pii nomine inſigniri ſolet. Collecta & edita ſunt non ſemel Latine Antuerpiæ; & varii eorum tractatus ſeorſum ſunt evulgati, ac etiam in varias linguas tranſlati.

R. Jordanus. *Contemplationes Amoris divini* RAIMUNDI JORDANI (qui dictus *Idiota*, & cujus omnia opera Pariſiis anno 1654 in 4° prodierunt,) manifeſte eundem plane tenent characterem, æque ac illi quibus communiter junguntur, libelli, ſcilicet, *Soliloquia*, *Meditationes*, & *Manuale* quæ nomen S. Auguſtini præ ſe ferunt;

S. Auguſtinus. A. de Oroſco. e-cujus *Confeſſionibus*, ſicut & e *Confeſſionum* libris tribus ALFONSI DE OROSCO, Eccleſiaſtæ Caroli Quinti, idem humilis & fervidi amoris character elucet. Poſtremæ hæ ex Hiſpanico in Gallicum ſunt tranſlatæ & editæ Antuerpiæ, 1643. libellus mole exiguus, valore non item.

Taceo non paucos alios; quorum tamen nonnulli in ſequentibus articulis opportune commemorabuntur.

V.

STA CATHARINA GENUENSIS.

Et qui huc ſpectant nonnulli.

§. 25. S. CATHARINA GENUENSIS. (25.) Illuſtris & ſancta hæc Matrona, e nobiliſſima domo Fieſcana, Proregis Neapolitani filia, adeo, quamvis marito juncta, in divinioribus excelluit, adeo ſpiritualis ac perfecta Dei amans fuit, ut a longo tempore ſimilem in orbe terrarum extitiſſe neu-

tiquam

Digitized by Google

tiquam probabile ſit. *Character* ejus eſt AMOR quidam Summi Numinis tam purus, tam excelſus, tam fortis, tam ſingularis, ut reſpectu hujus nil occurrat neque in exemplis, neque in ſcriptis Sanctorum & Doctorum, quod ſublimitatem & vim puriſſimi hujuſce Amoris attingat; qui poſtquam ipſam uno momento perfecte penetraverat & converterat, flagrabant inde & anima & corpus ejus per totum vitæ ſuæ tempus, ſic ut nihil ea reſpiraret, nihil ageret, nihil diceret, nihilque ſcriberet, niſi Amorem omnimode purum & prorſus incomparabilem. *Character.*

(26.) Videmus in ipſa ejuſdemque ſcriptis, qua ratione nobilis & purus hicce AMOR, Deo ſolique gloriæ divinæ unice intentus, in ſe ſolo omnia comprehendat, & ſupremum finem, & omnes vias, omniaque media ad aſſequendum perfectionis culmen. Oſtendit, quomodo e ſcaturigine Amoris dimanent corruptionis noſtræ & infinitæ malignitatis, itemque noſtri nihili, extremæque noſtræ ad bene agendum infirmitatis, nec non miræ abſurditatis vanæ gloriæ cognitio & agnitio; tum ſui ac omnium abnegatio, perfecta contritio, horror peccati, mortificatio & ſanctificatio corporis, animæ & ſpiritus; acquieſcentia in Juſtitia Dei, conſummata patientia, charitas & miſericordia vividiſſima erga proximum, & alia ejuſdem generis, quibus obſtricti ſunt omnes ii qui ad æternam beatitudinem aſpirant. Elicit & ipſa hinc inde ex eadem origine mille egregia & convincentia lumina circa difficillima & maximi momenti Theologiæ argumenta, de incomprehenſibilitate Dei & ejus Amoris, de attributis ejuſdem Potentiæ, ejuſdem Sapientiæ, Bonitatis, Miſericordiæ, Juſtitiæ; de modo quo eadem reſpiciunt creaturas tam bonas quam malas: de Gratia, hujus præveniente appulſu, univerſalitate, modo operandi ac ipſimet reſiſtendi, ejuſdemque efficacia; de libero arbitrio; de potentia & impotentia hominis, coöperationeque ipſius cum Deo in negotio ſalutis ſuæ; tandem, de tota Theologia Myſtica, hujuſque viis purificationis, illuminationis, annihilationis potentiarum, unionis, transformationis, & deificationis. Quæ omnia ſunt effluvia & fervidæ irradiationes puriſſimi Amoris Spiritus Dei, qui ipſam occupaverat totam & regimine ſuo ducebat. §. 26. *Doctrinæ ejus ſumma.*

(27.) Opera ſanctiſſimæ hujus feminæ, quæ ante duo ſecula Genuæ vixit & obiit, verſa ſunt ex Italico in Gallicum, & centum §. 27. *Opera, & contenta in iis.*

ſum fere ab hinc annis evulgata Pariſiis per Patres Carthuſianos *de Bourg-fontaine*; poſtmodum denuo excuſa aliquoties Pariſiis & Lugduni, donec anno 1667. ſtylo eorum emendato iterum Pariſiis prælo ſubjicerentur, attamen magis quam decebat mutilata & immutata: cui defectui remedium afferre annititur nova Editio, quæ nuper in Belgio prodiit ſub titulo, (*a*) *Theologia Amoris*, ſeu *Vita & Opera* Stæ. *Catharinæ Genuenſis* 1691. Quæ *Vita* (opus Confeſſionarii ejus) in tres Partes eſt diviſa, quæ ſunt, primo ejuſdem converſio, dein ſermones & colloquia, ac tertio, poſtremæ horæ. Trium ejus *Dialogorum* (qui Germanica lingua in publicum emiſſi ſunt cum Vitæ ejus compendio, Halæ 1701.) argumenta ſunt, *primi*, lapſus animæ, ejus converſio & purificatio activa per infuſionem Amoris: *ſecundi*, purificatio paſſiva animæ & Spiritus per novas ejuſdem Amoris infuſiones; *tertius* plures continet quæſtiones animæ & reſponſiones Dei de natura, cauſis, operationibus & effectibus puri iſtius Amoris Dei: e quo principio ipſa etiam ſeparatim depingit naturam *Purificationis animarum poſt mortem*. Quæ omnia conſummatiſſima ſoliditate mentem intime afficiente proponit.

(*a*) *La Theologie de l'Amour &c.*

§. 28. 28. Quamvis admirabilis hæcce Sancta, in hoc genere unica ſit, nihilque ejuſdem ſcriptis comparari queat ad animos Divini Amoris igne inflammandos, tamen Sta. *Catharina Senenſis*, quam mox ante deſcripſimus, maxime omnium ejuſdem charactere pollet, in ignitis ejus Epiſtolis maxime conſpicuo: præ aliis vero nobilis & ſanctus ille Britanniæ minoris cæcus, JOANNES A S. SIMSONE, Carmelita diſcalceatus, qui obiit in civitate Rhedonenſi anno 1636. poſtquam ſexaginta propemodum de variis argumentis tractatus ſpirituales & myſticos in calamum dictaverat, quorum tamen duo ſolum (quod ſciam) volumina in quarto huc uſque typis ſunt excuſa; *primum*, quod *Vitam ejus* & *Principia*, atque alios quoſdam Tractatus continet, Pariſiis anno 1651. ac Latine Lugduni anno 1655. *ſecundum*, anno 1654. denuo cum primo impreſſum. Ultimum hoc ejuſdem *Contemplationes* circa omnia ſalutis Myſteria memorat, junctis quibuſdam aliis opuſculis; quæ ſicut reliqua omnia, non ſunt niſi rivuli vel flumina infiniti Amoris, ubique illic radiantis, quo impulſus Auctor perpetuo Deum nominat Amorem ſuum & cariſſimum Amorem, libroſque ſuos *Specula* & *flammas Amoris*: *Amorem*

S. Cath. Senenſis. — J. a S. Simſone. — *Opera.* — *Character.*

Digitized by Google

rem aſpirativum: Conſummationem animæ in Deo per Amorem: Soliloqium, Epithalamium Sponſi divini &c. Tractatus ejuſdem de Amore aſpirativo nuper iterum eſt impreſſus in ſecundo volumine libri cui titulus *Theologia Cordis*; & *Principiorum* ejus compendium habetur annexum novæ Editioni *Theologiæ realis*, quæ nuper Gallice prodiit.

ARMELLA NICOLAA.

Hæc dum primum ſcriberem, nondum videre licuerat *vitam* ARMELLÆ NIGOLAÆ, vulgo bonæ Armellæ dictæ, a Religioſa quadam virgine idiomate Gallico ſolide admodum conſcriptam, ac Pariſiis anno 1643. ſecundis typis impreſſam: alioqui minime dubitaſſem eam S. Catharinæ Genuenſi haud ſecus ac veram ſodalem adjungere, quippe eodem divini ardentiſque Amoris Dei dominante principio, ac proinde eodem admirabili ſacroque cum ea *Charactere* imbutam. Quin & aſſeri poteſt hujus vitam ejuſque ſingulas agendi rationes quippiam eſſe ſi non admirabilius, imitabilius tamen, ac proinde generalioris utilitatis pro quibuſvis. Inter omnes quas mihi legere contigit ſanctarum animarum vitas, nihil unquam vidi quod magis ſit & admirabile, & ſolidum, & ſublime ſimul.

Character.

Admirabilitas in eo eſt, quod ſi quid virtutum, luminum, gratiarumque mirandarum ineſt in eo quod eſt in Chriſtianiſmo ſanctius atque divinius; id omne in ruſtica paupere, idiota atque ἀναλφαβήτῳ, quæque quoad vixit ancillæ perſonam egit ſemper, inventum ſit. *Soliditas* in eo conſiſtit, quod omnia in ea e vivo Chriſti inhabitantis Spiritu ſcaturirent, atque in unione cum eo per vivam Charitatem fundarentur, eſſentque non modo imitabilia, ſed & talia quæ cum vitæ actionibus, eiſque etiam externis, componi poſſunt. *Sublimitas* denique hic ea erat, ut vel in ſummo Chriſtiani ſpiritus gradu, vel in ſublimiſſimis, quorum quidem Myſtici mentionem fecerint, ſtatibus, nihil adeo forte atque firmum, nihil adeo arduum atque ſublime, nihil adeo ſpirituale, adeo divinum fuit, quod perfecte non ineſſet in ignara hacce ancilla ruſtica legere neſcia, cui vero pro omni ſchola atque exercitatione ſatis erat una cordis ſui Chriſto Jeſu traditio pleniſſima. Certus ego ſum omnes eos quibus ad divina aliquid cordis ſinceri ſupereſt non minus hinc emolumenti quam commotionis eſſe nacturos; neque dubito quin quiſquis me ſuadente admirandam iſtam vitam legere in mentem inducturus eſt, gratum erga me ea de

cauſa ſentiat animum. Id vero bonum quo magis cum omnibus communicetur, nuperrime (anno 1703.) data eſt opera, ut Vita hæc, idque correctius, ſub prælum in hiſce Provinciis revocaretur (a) cum titulo, *L'Ecole du pur Amour de Dieu ouverte aux Savans & aux ignorans dans la vie merveilleuſe d'une pauvre fille idiote, païſanne de naiſſance & ſervante de condition*, ARMELLE NICOLAS, *decedée depuis peu en Bretagne* &c. quanquam dolendum ſit inventos fuiſſe (b) qui, neſcio quo inſtinctu, certe non Dei, ut tantum bonum ſupprimerent, vel caſſum redderent, diſſimulatis vitæ hujus ſolidiſſimis virtutibus ac veritatibus reique medulla, collegerint tantum ex ea puſilla quædam quæ putaverunt pleriſque fore vel inviſa vel ridicula, atque adeo eos ab inſigni hocce pietatis ac ſanctitatis adminiculo deterrentia; quo vero artificio pudendo vel ipſa Biblia Sacra poſſint a quolibet animo traduci improbo, vel Proteſtantium probiſſimi condemnari quod pia Romano-Catholicorum ſcripta plurima, v. g. *S. Bernardi*, *Kempiſii*, *Tauleri*, *vitam D. de Renti*, aliaque permulta (in quibus & nonnulla & plura ad invidiam detorqueri poſſunt) ediderint, vel laudaverint atque commendaverint, quæ tamen debuiſſent ſecundum malignam methodum qua erga hocce divini Amoris monimentum incomparabile haud ita diu actum eſt, irriſioni potius exponere, atque rejicere.

Editio nova.

(a) *Reperitur Amſtelodami, apud Wetſtenios.*

(b) *Hiſtoire des Ouvrages des Savants.* 1703.

S. Ignatius Antiochenus.

E Veteribus, per veras ſeptem Epiſtolas S. IGNATII Antiocheni, conſtat ſanctum hunc Martyrem eodem plane Spiritu eodemque Amoris divini charactere præditum fuiſſe. Sola ipſius Epiſtola ad Romanos (quam P. Ruïnardus Græce publico primus dedit, cum actis Martyrii ejus, ſub finem egregii Libri ſui Pariſiis anno 1689 editi, qui inſcribitur, *Acta Martyrum ſincera*) in ſpecie & divina convictione hoc ipſum confirmat, æque ac aliæ ejus ſex epiſtolæ, quæ aliquoties cura Voſſii & aliorum impreſſæ ſunt; attamen nimis contemptim de epiſtolis, quæ *interpolata* dicuntur, ſentit ille, & ex impetu affectuum contra interpolationis hujus Auctorem loquitur; qui epiſtolarum S. Martyris paraphraſin quandam potius ſuggerere voluiſſe videtur, quam earundem textum pervertere; revera enim inviolatum retinuit illarum ſenſum quantum ad ſpiritus amoris characterem attine-

Acta Martyrum.

VI. S

VI.

Sta Angela de Fulginio.

Et quidam huc referendi.

§. 29. Angela de Fulginio. *Character.*

(29.) Crux Christi Jesu, & inde promanantes Gratiarum rivi, ſcilicet Amor vitæ, virtutum, mortiſque Jeſu Chriſti, perque hæc animæ purificatio, & inde infuſio veræ Theologiæ cœleſtis & ſupranaturalis, ac ſapidæ & experimentalis notitiæ Dei, ejus attributorum & perfectionum, Redemtionis, & aliorum mirabilium Dei, favorumque valde ſublimium, ſunt elementum & character ſpecialis Stæ Angelæ *de Fulginio*; in qua imprimis moventes admodum cordis affectiones, ſimplicitas, & ingenuina ſinceritas elucent, ut abunde appareat illam ab omni fraude omnique deceptione eſſe alieniſſimam. Doctrina & vita ejus, medullam Euangelii puriſſimam, nihilque niſi meram praxin ſpirantem complectuntur, in qua quidem via amor proprius aſylum vel fulcrum fruſtra ſibi quæreret.

Doctrina.

§. 30.

(30.) Vixit ſancta hæc Matrona Fulginii in Ducatu Spoletano quatuor abhinc ſeculis, quæ marito adhuc juncta ad Deum ſeſe convertit, ac deinde poſt ipſius obitum, tertium S. Franciſci Ordinem eſt ingreſſa. Opuſcula cum Vita ejus Latine Confeſſor ipſius evulgavit, ac præter Editiones, Pariſienſem & Colonienſem anni 1601. etiam inveniuntur in Actis Sanctorum Bollandi, quarto Januarii, qui ipſe Sanctæ hujus emortualis dies fuit. Variis quoque eadem linguis in lucem prodierunt; ſcilicet Gallice Pariſiis, Belgice Antuerpiæ 1628. &c. Dicuntur & anno 1618 a puella (a) nobili Madritenſi, annos nata duodecim, e lingua Latina in Hiſpanicam converſa eſſe & publicata. Cum autem Pariſienſis Editio non amplius ſupereſſet, nuper (anno ſcil. 1696.) nova verſio Gallica comparuit ſub titulo, (b) *Theologia Crucis Jeſu Chriſti, ſeu Opera & Vita Beatæ* Angelæ *de Fulginio*, ubi omnia in meliorem ordinem ſunt redacta.

Opera.

(a) Franciſca de los Rios.

§. 31. *Contenta Operum.*

(31.) Habetur in ejuſdem *Operibus* pleniſſimæ gravitatis commendatio vitæ Jeſu Chriſti, ejuſque trinæ ac inſeparabilis (ut loquitur) ſocietatis, paupertatis ſcilicet, contemtus & dolorum. De-

ttt 2

b) *La Theologie de la Croix de J. C. ou, la Vie & les Oeuvres de la* B. Angele de Foligni, à *Amſterdam.*

Depinguntur ibidem vera Oratio, humilitas, Amor ſpiritualis, dona Dei in dilectos ſuos conferri ſolita, Sacramentum Amoris, præſentia & inhabitatio Dei in anima, itemque commercia Dei ſupranaturalia cum ipſa, una cum neceſſariis contra illuſiones deceptioneſve cautelis. *Vita* ejuſdem ibi in tres partes eſt diviſa, quarum prima hiſtoriam Converſionis ejus, pœnitentiæ, & terribilis purificationis continet: ſecunda, modos ſupranaturales, queis Deus ipſi conſolationes, lumina, divinas cognitiones ſui & attributorum ſuorum, eorumque omnium quæ ad redemtionem & ſalutem noſtram pertinent, ſuggeſſit: tertia vero, poſtremos ipſius ſermones, Teſtamentum, & beatum ejus obitum, qui anno 1309 contigit. Annexa huic Editioni ſunt *Exercitia* BLOSII *in Paſſionem Jeſu Chriſti*.

§. 32. S. Franciſcus. Opera. (32.) Eodem ſpiritu eodemque cum S. Angela charactere prædita ſunt opuſcula S. FRANCISCI ASSISIATIS, Latine impreſſa in quarto Antuerpiæ 1623. cum notis Waddingi nimium diffuſis, & exigua forma ſine notis, Lugduni 1636.

§. 33. D. de Bernieres. (33.) Dominus DE BERNIERES LOUVIGNI, Conſiliarius Regius & Theſaurarius Galliæ in Ærario Cadomenſi, quod ad ſanctum attinet affectum, charactere quidem S. Tereſiæ; ſed quod ad argumentum & dogmaticum, S. Angelæ charactere omnino eſt imbutus, quam mirari & penitus imitari conſueverat, quippe cui, ejuſdem Sanctæ exemplo, nihil adeo cordi fuit quam crux Jeſu Chriſti, imitatio & inculcatio paupertatis, abjectionis & paſſionum Filii Dei, quæ omnia a ſancto hoc viro ubique urgentur tanquam perfectionis in hac vita culmen.

Opera. (a) *Le Chrétien interieur.* Divina ipſius ſcripta vero ſolidiſſimi Chriſtianiſmi Spiritu ſunt plane referta. Ejuſdem (*a*) *Chriſtianus internus*, in Galliis plus vicies ſub incudem revocatus, & Belgice, imo Italice verſus & editus, agit tum de argumento mox in genere memorato, tum ſpeciatim de materiis Myſticis *præſentia Dei* & Precum ſive *Orationis* Lib. 3. & 7. Decreverant Editores non pauca adhuc alia Operum ejus in lucem extrahere, prout initium factum additione *ſecundi Tomi* dicto Chriſtiano interno, & publicatione divinarum ejus

(b) *Maximes Spirituelles.* (*b*) *Sententiarum* & inſignium *Epiſtolarum*, ubi omnis generis argumenta ſpiritualia & Myſtica ſigillatim exponuntur, & difficultates ibidem occurrentes, egregie diluuntur. At *Vita* ipſius, cetérique quatuor libri in præfatione ejuſdem *Operibus ſpiritualibus* præ-

Digitized by Google

præfixa promiſſi, nondum in lucem prodierunt, & fortaſſe nunquam prodibunt; perpetim enim mundana ſcientia inſulæ per Dei Spiritum ſapientiæ reſiſtit, ſemperque viget contrarietas inter pietatis ſpeciem nullibi non dominantem, & ipſam pietatem vere ſolidam, internam & abſconditam.

Dominus de Bernieres obiit Cadomi anno 1659. qui 57 ætatis ſuæ annus erat. Admodum notabile eſt quod in præfatione Operum ejus de ipſius obitu legimus. Scilicet: *Mors ejus neutiquam pro cauſa habuit pravam quandam humorum perturbationem, neque quendam naturæ defectum. Tota die nihil quicquam mali perceperat; neque etiam in initio veſpertinarum precum. Nonnemini, qui ipſi ſerviebat, ipſum monenti tempus iſti exercitio de more deſtinatum quum effluxerit, jam quieſcendum ipſi eſſe; ille conſueta ſua lenitate reſpondit rogando ut unicum adhuc ſibi concederet momentum. Bonus iſte ſervus mox reverſus, inveniebat herum ſuum flexis genibus habitu precantis; at ſimulac ipſum alloqui incepit, obſervavit animam ejus a nobis receſſiſſe, & nil niſi corpus nobis reliquiſſe.* Sanctus hic vir, aut vi mortificationis, vel lachrymarum quas ob infelicitatem & perditionem animarum fudit, in cœcitatem per aliquot annos durantem incidit; at benignitate Dei viſum notabili temporis ſpatio ante obitum recuperaverat, eodem modo ac S. Franciſco Aſſiſiati obtigiſſe fertur. *Mors ſingularis.*

(34.) Henricus Suso, Sanctus Dominicanus ſeculi decimi quarti, pariter Spiritum & characterem Stæ Angelæ Fulginienſis poſſidet. *Operum* ejus originale vetus Germanicum non amplius reperitur; attamen extat ejus, ſicut & Tauleri, verſio Latina per Surium, Coloniæ aliquoties impreſſa, ac ultima vice anno 1615. ſecundum quam facta eſt hodierna verſio Germanica, itidem Coloniæ anno 1661 typis excuſa. Ex ejuſdem Operibus, *Dialogus æternæ Sapientiæ cum diſcipulo ſuo*, quatuor *Sermones*, duodecim *Epiſtolæ*, *Vita* ejus (eximium ſane ſcriptum, a filia ejus quadam ſpirituali exaratum, quod tamen non eſt abſolutum) *Meditationes* in Paſſionem, *Exercitia*, *Horæ*, & *Officium æternæ Sapientiæ*, continent pro primario argumento perpeſſiones & crucem Servatoris, ſimulque patientiam & reſignationem, quibus earum participes nos eſſe oportet, emphatice commendant. Ipſius *Dialogus Veritatis & Diſcipuli ſui*, de aliis etiam ſublimioribus & Myſticis agit, æque ac Tractatus ejuſdem *de novem Rupibus*, quas oſtendit eſſe nobis conſcendendas ad attingendum principium §. 34. H. Suſo. *Opera.*

Digitized by Google

noſtrum: ubi paulò antè Deus ipſi corruptionem per omnes Chriſtiani orbis ſtatus longe lateque dominantem depinxerat, eidem commonſtrando, quod omnes, tam Eccleſiaſtici quam Seculares, ab omnium bonorum Auctore Deo defecerint. Omnes Suſonis libri, excepto Veritatis Dialogo, Gallice editi ſunt Pariſiis anno 1614. & nuper (anno 1684.) ibidem nova Dialogi æternæ Sapientiæ verſio in publicum emiſſa, Epiſcopo Meldenſi dedicata.

Incredibili mortificationi deditus erat Suſo, humilitate conſummata, benignitate & patientia probatiſſima præditus, ac incomparabilis ſacræ humanitatis Filii Dei, ejuſque perpeſſionum amator; in quo ſanctæ Matris ſuæ videbatur quaſi eſſe hæres, quæ ipſa die paraſceves, (ita appellant diem Veneris ante Paſcha proximum) e vita diſceſſit ex mera commotione animi, irrogatos Chriſto cruciatus, & ſanctæ Virginis Dominum in cruce agonizantem conſpicientis angores, ſecum volventis.

S. M. Magdalena de Pazzi.

S. Bonaventura.

Præter Exercitia Tauleri & Meditationes S. Catharinæ Senenſis, quorum jam fecimus mentionem, & qui charactere Crucis Jeſu Chriſti pollent, huc quoque referenda maxima pars *Vitæ Sta Mariæ Magdalenæ de Pazzi*: quæ Pariſiis anno 1670. Gallice, & Coloniæ eodem anno Latine, itemque alibi Belgice prodiit. *Stimulus item Amoris divini* S. BONAVENTURÆ, cum opuſculis ejus editus Pariſiis anno 1647, & ſeorſum Bruxellis 1683. Gallice quoque in lucem emiſſus eſt Pariſiis 1666. & Lugduni, ſub titulo *Meditationum in Myſteria Paſſionis*. Addendæ & *Meditationes* S. BRUNONIS in *Paſſionem*; & quarta pars *Meditationum* LUDOVICI A PONTE, cujus opus quibuslibet hujaſce temporis Sermonibus nequaquam cedit, poſtquam omnes Chriſtianas veritates cognitu neceſſarias in utilem & piam meditationem redactas comprehendit: Porro *Elevationes in Paſſionem*, Patris cujuſdam Oratorii, Gallice publicatæ Pariſiis anno 1677. Item liber Belgicus, *Sponſus ſanguinum*, non ſemel Antuerpiæ impreſſus, qui viginti continet Meditationes in forma de Paſſione Domini noſtri, cujus Auctor (a) idem eſt qui *Thalami Sponſi*. Tandem huic argumento haud incongrue jungendus (relictis pluribus aliis) exiguus quidam Belgico idiomate libellus, licet vix notus, attamen perfectæ ſoliditatis, qui inſcribitur *Myſteriorum ſtatus & vitæ Jeſu Chriſti*, Amſtelodami anno 1653. editus.

S. Bruno.

Lud. à Ponte.

(a) Michael Zachmorter.

H. Gerhardi.

Auctor

Auctor lumine divino fruebatur, quamvis idiota & opifex, vocabaturque HENRICUS GERARDI, hic notatus per H. G. *De doloribus Chriſti mentalibus*, ſive ſpiritualibus, qui omnium ſunt præcipui, exſtant Virginis cujuſdam anonymæ *meditationes* egregiæ octo, ut plurimum *Pugna ſpirituali P. Scupoli* annexæ, adeoque & ſæpius editæ. Anonyma.

VII.

BENEDICTUS DE CANFELD.

Et qui huc ſpectant aliqui.

(35.) Ad conſequendam Perfectionem Chriſtianam, facilem commonſtrare viam anniſus eſt hicce Auctor, præ ceteris extollendo medium evidens, minime dubium, facillimum, & abſolutum; ac proinde Latine, Gallice & Anglice exiguum compoſuit tractatum quem inſcripſit: *Regula Perfectionis*, ubi omnia ad unicum *voluntatis Dei* principium reduxit, quo libri ejus *character* exprimitur. Hoc principium neutiquam controverſum, omniumque Chriſtianorum, imo quorumvis ratione utentium aſſenſu approbatum, plurimum eo confert, ut omnia in actum & praxin deducantur, utque errore liberentur ii qui tum ſibi ipſis imaginantur, tum aliis perſuadere cupiunt, vitam ſpiritualem ſolummodo conſiſtere in neſcio quibus abſtractis & aridis otioſæ & ſine actione quietæ mentis contemplationibus. Vult Canfeldius, ut ſola Dei voluntas ſit principium & ſcopus, quæ in omnibus reſpicere oportet; quam voluntatem alludendo ad textum Apoſtolicum, Rom. 12. verſ. 2. triplicem proponit, ſcilicet, externam & *bonam*; internam & *beneplacentem*, ac denique intimam aut eſſentialem, ſupereminentem & *perfectam*.

§. 35. P. BENEDICTUS DE CANFELD. *Opus, & Character.*

Prima libri ſui parte exponit, quomodo Dei voluntas, actionum noſtrarum regula, poſtquam per legem Summi iſtius Numinis, aut per rectam Rationem, aut per mandatum Superiorum, aut per eventum eorum quæ nobis accidunt, innotuit, debeat effici aut admitti actualiter, unice, lubenter, indubitanter, perſpicue & prompte. *Deinde* vero, voluntas Dei ſentitur in imis animæ receſſibus, ibidemque ſeſe prodit ſapido & plane luminoſo modo, cum admiratione, humiliatione, exultatione & elevatione *Operis contenta.*

Digitized by Google

vatione mentis ad Deum: id quod parte *ſecunda* deſcribitur; quam excipit *tertia*, quæ de intimo & ſupranaturali ipſius Dei commercio agit, cujus unicum Auctor proponit medium, ut & modos, qui duo ſunt, & duplici hominum generi applicari queunt; quorum reſpectu plurima memorat capita & varias obſervationes & neceſſarias præcautiones quod ad internam & myſticam viam attinet, quæ tamen omnes ad *paſſivam annihilationem* redeunt, quæ eſt pro amore fruitivo contemplationis & unionis, & ad *annihilationem activam*, quæ eſt pro amore practico, per quem agere oportet ſpiritualiter, aut externe ſeu corporaliter.

§. 36. (36.) Cum Auctor hic fuerit eruditus, hinc non minus methodice & ſyſtematice quam ſolide ſcripſit, perſpicax & circumſpectus, ne ullam quidem neceſſariam præcautionem omittens, non ſolum contra falſam Myſticam & *falſam quietem* (*a*) & deſidiam naturæ, ſed & ne quis forte ſit timidior aut ſcrupuloſior propter verba & modos loquendi, quibus ipſe utitur; quoſque e ſcriptoribus ſanctioribus, qui ipſum præceſſerunt, allegat; de quo tamen argumenti genere præter PP. *Jacobum a Jeſu* & *Nicolaum* a J. M. de quibus ſupra §. 11. præterque ea quæ e Libro de *Divinis Nominibus* Dionyſii Areopagitæ nomen ferente huc referri poſſunt, fuſius egit SANDÆUS in Latino opere ſuo, cui titulus, *Clavis* ſeu *Onomaſticum Theologiæ Myſticæ*, Coloniæ Agrippinæ 1640. ſicut & D. BRUNIUS in Gallico tractatu ſuo, *Eclairciſſement de la Theologie Myſtique*, qui lucem vidit Rhotomagi, 1659. & nuperrime *D. Archi-Epiſcopus Cameracenſis* in ſuis (*b*) *Sententiis Sanctorum explicatis*, quæ tantum longe lateque excitarunt rumorem, quæque licet tot ſubjectæ cenſuris nemini ignotis, tamen a plurimis adhuc approbantur, qui etiamnum ſibi perſuadent, tantum abeſſe, ut Auctor (uti accuſabatur) ad extrema res adduxerit, ut potius nonnullas ita videatur extenuaviſſe, ut necdum attingant ſublimitatem ſenſus Sanctorum & maxime ſublimium Myſticorum.

[Margin: Dionyſius Areop. — M. Sandæus. — M. le Brun. — M. Fenelon. — (*b*) *Explication des* Maximes des Saints.]

Liber Canfeldii in Belgicam pluresque alias linguas fuit converſus,

(*a*) De hac, vide Tauleri egregium Sermonem, qui eſt *Dominic. I. poſt quadrageſimam*, *ſermo I.* à medio ad finem. Sed imprimis Rusbrochium, de *Ornatu Nuptiarum Spir. Lib. II. capp.* 76. 77. 78. 79. Taulero forte viſa, quæ vero plura ſunt apud Rusbr. & explicatiora.

Digitized by Google

verſus, & aliquot vicibus impreſſus. Ultima Editio Gallica Pariſienſis anni 1666. (denuo Lugduni anno 1694. impreſſa) junctam habet *Explanationem* generalem quæ diviſionem operis reſpicit, & *Converſionem* ut & *Vitam* Auctoris, qui nobilis erat natione Anglus, & profeſſione divini verbi præco Capucinus, in qua & obiit Pariſiis anno 1620. poſtquam in ecſtaſi amoris hæc verba enunciaverat: *O mirabilia! O immenſa Amoris divini abyſſus!*

Anno 1649. exiguum totius ejuſdem libri Latinum compendium Lucernæ prælo fuit ſubjectum. Compoſuit & idem librum inſcriptum, *Equitem Chriſtianum*, (le Chevalier Chrétien) & *tractatulos* aliquot, item & *Epiſtolas*, omnia hæc, Opuſculorum duobus Libris comprehenſa: at raro occurrentia; mihi ſane necdum adhuc conſpecta.

(37.) Tractatus Gallicus *de Sapientia Chriſtiana aut de ſcientia Uniformitatis cum voluntate Dei*, quem D. d'ARGENSON, Conſiliarius Regis, in carcere Mediolanenſi compoſuit, & qui anno 1651. Pariſiis eſt impreſſus, circa idem Canfeldianum principium volvitur, egregius libellus facilis intellectu, nec minus ſolidus & ſpiritualis, quam eleganter ſcriptus. §. 37. M. d'Argenſon.

VIII.

JOANNES ENGELBRECHT.

Et qui huic appropinquant.

(38.) Quanta præcedentis Auctoris erat doctrina & eruditio, tanta hujus erat inſcitia & omnium literarum ignorantia; vix enim ad legendum vel ſcribendum idoneum ſeſe fuiſſe fatetur. *Characterem* habet ingenuitatis & puræ ac infantilis ſimplicitatis, nullo modo per ſinuoſas naturæ calliditates, aut ulla humana artificia depravatæ, nec per ſcientiæ aut ſapientiæ mundanæ miſturam corruptæ; attamen divina Sapientia, forti, ſolida, & ſubſtantiali præditæ, qua Pſeudotheologos & falſos ſpirituales ac hujus mundi ſapientes deprehendit, inque fucata ipſorum ſapientia & ſophiſtica Theologia ad incitas redegit, omneſque eorundem contentiones & controverſias disjecit, diſſipavit, & exxit, omnimode pacans mentem & intima cordis circa Religio- §. 38. J. Engelbertus. *Character ejus.*

 num

num diſcrimina, exponens quæ ſubſtantiam veri Chriſtianiſmi plane perſpicuam, omnino facilem, & prout a nemine non (etiam e ſimpliciſſimis) in vita exerceri poteſt.

Principium ejuſdem.

Primarium ejus *principium* hoc eſt, ut cognita peccata evitemus; ceu quilibet poteſt per menſuram gratiæ quam benigniſſimus Dominus cuivis ſufficienter eum in finem impertit; utque ſic operationi Divinæ in nobis locum dantes, Summum Numen intus adoremus, ut per Spiritum ſuum in cordibus noſtris producat fidem, quæ per charitatem omneque boni ac virtutis genus efficax ſit.

Vocatio miraculoſa.

Profecto verus hic ſimplicium animarum eſt Theologus. Præter ſapientiſſimam & fortiſſimam ſimplicitatem infantilem, quæ ipſius eſt elementum, modus, quo lumina ejus ipſi fuere infuſa, & quo ad ea diſpergenda vocatus eſt, etiam ſingularem & plane extraordinarium characterem præ ſe fert. Scilicet factum hoc eſt tum per ejus mortem & tranſlationem in Infernum & in Cœlum, unde ipſum ad terram remiſit Deus; tum & per continuas viſiones & inſtitutiones Angelorum, & ipſius Jesu Christi, item per ecſtaſes divinas, ubi non pauca Dei mirabilia ipſi fuere propoſita hujus & alterius vitæ, præſentis & futuri ſeculi: adeo ut tanquam unicus in ſuo genere haberi poſſit; niſi quod Hermas, & aliæ quædam ſanctæ, quæ ſequenti articulo memorabuntur, aliquo modo ipſi ſimiles fuerint, imo etiam participes dicti characteris quod ad revelationes & viſiones divinas attinet.

(Hermas, &c.

Opera.

Cum patria ipſius eſſet urbs Brunſvicum, ubi miraculoſi iſti eventus de ejus morbo, morte, reſurrectione & miſſione divina anno 1622. coram tota urbe de iiſdem penitus convicta contigerunt; hinc Libri, quos ſatis magno numero reliquit, tam qui eventus iſtos referunt, quam qui divinas ejus viſiones & ecſtaſes commemorant, ut & non paucæ ejuſdem Epiſtolæ, omnes Germanica Lingua prodierunt. Dolendum, quod maxima eorundem pars neglecta perierit; imo quod adeo nemo divini iſtius hominis curam habuerit, ut vix conſtet quid tandem de ipſo factum ſit, & ubinam e vita diſceſſerit. Interim habentur, præter *hiſtoriam* mox dictorum eventuum, primo ejus narratio *divina Viſionis de tribus Statibus*, Eccleſiaſtico, Politico & Oeconomico, dormientibus in peccato, & everſionis quam Deus ri- mo ad tempus imminet Statui Eccleſiaſtico ad excitandos ali s: ſecundo, *Viſio Diluvii univerſalis* peccatorum, totum mun m un-

Digitized by Google

inundantis, bonos ſcilicet & malos, atque *Flagellorum* Dei omnibus incumbentium; & tertio Viſio *novi Cœli & novæ Terræ.* Veruntamen vix amplius comparent idiomate Germanico; & quamvis nonnulli ſcripta omnia Engelbrechtina in lingua hac ſub incudem revocare conati ſint, imo actu ipſo jam inceperint per edititionem primæ partis anno 1686. tamen in propoſito hoc exequendo minime perrexerunt. Magis conſtantes fuere Belgæ: non ſolum enim jam ante in linguam ſuam verterunt ac evulgarunt omnia quæ jam Germanice fuerant edita; verum denuo eadem (anno 1697.) imprimi curarunt, additis quibuſdam libellis, epiſtolis, & fragmentis ejuſdem Auctoris, quæ necdum lucem viderant. Extat Gallica verſio *Viſionis divinæ de tribus ſtatibus*, ſeorſum emiſſa Amſtelodami, anno 1680. itidemque annexa Operibus Dominæ Burignoniæ ſub finem. Utinam variis in linguis divini hujus viri opera prodirent; paucos enim jam hic Mundus habet qui os Domini, ſicut iſte, dici mereantur.

IX.

SANCTÆ HILDEGARDIS, ELISABETA, MECHTILDIS & BRIGITTA.

Et nonnulli his accenſendi.

(39.) Sancta HILDEGARDIS, Abbatiſſa, in Diœceſi Moguntina ſeculo duodecimo; cujus *Revelationum* libri tres Pariſiis anno 1513. Latine ſunt primo impreſſi; ac iterum iterumque Coloniæ editi, una cum aliis ejuſdem Operibus & *Epiſtolis* ad Pontifices, Imperatores, Reges, Epiſcopos, ad S. Bernhardum, & omnis generis alios, qui ipſam haud mediocriter venerabantur & ab ea conſilia petebant: *Sancta* ELISABETA, Sanctæ iſtius coæva & amica, Schonaviæ in Diœceſi Trevirenſi, Abbatiſſa, cujus *Libri* itidem Latini in *ſex* partes diviſi Operibus Sanctæ Hildegardis ſunt annexi, attamen multo magis perſpicui & dogmatici: Sancta MECHTILDIS, origine Comitiſſa æque ac Sancta Gertrudis, cui erat intima, & in Monaſterio ejus Religioſa, ceu e poſtremo Inſinuationum Sanctæ Gertrudis libro apparet, ubi obitus Sanctæ Mechtildis prolixe memoratur, nulla tamen *Operum* ejus facta mentione, quæ *quinque libris* cum Sanctæ Hilde-

§. 39. S. HILDEGARDIS. S. ELISABETA *Schonavienſis.* S. MECHTILDIS.

Digitized by Google

S. BRIGITTA. Hildegardis Revelationibus fuere impreſſa: Sancta BRIGITTA, vidua, Sueca Princeps e Regio ſanguine, ſeculo decimoquarto, cujus *Revelationes* aliquoties Latine prælo ſubjectæ, (*a*) atque iterum recens evulgatæ ſunt Monachii anno 1680. cum diffuſis annotationibus; quæque Gallice prodierunt Lugduni anno 1652. & Germanice Coloniæ, A. 1664; omnes inquam hæ Sanctæ *characterem* (*) gerunt *Spiritus prophetici*, revelationum & viſionum divinarum circa Statum Eccleſiaſticum, Politicum & Privatum, eorum corruptionem, futuras pœnas, ac emendationem & reſtitutionem illorum. Quamvis quæ de ſtatu Eccleſiaſtico, imo totius Chriſtiani orbis Capite 41. Libri I. Revelationum S. Brigittæ, & Cap. 14. Lib. III. S. Eliſabetæ habentur, inſignem merito terrorem inferant, tamen Eccleſia illius temporis haud deſiit approbare earum Revelationes, quod tempore SAVONAROLÆ (characteris iſtius etiam partim participis) minime ita fuiſſet factum. Sunt eædem quoque maximam partem diviniſſimis & longe utiliſſimis intermixtæ præceptis quod ad Chriſtianum regimen attinet omnis generis hominum; ut & plurimis deſcriptionibus, quibus diverſi animarum poſt mortem ſtatus depinguntur.

(*a*) *Primo Noribergæ 1521. Latine, ut & Germanice.*

Character.

SAVONAROLA.

§. 40. Hermas. (40.) Divinus libellus *Paſtoris*, alias HERMÆ, qui Apoſtolorum fuit coævus, eundem plane præ ſe fert characterem; eapropter etiam prima vice impreſſus cum S. Roberti, aliuſque Religioſi Revelationibus in fronte Revelationum S. Hildegardis, Eliſabetæ & Mechtildis, primæ Editionis, quæ prodiit Pariſiis apud Henricum Stephanum anno 1513. Enimvero hujuſce libelli (qui parte ſecunda totus eſt dogmaticus circa duodecim divina præcepta, de quibus ab Angelo doctus eſt Hermas,) prima & tertia pars plurimas revelationes & viſiones divinas continent, quæ tum privatos, tum Eccleſiam Dei, ejuſque oppreſſionem, & dein ſecuturam Renovationem reſpiciunt. Quemadmodum autem extra omnem controverſiam eſt, hujus opuſculi Auctorem revera eſſe Apoſtolicum hunc virum, prout SS. Patres primorum ſeculorum abunde teſtantur; ita etiam nil amplius

S. Robertus.

Libri Hermæ contenta.

J. Bona Card. (*) *De hoc Myſtica extraordinariæ charactere, & cautelis ibidem obſervandis, cum fructu legi poteſt liber Latinus Cardinalis* BONÆ, de Diſcretione Spirituum, *ubi hoc argumentum exacte & prolixe exponitur. Extat ejuſdem verſio Gallica, impreſſa Bruxellis* 1676.

Digitized by Google

plius curantur contumeliæ & irriſiones profanæ quas Critici quidam temerè in eum effuderunt, (*a*) imo ipſum ceu impoſtorem & fabularum narratorem tractare auſi ſunt. Etenim contra, tanquam Auctorem maxime gravem & Apoſtolicum, eundem non ſemel ſub incudem revocarunt ſedatiores Pariſiis, Oxoniæ, & nuperrime adhuc Antuerpiæ, ſive verius Amſtelodami Anno 1700. ubi inter *Patres Apoſtolicos* primum a S. Barnaba locum obtinuit: ſemper tamen Latino idiomate: Græcum enim originale interiit. Belgice quoque verſum & impreſſum Anno 1687. habemus. Interim in nova Editione Gr. Lat. Lipſienſi *Patrum Apoſtolicorum* exiguo volumine, haud dubitarunt hunc omittere, ſicut & Epiſtolam S. BARNABÆ (*b*), non minus ſolidam, quam allegoricis Myſteriis refertam, forte quia nonnullorum ſtomachi eorundem contenta vel quicquid viſiones & allegorias ſapit, guſtare vel digerere neſciunt.

(*a*) *Blondellus, &c.*

Patres Apoſtolici.

S. Barnabas.

§. 41. Joanna Leade. *Character.*

(41.) Qui Scripta recens edita Matronæ Anglicæ, quæ vocatur JOANNA LEADA, evolverunt, talia de ipſis, & quidem cum fundamento ac veritate, teſtantur, quæ eundem cum mox prædicto *characterem* denotant; nimirum abunde ibi exſtare omnis generis præcepta & lumina ſalutaria, ut & divinas revelationes de proxima Chriſtianæ Eccleſiæ inſtauratione per renovationem vitæ & Spiritus Jeſu Chriſti, & manifeſtationem mirabilium Regni ejus. Et qui ita de Scriptis iſtis ſentiunt, neutiquam ſunt minus perſpicaces, vel paucis in locis, vel exiguo numero. Quicunque ex ſe ipſo de iiſdem judicare volet, ſolummodo legat tractatus ipſius, *Nubes Cœleſtes*, *Sex Myſticos Libellos*, *Revelationem Revelationum*, quæ partem Apocalypſeos, ſcilicet de ſeptem ſigillis, ſeptem tonitribus, de glorioſo Jeſu Chriſti Regno, methodo ex intimo fundo procedente exponit: legat & ejuſdem tria *Diaria* ſive *Fontem Horti*, *& quoſdam adhuc alios*, haud ita pridem omnes Londini Anglice, & ab anno 1694. Amſtelodami Germanice editos, ubi primus & tertius tractatus etiam Belgice (*c*) in lucem prodierunt; at nullus quidem hucuſque Gallice. Primus ille, dictus *Nubes cœleſtes*, quia deſcribit præparationem ac ſtatum eorum quibus uti vult Deus tanquam nubibus cœleſtibus ad communicandum cum hominibus cunctis univerſaliori modo ſalutarem

(*c*) *Belgici, ut & Germanici, inveniuntur apud* Wetſtenios. Amſtelod.

(*b*) *Barnabæ* Epiſtola exſtat Germanice, Lunæburg. 1695. ex interpretatione D. Arnoldi, una cum Epiſt. *Clementis*.

rem veritatis divinæ pluviam, omnium aliorum ſcriptorum ſuorum clavem continet & fundamentum, ſine quo vero quiſquis ea lecturus erit ac intelligere volet, nihil facturus eſt quàm in ſuperficiaria Ratione ſua ideas ſibi cudere & inanes & (ſua tamen culpa) ſibi etiam damnoſas. Fundamentum vero hoc, eſt, ut fiat quiſque primùm revera *conformis* cum *proceſſu Chriſti* in *Morte*, in *Sepultura*, in *Reſurrectione*, in *Aſcenſione* atque *aſſumtione* ad cœleſtia, unde tuto cum Spiritu Sancto ad terrenos homines docendos ac convertendos reditus fit atque *miſſio* omnino *cœleſtis*. quæ quidem omnia, ſuccincte, methodice, particulatim, divine etiam nec ſine ductu Sapientiæ Dei ipſa pertractavit, quæ vero Divina Sapientia in *Tractatu* (a) altero *Apocalyptico* ita eſt conſpicua, ut tantum non omnia quæ hucuſque, à Doctis præcipue, in Apocalypſin ſcripta ſunt, præ hac una Commentatione vacuæ umbræ, figmenta etiam pleraque, atque chimæræ dici mereantur. Auctor, cum per ultimos vitæ annos oculorum uſu deſtitueretur, non ſcripſit ipſa, ſed dictavit ex operibus ſuis non parvam partem, quæ vero alterius currente calamo excipiebantur, quæque, quod admiratione dignum eſt, erant tamen cum primis omnino uniformia, compoſitiſſima atque ordinatiſſima. Exuvias carnis depoſuit non ita pridem illuminata hæc a benigna & ſuavi Sapientia Dei vidua, prope Londinum, anno 1704. ejuſque *ultima hora*, adjuncto ſcriptorum omnium ſuorum Catalogo, proſtant Germanice cum reliquis ejus operibus.

(a) Dicto, *Apocalypſis Apocalypſeos.*

X.

JACOB BOEMIUS.

Et qui ad hunc referri poſſint.

§. 42. J. Boem.

Character & argumentum Opera.

(42.) Hic unicus eſt (ſaltem cujus ſcripta antehac innotuerint) cui Deus imos naturæ receſſus ſingulari & penitiſſimo modo detexit, tam quod ad ſpiritualia attinet, quam ad corporalia; & qui in rebus Theologicis & Supranaturalibus ad centrum uſque penetravit, atque in ipſa origine principia vera Philoſophiæ, tam Metaphyſicæ & Pneumaticæ, quam veræ Phyſicæ pervidit. Vidit inquam, per lumen & ſenſum internum, quomodo Summum Numen e puncto indiviſibili uniformis ſuæ Æternitatis exi-

Digitized by Google

exiliens, ſe ſibi ipſi manifeſtavit perfecta Trinitate per ineffabilem luminoſi Verbi ſui generationem, & per ſuaviſſimi Spiritus Sancti proceſſum; & quomodo, poſtquam virtutes, & immenſas pulchritudines ac delicias divinarum ſuarum formarum, earumque infinitarum combinationum & variationum in ſe contemplatus eſt, ab ejus divina Potentia, per Verbum & Spiritum ipſius, defluxere entia ſpiritualia & corporalia, ſecundum ideas, quas divina ejuſdem Sapientia inde formaverat: quomodo entia hæc in fundo ſuo naturali & in luminoſis ac gratuitis perfectionibus ſuis fovent proprietates, pulchritudines & delicias ſimiles & analogas originalibus earum in Deo; attamen hac inter eas diverſitate, quod entia ſpiritualia eaſdem poſſideant & in actum deducant modo divino & libero; corporalia vero viliori & magis limitato modo, vivo tamen, cum ſenſu & inſtinctu vivido. Hoc pacto poſtquam omnes naturæ ſpiritualis & corporalis formas ad ſeptem reduxit, earumque principia ad tria, quorum duo priora res ſpirituales reſpiciunt; ac tertium, quod duorum iſtorum materialis quaſi tabula ſive repræſentatio eſt, ad externum mundum pertinet; inde explicuit creationem Angelorum & eorundem loci, Dæmonum lapſum, creationem hujus Mundi Angelico craſſioris & e tenebroſo Chaos, cui Dæmones domicilium ſuum pervertentes anſam dederant, eliciti: creationem porro glorioſam Hominis, ejuſdem lapſum, reſtitutionem per Jeſum Chriſtum, & infinita alia myſteria ſpiritualia & naturalia.

(43.) Quoties profundus & arcanus hicce Auctor de Naturæ fundo & de rerum tam divinarum quam naturalium qualitatibus loquitur, minime poteſt vivo & reali modo ab ullo mortalium intelligi, quantumcunque fuerit eruditus, quamque eminenti ingenio præditus (conſiſtunt enim illa omnia in ſenſu) niſi Deus modo divino, & qui nunc pro ſupranaturali haberetur, excitaverit & affecerit facultates noſtras ipſius facultatibus analogas; ac ſenſus noſtros paſſivos, tum divinos, Deo reſpondentes, tum naturales, qui ejuſdem operibus reſpondent, at quos amiſimus, vel qui ſaltem in nobis ſunt conſopiti & altiſſimo ſopore obruti per mortiferam corruptionem in quam incidit humanum genus p[...] [la]pſum Adami. Abſque illa excitatione, quantacunque faci[...] de iſtis rebus poſt lectionem hujus Auctoris quis differere p[oſ]ſit, nunquam tamen alias quam penitus emortuas picturas ſibimet

§. 43. Cautela in hujus Lectione quantum ad Theoretica.

Digitized by Google

ſibimet ipſi inde fabricari poterit, aut potius ideas tam imperfectas quam diſſimiles originalibus ſuis, imo ſæpe mera figmenta; eadem circiter ratione, ceu faceret a nativitate cœcus, qui frequenter quum audiiſſet de luce & coloribus loquentes, de iiſdem pariter dein garriret prout auditu perceperat; neutiquam tamen expertus ſciret ecquid denotent verba quæ enunciat; jungens iis in mente ſua ideas non minus ridiculas, atque illa fuit talis a nativitate cœci, qui interrogatus, an nihil in mente ſibi formaret quoties de coloribus loquentes audiret, reſpondit: omnino; ſeque colorem, e. g. coccineum ſibi repræſentare tanquam quicquam buccinæ ſono haud abſimile.

§. 44. *Quantum ad practica.*

(44.) Nolim tamen hinc concludere, ac ſi quiſquam boni animi nequeat in ſcriptis Auctoris noſtri plus minuſve, quamvis rudiori modo adhuc & imperfecte, detegere plurimas in hiſce inſignes veritates; indeque deducere præclara lumina & egregias concluſiones quod ad dogmata tam theoretica quam practica: at vero ab hac parte non eſt Auctor hicce cuilibet æque perſpicuus; ſed potius hinc, quod paſſim intermixta habeat multa de corruptione hominis & hujus temporis Chriſtianiſmi depravatione, de converſione, de reſignatione & oblatione animæ divino regimini; de principiis vitæ Chriſtianæ, de officio hominis & virtutum praxi, uno verbo, de eo quod ſcitu eſt neceſſarium & pro Chriſtiana praxi eſſentiale. Omnia hæc in libris Boëmianis hinc inde tam clare tamque emphatice attinguntur, ut nemo non bonæ mentis ea facillime capere & deguſtare poſſit, modo quis tales eorum pro lectione (a) ſeligat, qui iſtis veritatibus imprimis ſunt referti, ſcilicet, *Viam ad Chriſtum*, ejuſdem *Epiſtolas*, imo etiam poſtremam eamque maximam partem *Myſterii magni* ſeu *Explicationis Geneſeos*.

§. 45. *Abuſus & remedia in his.*

(45.) Verumenimvero, naturalis & ſuperba curioſulæ mentis proclivitas facit, ut cuivis fere non adeo ſapiant ſolidæ ac primariæ iſtæ veritates, quam abſtractæ & elatæ ſpeculationes de principiis & formis naturæ, variis eorum combinationibus naturalibuſque effectis inde promanare ſolitis, & ſi quæ ſimilia; qualibus

(a) Ut labor ille ſeligendi ſimplicioribus tolleretur, ſelegerunt & ſeorſ[illegible]
primi curaverunt nonnulli utiliora ac faciliora, ſimulque maxime effica[illegible]
Auctore, Belgice quidem ſub titulo *Welruikende Krans van Lelyen en R*[illegible]
de Werken van J. Boheem. Utrecht 1704. *in* 4to. Germanicè vero, *Seraphin*[illegible]
blumgärtlein; Amſtelod. 1700. in 8.

qualibus non pauci, qui Scriptorum hujuſce Auctoris amatores eximii præ aliis haberi cupiunt & affectant, arctius adhærere videntur, quam iis, quæ ipſemet tanquam unice eſſentialia, & ſicut omnium clavem, commendavit, prout ſunt, pœnitentia & ſincera ſui traditio Divino Numini, ſeu mera reſignatio voluntati Dei; quæ centrum eſt & principium omnium profundiſſimum, imo unicum illud infinitæ profunditatis: Etenim comprehendere & penetrare omnia magnalia, omnia lumina, & omnes delicias divinas & Angelicas, eorumque poſſidere cognitionem, ut & univerſæ Naturæ, uſque ad intimos receſſus & principia profundiſſima, iiſque affectu adhærere; character eſt fundi mere naturalis, limitatique per ſuum illud *Ego* & per proprietatem, qui tandem poteſt degenerare in fundum diabolicum & infernalem. Nil vero quod finitum creaturæ fundum ſapiat, vel ulli periculo ſit obnoxium, reperitur in denudatione animæ & reſignatione omnium rerum voluntati Optimi Maximi, & in perfecta traditione ſui Divino iſti Numini, dum ipſi relinquitur libertas vel nobis concedendi vel recuſandi pro beneplacito ſuo extraordinaria gratiarum ſuarum dona, & ſpecialia lumina; de quibus obtinendis metuendum foret, ab iiſque nos alienos eſſe oporteret potius, quam eorum deſiderio flagrare: verendum enim ne amor proprius, curioſitas, vanitas, ſui ipſius complacentia, elatio animi & ſpiritualis arrogantia, ibidem irrepere & animum occupare ſatagant ad interitum noſtrum. Quam cautelam Auctor noſter ſolicite injunxit, ſeque ipſe ſecundum illam circumſpecte geſſit.

(46.) Natione Germanus erat Boëmius noſter, natus in Luſatia anno 1575, Religione Lutheranus, (æque ac Johannes Engelbrecht,) nativitate ruſticus, profeſſione ſutor; quanquam, ex quo Deus ipſum tertia vice Lumine ſuo illuſtravit, ſimulque inſtigavit ut lumina ſua calamo exprimeret, minus opificio ſuo quam ſcriptioni vacavit, qua *triginta* omnino *Tractatus* nobis reliquit, tam parvos quam magnos, iis haud annumerato *Epiſtolarum* ejus libello. Omnes, excepto unico qui interiit, Germanice variis in locis & diverſis temporibus ſunt impreſſi, atque nonnulli ſuperſtite adhuc Auctore; maxima tamen eorum pars non niſi poſt ipſius obitum prodiit, qui contigit anno 1624. Nobilis & eruditus Franckenbergius ejus narrationem dedit, æque ac Vitæ, quæ poſtremæ Operum Auctoris editioni Amſtelodamenſi anni §. 46. *Operum Editiones.*

ni 1682 eſt præfixa. Duæ eorum operum tertiæ partes & ultra, Belgice in lucem ſunt emiſſæ, quo in propoſito adhucdum continuatur. Jam a pluribus annis Angli eadem omnia ſuo idiomate tenent favore Comitis de Pembroke. Pius Rex Carolus I. & nonnulli Aulæ iſtius Primores, qui non niſi pauciſſima e ſcriptis hiſce conſpexerant, magni eadem faciebant, pariter ac Henricus *Morus*, plureſque alii ſcientia & virtute eminentes, qui ea completa cognoverant. *Frankenbergius*, idem ille qui ſub nomine *Fr. à Monte* Latine publico dabat Amſtelodami 1647 Compendium *Theologiæ Myſticæ* HUGONIS DE PALMA, (quod etiam Germanice prodiit Hannoveræ 1696.), eadem ratione curam habuit alius opuſculi Auctoris noſtri, quod Latine in manus hominum venit anno 1650. ſub titulo, *Metapſychica de cœleſti & terreſtri myſterio:* & quidam Juriſconſultus, nomine J. Angelius Werdenhagen, 40 *quæſtiones de anima* in lucem emiſerat anno 1632 Amſtelodami cum inſcriptione, *Pſychologia Vera* J. B. T. qui duo libri, ut & libellus qui inſcribitur, *Theologia Chriſtiana juxta principia J. Bohemii idea brevior* anno 1687. nimium ſunt obſcuri, omnique neceſſaria explanatione nimium deſtituti, quam ut lectoribus incipientibus, aut ſeculi ſapientibus inſervire poſſint pro introductione in principia hujuſce Auctoris. Quiſquis ille eſt qui tractatum ſcripſit, cui titulus, *Exercitatio Theoreticorum Copernico-Cæleſtium Mathematico-Phyſico-Theologica*, Hamburgi typis excuſum anno 1689. (qui & idem qui Francofurti anno 1691. ſub nomine *Johannis Matthæi* (M. Zimmerman. V. D. M.) in publicum emiſit Apologiam Germanicam pro Auctore contra M. Holzhauſen Concionatorem Lutheranum Francofurtenſem,) is meliori ſane ſucceſſu rem egit in tertia ſuæ Exercitationis parte; uti & noviſſimus Scriptor anonymus libri qui Germanice A. 1701. & Belgice Amſtel. 1704 editus eſt, titulo, De verborge menſch des herten/ (Occultus cordis homo,) Symbolum Apoſtolicum ad interna egregie referentis & applicantis.

Henr. Morus.

Franckeberg.

Hugo de Palma.

M. Zimmermannus.

Non poſſum quin hic rarum ac mirabile quoddam factum commemorem, quod hujuſce modo dictæ Apologiæ (a) Scriptor de Boëmio noſtro refert. Nimirum dum hic viveret, primarius loci ejus Paſtor, Gr. Richter, fuerat ſimul primarius pii hujus viri perſecutor, etiam per acerrimas paginas contra ipſum evulgatas, queis tamen Auctor noſter, Boëmius, tam appoſite reſponderat, ut

(a) Apolog. p. 308. 309. in Appendice.

ut adverſarius poſtmodum tacere debuerit. Accidit vero poſt utriuſque obitum, ut iſtius Paſtoris filius honori patris conſuiere volens, pro ipſo reſponſum exarare, & a patre culpam removere decerneret. Verumenimvero, eventus nec exſpectatus, nec ullo modo prævifus! Legens & expendens ille, prout ſecundum ſcopum ſibi præfixum oportebat, Auctoris noſtri libros, convincitur ejus mens & afficitur animus eo pacto, ut nedum priori inhæſerit propoſito, urgente potius conſcientia calamum pro Auctore contra proprium patrem ſuum ſtrinxerit, triſti ſubinde hac exclamatione intermixta: *Ah, mi pater, ecquid feciſti!* Profecto oportet veritatis vim admodum eſſe inſignem, dum tam eximio modo naturam ejuſque arctiſſima vincula potenter ſuperare valet.

Quod ad verſiones attinet librorum Auctoris noſtri, eas procul dubio non patientur indiſcriminatim omnis generis idiomata, ac ſpeciatim Gallicum, cujus elegantia mollior eſt ac tenerior, quam ut talia poſſit ſuſtinere, ex quo femineis & molliculis animis ſeſe accommodans, pro lege habet, nil enunciare quod vel tantillum obſcuritatis coram lectore etiam ignavo & minus attento præ ſe ferat, niſi dictum factum velit quis audire, iſthæc eſſe incomprehenſibiles verborum ſonitus, prout ſine dubio accuſabitur verſio libri ejus ad intelligendum omnium difficillimi de *Signatura rerum*, qui quinquaginta circiter abhinc annis editus eſt Gallice Francofurti: cum inſcriptione, (*a*) *Speculum temporale æternitatis:* quæ etiam interpretatio revera non eſt magni adeo momenti.

(*a*) Miroir temporel de l'éternité.

§. 47.

(47.) Auctoris noſtri dona tam ſingularia ſunt, ut incaſſum alibi quæras Scriptores qui ex origine tam profundæ cognitionis characterem gerant: ex *origine*, inquam, id eſt, tales qui veritates ejuſmodi e fonte & per experientiam in ſeſe ipſis hauſerint. Alias non deſunt qui ſecundum ejus principia ſcripſerint, indeque varias & pluribus ſubjectis accommodandas concluſiones deduxerint, ut imprimis FRANKENBERGIUS in plurimis ſcriptis ſuis, maximam partem Germanice editis; KEYMIUS, Auctor *Oculi æternitatis*, primo horum a Typographo perperam aſcripti; porro Auctor *Viæ ad vitam æternam*, latens ſub nomine DESIDERII PHILADELPHI, & quidam adhuc alii ex ejus diſcipulis, qui omnes Germanice ſcripſerunt. Interim unicus e veteribus Auctori noſtro proximus accedens eſt *Pæmander*, qui jure

Franckenberg.

P. Keym.

D. Philadelphus.

M. Triſmegiſtus. aut injuria attribuitur MERCURIO TRISMEGISTO, & quem amicus aut diſcipulus quidam Jacobi Boëmii vertit & in commune contulit Belgice anno 1652., idque ſecundum editionem Græco-Latinam Patritii, multum præferendam editioni Ficini, atque illi etiam qua uſus eſt *Dux* CANDALENSIS ad formandam eam, quam Gallice evulgavit cum egregiis ſuis annotationibus & nitidiſſima forma Burdigalæ anno 1579. PARACELSUS, WEIGELIUS, SPERBERUS, SCLEJUS, FRANC. GEORGIUS VENETUS, *van* HELMONT pater & filius, SCOTUS ERIGENA, & quidam inſuper Scriptores Cabaliſtæ, Boëmio appropinquant ſubinde in nonnullis, fere ſicut Auctor Gallici libri *Harmonia Mundi* (editi Pariſiis anno 1675.) quem curioſi evolvere poterunt ſiquidem animadvertere cupiant methodum philoſophandi Boëmianæ potius ſimilem, quam vulgari vel Ariſtotelicæ, vel Carteſianæ: Huc quoque pertinet POSTELLUS, cujus exiguus libellus, qui inſcribitur *Clavis abſconditorum*, anno 1646 Amſtelodami cura Frankenbergii in lucem prodiit, in cujus fine habetur Catalogus rariſſimorum tractatuum hujuſce Auctoris minime vulgaris.

Franciſcus de Foix, Dux Candal. Paracelſus. Weigelius. Sperberus. Sclejus. F. G. Venetus. Helmontii. Scotus &c. Harmonia Mundi. Anonymus. Poſtellus.

§. 48. (48.) De reliquo nil magis eſt ridiculum, quam quorundam exemplo credere velle, J. Boëmium cognitiones ſuas e Paracelſo hauſiſſe. Equidem forte potuit quod ad terminos & exponendi modos quoſdam attinet, hinc inde ei ſe conformare; at ne γρ quidem in Paracelſo legitur de tribus ejuſdem principiis, neque de ſeptem formis naturæ ſpiritualis & corporalis; quæ tamen vera & unica J. Boëmii ſunt principia; quem quiſquis cum judicio evolvet., non poterit non advertere & ſentire, ipſum non proferre aliunde petita, ſed cuncta e fonte & origine intima ipſum protraxiſſe.

§. 49. J. Pordæge. (49.) Oblitus fere ſum novi cujuſdam Auctoris eodem charactere dotati nuperrime in lucem emiſſi, qui licet forte cum fructu noſtri Boëmii ſcripta legerit, tamen & ipſe non ſolum ex eadem ſcaturigine hauſit; ſed & certo reſpectu altius eandem penetravit. Eſt ille Medicus Anglicus nomine D. PORDÆGE, haud ita pridem Londini mortuus; cujus duo tractatus Amſtelodami (a) anno 1698. & 1699. ex Anglico in Germanicum verſi, lucem viderunt, unus titulo, *Theologia Myſtica*; alter, *Sophia*. Primus, cujus notabilis pars itidem Anglice fuit evulgata, præfixam habet

Opera. (a) Apud Wetſtenios.

habet præfationem J. Lædæ, Auctori dum is in vivis eſſet, amicæ: & hic quidem tractatus maxime ad argumentum noſtrum pertinet. Detegit ille in Deo novas manifeſtationes, novum mundum Spirituum, principia mundo Angelico & naturali anteriora, omnimode Jacobo Boëmio ignota, pro cujus ſcriptis intelligendis quaſdam magni momenti interpretationes ſuppeditat, haud tamen ejuſdem argumenta attingens; deſinit enim (ſaltem in opuſculis quæ hucuſque prodiere, quæque nonniſi librorum ejus ſunt initia,) deſinit, inquam, ubi Boëmius incipit. Quod quidem effatum non videbitur ænigma ei qui ſcriptum ejus perlegere volet.

Reliquit hic Auctor manuſcripta non pauca, quædam & imperfectiora, quorum jam nonnulla anno 1704 Germanice Amſtelodami luci ſunt expoſita, quæ tamen aliqui judicant inter primos conceptus Auctoris, quos in aliis libris poſtea vel emendaverit, vel evidentius ac planius expreſſerit, eſſe annumeranda. Cetera manuſcripta, quoniam confuſiora relicta ſunt, a quibuſdam harumce rerum intelligentibus ita ſunt digeſta, & in Methodica aliquot Syſtemata atque corpora redacta, ut occaſione & commoditate ad eorum in publicum emiſſionem oblatis, prodire poſſent inde non pauci, de *Mundo*, ſive *Globo æternitatis*; de *æterna* ac pura *Natura*; de *Mundo Angelico*; de *Mundo tenebroſo*; de *Paradiſo*, & aliis quibuſdam argumentis Tractatuli, præmiſſis nonnullis Præfationis loco quæ facem omnibus ac clavem præferrent. Sed ſubſidia quæ re & labore ad hoc conferre poſſint, ſunt adhuc exſpectanda uti Anglice & Germanice in lucem emitti poſſint. Vidi tractatus illos ferme omnes, nec ſine admiratione diviniſſimorum ac profundiſſimorum Myſteriorum quæ nuſquam alibi apparuerunt, neque in mentem hominis venire poſſunt. Animum extra ſe ad ſupracœleſtia rapiunt. Ordinata methodo & perſpicua elocutione deſcripti ſunt. Scriptis Boëmianis obſcurioribus lucem præferunt iis intelligendis neceſſariam. Auctorem a Deo ſingulariſſime in Myſteriis iſtis edoctum fuiſſe apparet.

(50.) Libellus Anglicus THOMÆ BROMLEY, *Via ad Sabbatum quietis*, aut *Inſtitutio de Regeneratione*, denuo typis excuſus Londini 1692. & Germanice Amſtelodami 1685. ac Belgice 1682. ejuſdem eſt characteris, quique ex ipſo fonte prodiit. Eſt hæc præ multis aliis ſolida, methodica, ſimulque brevis & ſuccincta deſcriptio Regenerationis ſecundum ſingulos ejuſdem gradus, §. 50. T. Bromley. *Opera.*

a converſione uſque ad perfectionem. Imo verum quoddam eſt Syſtema & Compendium Theologiæ Myſticæ, in uſum eorum, quos Deus *per viam ſenſuum internorum* ſive ſpiritualium ducere voluerit. Poſtrema Editio Anglica aucta eſt præfatione, quæ ſpecialia pietatem fortiter inſpirantia continet de vita & morte Auctoris, qui anno 1691 vitam finivit, ad amicos ſuos cum divina lætitia hæc non minus rara quam admiratione digna verba faciens: *Conſcientia mea penitus eſt quieta. Vitam luminibus meis conformem duxi, & Deum ſuper omnia dilexi. Ambulavi cum Deo; licet inter homines minime fui conſpicuus.* Editioni vero Germanicæ circa argumentum de quo agitur juncta quædam ſunt e Scriptis Jacobi Boëmii, cujus principia vivide poſſidebat Bromlejus.

Reliquit & aliqua hic Auctor Manuſcripta, quorum unum, *de Paradiſo, aliiſque animarum poſt mortem manſionibus* vel *regionibus*, nuper in Germanico idiomate editum eſt Amſtelod. 1705. & ultimis horis J. Lædæ ſubjunctum. Dicitur, ſi bene memini, & de manſionibus Iſraëlitarum in deſerto, aliiſque quibuſdam ſcripſiſſe, quæ vero utrum lucem aliquando conſpectura ſint, eventus faciet palam.

XI.

HIEL.

Et qui ad hujus claſſem referendi.

§. 51. HIEL. *Character.* (51.) Auctor Belgicus ſub velamine hujus tituli deliteſcens, itidem plane ſingularis obſervatur in *charactere* ſuo, qui eſt, cuncta deducere e divino Principio quod ipſe Jeſus Chriſtus adeo commendat tanquam Patri ſuo acceptiſſimum, & divinæ naturæ ſuæ maxime conforme, ſcilicet, *Spiritum* aut VITAM & REALITATEM ſeu *veritatem*, juxta huncce textum: *Deus eſt Spiritus, & vult adorari in ſpiritu & veritate*, id eſt, modo vivo ac reali, quem hic Auctor Belgice exprimit, het Een-wezig Leben / acſi quis diceret, VITA UNI-REALIS. Omnia hinc exponit, hinc elicit; huc omnia refert; & ecce viam, per quam eo deductus videtur, & principia queis fuit imbutus.

§. 52. *Via illuminationis ejus.* (52.) Vivebat ævo admodum turbulento, ubi nil niſi diſſidia, rixæ & contentiones in Chriſtiano orbe graſſabantur circa Religionem

Digitized by Google

gionem & Dei cultum. Atque hic cultus, ob quem tanti animorum motus, vix quicquam aliud erat quam partim ceremoniæ & externa Chriſtianiſmi, partim opiniones & ſpeculationes mentis, quibus ſine dubio & ipſe Auctor involvebatur, perſuaſus ſeſe notabiles in Chriſtianiſmo ſuo feciſſe progreſſus poſtquam iis *partibus* fuerat addictus quæ ſibi meliores apparuerant, & *ceremoniis* ac Sacramentis ſecundum earum inſtitutionem (ipſius judicio) omnium integerrimam & puriſſimam, fuerat uſus; ac mente ſua conceperat (ſecundum ſuam perſuaſionem) veriores magiſque ſalutares ſpeculationes & *opiniones* (ceu ipſi videbatur) quam ceteræ partes fovebant. Verumenimvero ubi Suprema Bonitas ipſi cor ſic tetigiſſet, ut ſentiret, omnia modo dicta neutiquam impedire, quin adhuc inhæreat luto perditionis; toto corde ac ſerio hanc tanti momenti veritatem eſt amplexus. Deinde divinæ luce ſpecialius animadvertens, tam illuſiones fraudeſve quibus quod ad ſtatum ſuum erat captus, quam veritates ſolidiores falſis iſtis hypotheſibus contrarias; percepit tum, ut quis ſit *verus Chriſtianus*, ut vere ſerviat Deo, ut vivat in ſtatu ſalutis, non requiri a Deo contentiones & diſſidia ac *factiones*, ſed UNITATEM: non *ceremonias*, umbras, figuras & externos geſtus; aſt REALITATEM: non aridas *ſpeculationes*, vanas theorias, ac opiniones; ſed VITAM: quæ quidem proprie tria iſta ſunt quæ conjunxit hocce verbo, Een-wezig Leven / ſeu *Vita uni-realis*, hoc eſt (1) *vita*, aut ſpiritualitas viva & actualis, (2) *realis* & ſolida, atque (3) reünita in *unum* cum Deo & cum ejus liberis; id quod proprie idem eſt quod Chriſtus a Patre ſuo poſtulavit ad plenam omnium conſummationem. Joh. 17: 21, 23.

§. 53. *Poſitiones quædam ad Hielis Scriptorum intelligentiam.*

(53.) Ut eo clarius pateſcat ſolida, ſpiritualis & ſublimis hujuſce Auctoris doctrina, neceſſe eſt ſtabilire & bene perpendere theſes aut principia quæ ſequuntur.

I. *Res ſpirituales & internas eſſe originem, realitatem, vim ac virtutem omnium rerum.* Revera enim omnia, ac imprimis corporalia, nihil fuere; &, teſte ipſa Scriptura S. (Hebr. XI. 3.) cœperunt exiſtere ſolum per vim ſpiritualium & inviſibilium, quorum illa ſunt velut excreſcentiæ, &, ut ita loquar, quaſi ſtolones aut viſibiles manifeſtationes ſtatûs & virium quæ in rebus inviſibilibus inſunt.

II. Prout igitur *diſpoſitæ* erunt res *internæ*, eodem etiam modo ſeſe

ſeſe habebunt *externa* & materiales; quia hæ ab illis procedunt, & qualis eſt cauſa, talis & effectus.

III. Quod ſi ergo res ſpiritualis, anima ſcil. omneſque ejuſdem actus interni, bene ſunt diſpoſiti; conſequenter etiam ipſius externum & corporale ſine dubio recte erit ordinatum.

IV. Quapropter ſi omnes ſpiritus aut omnes ac ſingulæ animæ, cum omnibus actibus ſuis, prout decet eſſent ordinatæ; cunctæ pariter res externæ, corporales & materiales, generaliter in laudabili ſtatu forent.

Quo poſito, perfecta & glorioſa totius UNIVERSI INSTAURATIO ſequeretur, *ex interioribus* cujuſque mentis, ceu dictum, dimanans.

Atque ſic ab origine res conſiderando, omnia redeunt *ad rectam cujuſlibet animæ diſpoſitionem*, indeque cuncta pendent.

§. 54. (54.) V. Perſpicuum vero eſt, haud reperiri medium ad hoc aptius & magis propinquum, nec meliorem pro qualibet anima diſpoſitionem, quam principium & actus *vivos*, *Reales*, & ſolidos in *unitate* cum Deo & liberis ejus, quod plane illud ipſum eſt, cui Auctor VITÆ UNI-REALIS nomen dedit, & quam quis eodem ſenſu exprimere poſſet per *Vitam veram in unitate & ſimplicitate divina*.

§. 55. (55.) VI. *Ceremoniæ* autem, figuræ, umbræ, & cultus apparens, nequaquam ſunt *realitas*:

Factiones, *ſectæ*, ſchiſmata, diſſenſiones, contentiones, minime ſunt *unitas*:

Atque *opiniones*, perſuaſiones, theoriæ, ſpeculationes, ideæ, ſermones, neutiquam ſunt *vita* & *ſpiritus*:

Quæ omnia quum non conſtituant *vitam uni-realem* aut *veram vitam in unitate & ſimplicitate divina*, nequeunt eſſe *proxima & viva media* ad INSTAURATIONEM vel cujuſvis privati hominis, vel in genere totius Univerſi:

1. Ergo iſtis adhærere tanquam *proximis & vivis mediis*, *hypocriſis* eſt, phariſaïſmus, *propria juſtitia*, ſanctitas propria ſeu propriæ electionis, *ſanctitas* imaginaria & *carnalis*, ceu pluribus in locis mentem ſuam enunciat Auctor, & ob quæ poſtremorum horum temporum Chriſtianos fortiter reprehendit.

2. Illis adhærere tanquam *fini ſeu ſcopo*, ad quem eniti & in q[uo] acquieſcere oporteat, eſt, Deos & idola inde extruere; eſt *ido*

latr

latria coram Deo, ſecundum eundem Auctorem, qui commonſtrat, Chriſtianiſmum hujus ævi nimis jam eſſe hac idololatria vix obſervata infectum.

3. At iſtis uti (quantum fieri poteſt) tanquam *acceſſoriis* & craſſis ſeu *elementariis mediis* ad ſeſe promovendum verſus *vitam realem in unitate divina*, peculiaris ac verus eorundem eſt *uſus*, qui reipſa infirmos directe & proprie reſpicit, iiſdemque prodeſt; quem tamen magis promoti itidem obſervare & poſſunt & debent, tum ne infirmis malo ſint exemplo, ſed potius incitamento ad exercenda ea quæ ipſis proſunt, quamdiu revera ipſorum progreſſibus inſerviunt; tum ad ſeipſos excitandos, aut ſeſe in Deo recolligendos, quoties mens eorum diſtracta aberrat, aut animus dejectus elangueſcit, ſicut ſubinde revera contingit etiam iis qui jam notabiles fecere progreſſus.

(56.) VII. Hinc ſequitur, quum *Scripturam* Summa Bonitas nobis conceſſerit tanquam externum adminiculum ad mortalium animas ad ſalutem & verum internumque Dei cultum ducendas, ſeu ad *vitam realem in unitate & ſimplicitate divina*, vel *ad ſtatum ſpiritualem, in quo vivant ſolide Deo unitæ*; optimum ejuſdem Scripturæ S. uſum conſiſtere in eo, ut quis omnia quæ eadem continet, nobiſque repræſentat, tanquam picturas & exemplaria conſideret eorum quæ intus nobis eveniunt aut evenire debent; in mentibus, inquam, in animæ adytis, in facultatibus noſtris, & actibus internis; adeoque interpretationem omnium maxime utilem eſſe illam, quæ tendit ad ſenſum tum *unitatis* amoriſque erga Deum & proximum; tum vivæ ac veræ *realitatis*; denique *ſpiritualitatis*, ut ſic loquar, interiora fundumque mentium ſolide occupantis. §. 56. *Ejus* Principium *de SS. Scripturarum interpretatione* allegorica.

Atque hoc pacto tota *Scriptura* S. *vere intus reperitur*, & in qualibet anima ſpiritualiter impleri debet. *Scripturæ S. ſpiritualitas.*

Ex hoc principio Auctor noſter eandem ſic expoſuit ubique, a Geneſi uſque ad Apocalypſin, omnium proinde maxime internus, utilis & ſublimis Allegoriſta qui hucuſque quicquam ediderit. Vult ille ut quis Scripturam S. evolvat, non ſimpliciter tanquam rerum quæ olim & extra nos contigerunt hiſtoriam; ſed ut eam inſpiciat tanquam tabulam variis modis exprimentem mala quæ peccatum in nobis produxit, ac etiamnum producit; & qua ratione Deus per internas S. Spiritus ſui operationes eadem ad internecionem proſternere & e cordibus noſtris profligare vult,

 eorum-

Digitized by Google

eorumque loco ingerere principium, vitam, & ſalutares ac divinos fructus, quæ æternum coram ipſo & in unitate cum ipſo poſſint ſubſiſtere.

§. 57. (57.) Vixit hic Auctor ante centum & quinquaginta circiter annos, paulo poſt medium ſeculi decimi ſexti. Erat laïcus & illiteratus, nullam niſi Belgicam linguam callens, quippe prout ipſe in libris ſuis profitetur vernaculam: qua de re non eſt fas dubitare, licet in allegoricis ſuis in Scripturam explicationibus, ſemper Bibliorum nomina propria, tam Hebraica quam Græca, reddat per interpretationem ipſorum etymologiæ exacte reſpondentem. Hoc enim efficere potuit, quod celebris & docti *Ariæ Montani* intimus eſſet amicus, qui omnia ipſi interpretabatur, & tanti eum faciebat, ut publico teſtimonio declararet, ipſum eſſe *Chriſtianæ veritatis viventis teſtem, cui nomen ipſa Chriſti virtus & veritas* HIEL *indidit.* Scilicet verbum *Hiel* denotat *vitam Dei.* Familiaris quoque fuit Typographo celebri *Plantino*, qui omnes ejuſdem libros Belgice & Gallice indefeſſo ſtudio, eoque nitore & ea pulchritudine, queis peritus hic Typographus ſua perficere conſueverat, impreſſit; quibus tamen nomen ſuum haud appoſuit, ſicut neque tempus neque locum impreſſionis, ſine dubio *propter metum Judæorum*, & veritus ne moleſtas ſibi turbas arceſſeret. Originale Belgicum longe antecellit verſioni Gallicæ, obſoletæ & interdum non exactè ſatis ſenſum reddenti: at utrumque non niſi rariſſime invenitur. Anno 1692 Amſtelodami iterum prælo ſubjecerunt ejuſdem Belgicas *Explicationes figurarum Biblicarum*; & tribus quatuorve annis ante, *omnia ipſius Opera* ibidem (a) Germanice reddita & publica luce donata ſunt, quæ ad ſeptem vel octo volumina in *octavo* redigi poſſunt, quorum illud quod inſcribitur *Theſaurus abſconditus* primas tenet: Ejuſdem *Capita fundamentalia* ſubſtantiam argumenti ſuccinctè continent: *Epiſtolæ* ipſius, in tres partes diviſæ, cum quibuſdam dialogis, maxime perſpicua pars ſunt & familiarior: & *Expoſitio figurarum Biblicarum*, ac *Apocalypſeos*, ut & *prima* ac *octava pars Theſauri abſconditi*, præ aliis maxime allegoricæ.

Opera ejus.

(a) *Apud Wetſtenios invenienda.*

§. 58. *Allegorici.* (58.) Theologi *Allegorici* aut Symbolici, in quantum explicationes illorum ad mere interna tendunt, ejuſdem characteri ab hac parte appropinquant: quales ſunt v. g. BARNABAS Apoſtolus; ORIGENES, paſſim, qui Auctor inter Patres ferme omnes,

Origenes.

Digitized by Google

omnes, vel judice magno Eraſmo in præfatione ad Opera illius, omnium maxime inſignis eſt ac vere divinus, intimus, ſolidus, movens, penetrans, inflammans, potiſſimum vero ubi vel profundiſſime allegoricus eſt: item & allegoricis internis delectantur AUGUSTINUS in Geneſin præcipue, & ultimo *Confeſſionum* ſuarum libro; & ARNOBIUS junior, quinti ſeculi Auctor, maxima parte ſuorum *Commentariorum* Latinorum in Pſalmos, anno 1560 Baſileæ ab Eraſmo editorum ac laudatorum, licet ea Arnobio Seniori non bene tribuerit: & denique HESYCHIUS, Auctor ſeptimi (quinti, ſecundum alios) ſeculi, cujus ſeptem libri *in Leviticum* itidem Baſileæ anno 1527 in lucem prodierunt. Addeſis RUSBROCHII excellentiſſimum *Commentariorum* opus *in Tabernaculum fœderis*, quod operibus ejus inſertum eſt, ac de quo ſupra §. 6. Huc quoque referenda pars *Myſterii Magni* J. BOHEMII, ut taceam nonnullos alios, non admodum magno numero, quia plurimi eorum, quos Maximilianus Sandæus memorat in Theologia (*a*) ſua ſymbolica, nil minus ſunt quam Explicatores ſenſuum internorum.

Auguſtinus. Arnobius. Heſychius. Rusbroch. J. Bœm.

(*a*) *Lib.* 6. *com.* 5.

Aſt Doctor PORDÆGE, cujus Tractatum qui inſcribitur *Sophia* Amſtelodami anno 1699 Germanice evulgarunt, ſingulariter in iſthoc charactere excellit, æque ac Matrona Anglica JOANNA LEADA, in non paucis opuſculorum ſuorum, quorum ſupra jam facta mentio.

J. Pordæge. J. Leada.

XII.

ANONYMUS BELGA.

Et quidam hujus characteris ſimiles.

(59.) Quod attinet ad Anonymum Belgam (quem eundem eſſe ajunt qui ſæpe deſignatur per litteras (*b*) D.G. aut D.J.) tuum potius eſt de ejus contentis & charactere judicium proferre quam meum, quippe qui vetus idioma ejuſdem librorum vix intelligere poſſum, ac non niſi paucos eorum evolverim. Quapropter velim ut quis hoc nomine alios potius, qui omnes iſtos libros legerunt, conſulat, quam ad ea, quæ proprio Marte de iis expromere poſſem, attendat. Quod ſi autem ſententiam eorum, quos ad judicandum de Auctore hoc aptiſſimos credidi,

§. 59.

(*b*) *Creditur eſſe* DAVID GEORGIUS.

Digitized by Google

& a quibus ecquid de ipſo ſentiendum, ſum ſciſcitatus, percipere cupias, ecce methodo plane hiſtorica eadem tibi hic narrare aggredior.

Seculum jam effluxit & amplius, quando vir quidam eruditus, qui perfectam Auctoris hujuſce ejuſdemque Scriptorum notitiam tenere viſus eſt, exiguum edidit compendium ſubſtantiam doctrinæ ejus comprehendens, quæ tota huc redit.

Opera. Principia, ſcopus & compendium eorumdem.

1. Reducere mortales ad veram cognitionem & verum cultum Dei; a quo omnes aberraverant, dum nonnulli cultum iſtum conſiſtere credebant in quibuſdam actibus moralibus & officiis mere humanis, civilibus & phariſaicis; alii, in obſervatione quarundam externarum ceremoniarum, junctarum ſpeculationibus, perſuaſionibus & applicationibus mere idealibus: quum tamen VERUM CULTUM in hoc ſitum eſſe conſtet, ut quis Optimo Maximo offerat ſuum cor, ſuos ſenſus, ſuas cogitationes, ſuas proclivitates & vitam ſuam, ut ipſe ſit & principium & finis eorum omnium quæ quis efficit & efficere deſiderat.

2. Ut eo perveniatur neceſſe eſſe hominem cognoſcere horrendam voraginem univerſalis corruptionis, cui eſt immerſus tum per labem originariam, tum per peccatorum actualium & habitualium ſordes: neceſſe porro eſſe, hominem eandem corruptionem fateri, ſentire, deplorare, & ejus cauſa gemere coram Deo, quærendo conſtanter ac ſerio realem liberationem in Jeſu Chriſto, cujus gratia & Spiritus animum ejus occupare debeant, ibidemque mali eruptiones comprimere, imo radices ejus evellere, novam vitam excitare in fide, ſanctitate, juſtitiæ, & charitate; quo mens & animus adeo rebus cœleſtibus flagrent, ut impoſterum ubique Divinum Numen venerari annitens, nihil quidquam vel cogitare, vel ore efferre, vel opere patrare ſuſtineat, quod tantæ Majeſtatis conſpectu queat eſſe indignum. Atque hoc demum pacto hominem ſubſiſtere poſſe coram Deo in terribili judicio, cui in univerſum orbem exercendo ſeſe accingit ſumma illa Juſtitia, ad exterminandum malum & inſtaurationem boni.

3. Hiſce abſolvitur ſubſtantia eorum, quæ Auctor iſte commendat; quod ad opiniones autem peculiares attinet, & quæ ad ſalutem minus ſunt neceſſariæ, verbi gratia, de natura Angelorum, Dæmonum, Inferni, de loco Cœli beatorum, & ſimilibus,

Digitized by Google

bus, nemini ſuas ille obtrudit; at liberum cuivis relinquit de his ea credendi quæ in Scriptura S. animadvertet ſecundum menſuram luminis ſui. Et revera, maxima pars SS. Patrum primitivæ Eccleſiæ omnis generis diverſas opiniones fovet, imo & erroneas, circa eadem argumenta; neque ii tamen propterea in minori pretio fuerunt, aut eoſdem quivis ideo minus toleravit. Quod ad conventus & ceremonias ſacras attinet, bonum eſſe judicavit Auctor iiſdem uti, tam ad proprios quam infirmorum in pietatis curriculo progreſſus.

Scriptor ſupra memorati compendii, addit, ſe nunquam evolviſſe Auctorem, qui tanta vi & efficacia atque hic noſter ſcripſerit, licet omnes qui in Eccleſia Chriſtiana æſtimantur, ſatis diligenter ſit perſcrutatus.

(60.) Juriſconſultus *Werdenhagen* in præfatione Latinæ *Introductionis ſuæ* in libros Bodini de Republica; & *Chriſtianus* HOBURGIUS Eccleſiaſtes e Proteſtantibus Germaniæ, qui inter alia *Theologiam Myſticam* & *Chriſtum ignotum* edidit, ubi quædam de Auctore hoc præfatur; ambo hi de eodem noſtro tanquam Viro lumine cœleſti perſpicaciſſimo loquuntur. Pius ille & eruditus CASTALIO conſilia ab ipſo ſolebat petere circa ſenſum Bibliorum, quæ Latine reddebat, & quorum præfationem nonniſi eo conſulto in commune conferebat. §. 60. Werdenhagen. Hoheburg. Caſtalio.

Plurimos alios audivi eodem modo judicantes, poſtquam omnia ejus opera perlegerant, & qui ceteroquin valebant ingenio, pietate, eruditione ac ſcientia omnimoda, idque inſigniter. Novi non paucos, qui ea inſpicere non poterant, quin mox intima animi præ peccatorum dolore commoverentur, inflammarentur, admiratione percuſſi.

Sunt qui characterem Auctoris hujus mihi hiſce terminis depinxerunt: „Divinus hic vir omni molimine anniſus eſt inculcare animabus primarium hoc veri Chriſtianiſmi principium, „ſcilicet, per experientiam in lumine divino cognoſcere corruptionis & miſeriæ noſtræ abyſſum; propterea intime dolere, cum interiori & ardenti deſiderio boni, & ſincero odio „mali; & porro firmiter credere neminem ab hoc liberari, & „illud aſſequi poſſe, niſi per gratiam Jeſu Chriſti in nobis habitantis & operantis. Idem hunc Auctorem inter Scripturæ interpretes primas tenere judicabat. Quod ad me attinet, poſſum Character.

 ſancte

ſanĉte aſſeverare, me nil in ejuſdem quæ evolvi operibus offendiſſe niſi pium ac mox memoratis penitus conforme. Quod ſi cui lubeat ſeſe ipſum de fundo hujus Auĉtoris reddere certiorem, ſolummodo perluſtret ejuſdem *Epiſtolas*, aut quatuor ipſius *Manualia*; ſicut & excerptiones, quas nuperrime e Scriptis ejus publico dedit Cl. Dn. Arnoldus Profeſſor quondam Gieſſenſis, in Germanica ſua Eccleſiæ & hæreſium hiſtoria, quæ jam in lucem & Belgicè prodiit duas quantum ad ejus partes priores.

Opera quædam.

§. 61. H. Herberti.

(61.) HERMANNUS HERBERTS, Eccleſiaſtes Reformatorum Goudanus abhinc ſeculo & ultra, mentem & charaĉterem Auĉtoris noſtri abunde exprimit in præclaro Traĉtatu Belgico quem edidit anno 1584. Vianæ, cum inſcriptione, *Brevis Expoſitio Verborum S. Pauli Rom.* 2: 28. *Ille non eſt Judæus, qui extrinſecus talis eſt*, &c. qui traĉtatus quoddam eſt ſyſtema Theologiæ poſitivæ (cum venia Voetii in ſua *Bibliotheca Studioſi Theol.*) ſolidiſſimum utiliſſimumque, & cujus inſignem fecit Apologiam anno 1591. Goudæ. Multum ipſi profuerant ſcripta Anonymi noſtri; imo (ceu perhibetur) publicationem plurimorum iſtorum iterum iterumque ipſe promoverat.

Jac. Brill. Opera.

Libet hic ad ſimilem charaĉterem referre & auĉtorem Belgam, JACOBUM BRILLIUM, initio ſeculi hujus Leidæ fatis funĉtum, cujus *Opera* poſthuma Belgica nuper Amſtelodami (1705 in 4to) prodierunt. quæ vero teſtantur animum Divino lumine, vera ſui nihili cognitione, ac intelligentia realitatis ſolidæ quæ eſt recondita in myſterio Chriſti, omnino perfuſum. Totus eſt quantum ad diĉtionem in Scripturarum verbis, quantum ad res in Scripturarum Spiritu interno, ſolido, pacifico, atque ad unitatem & finem omnium ſummum ſemper omnia reducente. Et tamen fuit illiteratus, & quoad vixit, latuit intra ſe aliis incognitus.

§. 62. S. Ephrem.

(62.) E Veteribus eodem charaĉtere comparet S. EPHREM, natione Syrus & Diaconus Edeſſenus ſeculo quarto; vir quem tota Eccleſia Chriſtiana & venerari & admirari nunquam deſiit, & de quo Chryſoſtomus: (a) *Ubi Syrus ille Ephrem magnus, obtorpeſcentium excitator; juvenum diſciplina, inſtructor, atque exhortator; Monachorum ſpeculum; dux pœnitentium; framea ac ſpiculum adverſus hæreticos; virtutum receptaculum, & Spiritus Sanĉti habitaculum atque diverſorium?*

(a) *Chryſoſt. in Sermone de Pſeudo-proph. in Operibus S. Ephrem, Edit. Col.* 1675. *pag.* 804.

Erat

Erat ſanctus ille (æque ac Anonymus noſter,) illiteratus & indoctus, attamen Spiritus S. menti & cordi ejus inſtillaverat ſubſtantiam, imo ipſa quoque verba totius Scripturæ S. ipſique linguam conceſſerat quæ eandem & exponebat & aliorum cordibus imprimebat tantâ efficaciâ, quam nulla neque naturalis neque ſtudio exculta facundia attingere poterat, prout divina ejuſdem *Opera* clariſſime commonſtrant, quæ revera nil ſunt niſi contextus ſubſtantiæ & terminorum Sacri Codicis, eo tendens, ut ſpiritum contritionis in animos revocet, mortales a malo ſeveriſſime abducat, eoſdemque ad bonum fortiter impellat, per omnis generis incitamenta, timoris, ſpei & amoris, quæ animo quis comprehendere poſſit. Tanti quoque illa ejuſdem Opera olim fiebant, ut in Eccleſiis Orientalibus publice legerentur. Habetur eorum verſio Latina aliquoties ſub incudem revocata, & ultima vice, anno 1675. Coloniæ. *Teſtamentum* ejus, cum quibuſdam ejuſdem opuſculis, antehac antiquo idiomate Gallico prodiit: at novam illius interpretationem dedit P. *Lallemandus*, Cancellarius Univerſitatis Pariſienſis, in libro Gallico de *Morte Juſtorum* anno 1673. typis impreſſo. In Vitis pariter Patrum tum editionis Roſweydianæ, tum interpretationis Andillianæ, reperitur tractatus ejuſdem S. Ephrem, qui eſt: *Vita S. Abrahami ejuſdemque fratris filiæ pœnitentis.*

Opera.

P. Lallemand.

(63.) Alius e Veteribus eodem ſpiritu & charactere imbutus, fuit magnus & divinus ille S. MACARIUS Ægyptius, coævus Sancti Ephrem, ſolitarius, & diſcipulus S. Antonii, quanquam indoctus, tamen potens in miraculis, in virtutibus, & in verbis. *Quinquaginta ejus Homiliæ*, quæ extant, omnibus ex Antiquitate ſacris operibus, meo arbitratu, longe antecellunt. Spiritu S. dictante videntur ſcriptæ, earumque lectione ſaturari vix poterit pia mens, ſicut & *opuſculorum* ejus, in quibus idem character elucet. Clariſſime ſentitur, Spiritum Summi Numinis ibidem detegere incredibilem miſeriam & captivitatem hominis ſub peccato & Dæmone; media inde emergendi per Chriſtum & reviviſcendi in ejuſdem Spiritu, qui poſtea animas victrices regit, atque in ipſis operationes & gratiarum dona producit quæ non novit mundus.

§. 63. S. Macarius.

Character & argumentum Scriptorum ejus.

Superfluum foret eos, qui in regno ſpirituali oculati ſunt, monere, in ſcriptis Macarii reperiri totius *Theologiæ Myſticæ* ſubſtan-

Digitized by Google

ſtantiam, ne exceptis quidem *terminis*, præ quibus obſtupeſcunt ii, queis divina hæc Theologia eo minus ſapit, quo magis ad eam inidonei redduntur per tenebras corruptæ Rationis ſuæ, & per affectuum ſuorum turbulentas fæces. At fortè non inutile fuerit hic animadvertere Sanctum hunc Auctorem unum eſſe inter antiquos (quod de *Rusbrochio* inter recentiores vere etiam dixeris,) quem ut veræ *Theologiæ Myſticæ* Inſtauratorem fontemque aliquem vivum, merito conſideraveris, licet vulgo haſce partes DIONYSIO AREOPAGITÆ attribuant, cujus tamen Opera, quæ dicuntur, nec apparet ejus auctoris eſſe cujus nomen ferunt; ſed potius Scriptoris Macario noſtro vel tempore inferioris; & præterea continent pauca de Theologia Myſtica, quam pro Summo Contemplationis gradu ſumit, pleriſque ad *Symbolicam* vel *Hierarchicam* ſpectantibus, niſi ſi hic atque illic quædam in libro de *Divinis Nominibus* & in *Epiſtolis* excipias cum breviſſimo libello de *Theologia Myſtica*, quem, ut ad hanc materiam unicè pertinentem, CAROLUS HERSENTIUS, Presbyter & Concionator ſeorſum Græce & Latine cum notis ac commentariis ſuis, præfixa etiam ejuſdem pro Theologia Myſtica Apologia, & ad eam apparatu emiſit Pariſiis anno 1627. in 8vo. Omnia vero ejuſdem Opera prius ibidem prodierant Græce & Latinè curâ Lanſſelii, anno 1615. quæ poſtea nitidius Antuerpiæ 1634. cum Paraphraſibus PACHYMERIS, & Scholiis MAXIMI *Monachi*, additis notis ac commentariis BALTHASARIS CORDERII, Editoris, Soc. J. edita ſunt, & Pariſiis, 1644. recuſa, (2 voll. fol.). Verterat ea ante e Græco in Gallicum idioma, & quidem bis, P. *Joan. Golius*, celebris Golii, Regii Profeſſoris in Græcis filius, in quo idiomate Gallico prodiit interpretatio ejus altera typis elegantibus anno 1629. in 4to. Pariſiis.

Dionyſius Areopagita.

Porro Dionyſius, ſive is qui ſub hoc latet nomine, in modo rei tractandæ, ſive in methodo, in phraſeologia, & in quibuſdam etiam argumentis non immerito aliquid ad Platonicorum Characterem accedens habere dicitur, quod tamen non culpandum in homine qui potuit antè iſti Philoſopho addictus fuiſſe: reſpicit autem potiſſimum ea quæ ad animæ partem intelligibilem & ad eos qui vel provectiores ſunt, pertineant; & poſſint inde minus cauti facilius inutilium ſpeculationum anſam forte aliquam

Character.

quam deſumere : At Macarius nullam affectans Philoſophicam vel Methodum, vel ſpeciem, (in qua ignarus erat) nullamque iſtiuſmodi accurationem, aut ſubtilitatem, totus eſt in ſimplicitate, in modis, in verbis, in elemento & ſpiritu Scripturarum, & in charactere hominem Apoſtolicum, & Scriptorem plane Sacrum ſapiente; reſpicitque ad omnia quæ in toto homine tum deſtruenda, tum adſtruenda & reſtituenda ſunt ut Deo fruatur; totuſque adeo externè & interne practicus ac vivificus, incipientibus, progredientibus, provectioribus, uno verbo, omnibus accommodatus, ſine deceptionis periculo.

Operum Macarii editiones.

Morellus Pariſiis anno 1599. Græcam harum Homiliarum editionem evulgavit, ſicut & ſeparatim interpretationem Latinam, quæ Græcâ eſt emendatior; contra vero in Editione Græco-Latina Francofurtenſi 1594. Eædem præterea prodiere Pariſiis in fol. anno 1622. cum operibus aliorum duorum (a) Patrum Græcorum. Opuſculorum ejus Græco-Latinorum editio debetur P. Poſſino, qui eadem emiſit Pariſiis & Toloſæ anno 1684. in ſuo *Theſauro Aſcetico*. At cura Dn. D. Pritii in vulgus exiit optima & perfectiſſima Editio omnium S. Macarii Operum non ita pridem Lipſiæ anno 1698. & 1699. quæ aliis editionibus præferenda eſt, tum ob accurationem, qua ipſe Homiliarum & Opuſculorum textum Græcum emendavit, & verſionem Latinam correxit; tum ob additiones *apophthegmatum*, omniumque eorum quæ alibi ejuſdem Patris occurrunt in Caſſiano, Roſweydo, & in *Monumentis* D. Cotelerii.

(a) Scil. *Gregorii Neocæſarienſis, Epiſcopi, Thaumaturgi dicti, ac Pontici, Origenis diſcipuli; & Baſilii Seleuciæ Epiſcopi.*

Verterunt & publica luce donarunt ejuſdem Homilias Belgice Antuerpiæ anno 1580. Et nuper (anno 1696.) D. Arnoldus eaſdem Germanice redditas prælo commiſit Lipſiæ, ubi & denuo impreſſæ ſunt anno 1699. cum ejus opuſculis & quibuſdam apophthegmatibus. Optandum foret, Sancti hujus Auctoris Interpretationem Gallicam extare, in ſalutarem uſum omnium eorum qui promovendo vero Chriſtianiſmo favent.

Digitized by Google

XIII.

MARGARITA EUANGELICA, ANONYMÆ.

Et qui huc ſpectant Aſcetici, Practici atque Contemplatores.

§. 64. MARGARITA EUANGELICA ANONYMÆ VIRGINIS. *Character ejus, & principia.*

(64.) Vere anonymus eſt hicce Liber; & fallitur *Sandeus* quando *Eſchio*, Sacerdoti Antuerpienſi, eum attribuit, qui tamen nonniſi iſtius editor eſt; fallitur item & ejus in Germanicum Idioma Editor, J. Angelus Sileſius, (qui ipſe nonnulla egregia, verſibus Germanicis ac emblematicè ſcripſit) quando eum Viro cuidam Sancto, qui occultus manere volebat, aſſignavit. Compoſuit eum ſancta quædam VIRGO, quæ pro charactere & primario doctrinæ ſuæ fundamento tenet aſſiduam Dei in anima præſentiam, ſicut Solis in Cœlo, ad tenebras & omnia mala diſſipanda, & ad implendum iſtius fundum beatitudine æterna, per actionem Patris in memoriam, qua hæc ad aſſiduam & vividam Dei recordationem impellitur; per Filii actionem in intellectum, illuminando hunc vivo & ſalutari veritatis lumine; denique per actionem Spiritus S. in voluntatem, Amoris divini ignem ſancte huic inſpirando: & hæc quidem omnia virtute meritorum & interceſſionis Spiritus læti, animæ afflictæ & corporis mortificati ac mortui Jeſu Chriſti; ut imitando eum in via Amoris, abſtinentiæ, & dolorum, Deus gaudio, pace, voluptate & oblectamento æterno in nobis fruatur. Quibus Principiis ſancta hæc Virgo ubique innititur, inculcatque & extendit ea vivo ardore totoque pectore. Inveniuntur in hoc libro plurimæ inſignes veritates, & non pauca magni momenti principia de fundo & facultatibus animæ, deque præſentia Dei, & ejuſdem operationibus, &c. quæ alibi rarius occurrunt, & plurimum faciunt ad ſolvendas difficultates quaſdam graviores de vita interiori & de Theologia Myſtica.

§. 65. *Editiones.* (*) *Glatz.* 1676.

(65.) Sæpius ſub incudem revocata eſt Margarita Euangelica, Gallica, Latina, Germanica * & Belgica lingua. Editio Gallica Patribus *de Bourg-Fontaine* Pariſienſibus debetur, integro ſeculo antiquior. Formarunt eam ſecundum Editionem Latinam Colonienſem anni 1545, quæ tamen non eſt verum originale, ſed interpretatio Eſchii, in qua mutatus eſt ordo,

ordo, tribus ejuſdem partibus ad quatuor revocatis: omnium tamen maxima variatio in eo conſiſtit, quod, ne offenderentur ſapientes hujus mundi, declarando e cujus calamo hic liber prodierit, virginis inquam; non ſolum primam præfationem omiſerint, ſed & terminos femininos converterunt in maſculinos ſub finem, ubi primus (*a*) editor Belga (qui idem Eſchius eſſe creditur) agnoſcit, converſionem ſuam ad Deum adminiculo iſtius virginis eſſe factam, quam Dei *ſponſam*, *ancillam* & *amicam* nominat: quarum vocum loco ſubrogarunt terminos maſculinos *ſervi* & *amici*: ac ſi pudendum foret, faſtidioſis hujus ſeculi ſapientibus ob oculos ponere veritatem a femina profectam, quum tamen Spiritus S. communiter mentes ſequioris ſexus promptius occupare ſoleat quam inflata Doctorculorum cerebella; quod illæ ſcientiarum humanarum quiſquiliis minus ſint irretitæ, magis vero dociles & ad pietatem prócliviores quam eruditorum animi; quorum inanem ſapientiam perdere, eorumque arrogantiam & ſuperbiam reprimere lubet Divino Numini per media propoſito ſuo adeo conformia, & tam ad mortificationem elatorum hominum apta. Quicquid ſit, ea quæ idem Eſchius in prima præfatione antiquarum Belgicarum, & originariarum Antuerpienſium Editionum, (v. g. ann. 1542, 1548.) huc pertinentia memorat, rem extra omne ponunt dubium, & merentur hic extare ad reparandam (ſine quo minime foret opportunum) ſuppreſſionem eorum in Gallica, Germanica, & Latina Editione.

„ (66.) Hic Liber (inquit,) conſcriptus eſt a VIRGINE „ quæ virtutibus excelluit, Divino Spiritu afflata, & per pro„ priam experientiam edocta. Jam a prima juventute Regi Glo„ riæ ſeſe conſecraverat, cujus veſtigia conſtanter ſequebatur „ ad mortem uſque per omnis generis vias, dulceſque & ama„ ras. Vivebat cum Patre ſuo, ubi per obedientiam Patri cui„ dam Spirituali præſtitam, per jejunia, per preces, vigilias, aliaſque §. 66. *De Auctore Virgine teſtimonium certum.*

(*a*) Prima Libri editio Belgica dicitur Ultrajecti anno 1535. prodiiſſe, edente Theodorico Loer, Carthuſianorum Colonienſium Vicario, qui viſis quibuſdam e manuſcripto excerptis, eam editionem, at eapropter deficientem, procuraverat, quam deinde, ubi ei plenum manuſcriptum, (ab Eſchio proculdubio communicatum) videre licuit, completam dedit anno 1539. Antuerpiæ, ubi & pluries deinde excuſa eſt Belgicè *Margarita* hæc *Euangelica*, cum præfatione nomen Æſchii præferente, annis 1542, 1548, &c.

Digitized by Google

„ aliaſque pœnitentiæ afflictationes, carnem Spiritui ſubjiciebat.
„ Porro per plurimas & notabiles inimici tentationes, per virilem renixum, per mortes non paucas ſpirituales earumque amaritudines, & per ardentiſſimas preces, gratiæ Divinæ auxilio affectuum & tentationum fluctus compeſcuit, imo vicit, ſicque inſignes virtutum theſauros acquiſivit. Sæpius deinde mentis ſuæ commercio cum Deo adeo immorabatur, ut negotia domeſtica, tempus quietis, ac reliqua obliviſceretur. Perpetua cordis ſui cuſtodia ad ſervandam ejus puritatem, faciebat ut lumine & gaudio divino tam eſſet plena, ut cetera omnia e mente ejus evaneſcerent. Sicut aurum igne, ſic illa in crucibulo afflictionum, contemtûs, & perſecutionum tam a devotis quam à mundanis probata eſt; atque tum illa perpetim preces fundebat, conſtanter perſiſtens in occulto tramite in quem ipſam duxerat Deus, ſemper benigna, ſemper comis, nunquam non læta, & Deum orans pro iis qui ipſam affligebant. Solus ille Deus internorum dolorum, quos ob aberrationem mortalium & animarum interitum illa ſenſit, acerbitatem pernovit. Quotidie paſcebatur Corpore Chriſti, innixa deſiderio & meritis Amati ſui; omniaque ejus exercitia illuc ſolum tendebant, ut Divinum Numen in ipſa gloriam, pacem, voluptatem & oblectamentum invenire poſſet; id quod iterum iterumque repetebat, imo inſtante mortis ſuæ hora ad Deum ſeſe convertens, ſic exclamabat: *O Domine, utinam gaudium, utinam pacem, & oblectamentum in me capias!* quibus verbis ſpiritum ſuum ſuaviter Deo ſuo (cum quo jam unita erat) reddebat die 28. Januarii anno 1540. Virgo ſeptuaginta ſeptem annos nata.

Quamvis ejuſdem Liber ſæpe in lucem fuerit emiſſus, tamen nunc raro ſatis occurrit. Ultima editio Belgica prodiit Antuerpiæ anno 1629. Atque hæc omnium eſt & nitidiſſima & fideliſſima. Neſcio an idiomate Gallico elegantiori comparuerit, quum prioris editionis ſtylus jam inuſitatus ſit & obſoletus.

Quia liber iſte non ſolum vitam paſſivam & contemplativam, ſed & quæ ad vitam activam & aſceticam ſunt, complectitur, ad quam quidem plures quam ad alteram ſunt idonei, & de qua plures quoque Auctores egerunt quam de altera; hinc a propoſito noſtro haud erit alienum, hacce occaſione quoſdam illorum Auctorum

Digitized by Google

ctorum memorare, qui vel poſtremum vitæ genus, vel utrumque commendarunt.

Aliquot practici, aſcetici &c.

(67.) Nemo eſt qui neſciat, quantæ utilitatis ſit Thomas a Kempis, ſeu libellus de *Imitatione* Christi, pro iis, qui in ſe ipſos deſcendere, principia Euangelica amplecti, ac omnium bonorum Auctori per cordis viam, methodi artificialis neſciam, ſeſe tradere cupiunt. Urget ille imprimis animum a cunctis rebus, imo a ſeipſo ſolutum, ſeque Deo integre ac ſine ulla exceptione offerentem. Superfluum foret narrare Interpretationes & Editiones Opuſculi adeo ubique noti, cujus quatuor libri in uſum Proteſtantium Gallicâ linguâ nuper publica luce ſunt donati, cum inſcriptione *Kempis Commun.* Qui amant Gallicam poëſin, eligere debent Paraphraſin Cornelii præ illa Joannis Mareſii in tetraſtichon redacta. §. 67. T. a Kempis.

Poëticæ dum ſit mentio, nominandus etiam *Malavallius*, quippe qui anno 1671 Pariſiis egregia *Carmina ſpiritualia*, omnis generis argumenta, quin Contemplationem etiam deſcribentia, in publicum emiſit. Omnibus tamen quantum ad Poëſeos artificium, antecellunt ea quæ edidit D. de Brebeuf, titulo, *Entretiens Solitaires*, quæ ſunt argumenti Chriſtiano homine digniſſimi; quamvis Epiſtola quædam dedicatoria, & errores iteratæ impreſſionis anni 1671 aliquam ipſis faciant injuriam. Verſificatio Gallica *Canticorum ſpiritualium de Amore Divino*, Pariſiis anno 1669. & Rothomagi anno 1687 editorum, non eſt quidem valde Poëtica: at maxime ſublimes Vitæ Myſticæ gradus ibi paſſim optime ſunt expreſſi, & imprimis in mirabili illo Cantico X. partis primæ. Malaval. Brebeuf. Anonymorum Cantica Gallica.

Thomæ noſtri Kempiſii tempore vivebat in ejus vicinia prope Daventriam Canonicus quidam Regularis ſanctæ admodum vitæ, dictus Gerlacus Petri (Belgice *Peterſen*) qui alter Thomas a Kempis poſtea dictus eſt. Compoſuit ille, præter aliquod *Breviloquium*, quod non exſtat, libellum aliquem Kempiſiano ferme duplo minorem, aſt argumento & ſpiritu nequaquam inferiorem, cujus *ſcopus* & *character* eſt, animæ libertas in Deo atque tranquillitas, quæ nullis rerum mundanarum motibus, Gerlacus Petri. *Libelli character.*

 nullis

Digitized by Google

nullis earum mutationibus accidentibuſque concuti poſſit neque moveri; acquirenda per abnegationem ipſarum mundi rerum noſtrorumque affectuum, perque animæ ſuper omnia elevationem in Deum inque ejus unam voluntatem cui noſmet tradamus ac reſignemus totos. Editus eſt libellus Latine per Abbatem Canonicorum S^tæ Genovevæ Pariſienſium, Pariſiis, 1659. cum titulo, *Alter Thomas a Kempis, ſive Ignitum cum Deo Soliloquium R. D. Gerlaci Petri, Daventrienſis &c.* ac poſtea ibidem, 1667, eleganter in Gallicum ſermonem converſus emiſſuſque, & dictus, *Les Soliloques de Gerlac --- dit un autre Thomas a Kempis.* Uterque vitam Auctoris Angelicam præpoſuit, ille brevius, hic diductius. Prodierat & idem e Latino factus Belgicus anno 1613. Sylvæ-Ducis. Rarior eſt, licet mereretur communior eſſe & maxime cognitus. Ad eundem Pacis & tranquillitatis *characterem* pertinet
Joan. de Bonilla. unice P. JOANNES DE BONILLA, de quo & in articulo ſequenti, quem vero nuper Germanice reddidit HILARIUS
Hilarius Theomilus. THEOMILUS, & inſeruit ſecundæ parti eximii ſui libri Germanici, (a) *Continua Lætitia animi* dicti, Francofurti 1706 nuper editi. Ultimus hic liber, (Theomili) in hoc *Charactere* & argumento pacis, tranquillitatis ac *lætitiæ animi*, omne tulit punctum ſupra quam dici poteſt, ut & in argumento de *Oratione*, de quo tractat quoque veluti de ſubſidio aut medio ad tranquillam illam animi lætitiam perveniendi. Liber dignus qui pluribus in linguis prodeat ob facilem, vivam ſolidamque pietatis ac etiam ſolidioris & purioris Myſtices Doctrinam qua in nervoſo maxime & perſpicuo dicendi genere plenus eſt.

(a) Die ſtete Freude des Geiſtes.

§. 68. *L. Scupoli.* (68.) *Pugna Spiritualis*, alius præclariſſimus libellus, quem plurimi tribuunt P. LAURENTIO SCUPOLI, Theatino, eſt manuale convenientiſſimum iis, qui ad Deum per viam cordis aſpirantes, unà diſtinctam quandam perceptionem ei jungere, &
Contenta. ordine ac per principia progredi deſiderant. Comprehendit totum negotium quatuor primariis capitibus, quæ ſunt, Diffidentia ſui ipſius, Confidentia in Deum, Preces, & Exercitium; ſeu rectus facultatum noſtrarum uſus. Circa quodlibet horum capitum ſapientiſſimas in medium producit regulas, facillime animo imprimendas; quia ordo admodum perſpicuus, quem obſervavit, magno memoriæ eſt adjumento. S. Franciſcus *Saleſius* libellum hunc præ omnibus aliis commendabat, eumque *Directorem* ſuum appel-

Digitized by Google

appellabat. Optima & maxime completa ejuſdem Editio non 33. ſed 66 capita tenet, cum annexo tractatulo *de doloribus mentalibus Chriſti*, cujus jam ſupra (§. 34.) mentio facta eſt, & quem præcedit alius excellentiſſimus, qui ſecundum nonnullos inſcribitur de *pace* (aut de *quiete*) *animæ*, & ſecundum alios, *Semita Paradiſi*; cujus verſiones, ſeorſum editæ ac factæ, ex Hiſpanico in Belgicum & in Anglicum, tribuunt hunc P. JOANNI DE (*a*) BONILLA, Franciſcano. Duo hi libri annexi ſunt huic noſtro Gallice verſo, & dicto, *Le Combat Spirituel*, in ea interpretatione & Editione quæ eſt P. Mazotti Pariſiis non ſemel impreſſa; quamvis P. Brignonii anni 1688. inter Gallicas elegantiſſima & nuper Bruxellis ſub incudem revocata, iſthoc tractatulo de *doloribus mentalibus* careat. Prodiit hicce libellus L. Scupuli Latine Pariſiis 1665. Belgice, pluribuſque aliis linguis, alibi.

(69.) Simillimum parvum manuale, eſt *de vera Deo apte ſerviendi Methodo*, ALPHONSI (MADRILIENSIS) Franciſcani, opuſculum exquiſitum, ſolidum, ad praxin plane accommodatum, medullam pietatis continens, methodicum, & ſecundum cujuſvis captum. Scopus ejuſdem & contenta huc redeunt, ut quis gloriæ & voluntatis Divinæ cauſa, & agnoſcendo nihil nos eſſe tum quod ad naturam, tum propter lapſum & peccatum, ſervitio Dei animum applicet, imprimis per exercitium facultatum noſtrarum ſpiritualium deſiderii & libertatis, pœnitentiam faciendo, odium adverſus ſeipſum gerendo, aſſidue orando, humilitatem & patientiam J. Chriſti diſcendo, & affectuum motus coërcendo, quo ſic ad *purum Dei amorem* perveniat, ut & legitimum proximi ac ſui ipſius ſecundum Deum & propter ipſum. Hiſpanice hic Auctor ſcripſit, indeque Latinus Coloniæ 1625 &c. Gallicus, Belgicus, aliis in locis ac temporibus aliquoties comparuit. Vix tamen amplius reperitur. §. 69. Alfonſus Madril. *Icon operis.*

(70.) Inter anonyma opuſcula quoque eſt *Theologia Germanica*, antiquus, celebris, maxime radicalis & exquiſitiſſimus libellus, qui nil fere quam mera Chriſtianæ maxime interioris & practicæ Theologiæ principia continet. Deum eſſe omnia, hominem eſſe §. 70. Theologia Germanica.

(*a*) Ita appellatur Auctor in Editione illa *Belgica* Sylvæducenſi, ann. 1613. ac in Approbatione Latina ei ſuffixâ *Sylveſtri de Pardo*, *Theol. Licent. Can. & Libr. Cenſoris*, datâ *Antuerpiæ* 8 *Idus Junii* 1587. licet *Anglica* interpretatio an. 1700. (quam Germanica eſt imitata,) ipſum nominet *de Bovilla*.

Digitized by Google

eſſe nihil, malum appropriationis, abnegatio ſui & reliquorum omnium; tum diſcrimen veri & falſi luminis, veræ & falſæ libertatis, puri & mercenarii amoris, conſtituunt argumentum, de quo ibidem agitur, ſine notabili quidem methodo, attamen tali ratione quæ intimæ ſoliditatis & ab anima a Deo illuminata profecta eſſe ſentitur. Germanice ſcriptus eſt hic libellus, ab Equite Teutonico, Domus Equitum Francofurtenſis non Æedituo, (quemadmodum putavit Neander,) ſed *Cuſtode*, quæ dignitas multos inter Religioſos Ordines ex primariis eſt. Porro is libellus fuit in ea lingua à Luthero, Arndio, aliiſque, inſigni cum elogio ſæpius ab anno 1518 editus: Converſus quoque Belgice, impreſſuſque Antuerpiæ apud Plantinum cum *approbatione* Cenſoris Sylveſtri Pardo 1590. Paulo ante idem Plantinus eum publicaverat in Latinum idioma a *Caſtalione* (ſub nomine Joannis Theophili) converſum anno 1558. Quam editionem iterandam curarunt Religioſi quidam Lugduni, 1655. Prodiit nuper nova ejus me interprete Editio Gallica, Amſtelodami 1700. ſub titulo *La Theologie Réelle*, ou *Germanique*, edita, cujus Præfatio (in qua & Theologiæ Myſticæ Apologia ſingularis ineſt) plura ſuppeditabit ſpecialia. Germanus quidam ejus Editor, celeberrimus JOANNES ARNDIUS, olim in Ducatu Luneburgenſi Superintendens, ſenſum ac ſpiritum iſtius libelli egregie hauſerat, æque ac S. Macarii, quem memoria tenebat, necnon etiam Tauleri, ceu e cunctis ejuſdem operibus abunde liquet, & nominatim ex inſigni Opere *de Vero Chriſtianiſmo*, infinitis vicibus in Germania excuſo, quique invenitur & Belgice, anno 1642 &c. imo & Latine, editionis Lunæburgenſis, anno 1625. Francofurtenſis anno 1658. ut & Lipſienſis, noviſſime, anno 1704, curis & caſtigatione Dr. Pritii emiſſæ, adjunctis nonnullis Dr. Dorſchæi adverſus Oſiandrum, qui hunc librum notaverat, annotationibus. Ubique idem magni fit, nec parvos tulit in bonis cordibus fructus, uti & cetera hujus Auctoris ſcripta, ob modum valde perſpicuum, quo ſolidam pietatem & vitam vere Chriſtianam proponit, nunquam Scripturæ S. terminis ac auctoritate neglectis.

J. Arndius.

§. 71. P. Alexis de Salo.

(71.) P. ALEXIS DE SALO, Capucinus, praxin præcepti Chriſti in Theologia Germanica adeo commendati, quod ad ejus imitationem *ſeipſum* ABNEGARE *oporteat*, in ſua *Certa Paradiſi via* circa omnia exercendam urget, idque reſpectu omnium ſenſuum,

ſuum, affectuum, proclivitatum, & in cunctis mentis noſtræ actibus. Omnia etiam quæ inculcat, genuinis & ſimpliciſſimis exemplis ſtabilire ſatagit. Liber ejus ex Italico in Gallicum tranſlatus Lugduni eſt impreſſus anno 1620. Duaci 1627 &c. Scripſit & alium librum, titulo *Artis pie amandi*, editum Colon. 1630.

(72.) P. JUSTUS LANSBERGIUS, Carthuſianus, qui abhinc ſeculo vivebat, ſolide & efficaci methodo de interioribus & ſpiritualibus pietatis & veræ devotionis ſcripſit. *Opera* ejus, nuper denuo ſub incudem revocata Latine, Coloniæ 1693. duobus conſtant voluminibus (in quarto) & quinque partibus, quarum priores tres ſunt *Sermones* ut vocant Dominicales, item in dies feſtos, & in hiſtoriam Paſſionis: reliquæ duæ ſunt *tractatus aliquot pii*, *apologia Vitæ Monaſticæ*, *Epiſtolæ*, & devota *Carmina*. Methodicus & exacte textui ſuo eſt affixus in Sermonibus ſuis, ſenſus interioris & allegorici aſſidue memor. Tractatuum ipſius piorum duos in Gallicum ſermonem terſum & purum paucis abhinc annis verterunt; quorum unus de *Militia Chriſtiana*, aut *Pugna Spirituali* agit, impreſſus Pariſiis anno 1670. qui utiliſſima præcepta comprehendit ad emendationem animorum & vitiorum maculas extergendas, virtuteſque & puritatem acquirendas, quo ſic ad divinam unionem perveniatur: alter continet *Diſcurſum Chriſti ad animam devotam forma Epiſtolæ*, editus Pariſiis anno 1674. atque hic tractatus nonniſi poſtrema pars eſt ſuæ *Amoris divini Pharetræ*. Eſt hic liber egregium manuale devotionis & pietatis, imo compendium, omnes vitæ vere Chriſtianæ ſolidiores regulas complectens. Similem quantum ad titulum & argumentum hiſce duobus libellum confecit ERASMUS; ſcilicet *Enchiridion Militis Chriſtiani*, optimum revera manuale, quamvis non adeo interiora attingat ac Lansbergiana opuſcula, neque tam profundum ſit.

§. 72. P. Lanſberg. *Opera*. Eraſmus.

Auctor Hiſpanus tractatuli, qui inſcribitur *Theſaurus animæ*, & in omnes linguas, Gallicam, Belgicam, Germanicam, imo & Latinam verſus, nominatuſque (at ficto nomine) *Deſiderius Peregrinus* (Roterodami 1674.) Lansbergio haud adeo eſt inferior, dum ſub utili non minus quam jucundo emblemate paſtoris ad inveniendum Dei amorem iter facientis, ob oculos ponit progreſſus animæ quæ per Chriſtianas virtutes, per dolores & per amorem divinum, primitias fruitionis Dei aſſequitur. Patet

Deſiderius Peregrinus.

Digitized by Google

Auctorem hunc fuiſſe Religioſum; & fallitur propterea Sandius quando Serveto libellum iſtum attribuendum eſſe memorat in ſua Anti-Trinitariorum Bibliotheca.

J. Palafox. Inter JOANNIS PALAFOXII Epiſcopi Oſmani *Opera Spirit.* extat tractatulus titulo, *Paſtor nocturnus Nativitatis Chriſti* ex Hiſpanico verſus, haud ita pridem (anno 1698.) Pariſiis & Bruxellis Gallice impreſſus, qui præcedentem libellum admodum jucunde & ſpiritualiter imitatur. Inſuper hoc adhuc hic reperias: ſcilicet in poſtremis Capitibus Paſtor eadem ratione verſus Mundum ducitur, ad obſervandum hujus ſpiritum, & ejuſdem malum ac vanitatem agnoſcenda. Quam Mundi vanitatem non minus ſolide depinxit JACOBUS STELLA, Franciſcanus, in libro ejuſdem tituli, ubi etiam, in parte tertia, de primariis virtutibus Chriſtianis, paucaque de *Contemplatione* memorat, methodo Kempiſiana. Quum ſacræ paginæ in toto ejus opere abunde citentur, idque modo & perſpicuo & ſolido, poſſet omnis generis omniſque ætatis lectoribus mundanis apprime inſervire; attamen oporteret emendare quantum ad ſtylum, antiquas verſiones Gallicas, Lugdunenſem anni 1580. Duacenſem 1604. & ſimiles. Latinæ Colonienſes anno 1638. 1663. & 1688. uſui eſſe poſſunt iis, qui linguæ hujus periti ſunt.

J. Stella.

§. 73. Alphonſus Rodriguez. *Opera.*

(73.) ALPHONSUS RODRIGUEZ, Jeſuita Hiſpanus, circa eadem argumenta in præclaro ſuo *Perfectionis Chriſtianæ Exercitio*, eſt occupatus, at majori prolixitate. Scripſit ſatis methodice per regulas & præcepta, quibus junxit inſignia & aliis prælucentia exempla e Vitis Patrum, Eremitarum, aliorumque ſanctorum, omnia cum inſigni perſpicuitate & facilitate, quæ librum hunc mire commendant, atque omnibus, etiam ipſis infantibus, longe utiliſſimum reddunt. Tres ex Hiſpanico in Gallicum verſiones habentur, ſub titulo *Pratique de la Perfection Chrétienne*, quarum quæ eſt Abbatis Mareſii, Academici Gallici, (denuo Antuerpiæ anno 1693. tribus parvis voluminibus ſecundum Editionem Pariſienſem anni 1686 impreſſa) præ aliis magni fit. Non ſemel idem in Belgicum verſus & publicatus Antuerpiæ, ac ultimò, anno 1683. Sine dubio aliis quoque linguis loquentem fecerunt cum abunde mereatur. Latina ejus epitome prodiit Lugduni anno 1644. Et integrum opus eadem lingua typis excuſum Coloniæ 1632, & 1657.

(74.) Quod

Digitized by Google

(74.) Quod ad præcepta attinet exemplis munita, ecce origines, quæ ingentem eorum numerum ſuppeditant. *Vitæ Patrum* collectæ per P. ROSWEYDUM, Jeſuitam, & bis Latine in lucem emiſſæ Antuerpiæ primo anno 1615. dein 1628. auctiores quibuſdam indicibus, & inſuper notis quibuſdam in VIII. & X. libros, ad textum Græcum reviſos. Idem P. Roſweydus eaſdem Vitas vertit & edidit bis Belgice eodem circiter tempore; nuper etiam Germanice Francofurti prodierunt; & Galli, qui nonniſi exiguam earum partem veteri ſuo idiomate habebant, eas nunc pulcherrima dictione ornatas tenent per Celeberrimum Interpretem D. Andillium, qui tamen nimis inde reſecuit plurimaque omittere haud dubitavit, quod redintegrare non curaverunt tum in iteratis Galliæ impreſſionibus, neque in nova Antuerpienſi anno 1694. Equidem inſignes quaſdam Vitas addidit ille, ceu inter alias S. SYNCLETICÆ; quam tamen longe emendatiorem invenias in *Monumentis* Græco-Latinis D. Coteleriì, Tom. I. & potuiſſent merito ex iiſdem monumentis (Tom. II. & III.) addi Vitæ admiratione dignæ S. EUTHYMI & S. SABÆ. Prodierunt nuper (1700.) Hallæ eædem Vitæ Patrum Germanice ad uſum Proteſtantium, interprete Celeberrimo D. Arnoldo, quibus & alias (Bernardi, Tauleri, Rusb. Kemp. &c.) addidit vitas; ſuntque eædem in Belgicum idioma poſtea tranſlatæ & publicatæ. §. 74. Vitæ Patrum. per Roſweydum. S. Syncletica. SS. Euthymus & Sabas.

Ad eandem claſſem referenda Acta Martyrum, dummodo vera ſint ac talia prout eadem collegit P. RUINARDUS in libro ſuo qui inſcribitur *Acta Martyrum ſincera & ſelecta*, Pariſiis excuſa anno 1689. Collectanea item Gallica de *Morte Juſtorum*, per P. Lallemandum, iterato impreſſa in Belgio anno 1673. ſecundum Editionem Pariſienſem. Quibus adjicienda Relatio de morte quorundam Religioſorum Congregationis Trappenſis, e. g. Domni *Mucii*, & Comitis *de Santena*, Bruxellis aliquoties ſub incudem revocata. Acta Martyrum. P. Ruinard. P. Lallemand. Relationes Trapenſes.

(75.) Ejuſdem quoque generis ſunt *Collationes* JOANNIS CASSIANI, Presbyteri Maſſilienſis, qui ſeculo quinto nomen & exiſtimationem ſanctitatis habuit, aliquoties editæ; primo Baſileæ, anno 1559, dein Romæ, Antuerpiæ, Duaci, item Atrebati, Pariſiis &c. ſcholiaſte Gazeo. Sunt e Latino originali in Gallicum verſæ, & Pariſiis anno 1665. impreſſæ; ſed ſine XIII. §. 75. Caſſianus.

Collatione, quam circa argumentum de Gratia erroribus plenam eſſe ſibi perſuaſerant, quamvis argumentum hoc per experientiam longe rectius & intimius cognoverit quam cenſores ipſius, licet non omnes in explicatione cautelas adhibuerit queis ad avertendas litigioſorum capitum contradictiones opus fuerat.

§. 76. S. Baſilius. (76.) Pertinent tandem & ad hanc claſſem *Regula* S. BASILII, quæ Latine ſeorſum excuſæ ſunt Pariſiis, 1660, præfixo Sermone de Monachorum inſtitutionibus: *Inſtitutiones* item *Aſcetica* S. Dorotheus. S. DOROTHEI, Abbatis ſeculi ſexti, per P. Balthaſarem Corderium e Græco in Latinum ſermonem converſæ, ac impreſſæ Antuerpiæ 1646, & in Gallicum tranſlatæ per Abbatem Trappenſem, ac prælo ſubjectæ Pariſiis anno 1686. *Scala ſancta*, ſive *Scala* S. Climacus. Opera. *Paradiſi* S. JOANNIS CLIMACI, Patris Græci, & Abbatis, ejuſdem ſeculi, cujus extant Editiones Græco-Latinæ (Pariſiis 1633.) ſolæ Latinæ, (primæ Harphii editioni Colonienſi 1538. primum adjuncta hæc fuit,) & duæ verſiones Gallicæ Andillianæ, quarum prima ſeparatim eſt evulgata Pariſiis anno 1653. altera invenitur & ſeorſum, & annexa Vitis Patrum cum prolixis Evagrius. ad eandem notis anno 1675. quædam item EVAGRII, quamvis incompleta, in Monumentis Græco-Latinis D. Cotelerii, Apophthegmata Patrum. Tom. 3. Pariſiis anno 1686. ut & *Apophthegmata Patrum*, apud eundem. Omnes hi libri ſcatent præceptis admodum divinis, & inflammantibus exemplis, ſimulque per reales effectus ſumme evincentibus, praxin vitæ vere Chriſtianæ pœnitentis, & ſpiritualis, minime eſſe impoſſibilem, neque ſolum imaginariam.

§. 77. Vitæ Sanctorum. (77.) De eadem hac veritate certior quis fieri poſſit viva & ſalutari efficacia evolvendo plurimas alias *Vitas* (*a*) admiratione dignas inſignium omnis generis & conditionis Sanctorum Sanctarumque, etiam talium quorum recentior adhuc eſt memoria. Verum ne quædam hic ſcrupuloſæ mentes offendantur, & prolixitas evitetur, duorum ſolummodo mentionem facere ſufficiet, viri nempe & virginis. Primo igitur commendari meretur *Vita Dn. de* M. de Renty. RENTY, cujus ſublimis & divina virtus haud ita pridem Galliam, ac totam imprimis Pariſiorum Lutetiam, in admirationem rapuit,

(*a*) Copioſe habentur inter Catholico-Romanos, præſertim in collectione Bollandi & adjunctorum. Celeb. D. Arnoldus volumen collegit piiſſimarum quorumcunque vitarum, titulo, *vitæ credentium*, (das Leben der Gläubigen) Halle, 1701. Germanice excuſum, potiſſimum ad uſus Proteſtantium.

rapuit, ubi & mortalium numero exemtus anno 1649. Excellentiſſima hæcce vita, cujus hiſtoriam evulgavit P. a Sto. Jurio, e Soc. Jeſu, (multorum aliorum tractatuum Auctor, pietate, ſpiritu & ſoliditate admodum inſignis) octies vel decies Pariſiis impreſſam, epitome eſt eorum quæ maxime ſelecta & ſolida in argumento ſpirituali & Chriſtianarum virtutum occurrunt. Conſpiciuntur ibidem non ſolum *principia*; ſed & *praxis* eorum quæ veri Myſtici docent de diverſis animarum ſtatibus, de amore puro, de precibus & contemplatione, ſimilibuſque aliis capitibus, quæ illic memorantur, ceu reliqua omnia, tam exacto & efficaci modo, ut lectores, licet haud multum ad talia, vel ejuſmodi Vitarum lectionem fuerint diſpoſiti, non poſſint non tenerrime inde affici & fortiter convinci. Ecce judicium de Vita iſthac Viri inter Proteſtantes magni nominis, qui in ſuſpicionem vel partium vel credulitatis circa hoc argumenti genus nequit incurrere: *Quocunque adhuc deſiderio fabulis affixa ſint plurimorum mentes, fateri tamen oportet, Vitam Domini de Renty nil fabuloſi redolere. Elucent inde tam præclaræ virtutes, ut ille, qui eaſdem exercuit, merito tanquam unum e primariis quæ noſtro ævo Gallia ſuppeditaverit, exemplis haberi debeat.* Verba ſunt D. Burnetii, Epiſcopi nunc Anglici Salisburienſis in præfatione ſua Vitæ D. Halii. Quam ſecundo nominare me velle ſupra monui, eſt *Vita Matris* Eliſabetæ *à Puero* Jesu, quæ neutiquam eſt poſtponenda Vitæ D. de Renty; qui ipſe præſtantiſſimæ hujus Religioſæ dux erat, æque ac P. S. Jurius & D. Bernierius. E cœtu mortalium eadem ſublata Pariſiis anno 1677. Ibidemque anno 1688. Vita ejus in lucem prodiit; quæ in hiſce oris nunc (1701.) denuo impreſſa eſt, juncta Vitæ D. *de Renty*, ſub titulo: (*a*) *Chriſtianus realis, ſeu Vita Marchionis de Renty* &c. quam ut audio, Proteſtantes Germaniæ Germanice verſam publico exponunt. Vita Baroniſſæ de Chantal notior eſt quam ut ſpeciali commendatione egeat, licet in hiſce oris rarior ſit. Hic quoque inſeri quam maxime meretur libellus Gallicus nuperrime (*b*) evulgatus, qui inſcribitur: *Le Saint Refugié*, aut *La Vie & la Mort edifiantes de Wernerus N.* in

Le Pere S. Jure.

Eliſabeta de l'Enfant Jeſus.

Mad. de Chantal.

Wernerus N.

aaaa 3

(*a*) *Le Chrétien réël, ou la Vie du Marquis de Renty, ſervant de modele à la vie vraiement Chrétienne, & d'Apologie effective aux maximes & voyes ſpirituelles de la vraie Theologie Myſtique vainement combatue par les Eſprits du ſiecle.* &c.

(*b*) *Anno* 1701. *Amſtelodami apud* Rud. & Gerard. Wetſtenios.

in quo raros & celeres plebeji juvenis in viis Myſticis progreſſus videre eſt.

Hieronymus. Ruffinus Palladius. Theodoritus. S. Severus. J. Moſchus.

De reliquo, in lectione *Vitarum Patrum*, non oportet mox abſterreri per illas, quæ ex *Epiſtolis* HIERONYMI ſunt excerptæ, & in initio collocatæ; ac, ut verum fatear, nimium affectatis Rhetoricæ ſuæ declamationibus ſunt intermixtæ. RUFFINI quæ ſunt, PALLADII, THEODORITI, S. SULPITII SEVERI, Collectanea JOHANNIS MOSCHI, multorumque aliorum, genium fovent ſimpliciorem magiſque à fuco remotum.

Qui de Oratione, tam Meditationis quam Contemplationis ſcripſere &c.

§. 78.

(78.) Quod ad Auctores attinet qui ex profeſſo tractarunt argumenta de *Oratione*, de *Meditatione*, de *Contemplatione*, & quæ inde pendent, ecce eorum nonnullos maxime familiares & utiles.

S. P. de Alcantara.

S. PETRUS de ALCANTARA, amicus & coævus S. Tereſiæ, conſcripſit *Tractatulum* valde ſalutarem de *Oratione & de Meditatione*, multoties Latine, (Coloniæ 1624. &c.) Gallice, (Inſulis, 1669. &c.) aliiſque linguis cum vita ejus impreſſum. Horſtius. Libellus HORSTII, *Paradiſus animæ*, pluribus vicibus in publicum emiſſus, Coloniæ, Lovanii, alibique tam Latine quam Gallice, practicum & exquiſitum eſt manuale, cuncta precationum argumenta exhibens. M. Zachmorter. Pars prima *Thalami Sponſi* MICHAELIS ZACHMORTERII, (quem non niſi Belgicum vidi, Antuerpiæ anno 1628. editum) circa idem verſatur Orationis genus, æque ac prima pars *Introductionis in Vitam devotam* S. FRANCISCI SALESII, (S. Franciſcus de Sales.) cujus totum librum plenum obſervamus optimis præceptis pietatis & regiminis pro omnis generis hominibus, etiam iis qui inter mundanos, imo & in aulis verſantur. Hicce tractatus una cum illo de *Amore Dei* (uterque in Latinum tranſlatus, & Coloniæ impreſſus, alter anno 1668. alter anno 1697.) ejuſdemque *Epiſtolæ* inter Auctoris hujus Opera palmam tenent, *Character ejus.* cujus character eſt, anniti ut vera pietatis praxis cujuſlibet conditionis hominibus reddatur facilis & jucunda, & ut omnibus inſtilletur pax & ſolida devotio, id quod Auctor ille efficere ſtudet tum per æquam quandam indulgentiam qua ſa-

pien-

pienter ſeſe accommodat ſtatui animarum, tum per ſpiritum lenitatis plane ſingularis, adeo a Servatore noſtro commendatum, quemque e veteribus S. CLEMENS in divina ſua ad Corinthios Epiſtola (*a*), & S. POLICARPUS in Epiſtola ad Philippenſes, perfecte expreſſerunt. Inveniuntur ambæ inter Scripta Patrum Apoſtolicorum excuſæ. S. Clemens. S. Polycarpus.

(79.) P. NOUETIUS, & P. RIGOLEUCUS, Jeſuitæ, egregia Gallice perſcripſerunt de Oratione ejuſque ſpeciebus: ille effuſius in ſuo *Homine Orationis*, edito Pariſiis anno 1674. hic compendioſe, in ſuo tractatulo cui tit. *Oratio ſine illuſione*, qui de novo impreſſus in ſecunda parte Theologiæ Cordis cum inſcriptione, *Compendium Theologiæ Myſticæ*, & qui præterea annis 1686. & 1690. Lutetiæ Pariſiorum typis excuſus eſt una cum aliis inſignibus ejuſdem Auctoris *operibus*, ſub tit. *La Vie du P. J.* RIGOLEUC, *de la C. de J. avec ſes traités de devotion & ſes Lettres ſpirituelles.* In eadem parte memoratæ Theologiæ Cordis habetur exiguus virginis cujuſdam libellus *de Vita interiori*, ubi argumentum & ſpecies Orationis haud vulgari ſimplicitate & perſpicuitate ſunt expoſita; & magis adhuc ſuccincte in quarto colloquio divini Libelli, qui dicitur *Paſtor illuminatus*, in eadem Theologia Cordis primas paginas occupans, itidem Bruxellis in lucem emiſſus ſub titulo *Secreta Vita ſpiritualis*, vel *Paſtorculus*. Pauper quidam ruſticus, (ceu e ſtylo liquet) ſcripſit itidem Gallice modo efficaciter permovente tractatum de *Methodo Orationis*, ſeu *Epitomen Agni occiſi*; (*Abregé de l'agneau occis* &c.) Rhedonibus, anno 1669. impreſſum, ubi conſiderando Chriſtum in corde, tria Orationum genera inculcat tribus vitæ ſpiritualis ſtatibus reſpondentia. Dicitur idem & alia quam plurima ſcriptis reliquiſſe. Exiguus Dominæ GUIONIÆ libellus, Gallicus quoque, cui nomen, *Moyen court & facile pour faire Oraiſon*, (*Breve & facile orandi Medium*,) nuper in Hollandia (anno 1699.) cum præclara ejuſdem *Expoſitione Cantici Salomonis*, de integro excuſus, ibidemque cum eadem Cantici expoſitione, eo ipſo anno in Belgicum verſus & evulgatus; itidem, plurimorum judicio, §. 79. P. Nouet. P. Rigoleus. Virgo Anonyma. Le petit Berger. Jean Daumont. Mad. Guioni.

præ

(*a*) Ea eſt in Gallicum Sermonem per D. Teiſſierium converſa, & Avenioni, anno 1684, non ſine multis Sphalmatis, imo & prætermiſſionibus, excuſa. Interpretatus eſt eandem Germanice Cl. D. Arnoldus, eſtque, cum Epiſtola Barnabæ, edita Lunæburgi, 1695.

Digitized by Google

præ aliis conciſum, facillimum & conſummatiſſimum de iſtiuſmodi argumento eſt opuſculum, licet alii aliter judicent. *Pro captu lectoris habent ſua fata libelli.* Ajunt utrumque Germanice mox (anno 1702.) in lucem venturum, & ſi quid aliud ejuſdem prodiret.

Opuſcula ejus. *(a) Apud Wetſtenios.* Prodière poſtmodum, anno 1704, ejuſdem (a) *Opuſcula*, quotquot eouſque potuerunt haberi, omnia, & nitidiora, & correctiora, & auctiora tractatulo inſigni, cui nomen fecit, *Les Torrents*. Ea Editio, cujus Titulus eſt, *Les Opuſcules Spirituels de Mad. J. B. M. de la Motte-Guion*, incipit ab Editoris Generali præfatione quæ Apologiæ ſpecies eſt tum pro Auctore, Domina Guionia, tum pro ejus Operibus ac doctrina contra ea quæ Epiſcopus Meldunenſis in libro *Inſtruction ſur les Etats d'oraiſon* &c, aliique oppoſuere. Poſt primum de *Oratione facile facienda* tractatulum modo memoratum, ſequitur hac in editione, egregius iſte qui *Torrentes* dicitur, quia ſub torrentium aquarum emblemate ac ſimilitudine deſcribit illa admirabiliter vias non paucas purificationis per quas tranſire oportet eas animas quæ hac in vita ad ſtatum veluti Apoſtolicum pertingere debent ut alias deinde lucrifaciant Deo: cujus vero ſtatus veſtigia multa paſſim in Explicatione Cantici Canticorum eadem exhibet. Adjunctus eſt & his opuſculis tractatulus ſerius repertus (b) *Regularum pro illis qui Infantia Jeſu Chriſti* colendæ ac imitandæ ſeſe devoverunt, & *Societatem* aliquam propterea inter ſe inſtituerunt. Dicitur Nobilis illa Domina adhucdum in vivis eſſe, & quidem libera, & in receſſu, apud generum ſuum, Comitem de V....... in provincia Vaſtinienſi.

§. 80. (80.) De *Contemplatione activa*, ſeu ordinaria, deque aſſiduo vivendi coram facie Dei exercitio, ſcripſerunt ſequentes: ANTONIUS ROJAS, Sacerdos Hiſpanus, qui in commune contulit tractatum, quem *Vita Spiritus* titulo inſignitum, atque ex Hiſpanico Gallice redditum, prælo ſubjecerunt Pariſiis anno 1660. Lugduni anno 1678. & cujus prima pars nuper Coloniæ (1696.) Germanice in publicum prodiit. Celeberrimus MALA-

A. Rojas.

(b) *Regle des aſſociés à l'Enfance de Jeſus, modele de perfection pour tous les Etats.* Germanicè redditus eſt, & exſtat in altera parte libri, *Hilarii Theomili, de continua animi lætitia*, ſive hilaritate, *Germ.* 1706.

Malaval. MALAVALLIUS Maſſilienſis, dedit *Praxin facilem ad Contemplationem*, Pariſiis ter impreſſam, Romæ Italice evulgatam cura Cardinalis Eſtræi, & alibi Belgice. Ejuſdem Continuator P. EPIPHANIUS LUDOVICUS, Abbas Eſtivallenſis, in egregiis & ſolidis ſuis (a) *Colloquiis Myſticis*, Pariſiis anno 1676. impreſſis, æque ac in *Epiſtolis* ſuis: item MOLINOSUS, Auctor celebris opuſculi, *Ductor Spiritualis* dicti, in quo errores illi quos nonnemo e Proteſtantium numero Hiſtorico-Myſticus, ſi Diis placet, ibidem ſeſe obſervaſſe ſibi imaginatus eſt, & in Compendio ejus narrare ſategit, nequaquam extant, niſi quis per affectum vel ignorantiam fictis gloſſis eoſdem fabricetur. Primi enim Approbatores, quorum nonnulli erant ipſi Inquiſitores, nil ibidem mali detexerunt, ſicut nec alii boni viri tum inter Proteſtantes, qui eundem ex Italico Gallice, (Amſtelodami 1688.) tum Latine (Lipſiæ 1687.) & Belgice (Roterodami 1688.) ac dein Germanice (Lipſ. 1699.) reddiderunt; tum totius Europæ, ubi ultra viginti editiones ejus variis linguis intra ſexennium prodierunt. De Fratre LAURENTIO DE RESURRECTIONE Religioſo Carmelita, nuper Pariſiis mortuo, Gallice quædam habemus ejuſdem argumenti in ejus *Vita*, *Moribus*, *Epiſtolis*, ejuſdemque *Colloquiis*, quæ omnia denuo ſunt impreſſa in Hollandia & Opuſculis Dominæ Gujoniæ primæ Editionis 1699, annexa; quibuſcum etiam Germanice prælo ſubjiciuntur.

P. Epiphanius Ludovicus.

(a) *Conferences Myſtiques.*

Molinos.

Laurent de la Reſurrection.

Gertrudis Mora, de qua ſupra (§. 22) mentio facta eſt, mire hoc in argumento commendat Methodum atque doctrinam P. AUGUSTINI BACKER, Benedictini, cujus illa vim propria experientia in ſui ad Deum per illum Religioſum converſione efficaciſſime & ſenſit, & vita oſtendit, & in Confeſſionibus ab ipſa ſcriptis, (quibus hujus Religioſi Apologiam præfixit) mirum in modum extulit. Pii tamen viri illius Scripta non niſi Anglice exſtant, quod ſciam, eaque duobus (in 8vo) voluminibus, ſtudio P. Creſſii, ſub titulo *Sancta Sophia*, cum nonnullis *ſacris exercitiis*, edita anno 1657 Duaci, præmiſſa Editoris præfatione in qua difficultates Doctrinæ P. Backeri a nonnullis oppoſitæ, ab Editore diſſolvuntur.

P. Auguſtinus Backer.

Opera.

(81.) Tandem nominandus P. PINY, Dominicanus (qui in ſcribendo Eccleſiæ quaſi oratorem, idque fere nimium, agit, ob §. 81. P. Piny.

Digitized by Google

Gallicum ſuum *Tractatum de tribus diverſis modis reddendi Deum interne ſibi præſentem*, ſcilicet per recordationem amatoriam Dei ejuſdemque perfectionum; per adhæſionem amatoriam voluntati ejus; perque ſenſibilem dolorem ob earum negligentiam. Editus is eſt Lugduni anno 1685. quo pariter referri velim totam ſecundam Partem *Thalami Sponſi*.

Zachmorter.

Omnes, inquam, hi Auctores Contemplationi activæ ſeu ordinariæ, aſſiduoque coram Deo vivendi exercitio optime inſerviunt: qua in re methodus Fr. Laurentii, quamvis indocti, omnibus antecellit per & propter ejus ſimplicitatem, ſinceram teneritudinem, facilitatem, & ſoliditatem. Poſſit methodus hæcce (ut in tranſitu demus *ideam* ejus brevem quidem at utilem & methodicam) ad duo primaria reduci capita; quæ ſunt, PRÆSENTIA Divini Numinis, & MEDIA in nobis fovendi hanc exoptatam præſentiam. *Fides* & *veritas* ſuppeditant nobis hanc præſentiam Dei, ut qui & ubique præſens ſit, & in corde noſtro, ubi & adorari, diligique & coli debet tum ob excellentiam infinitarum ejus perfectionum, tum abſolutum ejus in omnia dominium. *Juſtitia* (quæ vult ut cuncta ei reddantur,) & *Amor* (qui ſolum eidem placere annititur,) faciunt ut horum media amplectamur, perpetim cum ſinceritate & ſimplicitate ad ipſum referendo omnes noſtras *actiones*, tam *internas*, nimirum actus adorationis, benedictionis, laudis, precum, ac grati animi; quam *externas*, ſive per opera, omnia in ſocietate Dei & ſecundum voluntatem ejus exequendo ordine & cum tranquillitáte, & cuncta ei offerendo; ſive per verba & alloquia, ipſum compellando, quamvis tacite & ſine ſtrepitu, omni tempore, & occaſione cujuſlibet objecti, grati & ingrati, boni & mali; grates ipſi agendo ob horum alterum, ob alterum vero petendo vel opem, vel veniam, & laudando ipſum de omnibus, imo interrumpendo propterea ſubinde & momento occupationes noſtras, ad acquirendum habitum in ſancto debitoque hocce exercitio, quod vero ſicut perpetuus & ſacer ignis omnes noſtros defectus paulatim conſumet, ac vim nobis ſuggeret conterendi quavis occaſione caput ſerpentis.

Methodi Orationis F. Laurentii Idea.

Haud parum quoque quantum ad hoc de Præſentia Dei argumentum extolluntur *Epiſtolæ ſpirituales & Myſticæ* Cardinalis PETRUCCII, Italice, excuſæ Venetiis, 1681. cum aliis ejus operibus,

Petrucci Card.

Digitized by Google

ribus, quæ omnia ibidem impreſſa ſunt, anno 1684. Nonnullæ Epiſtolæ ipſius in Germanicum idioma converſæ ſunt per Cl. D. Arnoldum, & Francofurti 1702 excuſæ.

At neſcio utrum hoc in argumento, de Oratione aliquid utilius ac nervoſius legi poſſit quam quæ inveniuntur in libro Germanico ſupra (*a*) memorato qui *Hilarii Theomili* nomen, *Continuæ animi lætitiæ* (ſtete Freude des Geiſtes) titulum præfert, a capite ad finem uſque Partis primæ. cui & addidit auctor in *altera parte* interpretationem Germanicam Gallici Tractatus egregii ad hanc materiam pertinentis, ac dicti, *Praxes*, (ſive exercitia) *ad ſe ſe in continua Dei præſentia tenendum.* (*b*) D. Courbon, Presbyteri ac Theolog. Doctoris. quem vero Gallice videre non contigit.

(*a*) §. 67.

D. Courbon.

(*b*) *Pratiques pour ſe conſerver en la preſence de Dieu.*

Cardinalis Bona in ſua *Via compendii ad Deum*, Latine ſæpius edita, & e Latino in elegans Gallicum tranſlata ac Bruxellis anno 1683. impreſſa; ut & F. Joannes de S. Samsone in Tractatu ſuo de *Amore aſpirativo*, qui in ſecunda parte *Theologiæ Cordis* invenitur, eo itidem tendunt per continuarum aſpirationum viam; ſicut & libellus quidam Gallicus ſolidus & animum valde afficiens, titulo, *Methodus converſandi cum Deo*, Pariſiis anno 1685. prælo ſubjectus, iterumque poſt Lugduni & Bruxellis.

J. Bona. C.

J. de S. Samſon.

Methodus converſandi cum Deo.

(82.) P. Guilloreus, Jeſuita, cujus ſex ſeptemve præclari in manus noſtras venere Gallici Tractatus, aliquoties (*c*) Pariſiis & Lugduni publicati; *Epiſtolæ Spirituales cujuſdam Eccleſiaſtici*, collectæ per D. de Lassot, & Gallice ibidem nuper quinque voluminibus in lucem emiſſæ, inſignis & propemodum univerſalis poſſunt eſſe utilitatis, tam ad vitam activam & externam, quam ad internam & contemplativam. Ejuſdem notæ ſunt, excellens admodum *Catechiſmus Spiritualis* P. Surinii, Jeſuitæ, aliquoties Gallice editus (ultimo anno 1693.) Pariſiis duobus voluminibus; & ejus *Fundamenta Vitæ ſpiritualis*, Gallico quoque idiomate ſæpius prælo ſubmiſſa Pariſiis & Leodii ann. 1667, 1679, 1697. &c. in quibus Auctor occaſione plurimarum ſententiarum Thomæ a Kempis (quas per quæſtiones & reſponſiones elucidat) lectorem ſuum ad Vitam Spiritualem ſolide deducit, exponendo ejuſdem primaria capita, vias ejus omnium facillimas, & impedimenta neceſſario evitanda, ſæpius tamen haud animadverſa.

§. 82.

F. Guilloré.

(*c*) *Ubi & omnia ejus Opera in folio ſunt excuſa, Anno 1684.*

M. Laſſot.

P. Seurin.

Digitized by Google

M. Olier. Parvus (*a*) *Catechiſmus Chriſtianus pro Vitâ interiore* D. OLERII, Superioris in Seminario S. Sulpitii, non ſemel Pariſiis, & noviſſime (1703) in Belgio, annexis de vitâ gratiæ fervidis elevationibus recuſus, imo etiam Belgice Lovanii anno 1686. editus, comprehendit ſubſtantiam eorum quæ promittit inſcriptio, verbis & perſpicuis S. Sripturæ præceptis perpetuo innixus. Habemus ab eodem Auctore *Diarium Chriſtianum* Pariſiis & Lugduni evulgatum; quod tamen necdum vidi.

§. 83. Jeanne de Cambry. (83.) Quemadmodum Sectioni huic ſanctæ virginis hiſtoria initium dedit, ſic eandem, commemoratione alîus virginis hic finiamus; ſcilicet JOANNÆ DE CAMBRY ſeu CAMERACENSIS, Religioſæ in cella incluſæ Inſulis, cujus *Opera Spiritualia*, Gallice ſcripta, in vulgus exierunt. *Vita.* *Vita* ejus ſeorſum edita Antuerpiæ anno 1659. multa continet ſingularia haud parvi momenti circa agendi rationem Summi Numinis erga animas ſibi addictas. *Opera.* In ejuſdem *Operibus*, quæ junctim in lucem prodierunt Tornaci anno 1665. de veritatibus & praxi rerum Chriſtianarum, interiorum & Myſticarum, non minus ſolide & dilucide agitur, quam in ſcriptis eorum, qui Eruditorum principes audiunt. Prolixior iſtorum Operum tractatus, *de Ruina amoris proprii* (Pariſiis etiam ſeorſum impreſſus) totam interiorem vitam ordine exponit, ejuſdemque ſtatus (æque ac Rusbrochius in ſuo *Ornatu nuptiarum ſpiritualium*) per emblema eorum, quæ quatuor anni temporibus ſucceſſive eveniunt, depingit. Hic in quatuor libros diviſus, in *primo* amoris proprii latebras & artificia detegit, & Gratiæ divinæ vim ad eadem deſtruenda generaliter commemorat; in *ſecundo*, Gratiæ Dei augmentum in iis qui in via ſalutis progreſſum faciunt, deſcribit, plurima e Cantico Salomonis allegando; in *tertio*, privationes rigoroſas, tentationes & probationes ſpirituales ob oculos ponit; & demum in *quarto* animæ in perfecto ſtatu inſtaurationem enarrat. Hi duo poſtremi admodum ſunt ſublimes, ſimulque longe aptiſſimi ad diſſipandas objectiones, quas ignari e cœcitate mentis contra interiores vias haud raro expromunt. Ejus *Fax Myſtica*, quæ pariter ſeparatim (*b*) impreſſa reperitur, ſuccincta eſt diſcriptio tam *rerum* quam *verborum* viæ & Theologiæ Myſticæ, ac inſuper epitome præcepto-

(*b*) *Flambeau Myſtique, à Tournai* 1631.

(*a*) *Catechiſme Chretien pour la Vie interieure.* Editio noviſſima 1703, Amſtelodami apud Wetſtenios invenitur.

Digitized by Google

ceptorum pro Directoribus animarum: talia pro directione familiarum leguntur in tractatu ejus de *Reformatione Conjugii*. Liber de *Excellentia Solitudinis* imprimis ſolitarios reſpicit; & *Exercitium quo pervenitur ad Amorem Dei*, æque ſolidum ac breve & methodicum, omnium uſui eſt accommodatum; ſicut & ille qui inſcribitur *Lamentatio animæ captivæ in mortali ſuo corpore*, ubi commonſtrat, in quocunque vitæ genere ac ſtatu quis ſit, etiam in maxime illecebroſo ſuavique & ſublimi vitæ ſpiritualis, ubique tamen lamentationum & lachrymarum cauſas ſeſe offerre. Ejuſdem modus res proponendi, characterem gerit intimæ ſinceritatis & ſolidæ exactitudinis, efficaciſſimæ ad convincenda corda eorum qui ad verum bonum ex animo aſpirant; cujuſmodi quidem charactere communiter virorum ſcripta minus ſunt imbuta quam feminarum; id quod ſequens articulus magis quoque confirmabit. *Character ejus.*

XIV.

ANTONIA BURIGNONIA.

CONCLUSIO. *Characterum quos recenſuimus Myſticorum cum S. Scriptura conformitas. De legendis Myſticis conſilium.*

(84.) Quum Domina Bourignon minime affectet ſtylum aut ſublimia Myſticorum argumenta; at ſolum inculcet ſimpliciori modo ſubſtantiam Doctrinæ Euangelicæ, abnegationem ſcilicet ac mortificationem naturæ, imitationem Chriſti, praxin virtutum, amorem Dei & obſequium ipſi præſtandum, quo ab ejus nutu ac voluntate in ſimplicitate infantili pendentes ipſius Spiritu ſancto regamur; vix de eadem quicquam expromere voluiſſem, ni tibi lubuiſſet me eo inſtigare ut hanc Myſticorum Characterum ſeriem per mentionem ejus concluderem. Proferamus ergo nonnulla de ipſa, & ſic huic nimium jam prolixæ Epiſtolæ finem imponamus. §. 84. A. BOURIGNON.

Tam magna nunc mortalium animos circa res æternas torpedo oppreſſit, ut tantum abſit eos per tot, qui ad manus ipſis ſunt, ſpirituales libros excitari; quin potius ex eorum lectione vix ullam aliam utilitatem capiant, quam ſterilem conſiderationem, pro mentis exercitio, quo intellectum ſuaviter demulcent; in-

terea ſibi ipſis de ſtatu ſpirituali blandientes ſub prætextu quod lectis paginis cum ſenſus & proclivitatis aliqua dulcedine adſtipulentur. Hic profecto ad regnantem eam ubivis ſomnolentiam excutiendam fulmineo quodam Omnipotentis ictu ac fragore divino opus erat, quo & dormitatoribus iſtis pateſieret, illa omnia non eſſe niſi mere emortua, & ipſi e profundiſſimo lethargo ſuo excitati, imminere ſibi interitum planiſſime comprehenderent ni ſine mora vitæ ſuæ & regimen & ipſum principium internum prorſus immutaverint. Et certe videtur Optimus Maximus ictum fragoremque iſtiuſmodi ſpecialem per Dnæ. Bourrignoniæ ſcripta edidiſſe, quæ revera attentis Lectoribus notabiles animi motus imprimunt; imo eos qui veritates ibi contentas bono animo ſuſcipiunt, peculiari vi, ac lumine generaliter admodum ſalutari imbuunt. Quamvis ipſa, ceu mox innui, nequicquam arte aut ſtudio conſectetur argumenta aut dictiones myſticorum Auctorum; tamen ejus Scripta paſſim eorum ſubſtantiam, & ſolida fundamenta comprehendunt, eorundemque ſenſum mire detegunt. Atque ut pateat quàm verum hoc ſit, unum & alterum duntaxat locum ex ejus Scriptis hîc lubet obiter indicare, e quibus quiſquis ea conſulere volet ac legere, poterit judicare & de ceteris, & quàm conſummata fuerit in Myſtico elemento ſublimiſſimo Antonia B., quantumque lucis ſcripta ejus ſcriptis aliorum Myſticis adferre apta nata ſint. Videantur ergo, ſolum vel e primo ejus qui in publicum prodiit libro, *Lux nata in tenebris* dicto, Part. I. Epiſt. 1 & 3. & Part. II. Epiſt. 19. it. Part. III. Epiſt. 5. 31. 32. 33. 34. Ut & e primo quem ipſa compoſuit libro, *Lux Mundi* nominato, Part. II. collatio 19. Plura, nunc quidem, nolim his addere: auſim tamen dicere, eos libros tam myſticorum quam omnium cujuſque generis ſpiritualium librorum reſpectu, idem operari, quod faciunt Solis radii circa omnes terræ plantas; quæ licet in ſe viventes, durante tamen frigida anni intemperie quaſi mortuæ nil quicquam nobis utilitatis impertiunt, at appropinquante igneo hocce ſidere, (cujus luminoſa vis ubique modo æque ſimplici & facili, æque puro, æque univerſali ac benigno & benefico ſeſe inſinuat) denuo incipiunt aperiri, vireſcere, & fructuum largitione nobis demum prodeſſe. Eodem pacto tam amplâ nunc in animarum ſpirituali elemento mundove frigoris regnante vehemen-

mentiâ, ut primariæ & maximi momenti ac uſûs quorumlibet Scriptorum, ipſiuſque S. Scripturæ veritates, tanquam gelu rigidæ & emortuæ, ipſis redditæ ſint penitus inutiles; jam eædem hæ veritates per Scripta hujus Virginis & reviviſcere, & reſerari, & fertilitatem induere videntur, quando ſimul in illis non ſolum nota & cum aliis communia, ſed & plurima nova & hucuſque incognita, vivaque & ſalutaria, peculiariter commemorantur.

(85.) Ecce igitur verum eorundem characterem. Pollent vi luminoſa, libera, ingenua, benigna, ſolida, ſimplici, facili, eaque utilitatis generalis, & ſecundum cujuſvis, etiam parvulorum captum; vi, inquam, a partibus aliena, pura, imos animæ receſſus commovente; quæque vivide in omnibus rerum circumſtantiis ſinceras determinat animas ad reales & ſpeciales boni actus regiminis, pœnitentiæ, deſertionis mundi mundanarumque affectionum, abnegationis ſui ipſius, Amoris Dei, traditionis noſtræ voluntatis in manus Domini, à quo in totum pendere velimus, ut cum per hæc erimus præparati in Spiritûs S. domicilium, ipſe ad nos venire poſſit & in nobis deinceps habitare, dominiumque in nobis reſumere, Sapientia nos ſua ac theſauris divitiarum Chriſti ditaturus, illuminaturus, docturus, recturus, animaturus, ac impoſterum omnia ſecundum divinam ſuam voluntatem &c. reſtauraturus, & penitus directurus, uti quidem feciſſet, imo & ſplendidius, ſi lapſus Adami non interveniſſet obſtaculoque fuiſſet. quo vero ſtatu nihil, hac quidem in vita, pro homine Chriſtiano eſſe ſublimius ac perfectius, evidens in ſe eſt: ita ut qui ſcripta hæcce ſolis incipientibus inſervire poſſe dictitant, hoc ipſo teſtentur ſe ea minime legiſſe, ex aliorum relatione invida loqui ſolum; ac quid ipſi dicant ſe omnino neſcire. §. 85. *Character Scriptorum Antoniæ B.*

In pluribus aliis ſcriptis, quanquam egregiis, ſæpe non occurrunt niſi generalia, imo taliter diſpoſita, ut, ſi quis ad ſpecialem eorum praxin animum applicare conetur, vix dignoſcat qua ratione illam ordiri poſſit vel debeat. Hîc autem lector extra omne dubium omnemque hæſitationem ac fluctuationem trahitur, & ſinguli quaſi ob oculos ponuntur paſſus per quos incedere oportet: ſentit ſeſe manu quaſi ad opus exequendum duci, & interius modo haud ordinario inflammari.

Præterea inveniuntur ibi explicationes & lumina minime vulgaria circa maximi momenti principia de Potentia, Bonitate, Juſtitia,

ſtitia, Veritate & Sapientia Dei; circa glorioſam Mundi & hominis Creationem; hujus lapſum & deplorandam infinitamque corruptionem; porro de Chriſto, ejuſdem nativitate ex Adamo, functionibus, ejuſdem Regno; item de regno Anti-Chriſti, de veri Chriſtianiſmi defectu in omnibus Religionum ſocietatibus Doctorum Ductorumque culpa, de impiorum deſtructione, ac Eccleſiæ & Mundi Renovatione. Comprehendunt efficaces iſti libri eſſentiam Religionis & virtutis, ab acceſſoriis harum bene diſtinctam; & inutilium controverſiarum ac pernicioſarum hæreſium deletionem; regimen circa res omnis generis obſervandum: porro ſalutarem in animos revocant inquietudinem, qua nos urgeri oportet quamdiu Deo omnimode nondum nos ſubjecimus; detegunt pariter fraudes humani cordis in omnibus, in iis præcipue qui falsâ pietatis idea fucum ſibi & aliis faciunt; quique cum inſignem omnis generis ſpiritualium & myſticorum librorum æſtimationem affectent, coram hiſce tamen, de quibus nunc, perſiſtere nequiverunt, ſolos quippe infeſtis oculis aſpicientes, ab iiſque omnes alios itidem alienos reddere optantes, idque tectius nonnulli, alii vero magis aperte. Scilicet animadvertunt, clariſſimas iſtorum librorum veritates ipſos de ſpiritualis quam præ ſe ferunt dignitatis gradu dejicere, & ut coram ipſorum aliorumque oculis appareant plane alii ac ſibi hucuſque perſuaſerunt, efficere.

§. 86. *Opera & Interpretationes.* (86.) Opera A. Burignoniæ, quæ Amſtelodami fuere impreſſa, partim dum viveret, partim poſt ejus obitum (qui contigit anno 1680.) ſunt ſequentia: *Vita ejus cum præfatione apologetica. Lux Mundi*; *Lux nata in tenebris*; *Tumulus falſæ Theologiæ*; *Solida Virtus*; *Renovatio Spiritus Euangelici*; *Teſtimonium Veritatis*; *Lapis Lydius*; *Monitum contra Quakeros*; *Anti-Chriſtus detectus*; *Novum Cælum & Nova Terra*; *Academia Theologorum*; *Ultima Dei Miſericordia*; *Sanctum Conſpicillum*; *Vocatio Dei, prima pars*; quæ omnia Gallice, Germanice & Belgice extant; porro, *Cæcitas hodiernorum hominum*, *Stella matutina*, *& Conſilia ſalutaria*, quæ Gallice tantum & Belgice ſunt edita; reliqua non niſi Gallice habentur, nimirum, *Vocatio Dei, ſecunda pars*; *Lapides Novæ Hieroſolymæ*, *Perſecutiones Juſti*, & *Confuſio Opificum Babelis*. Tria tamen illorum in Latinum tranſlata reperiuntur, ſcil. *Lapis Lydius*, *Solida Virtutis & Renovationis Spiritus Euangelici* partes primæ. Nuperrime in An-

Anglicum verſæ & evulgatæ ſunt Londini *Lux Mundi*, *Solida Virtus*, & *Lux nata in tenebris*, cum egregia admodum Apologia (cujus Belgica nunc verſio atque editio prodiit anno 1701.) contra quoſdam libellos Anglicos per duos Adverſarios nuperrime in manus hominum emiſſos. Quanquam autem ſinguli A. Burignoniæ Libri ſeorſum (*a*) venduntur, omnes tamen ad XIX. Volumina ſunt redacti. Si qui de ejuſdem doctrina judicare voluerint, oportet ut ad minimum quinque vel ſex eorum, quos primo nominavi, perlegerint, & propter ſcrupulos, qui illic ſeſe offerre poſſent, inſpexerint ſcripta apologetica & librum *Oeconomiæ Divinæ* P. Poireti, qui primarias difficultates partim abolevit, partim lectores contra eas præmunivit.

(*a*) Amſtelodami apud Henricum Wetſtenium, ut & Rud. & Gerh. Wetſtenios H. FF.

(87.) Quamvis mihi non occurrant Scriptores eodem Dominæ Burignoniæ mox notato charactere penitus imbuti, tamen cum præcipue in ipſa eminuerit viva & intrepida declaratio univerſalis Eccleſiæ Chriſtianæ corruptionis, & ſpeciatim Status Eccleſiaſtici, dicerem, ſanctum penultimi ſeculi Dominicanum, Hieronymum Savonarolam hoc nomine valde ipſi appropinquare. Qui *Sermones* quoſdam ſancti hujuſce Religioſi evolverunt, e. g. quos *in librum Ruth* exaravit (modo eorum exemplar non ſit Salmanticenſe anni 1556. e quo Eccleſiaſtæ ſeptimum Sermonem, qui totus ipſos reſpiciebat, eripuerunt) item & *in Micham*; vel qui ſaltem legerunt pauca illorum in additionibus *Vitæ* ejus, editæ Pariſiis anno 1674. cum quibuſdam ejuſdem *revelationibus* & *Epiſtolis ſpiritualibus*; ii poterunt judicare, an recte hic ſentiam; imprimis ſi animadvertant, quod ſicut ſancto iſti viro mortem intulerunt Eccleſiaſtæ ob veritatem eis ab illo liberius dictam; ſic & Domina Burignonia eadem de cauſa centies vitam per eorum machinationes perdidiſſet, niſi Optimus Maximus perpetim impediviſſet, ne in omnis generis perſecutorum ſuorum manus incideret, quos ſemper & ubique inveniebat, ceu e Vitæ ejus hiſtoria liquet, quæ nonniſi plurimarum & continuarum perſecutionum commemoratio quædam eſt, earumque adeo inſolitarum & ſtupendarum, ut vix ullus, niſi legat, id ſit crediturus. §. 87. Savonarola.

(88.) Si lubet, digrediar hic parum, vel potius, mox dicta amplius exponam, poſtquam de iis nuperrime denuo quædam contigerunt. Scilicet quum V. A. Burignonia ſeculi hujus & impri- §. 88.

Digitized by Google

mis Eccleſiæ corruptionem graphice detexerit, & quo pacto omnes omnino, tum capita tum membra ejus, rebus omnibus ſacris perverſe abutantur; adeo hoc illis diſplicuit qui in culpa ſeſe eſſe ſibi ſunt conſcii, neque tamen reſipiſcere volunt, ut hi Domini metuentes ne ipſorum vitia & errores populo innoteſcerent, & forte etiam ne per puellam, cujus doctrina illorum gloſſis longe antecellit, ſplendor & celebritas eorum diſparerent, omnium animos ab ea alienos reddere, & odium adverſus ipſam iis ingerere allaborarint, quo quemlibet a ſcriptorum iſtius Virginis lectione abſtraherent. Id vero efficere conati ſunt clamitando, ipſam Eccleſiæ omniumque Conventuum, Miniſterii, imo omnium rerum ſacrarum inimicam eſſe; quamvis tamen ſecundum veritatem plane contrarium inde concludere potius debuiſſent, cum cuilibet ſanæ mentis conſtet, eum qui alicujus rei abuſus detegit, neque horum particeps eſſe cupit, propterea rei ipſi non eſſe adverſantem; alias enim & Jeſaïas, ceterique Prophetæ, tanquam hoſtes Religionis Judaïcæ debuiſſent haberi; tum quiſquis commonſtraret, omnes ubique Scripturis ſacris abuti, ipſarum Scripturarum contemptor idcirco foret declarandus, quum tamen, (quod & in omnibus rebus divinis locum habet,) nil aliud ille in votis haberet, nil aliud quæreret, quam illorum omnium inſtaurationem in juſto ac vero ſuo uſu & ſecundum Dei Spiritum. Domina B. haſce veritates meridiana luce clarius exhibuit in Apologiis (a) quas pro ſe ipſa & pro rebus ſacris contra detractores ſuos ſcripſit. Verum enim vero quum hoc calumniæ genus erga hominum mentes plurimum polleat ad eam, quam ne ipſi quidem obtrectantes norunt, aliis quoque inviſam reddendam, quo ſic ab ea omnibuſque quæ a tali proficiſcuntur univerſi abhorreant; diceres, malignum ſpiritum expreſſe ejuſmodi pertinax odium ingerere illis etiam, qui ceteroquin ne minimum quidem cognoverunt nec Virginem iſtam, nec ejus ſcripta, neque ejuſdem doctrinam. Et mirum profecto eſt, Auctorem illum, qui non ita pridem Gallice *Tractatum Hiſtoricum Theologiæ Myſticæ* in lucem hominum emiſit, iſtam obtrectandi methodum tam pulchram tamque decentem credidiſſe, ut criminationibus & falſis hujuſmodi integram paginam replere non dubitaverit; haud memor, neminem non ſtatim obſervaturum eſſe illas ſolum priſtinarum calumniarum cramben recoctam, quas jam abhinc decennio & ultra

(a) Vid. ejus *Monitum contra Quakeros* pag. 229. &c. Item, *Teſtimon. Verit. part.* 2. pag. 74. 75. & 199. 202. & in *Præfatione* §. 3.

Digitized by Google

ultra narraverat in *Epiſtolis* ſuis *Paſtoralibus*, ubi tot hallucinationes ita ſunt ipſi commonſtratæ, ut tractatui (*a*) ea occaſione edito nil quicquam reponere ſciverit. Nihilominus lubuit ipſi denuo ictus ſuos repetere, quamvis nil quicquam novi commemoret præter ſatyrica quædam, quæ ſatis oſtendunt, ipſum eadem ſemper ratione ignarum eſſe argumenti de quo judicare ſatagit, nimirum tum Dominæ B. tum ſententiarum ac doctrinæ illius, ejuſque amicorum. Placetne, Domine, ut Auctoris hujus textum hic, adjuncto commentariolo, tibi inſeram? Ecce verba ejus, (*b*) Latine reddita.

(*a*) *Irenicum Univerſale*, quod præceſſit Latine redditum.

Innotuit in Belgio quadam Virgo, nomine Antonia Bourignon, quæ 18 *aut* 20 *volumina librorum, omnia de pietate & devotione, reliquit:* (Non, ſi placet; ſunt enim libri illi dogmatici, quamvis animo inſculpant ſolida vivæ pietatis ac devotionis principia:) *Negare nemo poteſt* (pergit ille) *longe optima iis contineri, & devotionem illic multis in locis elucere per puriſſima præcepta, & moralia pietatis plena.* Hæc, quæ veriſſima ſunt, fatetur, ne in affectuum ſuſpicionem poſtmodum incurrat: Deinde addit: *Interea patet ejuſdem fanatiſmus. Profitetur aperte, ſe a Deo miſſam ad reformandam Eccleſiam, ſe extraordinaria ratione Divino Spiritu afflari, eoque infallibiliter duci.* Diu ſudaret Auctor ſi locus ab eo indicandus eſſet in quo Domina B. hoc *aperte dixerit* aut *ſcripſerit.* Oportebat ipſum meminiſſe, in puncto accuſationis non decere ipſum ulli ſuggerere cogitata aut modos exprimendi falſos & captioſos. Domina B. quæ ſenſit in hunc modum expreſſit: (*c*) *Profiteor ſolummodo, me eſſe a Deo miſſam ad* DECLARANDAM VERITATEM *ab ipſo mihi communicatam. Ablegata a Deo ſum ad mortales in vitiis dormientes e veterno excitandos, quo oppreſſi placide quieſcunt, haud advertentes grave in quo verſantur periculum: poſtquam vero Lumine S. Spiritus erunt exuſcitati, poterunt, ſi velint, amplius pernicioſo illi peccatorum ſomno indulgere, quando interim Dominus miſericordiam ſuam ipſis commonſtravit, egoque, quod ille me juſſit, ſolicite peregi.* Et porro alibi: (*d*) *Si Spiritus S. me regit, non poteſt regiminis mei ratio eſſe vitioſa, alias nequaquam procederet a Deo, qui Bonum eſt perfectiſſimum. Poſſem utique aliqua in re labi, ſiquidem proprio motu agerem; nunquam* [...]*o dum Sancti Spiritus regimini me committo.* Noſter Auctor, qui [...] Ductorem animarum dicit, nec tamen audet Spiritus Sancti [re]gimen & illuminationem de ſe ipſo profiteri, minime dubitat,

(*b*) *Traité hiſtorique contenant le jugement d'un Proteſtant ſur la Theologie Myſtique pag.* 10.

(*c*) Lapis Lydius pag. 301.

(*d*) Lux in Tenebr. part. 3. ep. 8.

ne ob hanc Divini Luminis carentiam pudore ſuffundatur, lumen illud tanquam fanatiſmi characterem irriſioni exponere, haud advertendo, annon ſic totam condemnet Scripturam S. clariſſime paſſim aſſeverantem, Dei Spiritu imbutum eſſe oportere illum qui ſit Jeſu Chriſti, qui cognoſcat Divina, eademque mortales doceat; neque an ſibi ipſe contradicat, qui tanquam Spiritu afflatos in aream deduxit neſcio quot tum majores tum minores Prophetas imaginarios, qui ſibi ipſe reſponſa à Sapientiâ Dei data alicubi memorat, quique adhucdum ſuarum partium in Gallia inſtaurationem per inſpirationis impulſum prævidet, id eſt, ſecundum præſentem ſuam interpretationem, per *fanatiſmi* viam. Ad arguendam jure quodam de *evidenti fanatiſmo* Dominam B. oportebat hoc aggredi per principium pietati & veritati minus oppoſitum quam tale, quo quis inſpirationes Sancti Spiritus aut declarationem de iis, fanatiſmi titulo inſignire audet. Debuiſſet potius advertere, anne in vita & ſcriptis ejus Virginis ulla imaginationis molimini innixa, aut maligni ſpiritus charactere imbuta, vel doctrinæ ac vitæ in Euangelio inculcatis contraria occurrant. Abunde vero conſtat, Auctorem hunc nunquam ad hoc attendiſſe, imo neque ſcripta ejuſdem Virginis unquam legiſſe, addit enim: *Eſt hæc nova quædam Proteſtantium Domina Guyon*. Atqui ejus opera ubique ſexcentas continent declarationes, nunquam eandem Proteſtantium partibus fuiſſe deditam nec effectu ipſo, neque etiam voluntate: *Et*, pergit, *hæc Domina Guyon invenit ſuum Patrem la Combe; hic vocatur Poiretus, Dominæ Bourignoniæ religioſe addictus, qui omnia ejuſdem Scripta imprimi curavit.* Si Vitam hujus Virginis evolviſſet cenſor, non potuiſſet non abſurditatem hujus applicationis prompte detegere, & hoc potius ad D. Lamberti, Decanum Inſulenſem, referre, quippe qui ejus erat & Confeſſor, & fulcrum; aut ad D. de Cort, Presbyterum Oratorii, qui prima ejuſdem opera prælo commiſit, propterea per vias obliquas in carcerem conjectus, & dein veneno enecatus. Attamen Auctor habebat cur potius *nominatum Poiretum* impeteret, *qui* (ſi narratori huic fides habenda) *e diſcipulo ſeſe fecit Magiſtrum & Caput Sectæ; qui decens eſſe judicavit una cum Domina ſua, ab omnibus mundi Eccleſiis & Conventibus diſcedere; qui nec Pontificius eſt nec Proteſtans; qui in totum ac ſine diſcrimine Miniſterium contemnit; qui non vult Epiſcopos, nec Sacerdotes, nec Miniſtros; qui plane alienus*

eſt

Digitized by Google

eſt a ſermonibus ex ambone, a Sacramentis, non agnoſcens communes conventus, neque fidei Confeſſiones, nec quicquam eorum quæ unionem & vinculum externum faciunt. Satis profecto mihi notus eſt nominatus ille Poiretus, ut de ipſo & nominatum D. J., & quemcunque hæc tangunt, certos reddere poſſim, ipſum nullius eſſe *magiſtrum*, & a cujuſlibet *Sectæ* erectione impenſe abhorrere; ipſum mente ac corde omnibus bonis animabus quorumlibet Chriſtianorum *Conventuum* eſſe unitum, ſive e Proteſtantium ſive e Pontificiorum numero fuerint; ipſum tanti æſtimare *Miniſterium*, ut toto animo vitam perdere vellet, ſiquidem eo poſſet efficere, ut univerſus orbis catervatim eſſet oppletus Sanctis *Epiſcopis*, Sanctis *Sacerdotibus*, Sanctiſque *Miniſtris*; ut omnes *ambones Sermonibus* ſolidum ac neceſſarium Euangelii urgentibus perſonarent; ut nemo non digne uteretur *Sacramentis* ad progreſſum in amore Dei & proximi; ut nil frequentius ac uſitatius eſſet quam publici *Conventus* ſanctorum, aut hominum ad veram ſanctitatem aſpirantium; ut quis tam profunda veneratione adhæreret S. Scripturæ, ut ſufficientem agnoſceret ad omnem *Fidei Confeſſionem*; & tandem, ut omnia quæ ad Sanctam *unionem* ſacrumque vinculum corporum & animorum in Chriſto conferre poſſunt, ſancte exercerentur per aſſiduam charitatis praxin. Atque hæc etiam Dominæ Bourignoniæ fuit eadem mens, eadem ſententia. Qui ejuſdem libros, eorumque imprimis loca ſupra annotata evolverint, ea de re minime dubitabunt, ſi vel tantillum æquitatis in animo foveant: qua quidem ſi noſter Auctor uti æquum eſt præditus foret, non poſſet non quæ dixi abunde agnoſcere, præſertim ſi attenderet, ſeſe jam haud longe amplius abeſſe ab illo termino, quo ipſum oportebit comparere coram Tribunali ejus, qui nos ſerio præmonuit, *calumniatores ad hæreditatem Regni Dei minime perventuros*; & *indignationem ac iram imminere animis contentioſis, & in Veritate contumacibus, quique* affectuum ſuorum *injuſtitiæ ſeſe dedunt.* Faxit Deus, ut ipſe tandem conſuetam ſuam animi vehementiam lenitate quadam temperare condiſcat, neque ita pergat impetuoſo fervore protinus adoriri quoſvis in quibus aliquid palato ſuo minus ſapidum ſibi videtur animadvertere; ut- ſimul obſervet, tenebrarum principem jam ſatis diu obſcurum & amarum mentis ejus zelum, in propriæ ſalutis ſuæ detrimentum, direxiſſe! Inſpiret ipſi Dominus impoſterum mentem

Digitized by Google

pacatiorem & Chriſtianam, doceatque eum regimen tale, quo poſſit reparare mala quæ tum ſibi ipſi tum aliis intulit infirmis, qui ſeſe captari ſinunt contra veritatem, tum per Rhetoricam ejus, meris affectuum flatibus turgentem, tum per bonam quam de zelo ipſius fovent opinionem.

§. 89. (89.) Uno exemplo ducimur ad aliud; illud nimirum de Auctore *Dictionarii* Gallici *Hiſtorico-Critici*, qui quamvis prioris inimicus ſit implacabilis, tamen communi cum ipſo animo in Dominam Burignoniam contumelioſe inſurgere non dubitavit, eaſdem criminationes contra illam expromens, quarum publicam ipſe jam (a) viderat confutationem, quæ ipſius quoque calumniis retundendis omnino ſufficiunt. At hoc ipſo ne contentus quidem, exquiſitas in ſatyricis morſibus, & venenatis ſalibus in eam, ubicunque ipſam in ſcenam ſui Dictionarii introducere potuit, effuſis, videtur guſtare delicias. Anniſus eſt inviſam, imo admodum malignam affricare ſpeciem omnibus iis, in quibus vel minimam arripere anſam potuit, ſcilicet in vita hujus Virginis, cujus epitomen ſeſe efformaſſe contendit, at bene longe diverſam ab illa (b) quam 12. aut 15. abhinc annis de vita & opinionibus ejuſdem in manus hominum ipſemet emiſit. Nullus ſane ?ebitur, principium aliquod zeli aut Religionis bene vel male intellectum, ipſum ad talem agendi rationem impuliſſe. Abunde omnibus notum eſt, ipſum hoc nomine a ſuſpicione omni eſſe tutiſſimum, & quàm ſollicite Manichæorum, Chriſtianam imo omnem Religionem, quantum poſſunt, evertentium, principia & argumenta impia proponat, urgeat, & quam enixiſſime poteſt, corroboret, quæ tamen per principia D. Burignoniæ abeunt in ventos. Scurriles præterea joci, quos de hujuſce Virginis effudit caſtitate quam per ludibrium *penetrativam* & *tranſitivam* dicit; & ingens ſolicitudo qua Dictionarium ſuum contra eam caſtitatem præmunire ſtuduit per ſpurcitiem penetrativam & tranſitivam, qua undique exundat, facient ut ejuſdem agendi ratio potius habeatur pro effectu extremæ antipathiæ, quæ eſt inter Spiritum pietatis, ſolidi Chriſtianiſmi, ſanctitatis & puritatis, qualis Dominam B. inhabitabat, & inter ſpiritum contrarium, qualem Auctor in ſeipſo ſicut in Opere ſuo regnantem prodidit, quo ipſo & ad odium impellitur ejus cujus opera ſunt juſta, & incapax omnino redditur ſpiritualia cognoſcendi, deque iis

(a) *In Irenico Univerſali Gallico, Sect. V.*

(b) *Nouvelles de la Rep. des Lettres, 1685. Avril & Mai.*

Digitized by Google

iis judicandi, Scriptura divina teſtante res ſpirituales carnali homini ſtolidas & odioſas eſſe; proindeque, illum noſtrum minime fidem mereri in iſtiuſmodi argumenti genere. Equidem, ut Satyræ ſuæ aliquam conciliet ſpeciem, videtur interdum quaſi per probationes velle procedere: at patet non minus illum perfectiſſime tenere praxin veteratorum, qualem alibi in quibuſdam infidis hiſtoricis agnovit, qui alicubi factum hiſtoricum crudum arripientes, illud in progreſſu per mille adjuncta fraudum artificia, quæ ipſis ad manus ſunt, eo modo condire, talemque ei indere ſaporem ac colorem norunt, pro quo idem venditare ipſis lubet, dulcem ſcilicet aut amarum, album vel nigrum, prout eorum animi impetus variat. Notum eſt univerſo orbi, Auctorem noſtrum hujus artificii clariſſima ſuggeſſiſſe documenta circa ſubjecta quamplurima, de quibus in utramque partem geſtiit ſcribere, ex. gr. circa illud quod D. Juriæum reſpicit; ceu ipſi ob oculos poſuit (a) *Judicium publicum* de ipſius *Dictionario*; circa Catholiciſmum & Calviniſmum; circa plurima alia ſubjecta in variis libris, qui ipſius eſſe tenentur; & (ne extra ejuſdem Opus de quo agitur excurram,) in modo utcunque ſpecioſo, at revera maxime horrendo, quo inter plurimos alios exagitare haud dubitavit ſanctiſſimum Regem & Prophetam Davidem, quem talibus depinxit lineamentis, ut reſpectu horum omnia mala, de quibus Dominam Burignoniam ſuſpectam reddere allaboravit, ſint quaſi margaritæ & ductus longe pulcherrimi. Tanta autem ei eſt ipſam vexandi cœca libido, ut præter (1) falſa, (2) calumnioſa,

(a) *Jugement du public, pag. 39, ad 46. item pag. 12 & 13.*

(1) *Falſa*] v. g. (ut horum & ſequentium unum atque alterum exemplum è multis exhibeamus,) cum dicit eam in pauperes nihil amplius erogaſſe: eam fuiſſe indolis bilioſæ; quæ e contrario erat mitiſſimæ, licet iraſceretur in peccata ſupina & malitioſa: quod & in Chriſto Jeſu obſervant Euangeliſtæ, & in vitis Sanctorum, v. g. S. Catharinæ Genuenſis (cap. 42) ac aliorum, qui eas deſcripſerunt. Quando item dicit noſter, eam docuiſſe, renuntiandum eſſe exercitiis Liturgicis Religionum, unde ingentem ei omnium conatur conflare invidiam: cum tamen contrarium pateat vel è ſola Epiſtola I. Tractatui præcedenti ſubnexa. &c.

(2) *Calumnioſa*,] ex. gr. cum dicit ille, eam Communiones Chriſtianorum omnes conviciis proſcindere, (qu'elle *en dit pis que pendre*,) quando tamen non perſonas, non res ipſas, ſed generatim defectus & vitia e charitatis principio oſtendit, ut ab illis cavendo, ſaluti ſuæ, ob quam vel ſanguinem fundere optaſſet, conſulerent. Non ita noſter, quando hoc ipſum commiſit quod male alii exprobrat, ut vel Reformatorum reſpectu videre eſt in *Avis aux Refugiés*.

Digitized by Google

ſa, (3) infideliter truncata, (4) maligne, (5) ſcurriliter, (6) ludicre interpretata ac expreſſa tantum non omnia, ſubinde etiam eat quæſitum eam plane extra locum, ut gratis ab illo reprehendatur

(3) *Infideliter truncata*,] Ut quando narrat e vitæ Antoniæ cap. 26. Paſtorem *de Cort*, ipſius in Chriſto amicum, antequam caperetur, fuiſſe multis de vitiis ab Epiſcopo dure reprehenſum: atque ibi ſubſiſtit, ideam criminoſi viri de eo lectoribus relinquens, nec verbulo quidem mentionem faciens ejus quod ſequitur, ſcilicet, reſpondiſſe illum ita Epiſcopo, ut hic in ruborem datus ſit, oſque illi occluſum, Dominum vero de Cort in Deo exultaſſe quod dignus eſſet habitus qui propter veritatem divinam contumelias pateretur. Sed & tota noſtri de vita Ant. B. hiſtoria, nihil aliud eſt quàm truncatio infidelis ac perpetua factorum, in quibus quæ in ſpeciem mali detorqueri poſſunt excerpit, quæ defenſionis loco eſſe poſſunt, reticet.

(4) *Maligne-interpretata*] Ut quando ex eo quod dixerit Virgo de vi ab aliis facta ſimpliciter eſſe conquerendum apud præfectos locorum qui iis ex officio remedium adferre tenentur, & id quidem ubi ſpes eſt malum eo modo eſſe ſufflaminandum; id noſter interpretatur ex ſpiritu impatientiæ & amoris litium provenire, qui vero ſpiritui patientiæ Euangelicæ omnino ſit contrarius. &c. Item quando illa Q. Kuhlmanno, prophetæ fanatico noluit adjungi eumve approbare: hoc noſter vitio ſuperbiæ non ſine ſatyricis aculeis adſcribit.

(5) *Scurriliter-interpretata ac expreſſa*,] De his conſulendus eſſet in Dictionario articulus *Adam*, item & alius in litera S, quem ſpecialius ob ineffabiles quas illic effudit noſter ſpurcitias, pudet deſignare. Dicam tantum, illum nec bene mentem ejus quam vexare voluit, expreſſiſſe; & culpandam eſſe in tali Cenſore ignorantiam, quâ notavit pro mentis *aberratione valde ſingulari* in Antonia B. opinionem, de Adamo habente; non membra (ut ſpurce ille jocatur) ſed principia interna utriuſque ſexus; quæ tamen opinio eſt & antiquorum Hebræorum ac Cabaliſtarum; & recentiorum Philoſophorum quotquot abſtruſiora naturæ ſcrutati ſunt, ac ſpeciatim tantùm non omnium de quibus mentionem feci in tota Sectione de Jacobo Bohemio, ipſiuſque etiam hujus Bohemii & omnium ejus ſequacium. Præterea male terram noſter feminæ æquiparat, cum hæc unum e principiis ſeminalibus ad generationem conferat, terra non item. neque vero ratione tam imperfecta ac infelici planta dependet à terræ loco ad propagationem ſimilis, quam vir dependet a femina quæ ejus libertati ac felicitati obſtat non raro, ut vel in Adamo viſum eſt. Carpit idem alicubi innocentem dictionem qua ad partum vel uno verbo alluditur, qui ſexcentas paginas obſcenitatibus honeſto homine indignis conſpurcavit.

(6) *Ludicre-expreſſa*] v. g. cum narrat ſuo more D. A. B. voluiſſe bonis maternis potiri nec ea relinquere, utitur phraſibus ſubtilia quibus furta vel fraudibus & ſubdole acquiſita & retenta vulgo ſignificantur. *Elle vouloit avoir les mains bien garnies* --- raiſon admirable, pour *ne ſe deſaiſir jamais de rien* &c. Sed & ſtylus ejus ſine intermiſſione ſcenicus eſt totus & Satyricus. *Les Autheurs ſatyriques ſont les gens du monde contre leſquels il faut qu'un lecteur ſoit le plus en garde. Ce ſont ceux qui raiſonnent le plus mal, & qui communiquent le plus un certain plaiſir qui empêche de rechercher en quoi conſiſtent leurs ſophiſmes. --- Les conſulter ſeroit s'aſſeoir au banc des moqueurs, action condamnée dans le I. Pſeaume.* Diction. Hiſt. Tom. II. pag. 571. Edit. I.

Digitized by Google

datur ob ea quæ jure potius tendunt ad ipſius Virginis laudem & admirationem: e. g. in (*a*) articulo de D. le Roi, Barone Imperii &c. dicit auctor „ hunc Dominum poſt plurima Opera Topographica de Brabantia nuper edidiſſe libellum 13. paginarum „ (Amſtelodami 1696.) titulo: *Prædictio Antoniæ Bourignon de vaſtatione urbis Bruxellarum per ignem*, ubi poſt brevem commemorationem infortunii, quo urbs iſthæc fuit obruta 13. Auguſti „ 1695. per injectas a Gallis glandes ferventes, illud refert quod „ de Antonia Bourignon in ſupplemento Moreri occurrit, atque „ hæc verba e quadam hujus Virginis epiſtola: (*b*) *Non video me* „ *poſſe manere Bruxellis, quamvis omnem requiſitam licentiam nacta* „ *forem, niſi ad paucum tempus; idque eo magis quod Bruxellæ per* „ *ignem debeant perire; ſiquidem recte vidi, ceu tibi dicebam quum* „ *eſſem apud Mazurielem.* Ecce quæ narrat ille, ſimulque mecum obſerva Criticam cenſuram, qua, non obſtante facti evidentia, quæ prædictionem iſtam confirmavit, tamen oſtendere ſatagit, illam per ſpiritum illuſionis fuiſſe deceptam: *Spiritus*, inquit, *qui hoc incendium revelaverat*, (*c*) *minus recte indicabat tempus: nam illa ſibi imaginabatur, anno* 1666, *urbem Bruxellenſem mox vaſtatum iri; & tamen non evenit hoc niſi* 29. *annis poſt.* Non ita, pace tua, Domine, abſit modo omnis æquivocatio: Nullum ea prædictio neque magis recte neque *minus recte*, indicabat tempus, ceu lectori inſtillare cuperes; & præterea revelatio non fuit verbalis, prout eam innuere geſtis; ut capacem reddas falſæ ſignificationis quantum ad tempus; ſed per viſionem innotuit, ac proinde talis erat quæ natura ſua non determinaret ullum tempus. Neque Domina B. ſibi imaginabatur Bruxellarum incendium definite citius vel tardius eventurum: ſed quum nihil ea de re ipſi fuerit determinatum, nullum tempus præfixum, nullum excluſum; ipſum hoc determinationis ſilentium erat proprie juſta & legitima ratio, ob quam nullum illa tempus a periculo hoc tutum judicabat: ac proinde habebat cur omni tempore ſeſe contra illud præmuniret; eodem modo atque Servator ejuſque Apoſtoli poſtquam futurum ejuſdem Adventum in genere prædixerant, exhortationibus Chriſtianos tum urgebant ut quolibet tempore parati ſibi caverent, ne de improviſo iſthoc Adventu opprimerentur: in quem procedendi modum profana & maligna quædam mens longe ſpecio-

(*a*) *Verbâ Diction. Crit. pag.* 948.

(*c*) *Ne marqua pas bien le temps.* Dict. Crit. ibid.

dddd ſiori

(*b*) *Epiſtola ſcripta Gandavi ad D. de Cort.* 15. *Januar.* 1666. *impreſſa in III. Parte Libri cui titulus:* Tombeau de la fauſſe Theologie, ep. 12.

ſiori prætextu, quam noſter Criticus, invehere, ac, ſicut hic, dicere poſſet, „Spiritus qui Adventum hunc ipſis revelavit, *non* „*recte indicabat* tempus; jam enim mille & ſeptingentis abhinc „annis *ſibi imaginabantur*, illum, viventibus adhuc ipſis, even„turum; dum interim nil tale hucuſque contigit. Jam S. Petri tempore profanæ linguæ ſic garrire haud verebantur, ceu S. Apoſtolus ille nos monuit.

Hæc autem magis ad laudem Virginis ſanctæ vel ex ipſo Dictionario eliciendam annotavi, quam ad Apologiam pro ea contra reliquas Satyrici ſcripti calumnias faciendam; quippe quæ nulla alia opus habeat defenſione quam ſola librorum ſuorum inſpectione atque lectione, vel etiam ſola characteris Auctoris Dictionarii Critici ejuſque Operis cognitione, ad quam teſtimonia non unius generis eruditorum ac proborum Virorum publicata ſunt (*a*) Roterodami, paulo poſtquam ejus Dictionarium prodiiſſet, quæ ſane legi ab omnibus debent qui ab eo libro imponi ſibi atque noceri noluerint.

§. 90. (90.) De reliquo, quum Dictionarii Auctor Dominæ B. nomen lacerare conatus, innitatur inter alia cuidam libello, quem e Lipſienſibus Ephemeridum Scriptoribus unus evulgaverat, quo & ſuos ſæpe lectores tanquam ad probationum ſuarum fundamentum ſolidum ablegat noſter, æquum eſt ut omnibus innoteſcat cujus ponderis ac pretii nobis eſſe debeat illud Antagoniſtæ iſtius ſcriptum. De eo autem certiores fieri poterimus ex ore ab omni ſuſpicione libero Viri clariſſimi nominis, qui intimus ejuſdem Scriptoris fuit amicus, quique ſemper reverentiam erga ipſum fovit: & ecce quomodo hic Vir (*b*) hoc de argumento ſententiam ſuam publice declaret in quodam opuſculo ſuo in lucem edito: *Fortaſſe nonnullis indecens videbitur, me diſſentire a judicio viri & amore & veneratione mea digniſſimi, qui calamum hac in re commodaverat Collectoribus Lipſienſibus: -- Sed vicit tamen incommodum hoc, propoſitum indefeſſum aliis quacunque occaſione ſe offerente oſtendendi veritates ad felicitatem obtinendam proficuas. -- Firmiter perſuaſus ſum, fuiſſe* BURIGNONIAM *Virginem piiſſimam; & ejus* COR HABITACULUM

(*a*) *Jugement du public, & particulierement de Mr. l'Abbé Renaudot ſur le Dictionaire Critique du Sr. Bayle, à Rotterdam, chez Abraham Acher, près de la Bourſe*, 1697.

(*b*) *Cl. D. Thomaſius Conſiliarius Regis Boruſſiæ, Juris-Conſultus & Profeſſor Halenſis, in Latina* Diſſertatione *ſua, præmiſſa Tractatui P. Poireti* de Eruditione *Edit. Lipſ.* 1694. *pag.* 3 & 4. *item* 34 & 35.

Digitized by Google

LUM SPIRITUS SANCTI. *Doctrina quoad fundum ſancta eſt & ſana, ejuſque libri digniſſimi qui legantur a piis. Quod conceptus de myſteriis attinet, ſcripſit haud dubie, uti perſuaſa fuit, ac ejus perſuaſio nihil inepti continet aut Enthuſiaſtici, ſi abſque præjudicio affectuum, & ſectaria infallibilitate ejus ſcripta legas, etſi tu ipſe in nonnullis aliter perſuaſus ſis. Id imbecillitati humanæ adſcribo ſi putavit, neminem ſalvari poſſe niſi qui eoſdem conceptus cum ipſa foveret, quamvis & hic ipſa diſtinguere ſoleat inter conceptus de myſteriis, & doctrinam de pietate. Acriter judicarunt contra eam & Auctorem noſtrum Collectores Actorum Lipſienſium. Certus tamen ſum, ipſum Auctorem acerbioris hujus judicii ſcripſiſſe bona fide, id eſt, ſecundum ſuam perſuaſionem. Codicem Operum Burignoniæ nactus ſum in auctione publica, quo uſus eſt Auctor judicii. Magna cum admiratione obſervavi imbecillitatem humani generis. Erat Auctor Vir prudens, judicio maximo pollens, & ſinceri animi; ſed quid non poſſunt præjudicia quæ nobiſcum adoleſcunt? Deprehendi loca multa in operibus, lineola quadam notata ad marginem, quæ ſi ſola ſpectes, non poſſunt non Doctrinam Burignoniæ ſuſpectam valde, ſæpe blaſphemam reddere; quod ſi autem præcedentibus aut conſequentibus jungas, optimum & pium ſenſum habent. Non permiſiſſent Viro mihi maxime, dum viveret, charo, & a me etiam poſt mortem venerando, judicium, prudentia, ſinceritas, ut talia excerperet, niſi præconcepta opinio ſectæ (ut quotidie cuilibet accidit) mentem faſcinaſſet. Credo tamen, ſi adhuc viveret, eum ad agnitionem erroris perventurum fuiſſe.*

Hicce locus, nonnihil prolixior, requirebatur ut conſtaret quam miſero D. Bailius innitatur fulcro, dum teſtimonium D. de Seckendorf pro ſe allegare geſtit. Satius fuiſſet lectoribus commendare teſtimonia ſolidiora, imo juramentis ſub auctoritate publica confirmata, quæ non pauci probitate, doctrina & ordine conſpicui Viri reddiderunt de integritate & ſanctitate vitæ atque doctrinæ Dnæ. Burignoniæ, quæque juncta inveniuntur primæ parti ejuſdem libri, qui inſcribitur, *Teſtimonium Veritatis*: quamvis aliàs ipſa ſatis, & quidem pauciſſimis verbis, protulerit ad neceſſariam ſui defenſionem. (a) *Quod ad perſonam meam attinet*, inquit alicubi, *nil curo mortalium judicia; neque eorum bona, honores, voluptateſve, vel eorundem approbationes deſidero. His omnibus renunciavi ut invenirem Deum, qui me cum æquitate judicabit: & quum id quod quæſivi mihi obtigerit: nihil jam amplius opto, utpote penitus contenta. Hinc ſive me laudent, ſive contemnant homines, quod ad me attinet, idem plane reputo. Solummodo* ME MISERET ISTORUM

(a) Tumul. falſæ Theol. part. I. ep. 12.

CALUMNIATORUM, *tenebras ſuas magis quam lucem amantium: declaravit enim Jeſus Chriſtus, hanc eſſe illorum damnationem, quando Lux nata eſt in tenebris, & tamen hanc noluerint agnoſcere.*

CONCLUSIO.

Characterum quos recenſuimus Myſticorum cum S. Scriptura conformitas.

§. 91. (91.) At tempus eſt huic digreſſioni, quam mihi concedere voluiſti, imo toti huic Epiſtolæ finem imponere. Scilicet ſufficit hactenus depinxiſſe plurimorum myſticorum & ſpiritualium Auctorum *characteres*, occaſione tredecim aut quatuordecim primariorum, qui, ut primo animum appuli, ſoli commemorandi erant. Atque jam non poteſt non omnibus eſſe ex dictis manifeſtum, ut mihi equidem videtur, iſtam diverſitatem, quæ inter illos ſeſe offerens difficultatem gignebat, minime eſſe intimam in mente & animo Auctorum iſtorum contrarietatem, ſicut nec in argumentis de quibus agunt; verum eſſe, ceu in tractatus hujuſce initio monuimus, multiplicem variationem gratiarum & luminum unius Divini Numinis, & diverſos operandi modos ejuſdem ſupremi agentis, quales & in Divinarum Literarum Codice abunde deſcribuntur, tum per præcepta, tum per exempla quæ Deus ſuſcitavit, tum & per promiſſiones, quas idem fecit: exempli gratia:

Character *Tauleri* & illorum ejus ordinis, qui eſt, per externa ad internas redire facultates, & hinc in fundo animæ ad Deum; idem illud eſt, cujus exercitium in Verbo Dei centies injungitur, dum ab externis diſtractionibus ad interna ibidem revocantur animæ; prout monet Jeſaias (Cap. 46: 8.) dum inquit: *Redite, prævaricatores, ad cor.* Continet exhortatio hæc manifeſte verbum externum, quod dum auribus percipitur, oportet ut *facultas* intelligentiæ idem comprehendat ad capiendum ejus ſenſum, qui hic inculcat, ut quis *in* intima *cordis* ſui denuo ingrediatur. Porro effatum Servatoris noſtri, *Pro foribus aſto, atque pulſo*, Divinam in ſenſibiles hominis facultates impreſſionem denotat: *ſiquis audita voce mea januam aperuerit*; en tibi verum intellectus uſum, qui attendit; & affectiones, quæ Domino reſiſtere deſinunt: *ingrediar ad eum, & cum eo cænabo, & ipſe mecum*; hæc eſt manifeſtatio Dei in fundo animæ, quæ ipſum tum non amplius foris quærit, ſed intus invenit, cumque ipſo communicat, ceu ipſe cum illa, in intimo eſſentiæ ejus centro. Apocal. 3: 20.

(92.) Eo-

Digitized by Google

(92.) Eodem modo Character *Harphii*, qui imprimis urget ut §. 92.
quis peccato & omni quod imperfectum eſt, moriatur, ad revi-
viſcendum in novo vitæ genere, & ad progreſſum in hac renova-
tione faciendum de vita in vitam, aut ab uno gradu ad alium;
omnimode conformis eſt iis quæ Scriptura S. pronunciat; ſcilicet,
„quod granum frumenti debeat mori ut reviviſcat & fructum fe-
„rat: quod qui cupiat invenire vitam, eam amittere debeat: quod
„quiſquis mortuus eſt, reſurgat ad novam vitam, quæ *eſt abſcon-
„dita* cum Chriſto in Deo: quod, quamvis per conformitatem
„morti ejus, jam quis nactus ſit virtutem ejus reſurrectionis certo
„ſenſu, tamen necdum propterea pervenerit ad conſummatum
„iſtius reſurrectionis ſtatum, ut jam tum ſit perfectus: ſed opor-
„teat progredi & contendere ad metam, quam Jeſus Chriſtus vult
„ut aſſequamur, oblivifcentes quæ ſunt a tergo, & ad anteriora
„nos intendentes, ad ſcopum contendamus, ad palmam, ad quam
„ſuperne vocati ſumus, & quotquot perfecti ſumus, hoc ſentiamus;
„item & nos in imaginem gloriæ Domini transformari à claritate in
„claritatem tanquam a Domini Spiritu. Vid. Phil. 3: 10, 14. Col. 3:
v. 1, 2, 3. Item Rom. 6: 4. & 2 Cor. 4: 10, 11, 16. &c. & cap. 3: 18.

(93.) Character *Joannis à Cruce*, purificatio & unio divina; *S. Te-* §. 93.
reſia, Oratio amatoria cordis; *S. Catharina Genuenſis*, purus Dei
Amor; memorantur & commendantur omnes in Scriptura S. quæ
de primo quidem inquit: *Beati mente puri; nam ii Deum videbunt*,
Matth. 5: 8. de altero: *Continenter orate*, 1 Theſſ. 5. & de amore:
Deus amor eſt: & qui in amore manet, in Deo manet, & Deus in eo.
1 Joh. 4.

(94.) Character *S. Angelæ*, amorem Crucis Jeſu unicam no- §. 94.
ſtram eſſe ſapientiam, eſt idem qui S. Pauli, quando nihil inter
Corinthios ſcire volebat *præter Jeſum Chriſtum, eumque crucifixum*,
1 Cor. 2: 2. Character itidem *P. Canfeldii*, voluntas Dei, is eſt
quem adoptavit ipſe Jeſus Chriſtus, quando declarat; *Deſcendi de
Cælo, non ut meam, ſed ut ejus qui me miſit, voluntatem exequar.* S. Joh. 6.

(95.) Simplicitas minime exculta & minime artificioſa, character §. 95.
Joannis Engelberti, ille eſt de quo S. Paulus teſtatur, *Mundi ſtultiſſi-
ma Deus elegit, ut ſapientes confutaret: & mundi infirmiſſima elegit Deus,
ut fortia confutaret.* 1 Cor. 1. viſionumque divinarum, qui commu-
nis ipſi eſt cum *S. Hildegarde*, *S. Eliſabeta* & *S. Brigitta*, aliiſque,
(quæ pariter charactere Prophetiæ & Revelationum præditæ fue-
runt) effectus eſt promiſſionis Filii Dei, dum inquit: *Qui me dili-*

dddd 3 *git*,

Digitized by Google

git, diligetur a Patre meo, & ego ipſum diligam, & me ipſi revelabo. S. Joh. 15. item: *Effundam Spiritum meum in ſervos meos & ancillas meas, & vaticinabuntur.* Actor. 2. Joël 2.

§. 96. (96.) Character *Boëmii*, qui naturam rerum ſpiritualium & corporearum, rerum divinarum, angelicarum, humanarum, naturalium, eſt perſcrutatus, debetne nobis eſſe ſuſpectus, poſtquam S. Pauli effatum ei conforme ſeſe offert: *Nec oculus hominis vidit, nec auris audivit, nec animus cogitavit, quæ præparavit Deus ſuis amatoribus. Nobis autem Deus ſuo Spiritu patefecit. Spiritus enim omnia rimatur, etiam Dei abditiſſima.* 1 Cor. 2: 10. Et character *Hielis*, quo omnia reducuntur ad ſpiritum, ad veritatem, & ad vitam internam, nonne quantum ad ſubſtantiam imo ipſum exprimendi modum, proprium illud principium eſt quod Jeſus Chriſtus ſtabilivit, quando dixit: *Spiritus eſt Deus; & qui eum colunt, in ſpiritu & veritate debent colere.* Joh. 4. & porro: *Verba quæ ego vobis loquor, ſpiritus ſunt, & vita ſunt.* Joh. 6.

§. 97. (97.) Character *Anonymi*, qui eo redit ut hominibus eorum aberrationes, corruptionem & infinitas miſerias ob oculos ponat, eoſdemque inducat ut propterea gemant coram Deo ex intima cordis humiliatione, ad aſſequendam ejus gratiam, quo dein coram ejuſdem judicio ſubſiſtere queant; talis, inquam, character nonne clare expreſſus eſt a Spiritu S. per Jacobum dum inquit: *Affligate vos, & lugete, & plorate. Riſus veſter in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem. Summittite vos Domino, & vos evehet.* Jac. 4. Qui verò Character eſt *Margarita Euangelica*, perpetua ſcilicet Dei in anima præſentia, annon per hocce Apoſtoli Pauli verbum confirmatur: *Non procul ab unoquoque noſtrum remotus eſt Deus; cum in eo vivamus, & moveamur, & ſimus.* Actor. 17. ceu & per hoc: *Vos Dei eſtis Templum.* 1 Cor. 3: 16, 17. Porro, omnis induſtria & conatus, quos injungunt omnes ii qui expoſuerunt aut exercuerunt tam *activam* & pœnitentem quam *contemplativam* vitam, nonne auctoritate Servatoris comprobati leguntur, dum ipſe exhortatur: *Contendite intrare per anguſtam portam*; &: *Semper orandum eſt, nec defatigari oportet*, item: *Niſi pœnitentiam feceritis, peribitis omnes.* Luc. c. 13. & 18. quemadmodum & per Davidem: *Quærite Dominum, ejuſque potentiam; quærite perpetim ejus faciem & præſentiam. Semper Dominum coram me habeo. Oculi mei perpetua ipſum intuentur*, &c. Pſal. 16. 25. & 105.

§. 98. (98.) Siquis tandem animo volverit, Jeſum Chriſtum Diſcipulis & Apoſtolis ſuis promiſiſſe *Spiritum qui ipſos in omnem veritatem debeat perducere*; & *ſapientiam cui nemo poterit reſiſtere.* Joh. 16. Luc. 21.

Digitized by Google

ac inſuper prædixiſſe, *ſimile fore Cæleſte Regnum fermento, quod capit mulier, & in farina ſâta tria abdit, donec tota fermentetur maſſa* Matth. 13. ſique idem inſuper obſervaverit, A. *Bourignoniam* circa finem libri ſui cui tit. *Lux Mundi*, explicuiſſe hanc parabolam modo tam conſummato, ut omni diſquiſitioni, omnibus mediis, lectionibus, cunctis agendi rationibus, cuilibet methodo, finis hoc pacto ſit impoſitus; ſi porro quis animo bene diſpoſitus reliqua ejuſdem ſcripta recte intellexerit; tunc ejuſce lectoris judicio relinquo, annon quæ de charactere illius Virginis notavimus, tanquam adimpletio harum promiſſionum horumque Domini verborum haberi debeant.

(99.) Neutiquam foret arduum oſtendere, non ſolum characteres, ſed & dogmata & modos loquendi Auctorum Myſticorum, congruere veritatibus Scripturæ Sacræ, & ſæpius eoſdem plane eſſe terminos; atque idcirco, errores aut contradictiones imaginarias, quæ ipſis objiciuntur, inde ſolum exoriri, quod Myſticorum ſenſus minime aſſequantur adverſarii; eo plane modo atque diverſæ Chriſtianiſmi Sectæ ex eadem Scriptura per ſpiritum diſſenſionis doctrinas & concluſiones plane ſibi invicem oppoſitas & contradictorias eliciunt. At novum hoc foret argumentum, quo oratio nimium extenderetur, quum jam deſiſtendi tempus ſit, poſtquam, ut equidem crediderim, noſtrum ſatis pertractavimus thema. §. 99.

(100.) Verbum tantummodo addam de eo quod innuere quiſquam hic poſſet, vel quod non paucos hujuſce claſſis Auctores, quorum nulla mentio facta, omiſerim; vel, quod nimis multos in medium produxerim; & quod profuſa hæc congeries non poſſit non confundere eos, qui Myſticos legere cupientes, incerti erunt quinam ex eis ſint ſeligendi, rati forte omnium propterea requiri lectionem. Fateor circa primum, non ſine cauſa quenquam iſtud poſſe innuere, probe mihi conſcius quot eorum prætermiſerim; attamen mihi videtur, quod cum centum & ultra memoraverim, tot ſufficere ſecundum meum propoſitum, quod neutiquam majorem numerum, imo ne tantum quidem exigebat. Circa alterum, tantum abeſt ut iis, qui ad ſolidiorem ſpiritualium cognitionem aſpirant omnium horum Auctorum lectionem neceſſariam eſſe profitear; ut e contrario, eorundem pauciſſimos & moderatam admodum lectionem commendem, dummodo quis anſam inde capiat in ſe ipſum deſcendendi, nec circa mortuas inde elicitas ideas per ſolam ſpeculationem ſit occupatus; ſed potius lumen & vim Divini Numinis §. 100. *De legendis Myſticis conſilium.*

minis

minis imploret, ut ipſi lubeat vivificare & ipſo effectu animo noſtro ingerere ſubſtantiam & ſpiritum eorum, quæ per lectionem mens imperfecte concepit. Veruntamen cum vix ullibi omnes hujuſmodi libri reperiantur, utpote hinc inde diſperſi; imo cum ubivis ſatis rari ſint, multiſque in locis incogniti, oportebat nominare plures, locumque ac tempus impreſſionis indicare, quo cuivis, quantum poſſibile, aperiretur via ad facilius eoſdem quærendos & inveniendos, vel ſaltem aliquos. Quod ſi nonnulli laudabili curioſitate ad frequentiorem & ampliorem, quam abſolute neceſſe foret, lectionem propenſi, exiguam & ſelectiorem quandam ſpiritualium, eorumque Gallicorum (*a*) Librorum, ſibi comparare cuperent ſuppellectilem, ecce primarios quos ibidem locum habere poſſe crediderim: *Thomas à Kempis*, *Pugna Spiritualis*, *D. Bernierius*, *Quatuor Theologia*, *Cordis*, *Amoris*, *Crucis*, *&* *Realis*; *S. Tereſia*, *Joannes à Cruce*, *Domina Guyon &* *Frater Laurentius*, *Canfeldius*, *Vita S S. Patrum in Deſertis*, & *Vita D. de Renty*, *itemque Opera Dominæ Bourignoniæ*. Sufficerent hi, meo arbitratu, iſti propoſito; ſi qui tamen plures colligere volent, haud difficulter deſiderio ſuo ſatisfacere poterunt, ſimulac hanc meam legerint epiſtolam, quam convenientius finire non poſſem quam per ſeriam commendationem hujuſce Theologiæ Germanicæ dicti.

(*b*) *Quamvis bonum ſit inquirere aut explorare, atque etiam cognoſcere, quid boni ſanctique Viri fecerint* (ſcripſerint) *aut paſſi fuerint, aut quomodo vixerint, quidve Deus in eis, & per eos egerit* (aut produxerit) *& voluerit; tamen eſſet centies ſatius, ut homo exploraret & cognoſceret, quis, qualiſque ſit ſtatus vitæ ſuæ, & quid Deus in eo ſit, & velit, & agat, & ad quam rem Deus eo velit uti, aut nolit. Itaque hoc quoque verum eſt, quod dicitur:* NUNQUAM TAM BONUM EST EXIRE, QUIN SIT INTUS MANERE MELIUS.

Ecce quo nos vocent omnes vere ſpirituales libri, quorum ſubſtantiam odio proſequimur ſi aliter agimus.

S. PAULUS. 1 Cor. 2.

Dei negotia nullus ſcit, niſi Dei Spiritus. Nos vero non mundi ſpiritum accepimus, ſed profectum a Deo Spiritum, ut intelligamus quæ nobis largitus Deus eſt: quæ etiam eloquimur, non eruditis humanæ ſapientiæ, ſed eruditis Sancti Spiritus ſermonibus, ſpiritualibus ſpiritualia componentes. Animalis autem homo non capit quæ ſunt Divini Spiritus, quippe quæ ſint ei ſtultitia: itaque non poteſt ea cognoſcere, ut quæ ſint ſpiritualiter examinanda. At ſpiritualis explorat omnia, nec ipſe a quoquam exploratur.

(*a*) Si quis ex Latinis paucos at præcipuos deſideret, hoſce quærat: *Harphium*, *Joannem à Cruce*, *Conſtantinum de Barbanſon*, *Canfeldium*, *Gelenium*: Vult plures? Cum Harphio Triumviratum Myſticum faciunt *Taulerus &* *Rusbrochius*. Joanni à Cruce addeſis S. *Tereſiam*: Pro praxi viva, *Vitas Patrum*; ac inprimis S. *Macarium*.

(*b*) Theol. G. c. 9.

C A-

CATALOGUS
PLURIMORUM AUCTORUM

qui de rebus MYSTICIS aut SPIRITUALIBUS ſcripſerunt;

vel qui eoſdem illuſtrarunt & commendarunt, aut interpretati ſunt, vel ediderunt, quorum magna pars in præcedenti Epiſtola commemoratur.

L E C T O R I.

Sola plerumque Auctorum nomina deſcripta ſunt; rarius & caſu, librorum tituli adſcripti. Prater Latinos aut Gallicos Auctores, pauci in aliis idiomatibus ſcripti, hic recenſentur; quod rarius occurrant his in locis, imo in Bibliothecis vel Bibliopoliis alioqui inſtructiſſimis, unde & Myſtici, ut plurimum, exulant. Hinc quoque non pauci e Myſticis ſunt hic prætermiſſi, quos vero e Catalogis variorum, in quorum nonnullis libri Myſtici cum Aſceticis imo & ſatis vulgari modo piis interdum recenſentur, nolui deſumere, ne forte, iis à me non viſis, Catalogus hic ſolis deſtinatus qui myſticum habent characterem, vel aſcetico-myſticum, alios vel vulgarioris vel alterius ordinis, licet alias ſuo modo bonos ac pios, contineret.

Auctores in EPISTOLA *pracedente recenſiti hic diſtinguuntur a ceteris appoſito numero, qui non paginis, ſed paragraphis in margine numeratis reſpondet.*

* *Stellula præfixa eſt iis qui Collectori e præcipuis viſi ſunt, licet iis ceteri non poſtponantur, & cuilibet liberum ſit aliter ſentire, prout quidque cuivis magis aut minus prodeſſe poterit, quod & de titulis ab ipſo quibuſdam qui jam fatis functi ſunt, alioqui forte minus noti, appoſitis dictum ſit.*

---

* DE Abnegatione interna. anonyma. illum. method. brevis. 16

Abregé de l'Agneau occis &c. *vid.* J. Daumont. 79

Abregé des voies Myſtiques de la Ven. Mere de S. Jean l'Evangeliſte. Paris.

* Acta Martyrum ſincera & ſelecta. Egregius poſt Scri-

pturas liber. 28. 75

Actions memorables des PP. Dominicains du Pays-bas.

Adrianus Adriani. Varia, *Belg.*

Albertus Magnus. Paradiſus animæ. De adhærendo Deo. Colon.

P. l'Allemand, Cancell. Univerſ. Pariſ. pius collector ultimarum horarum inſignium aliquot Sanctorum. 75

P. l'Allemand, Louis, ſa Vie & ſa Doctrine, Paris. laudatur à P. Rigoleuco, ut illuminatus a Spiritu Dei.

De Alcantara, *Petrus.* inſignis mortificatio ejus a S. Tereſia laudatur. 78

* Alethophili Wahre Vollkommenheit und Glückſeeligkeit in dieſer Welt. *Germanice.* ſolidus & nervoſus.

* Alphonſus de Madril. methodicus, ſolid. 69

Alvarez, *Balthaſar.* Contemplationi deditus. vitam ejus ſcripſit L. de Ponte, impreſſa eſt Colon. 1670.

* Alvarez de Paz, *Jacobus.* Theol. Myſt. Scriptor Syſt.

Ambroſius Camaldulenſis Ordinis Abbas. ſcripſit in Dionyſium.

Andillius, *Robertus. Interpres Gall. Tereſiæ & Vitarum Patrum* &c. 20. 74. 76

* Angela de Fulginio. Theodidacta. 29. 94. 100

Angelus Sileſius, *Joannes.* Poëta ſacer, Germanus. 64

a Sto Angelo, *Mauritius.*

ab Angelis, *Joannes*, in Cantic. Cantic. *Gall.*

Angliæ, Carmelitanæ, Revelationes.

Annanienſis, *Juvenalis.* Capuc. Solis intelligentiæ --- internum magiſterium. Aug. Vindelic. 1686.

S. Anſelmus.

Antiquitates Franciſcanæ Boſquierii. Colon. 1623. in 8. *vid.* Boſquier.

S. Antonius de Padua, ſeu Paduanus. Opera. Par. 1641. inſignis S. Franciſci diſcipulus.

Antonii, Regis Portugalliæ, Pſalmi. *Verſi in Gall.* in forma Confeſſionis peccatorum.

* Apophthegmata Patrum Gr. Lat. divinus liber. 76

Mousr. d'Argenſon, de Sapientia Chriſtiana. *Gall.* 37

le P. d'Argentan, Louis François, Varia, Myſtico-practica, Gallic.

Arias, *Franciſcus*, de Præſentia Dei.

Arndius, *Joannes.* inſignis & ſolidus practicus. 71

* Armella Nicolaa (vid. Vitas) Ancilla idiota, amans Theodidacta. 28

Arnobius junior. 58

Arnoldi, *Gotthofredi*, Sophia, & varia, tum propria, tum ex aliis interpretata, omnia pene

Digitized by Google

ne Germanice. 63. 78
ab Aſſumptione, *Juſtus.*
-- *Ludovicus Joannes.*
de Auguſta, *David.*
Auguſtini Confeſſiones &c. (Humilitas & Amor ſunt characteres Auguſtini.) 21. 58
a S. Auguſtino, *Franciſcus Macedo.* Mens divinitus inſpirata. Londini 4. 1653.
-- *Michaëlis:* Inſtitutiones myſticæ in 4. Antuerp. 1671.
Avila, *Joannes. Vertit Gallice Andillius. Pariſ.* 1673. practicus.
AUCTORES *aliquot qui vel Syſtemata Theologiæ Myſticæ ſcripſerint, vel methodice præcipuas quaſdam ejus vias vel argumenta præcipua tractarunt.* Hos vide *ſpecialius in ſuis cognominibus.*
de Abnegatione interna, tractatulus. *
Alexis de Salo.
Alvares de Paz. *
Auguſtinus Backer. *Anglic.* *
Benedictus a Canfeld. *
Catharina Genuenſis. In Dialogis.
Chriſtianus Hoburg.
Conſtantinus Barbanſon. *
Deſiderius Peregrinus.
Dionyſius Carthuſianus, de fonte lucis; de Contemplatione, & alia.
Franciſcus Suarez.
Henricus Harphius, *
Hieronymus Gratianus.
Hugo de Palma.
Joanna de Cambri. *Ruine de l'Amour propre.*
Joannes Breton. Theologia Myſtica.
Joannes a Cruce. *
Joannes Euangeliſta. *
Joannes Gerſon.
Joannes a Jeſu-Maria.
Joannes Rigoleucus, de Oratione. *Gall.*
Joannes Rusbrochius, de Ornatu Nuptiarum ſpirit. *
Joannes a S. Samſone, *Traité de l'Amour aſpirant.*
Laurentius Scupoli.
Ludovicus de Ponte. de Perfectione.
Maximilianus Sandæus.
Michaël a S. Auguſtino.
Michaël Zachmorter. Thalamus ſponſi.
de Perfectione Chriſtiana, Tractatulus.
Pietro Matth. Petrucci: Tractatus varii.
Philippus a S. Trinitate.
Richardus a S. Victore de Contemplatione Libri VI.
S. Tereſia, in Caſtello animæ.
Thomas Bromlejus.
Thomas a Jeſu.
Seraphim de Fermo.
Victor Gelenius. *
Vincentius Caraffa.

B.

* *Backer, Auguſtinus, Sancta Sophia. Anglice.* Contemplator

tor ſolidus & illuminatus. 80

Bajole, André, Jeſ. La vie interieure.

Balſamon, *Ignatius*.

Baptiſtæ Cremenſis, (Sandæus dicit Genuenſem, alii Venetam) opera. (a Serapho de Fermo commendata.) 4 voll.

* Barbanſon, *Conſtantinus*. illuminatus, methodicus, profundus, expertus. 14

S. Barnabæ Epiſtola. Apoſtolica. 40

de Barri, Paulus. Gall. pia ſcripſit.

S. Baſilius. Pater Monachorum Orientalium. 76

Baſilius Legionenſis.

Bellarminus, Card. *Robertus*, de Aſcenſu mentis in Deum. De Gemitu Columbæ. Singulariter pia.

S. Benedictus. Regulæ ejus. Aſcet. pract. (Vita, officium, Exercitia, in 12, Colon. 1690.)

* *Berger illuminé. anonym.* Theodid. 79. 100

Bernhardinus Senenſis, de Divinis inſpirationibus.

Bernhardini, *Theophilus*.

S. Bernardus. notiſſime divinus.

* M. de Bernieres Louvigni, *Jean*. illuminatus & ſolidiſſimus. 33. 100

de Berulle, Cardin. Petrus. Ses œuvres in fol. à Paris 1657. *& traité de l'abnégation.* laudatur ut illuminatus.

Beſſeus, *Petrus*. Heraclitus Chriſtianus.

Bibliotheca Patrum aſcetica. 6 voll. in 4. Pariſ. 1661.

Bloſius, *Ludovicus*. piiſſimus & ill. 24. 31

* Boëmius, *Jacob*. Theodidactus. radicalis. 42. 58. 96

Boëmianæ Theologiæ Idea. 46

Bollandus, *Collector vitarum* SS. 30

* Bona, Card. *Joannes*. in myſticis doctus, pius, ſolidus. 39. 81

S. Bonaventura. Franciſcanus Card. 34

* P. Bonilla, *Joannes*. illumin. tranquillus. 67. 68

Borgia, *S. Franciſcus*. S. J. Opera, fol. Bruxellis. 1675.

Boſquierii, *Philippi*, Franciſcani; Antiquitates Franciſcanæ. Divina hîc de S. Franciſco.

Boudon, Henricus-Maria, Varia, Gallice. ſolidiſſime pia & affectiva ſcripſit.

* Bourignon, *Antonia*. Theodidacta, nulli ſecunda. 84. 98. 100

Brakelius. Scala vitæ Spiritualius. *Belgice*, Trappen van 't Geeſtelijk Leven.

Mr. de Brebeuf. Entretiens ſolitaires. 69

Breton, *Joannes*. Theol. Myſtic. laudatur apud A. Rojas. 38

Breve

Breve inſtruction pour parvenir ſeurement a la perfection. Paris.
* S. Brigitta. Theodidacta. Ecſtatica. 95
Brill, Jacob. Belga noviſſimus, internus, realis, pacificus, illumin. idiota licet. 61
Hic auctor articulo Theologiæ Germanicæ §. 70. *cujus* characterem *proprie ac vive poſſidebat, ſubjungendus erat.*
* Bromlejus, *Thomas*. illuminatus, arcanus. 50
Le Brun, *Henricus*. clarus, utilis. 36
S. Bruno. Carthuſianorum Parens. Meditationes in Paſſionem. 34
Ejus opera. Col. 1611.
Buckelius, *Joannes. Belg.* Goddelijke Troost / &c.
Bunian, Joan.
Burnetus, *Epiſc. Saliſb.* Laudat Rentium. 77

C.

Calaguritanus.
* de Cambry, *Joanna. Gall.* illuminata, ſolida. 83
Camus, Joan. Petrus. Epiſc. de Belley. Combat ſpirituel.
de Candale, François de Foix Duc. Doctus, pius, cabaliſt. 47
* à Canfeld, *Benedictus*. illuminat. doctus. 35. 94. 100
Cantipratenſis, *Thomas*.
* Cantica ſpiritualia de Amore divino, *Gall.* illuminati hominis 1 Pars. 67
Caraffa, *Vincentius*. Theol. Myſtica. Colon. 1660. II. Voll. in 8.
S. Carolus Borromæus. Oper. II. Voll. Mediol.
de Caſalis, *Ubertinus*. Arbor Vitæ.
de Caſſia, *Simon*. de Vita Chriſti.
* Caſſianus, *Joannes*. Collationum SS. Patrum in deſertis Scriptor, Sanctioribus laudatiſſimus. 75
Caſtalio, *Sebaſtianus*. Interpres Script. Theol. Germanicæ &c. doctus & pius. 60. 79
a S. Catharina, *Balthaſar*. In Caſtellum animæ S. Tereſiæ.
S. Catharina Bononienſis. (illumin.) de ſibi revelatis a Domino.
* S. Catharina Genuenſis. Theodidacta, Seraphica, tota ignea. 25. 93. 100
* S. Catharina Senenſis. hæc etiam. 23. 28
Ceparius, *Virgilius*. de Præſentia Dei.
Cerrutus, *Jacobus*.
* Chriſtianus Realis. vid. *Vie de Mr. de Renty*.
Civoré, Antoine, Soc. J. *Les ſecrets de la ſcience des Saints.*
S. Clemens. Vir Apoſtolicus, lenitatis, humilitatis ac pacis Chr. præco inſignis. 78
* Climacus, *S. Joannes*. P. illuminatus. 76

Comitinus, *Joan-Baptiſta.* de Timore & Amore Dei.

de Condren, Carolus. Tr. de l'Abjection. Gallic. laudatur valde.

Conſilia & Reſponſa Theologica. Germanic. anon. ſolida & interna.

Contenſon, *Vincent.* Theologia Mentis & Cordis. fol. Col. 1687.

Conventius, *Stephanus*, de Adſcenſu Mentis in Deum.

Corderius, *Balthaſar.* S. Dionyſii interpres. &c. 63. 76.

Cotelerius, *Joh. Bapt.* doctus Editor. Apophtheg. SS. PP. &c. 74. 76.

Courbon. D. Th. *Pratiques pour ſe conſerver en la preſence de Dieu.* 81

Crombecius, *Joan.* de ſtudio Perfectionis & aſcenſu Moſis in montem.

* a Cruce, *Joannes.* illuminatiſſimus, Angelicus, profundus ac ſolidus, & doctus. 10. 93. 100

Cypariſſiota, *Joannes.*

de S. Cyran, Abbé. Jean Verger de Haurane. Lettres ſpirituelles. De la pauvreté de J. C. practicus.

D.

* D. G. Anonymus Belga (David Georgius) 59. 98

Daumont, Jean. illumin. ruſticus. 79

Deſiderius Peregrinus. Emblemat. egregius. 72

Deſiderius Philadelphus. Diſcip. J. Boëm egregius. 47

Devoir des Grands. Principis de Conti. Optimatum Biblia. *Gall.*

Devotion au Sacré Cœur de Jeſus. Gall.

S. Diadochus. de Perfectione, capita centum.

S. Dionyſius, dictus *Areopagita.* ſublimis. 36. 63

Dionyſius Carthuſianus. Opuſcula inſigniora ſeorſum Col. 1559. &c. illum.

Directeur ſpirituel des ames devotes, tiré des Ecrits de S. Fr. de Sales. Anvers. 1699.

Directeur Spirituel pour ceux qui n'en ont point. Bruxel. 1691.

Dolores Chriſti ſpirituales, *anonyma.* 34. 68

Dorhoff, *Bernhardus.* Speculum juventutis. Monaſterii. 1615. hiſtoriæ ſanctorum in ſua juventute.

* S. Dorotheus. Aſceticus, practicus, ſolidus. 76

Drexelius, *Hieremias.* S. J. Auctor ſingulariter pius.

E.

Elevationes in Paſſionem. Gallicè. 34

* S. Eliſabetha Schonavienſis. Theodidacta. 39. 96

* En-

Digitized by Google

* Engelbrecht, *Joannes*. Theodidactus. ſimplex, fortis, divinus, ſolidus, facilis. 38. 46. 95
* S. Ephrem. Theodidactus, totus affectivus & viſcera. 62
* Epiphanius, *Ludovicus*. illuminatus. Contemplator egregius. 80
Eraſmus Roterodamus. 58. 72
Eſchius, *Nicolaus*. Solide pius. 6. 65. 66
l'Eſprit de S. Paul.
* Evagrius. Origenis diſcip. Capita monachica &c. illum. 76
* P. Evangeliſta, *Joan*. illuminatus. methodicus, facilis. 7
Le P. Eudes. Roiaume de J. C. dans les ames.
Everhard, Joannes. Angl. & Belg. practicus egregius.

F.

Fatius, *Julius*, de Mortificatione.
Fenelon, *Franc. de Salignac. Archiep. Camerac.* 36
de Fermo, *Seraphim*. illuminatus. internus.
Fons Jacob.
P. de Fonte, *Michael*. Tres hominis viæ. laudat eum Rojas.
Franciſca de los Rios. *puella, interpres Hiſpana* Angelæ de Fulginio. 30
* S. Franciſcus, Aſſiſias. Theodidactus. mortificationis ac ſanctitatis conſummatæ ſpeculum. 32
a S. Franciſco, *Alexander*.
S. Franciſcus Borgia. Vita prodit illuminatum hominem.
Franciſcus Georgius Venetus. Cabaliſta egregius. Franciſcanus. 47
S. Franciſcus de Paula. Minimorum Parens. Charitatis amans.
* S. Franciſcus Saleſius. illuminatus, tener, facilis. 78
S. Franciſcus Xaverius. S. J. Epiſtolæ. item.
Franck, Sebaſtianus, Germ. Belg. Pius & Doctus Auctor.
Franckenbergius, *Abraham*. J. Bœm diſcipulus inſignis & nobilis. 46. 47
Fromundus, *Libertus*. 7
Fuhrman / *Auguſtinus. Germ.*

G.

Gagliardi, *Achilles*. Vid. *perfectio Chr.* 16
Gaudier, *Antonius*. de Præſentia Dei.
* Gelenius, *Victor*. Doctus Syſtematicus Myſt. 15
Georgius, *David*. illum. 59. 60
* Gerlacus Peterſen. Soliloquia. *Lat. Belg. Gall.* illuminatus. alter Kempiſius. tranquill. 67

Gerrits,

Digitized by Google

Gerrits, *Henricus.* Illumin. crucis commendator. 34
Gerſon, *Joannes.* raro occurrit.
* S. Gertrudis. Illuminata, Angelica, tenera. 21
* Gertrudis More. Illuminata, Solidiſſima, humillima, fervens, reſignatiſſima, clara, facilis, utiliſſima. 22
Geeſtelijke Geſangen / of / Blyde Requiem &c. *Belg.* illumin. totus Myſticus & intern. inſignis.
Von den ſieben Geiſtern oder Kräfften des Geiſtes Gottes. *Germ.*
Geiſtliche Schöpfung. *Germ.*
le P. Giry, Vies des Grands Serviteurs de Dieu. magni fit.
Godefridi, *Petrus.* Varia.
Golius, *Joan.* interpres Gallic. Dionyſii. 63
Van Gorcum / Jan. Geeſtelijke Bruyloft. Belg. Solidus, realis. Scripturis SS. adhærens.
Granatenſis, *Ludovicus*, *Hiſp. Lat. Gall.* &c. Moralis plerumque & practicus.
Gratianus, *Hieronymus.* Theol. Myſtica. *Hiſp. Gall.*
S. Gregorius Magnus.
S. Gregorius Turonenſis. Opera pia. II. Voll. Hiſtoricus pius.
* Guilloreus, *P. Franciſcus.* Solidus & doctus in Myſticis. 82
Gulielmus Abbas, & Guigo Carthuſianus. Meditat. &c. Antuerp. 1589.
* Mad. Gujonia. 79. 100.

H.

Haſten, *Benedictus.* Schola Cordis. & Regia via Crucis. Ant. 1685. *Item* Venatio Sacra, ſive de arte quærendi Deum.
de Hampoole, *Richardus.* Opera Col. 1536.
ab Hanſwyck, *Florentinus.* de modo divinæ præſentiæ.
Harmonia Mundi. 47
* Harphius, *Henricus.* illuminatus, ſublimis. 8
le P. Hayneuve, Jeſ.
Helmontius, *Joan. Bapt.* (huic multa in natura, medicina, divinitus oſtenſa fuere, & in divinis interdum. pius, mitis & humilis animi. 47
-- *Fr. Mercurius.* ibid.
Van Hemert / *Antonius.* vertit e Germanico in Latinum, Speculum perfectionis, egregium Theol. Myſticæ compendium. Ant. 1647. & nuper Belgice. Amſtelod. 1699.
* Herberts, *Hermannus.* illumin. ſolid. method. 61
Herſentius, *Carolus.* interpres Theol. Myſticæ Dionyſii optimus. 63

Digitized by Google

* Hermas. Apoſtolicus. 38. 40
Heſychius. Excellens Allegoricus in Levitic. 58
* Hiel. Theodidactus. totus internus. 51. 96
S. Hieronymus. 77
* S. Hildegardis. Theodidacta. 39. 96
* *Hilton, Walter*, Scala Perfectionis. *Angl.* Lond. 1659. illum.
Hiſtoire du tiers Ordre de S. François d'Aſſiſe. à Lyon 1694. in 4.
Hiſtoire Generale des Carmes dechauſſés.
Hoburg, *Chriſtianus.* 60
Hooghwaerts / Anneke / Belg. varia egregia.
Honorius Seynenſis, Specimen Perf. Chriſtianæ in triplici ſtatu. 12. Pariſ.
Horſtius, *Iacobus Merlo.* pietatis ſingularis. 78
Hoyward / Jan / Heyligdom der benauder Sielen. Belg.
Hugo, Hermannus. Emblematicus myſt.
Hugo de Palma. 46
Hugo Victorinus (vel a S. Victore) Oper. Rothom. 1648. illum.
Huygens, Gulielmus. Epiſt. Chriſtianæ. *Belg. & Gall.* ſolid. practicus. humilis. Lovan. 1686. &c.

I.

à S. Jacobo, *Fabianus.*
* *A Ieſu*, Jacobus. 11. 36
— *Thomas.* 13
A Jeſu-Maria, *Dominicus.*
-- *Emanuel.*
-- Joannes. 12
-- *Joſephus.*
-- Nicolaus. 11. 36
S. Ignatius, Antiochenus. Apoſtolic. ſublimis amore Dei, humilitate profundus. 28
S. Ignatius, de Loyola. Exercitia pia, aſcetic.
Inſtructiones de via perfectionis.
Inſtitutiones ſpirituales cujuſdam Ancillæ Dei, anonym. Colon. 1660. ex Italico. illumin. Aſceticæ.
Joachimus Abbas.
P. Joan-Evangeliſta. *vide* Evangeliſta.
* Joanna de Cambry. *vide* Cambry.
Joannes Moſcus. Auctor Paradiſi in Vitis PP. 77
Jordanus, *Raimondus Idiota.* (Opera ejus Pariſiis in 4. 1654.) pius, fervidus amore. 24
* *Juliana*, Matris Anachoretæ, Revelationes de amore Dei. *Anglice.* Theodidactæ, profundæ, ecſtaticæ.
* à S. Jure, Soc. J. P. *Joan. Bapt.* illum. ſolidiſs. inſignis Chriſti commendator in egregio opere, *de la connoiſſance & de l'Amour du Fils de Dieu.* Paris 1688. 77
S. Juſtiniani, *Laurentius, Patriarc. Ven.* ill. Oper. fol. Lugd. 1568

ffff a Kem-

Digitized by Google

K.

a Kempis, *Thomas* (cujus omnia Opera, Col. 1680.) ejus Imitatio Chriſti, manuale Chriſtianorum. 67. 100

Keym, *Paulus*. J. Boëm diſcip. egregius. 47

Knip-hauſen, Guillaume Comte de. Entretiens ſolitaires de l'ame avec Dieu.

L.

Lacman, Jean. Penſees Chrétiennes.

Lallemand, *vide* l'Allemand, *ſub A.*

Lancicius, *Nicolaus*. Opera ejus, fol. II. Voll. Ant. 1650.

Ejuſdem Meditat. Spiritual. Herbipoli 1694. *Germ.*

le P. de Langle, Conduite ſpirituelle.

* Lansbergius, *Joan-Juſtus*. pietatis ſolidæ formator inſignis, illum. 72

* Leada, Joanna. illuminatiſſima, in arcanis divinis Theodidacta. 41. 49. 58

* Laſſot, *Joannes*. Collectio Epiſtolarum Spiritualium optimarum. 82

* Latiniacus, *Paulus*. Canones Amoris Divini. ſolidi.

Laurentius Juſtiniani. Illumin. Oper. fol. Lugd.

* Laurentius de Reſurrectione. illuminatus a Deo. ſimplex. Contemplator perpetuus. 80. 81. 100

Lautenſack / *Paulus*. Germ.

Ludovicus Legionenſis.

Ludovicus Pariſienſis. Palatium Amoris Divini.

Lullius, *Raimondus*. Amicus & Amatus, libellus aphoriſticus, ſolidus, ſublimis.

Lutzvic, *Stephanus*. Cor Deo devotum.

Luſthof des Gemoeds. Belg.

M.

* S. Macarius, Ægyptius. Theodidactus, ſolidus. 63

Madrilienſis, *Alphonſus*. ſolidus. pract. 69

a S. Magdalena, *Maximinus*.

Maillard, *Jean*. S. J. Interpres Gall. Jo. a Cruce. 11

Scripſit &, *La direction des ames qui aſpirent dans le monde à la perfection. in* 12. Paris 1702. liber laudatus.

Item. *La vie de Marie Bon, de l'incarnation.*

* Malavallius, *Franciſcus*. 67. 80

du Mans, Martial, Pratique de l'année ſainte.

Marcus Eremita.

* Margarita Evangelica. illuminatæ. 64. 65

a S. Maria, *Petrus Thomas*.

Le P. Marie. Sainte Solitude.

* Maria Henrici. illuminata. brevis, ſolid. 18

S. Ma-

S. Maria Magdal. de Pazzi. ecſtatica. 34
des Martyrs. *Barthelemy*, *de la vie ſpirituelle*. laudatur valde.
Maſſutius, *Thomas*. de Cœleſti converſatione.
Matthæi, *Joannes*. (Zimmermannus) J. Bœmii Apologiſta doctiſſimus, egregius. 46
a Matre Dei, *Alphonſus*.
— *Hieronymus*.
S. Maximus. (Oper. Pariſ. 1675.) 63
* S. Mechtildis. Illuminata. 39. 96
Sa pratique de Devotion in 12. à Paris.
Meditationes de doloribus Chriſti mentalibus. 34. 68
Mercurius Triſmegiſtus. 47
* Methodus converſandi cum Deo. libellus facilis, optimus. 81
Methodus Orationis. internus auctor. 79
Molinos, *Michael*. 80
Monelia, *Antonius*. in Theol. Myſticam S. Dionyſii.
Montanus, *Arias*. laudat Hielem. 57
Montanus, *Guillaume*, *Pratique des bonnes intentions*.
Mora, *Gertrudis*, illuminata, pietatis incomparab. 22
Morus, *Henricus*, J. Bœmii Amator. 46
Moſcus, *Joannes*, in vitis Patrum, egregius. 77

N.

Nierembergius, *Joan. Euſebius*. Doctrina Aſcetica, ſive Inſtitut. ſpiritual. pandectæ. Col. 1696. Vita Divina, ſive, Via Regia ad perfectionem. Ant. 1644.
S. Nilus. de Oratione. Admonitiones, Epiſtolæ Gr. Lat. opuſc. &c. cum notis Suareſii, Allatii, &c. Romæ 1673. 2 voll. Item Pariſ. 1639. illum. Aſceticus.
S. Norbertus. Sermones. Prag. 1676.
a S. Norberto, *Hermannus*. Cibus ſolidus perfectorum. Ant. 1670.
Nouëtus, *Jacobus*. bonus Orationis commendator & ſcriptor. 79

O.

Occultus cordis homo. Lib. Germ. Belg. laudatur. 46
* Olerius (Olier) *Jacobus*. Catechiſmus Chr. ſolidiſs. practicus & dogmat. 82
Et alia, *Gall*.
a S. Onuphrio, Berhardus.
Origenes. illuminatus a Deo. 58
de Oroſco, *Alphonſus*, Solide pius, tener, humilis, doctus. 24

Ejuſdem Certamen bonum. Lovan. 1645.
Oſunæ. Abecedarius. a Roja laudatus.
Van Outriven / Jooſt. Sterre Jacobs. Belg. ill.

P.

Pachymeres, *Georgius*. 63
Palafox, *Joannes de*. 20. 72
Palavicinus. Arx Chriſtianæ Perfectionis. 12. Mogunt.
* Palladius. Optimus & Autoptes Hiſtoricus vit. Patrum in deſertis. 77
Palma, *Blaſius*. Theſaurus indeficiens, ſive actus interni virtutum. 24 Lubl. 1646.
De Palma, *Hugo*. 46
Ludovicus.
Paracelſus, *Theophraſtus* &c. Arcanis in Medicina & natura clarus. 48. 49
Patres Apoſtolici. 40
a S. Paulo, *Simon*.
Peerle der Godbelijker/en Menſlijker Vertrooſting. Belg.
* de Perfectione Chriſtiana. illum. meth. brevis. 16
Peterſen, *Gerlacus*, *vid*. Gerl.
* Petrucci, *Pietro Matth. Card*. Contemplator laudatiſſimus. 81
S. Petrus de Alcantara. vid. *Alcant*. 78
Philadelphus, *Deſiderius*. 47
Piny, *Alexander*.
Poirters / Adriaen / Belg.
Poiret, *Petrus*. Oeconomia Divina. 86
De Eruditione. &c.
Polck, *Jean*. *le threſor caché au champ de l'Evangile*. *Belg*, *Germ*. *Gall*. Brux. 1673. ſolidus & pract.
S. Polycarpus. Vir Apoſtolicus. 78
a Ponte, *Ludovicus*, Meditat. ſolidæ. 34
-- de Perfect. Chriſtiana. Lat. Col. 1625. & Gall. Pariſ. 1665.
-- *Guide ſpirituelle*. &c.
-- In Canticum Canticorum. fol. Colon. 1623.
Pordagius, *Joannes*. illuminatiſſimus. Arcanorum plenus. 49. 58
Poſſinus, Petrus. Collector Theſauri Aſcetici. Editor operum S. Nili. 63
Poſtellus, *Gulielmus*. A Frankebergio ſumme laudatur. Cabaliſta. 47
Pritius, J. G. Noviſſimus Editor Macarii. 63

Q.

Quarré, *Hugues*, *Threſor ſpirituel*. Solidiſs. & pract.
------ *Direction ſpirituelle pour les ames que Dieu inſpire*. 8vo. Paris. 1654.

Raimon-

R.

Raimondus Jordanus, Idiota dictus. intime pius & divino amore plenus. 24

Regle de S. Auguſtin expliquée par Hugues de S. Victor. Paris. 1690.

Relations de la mort de quelques Religieux de la Trappe. 75

* de Reſurrectione, vide *Laurentius.* 80. 81. 100

Rho, *Joannes*, Hiſtoria Virtutum.

Ricci, Barthelemy, Art de Mediter.

Richteri, *Gregor.* Filius, ſcribit contra Patrem pro J. Bœmio. 46

*Rigoleucus, *Joannes.* ſolidus & illum. 79

S. Roberti, Revelationes. 40

* Rodriguez, *Alphonſus.* ſolidiſſimus pract. 73

Roeks / Geeſtelijke Steen. Belg.

Rojas, *Antonius.* (laudatur a M. de Bernieres.) 80

--- Tres hominis viæ.

Roſſet, Marie. Lettre circulaire ſur ſa mort.

Roſſignol, *Bernhardinus.* de Perfectione.

Roſweydus, *Heribertus.* Edit. Vit. Patrum. 62. 74

Rous, *Franciſcus.* Interiora Regni Dei. Myſtices commendator Anglus.

*Ruffinus. Hiſtoricus optimus & autoptes vitarum ſanctorum PP. in deſertis Ægypti. 77

Ruinard, *Theodoricus.* Acta Martyrum ſincera & ſelecta. 28. 57

Rupertus Lincolnenſis, in Theol. Myſtic. S. Dionyſii Areop.

* Rusbrochius, Joannes. Theodidactus. ſolidus, profundus, Myſticus primarius. 6. 58. 100

* *Ruſſaliere*, Jean de la, *Avis ſpirituels. Paris* 1668. 1698.

------ *ejuſdem floſculi Patrum* 12. 5 *voll.* Paris 1670. *laudatus Auctor.*

S.

Saintes Elevations.

* de Salo, *Alexis.* Solidus & practic. 71

Ejuſdem Ars pie amandi Deum. Col. 1630.

Saluccius, *Bartholomæus.* Lux animæ.

Paradiſus Contemplativorum. Schola Divini Amoris.

* a S. Samſone, *Joannes.* Theodidact. Aquila inter Myſticos. 28. 81

Sandæus, *Maximilianus.* Syſtematicus, doctus. 36. 58

Savonarola, *Hieronymus.* illum. cor-

corruptionis Chriſtianorum reprehenſor inſignis. 39. 87
de Saugere, *Joan.* de Amore Dei, *Belg.*
du Sault, *Nicolaus.* de Fiducia in Deum.
de Schonhovia, *Joannes.*
Schorer, *Chriſtophorus.* Theol. Aſcetica.
Sclei, *Bartholomaeus.* 47
Scotus Erigena, *Joannes.* 47
* Scupoli (vel Scupuli) *Laurentius.* ſolidus, pract. method. brevis. 47. 68. 100
Sentimens de la vie interieure pour ſe recueillir en Dieu. 12. *à Liege* 1690.
Seynenſis, *Honorius.* Specimen perfectionis Chriſtianæ in triplici ſtatu. Pariſ. 12.
Simplicius, *Felix.* Theologia Spiritualis fundamentalis. Dantiſci 1687.
Speculum Perfectionis. Germ. Lat. Antuerp. 1547. Belgice Amſtelod. 1699. Egregius Myſt.-practicus.
Sperberus, *Julius.* laudatur inter Cabaliſt. 47
a Spiritu Sancto, *Antonius*, Directorium Myſticum.
-- *Joſephus.* Enucleatio Theol. Myſticæ S. Dionyſii.
Stella, *Jacobus.* ſolide practicus. 72
Idem de Amore Dei.
Suares, *Franciſcus*, de Oratione.
Sulpitius Severus. Egregie ſcripſit de virtutibus Monachorum Orientalium & Vitam S. Martini. 77
Suquet, *Antonius.*
* Surin, *Joan. Joſeph.* excellentiſſimus, ſolid. pract. illumin. doctus, humilis, afficiens. 82
* Suſo, *Henricus.* illuminatus & Theod. 34

T.

* Taulerus, *Ioannes.* illuminatiſſimus. 4. 91
* Theologia Amoris. 25. 93. 100
* Theologia Cordis. 16. 79. 81. 100
* Theologia Crucis Chriſti. 29. 94. 100
* Theologia Germanica, ſeu realis. Auctor vere illuminatus, brevis, radicalis. 70. 100
* Theomilus, *Hilarius.* Ejus *Continua* Animi lætitia. liber ſolidus, internus, facilis, ſuccinctus, methodicus. 67. 81
* S. Tereſia. Theodidacta, afficiens, inflammans. 19. 93. 100
à S. Tereſia, *Ludovicus.*
* Theodoritus. Hiſtoricus autoptes Vitarum SS. Patrum deſertorum Paleſtinæ egregius. 77
Theſaurus animæ Chriſtianæ. ill. & pract. 72
de la Trappe, l'Abbé. Sainteté de la vie Monaſtique. Interpres Doro-

rothei.... 76

à S. Trinitate, *Dominicus.*

-- *Philippus.* Summa Theol. Myſticæ.

Triſmegiſtus, *Mercurius.* 47

V.

La Valiere, Reflexions ſur la Miſericorde de Dieu. ſolidæ pietatis.

Le P. Ubi, Pratique de l'Amour de Dieu ſelon les 3 Etats de la vie ſpirituelle. Auctor hic in Myſticis ac divinis expertus erat, ac Director admirabilis *Armellæ Nicolae.*

De Verborgen Mens des Hertens. internus. 46

Vernacia, *Baptiſta,* Veneta. Opera ejus Tomis IV. (forte eadem quæ B. Cremenſis, *vide* B.)

a S. Victore, *Hugo.* vid. Hugo. ill.

-- *Richardus.* Opera. in 4. Col. 1621. fol. Rothom. 1650.

Vies des Grands Serviteurs de Dieu, par le R. P. Giry. Maximi fit, ſed rarus eſt.

Viexmontius, *Claudius,* de Pœnitentia.

S. Vincentius Ferrerius.

* Vita interior. illumin. Virginis. 79

* Vitæ Patrum. ex optimis poſt Scripturas SS. 74. 77. 100

* Vitæ Sanctorum, per Bollandum &c. per Surium & Lypomannum &c. & hic diviniſſima continet.

la Vie des Vierges.

Vies des Saints, de divers Autheurs & Ordres.

VITÆ virorum & fœminarum ſpeciales & notabiliores.

-- *d'Agnes d'Auvergne de l'Annonciade celeſte.* 4. à Paris.

-- Aloïſii Gonzagæ.

--* Angelæ de Fulginio. 29

-- *de M. l'Anglois.*

-- *d'Anne de Ieſus-Crucifié, Religieuſe du Calvaire.*

-- *d'Armelle Nicolas.* (Theodidactæ.) à Paris 1683. 28

--* Balthaſaris Alvarez, per Ludov. de Ponte. Antuer. 1670.

-- *du P. Bardon.*

-- *de Barthelemy des Martyrs.*

--* *de S. Baſile,* par Mr. Hermant.

-- *du P. Bernard,* Claude, par Mr. le Gauffre.

-- *du P. Bernard,* Pierre. Jeſuite.

-- Bernardi Colnagii.

-- *Berchmanni Ioannis.* Belg. S. J.

-- Bernhard von Corlion. Germ.

-- *de Mr. Bourdoiſe.*

--* *de Mlle Bourignon.* 86. 99

-- *de Canfeld.* 36

--* S. Catharinæ Genuenſis. 27

-- Catharinæ de Raconis, per Fr. Picum, Mirandulæ Comitem.

--* S. Catharinæ Senenſis, per P. Raimondum. 23

-- *de la Baronne de Chantal.* 77

de

VITÆ

-- *de S. Charles Borromée*, par Mr. Godeau.
-- *de Mr. de Chaſteuil.*
-- Claræ Franciſcæ van Antw. Belg. & Germ. Colon. 1685.
-- *de Claire Françoiſe de Cuſance.*
-- S. Claræ de Monte-falco.
-- *de Claude le Sergeant, Minime.*
-- *du P. de Condren.*
-- Conſalvi Sylvereriæ.
-- *de Mlle de Dampieres.*
--* *d'Eliſabet de l'Enfant Jeſus.* ſolidiſſima, interna. 77
--* Sti. Euthymii. admirabilis. 74
-- *de Mr. Favre.*
-- S. Franciſci Aſſiſiatis, per S. Bonavent.
-- *de S. François de Borgia, par le P. Verjus.*
-- *du P. François de Saintpé, Pretre de l'Orat.*
-- *de Françoiſe Claire de S. Lievin, ſa Vie & ſa Doctrine.* à Liege. 1696.
-- *de Françoiſe Fournier.*
-- *de Françoiſe Lopez.*
-- Franciſcæ Pontianæ Leben / *Germanice.*
-- *du P. Fournier,* Pierre.
-- *de Mr. Galleman. Superieur des Carmelites a Dijon.*
--* S. Gertrudis. Divina. 21
-- Gonzagæ, Aloïſii.
-- *de S. Gregoire de Nazianze, par Mr. Hermant.*
--* Gregorii Lopez, Hiſp. Gall.

VITÆ

Angl. &c. Magni Contemplatoris.
-- *de Mad. Helyot.*
-- *de S. Jean Capiſtrant & de S. Paſcal Bailon.*
--* *du B. Jean de la Croix.* 11
-- *du P. Jean Chriſoſtome, Religieux penitent.*
-- *de Jean de Jeſus-Chriſt, de l'ordre de la Mercy.*
--* *de Jeanne de Cambry.* 83
-- *Jeanne de J. Chriſt, de l'ordre de la Mercy.*
--* Joannæ a Jeſu-Maria.
-- *de S. Ignace de Loyola, par le P. Bouhours.*
-- *de S. Louïs, par l'Abbé de la Chaize.*
-- *du P. Louïs Lallemand, ſa Vie & ſa Doctrine.*
-- *Vie & conduite ſpirituelle de la Demlle. Madeleine Vigneron, ſuivant les memoires qu'elle en a laiſſés. a Roüen* 1679.
-- *de Magdeleine de S. Joſeph, Carmelite.*
-- *de Ste. Marguerite de Cortone, ſa parfaite penitence: par le P. J. M. de Vernon.*
-- Margaretha von Creutz. German.
--* *de Marguerite du S. Sacrement (par le P. Amelotte.)* Venerationis Infantiæ Jeſu Chriſti inſtauratricis ſingularis, tota ſtupenda.
-- *de Marie de Ste Barbe, Urſu-*

Digitized by Google

VITÆ
line de Pontivi.
-- *de Marie Bon, de l'Incarnation, Urſuline.* par le P. J. Maillard.
-- *de Marie Eliſabet de la Croix de Jeſus.*
-- * Mariæ (ſeu Marinæ) de Eſcobar. per Ludov. de Ponte.
-- * *de Marie de l'Incarnation, Carmelite & I.re Superieure des Urſulines en la Nouvelle France: auparavant nommée Mademoiſelle Acarie.* impenſe laudatur.
-- *de Marie Laurence le Long,* par Paul de Lagni.
-- S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi. (Latin. in 4to. Francof. 1670.) 34
-- *de Marie d'Oignies.*
-- *de la B. Marie Raggi.*
-- *de la M. Marie Roſette.*
-- *de Marie de Valence.*
-- Mariæ Velæ.
-- Mucii. 74
-- Von Bruder Niclaus. German.
-- * *de Mr. le Nobletz.* à Paris. 1666.
-- S. Norberti. Antuerp. 1656.
-- *de Mr. Olier* (Jaques)
-- *de S. Philippe de Neri.*
-- *de S. Pierre d'Alcantara, avec ſon Traité de l'Oraiſon & ſes Meditat.* Paris. 78
-- * *de Mr. Queriolet*, Nobilis Britanni. Ejus vita & converſio a ſummo gradu nequitiæ induratæ ad ſummum gradum mortificationis incredibilis & ſanctitatis vitæ admirabilis, ſtupenda eſt.
-- *du P. Quintin*, Pierre. *Dominic.*
-- *de Mr. Renard.*
-- * *de Mr. de Renty.* Splendidum hic Galliæ Sidus. 77
-- *du P. Rigoleuc.* 79
-- *de Mr. Rouſſier.*
-- * S. Sabæ. 74
-- de Santena, *Comitis.* 74
-- *du P. Seurin, par H. M. Bondon.*
-- Fr. Solano.
-- Staniſlaï Kotskæ.
-- * Suſonis. 34
-- * S. Syncleticæ. 74
-- * S. Tereſiæ. 19
-- *de la Trape, Vie & Mort de quelques Religieux.* 75
-- * *de Vincent de Paul, par l'Evêque de Rodez.* à Paris. 1697.
-- *des premieres Meres de la Viſitation, en IV. Voll.*
-- *d'Umiliana de Cerchi. Lat. Gall. Ital. Germ. Belg. Pol. Hiſp. Portug.*
-- * *de Wernerus N. ou le S. Refugié.* 77
du P. Yvan.
* Vitis S. Franciſci. *Lat. Belg.* hic

hic inſunt, circa finem, vitæ duodecim priorum diſcipulorum S. Franciſci admirabiles & divinæ.

W.

Weigeſius, *Valentinus*. multis inviſus gratis. 47

Werdenhagen. *Joannes Angelius*. 46. 60

* Weyerus, *Matthæus*. illuminatus. 17

Wicht / *Sara*. *Angl. Belg.* puella Conſolatrix inſignis deſolatorum.

Wilkenſon, *Robert*.

X.

Xaverius, *S. Franciſcus*. Epiſtolæ.

Z.

* Zachmorter, *Michael*. methodicus, facilis, ſolid. 34. 78. 81

Zimmerman. *vid.* Matthæi. 46.

FINIS.

PRIN-

Digitized by Google

PRINCIPIORUM THEOLOGIÆ SOLIDÆ AC INTERIORIS DEFENSIO,

Tum in EPISTOLA ad Auctorem Bibliothecæ Univerſalis, *denuo recuſa*,

Tum in RESPONSIONE ad ea quæ non ita pridem PARRHASIUS hac de re illi oppoſuit.

gggg 2

Digitized by Google

Digitized by Google

De Epistola *&* Considerationibus *ſequentibus. &c.*

Editioni primæ Librorum *de Eruditione* Appendicem *Apologeticam* quinque membris conſtantem appoſueram ea potiſſimum de cauſa, ut monerentur & rogarentur Lectores ne aliorum, præſertim verò adverſariorum relationibus circa meas opiniones facile fidem haberent, ſiquidem non pauci quibus veritates a me propoſitæ ſunt inviſæ, vel qui putant ſe per illas impeti, ut Lectores ab iis legendis deterreant odioſam eis vel ridiculam ſpeciem conciliando, conſueverint eaſdem non male tantum ac prave referre; ſed etiam contrarias ac omnino a meis alienas mihi ſæpius imputare. Cui verò querelæ ac monito ibidem per aliquot exempla fidem feceram, quæ licet neutiquam revocem, non tamen neceſſe duco uti hic denuo eadem oſtendam, ratus ad Lectorum cautionem ſufficere id quod modo expoſui ac conteſtatus ſum. Aſt oportet me hinc excipere membrum memoratæ *Appendicis apologeticæ* quintum, in quo mihi res eſt cum adverſario qui non mea tantum iſtis modis pervertit non ſemel & expoſuit, ſed & cui ea in re ſcopus præcipuus fuit *Principia ſolida* ac vere Chriſtianæ *Theologiæ* de Gratia ac Operatione Dei *interiora* noſtra illuminante atque præparante & inſtaurante impetere, idque non in libris ſolummodo meis, ſed & in Sanctiſſimorum Antiquitatis *Patrum*, & in diviniorum *Myſticorum Scriptis* licet ipſi omnino ignotis. Quibus vero defendendis, ut & tuendo ſalutari illi Gratiæ Divinæ *intus operantis principio*, cum membrum illud Appendicis quintum, *Epiſtolam ad Auctorem Bibliothecæ Univerſalis* complectens, ſit deſtinatum, æquum erat, poſtquam ſupra de *Theologia interiori ac Myſtica*, ſolo Gratiæ intus operantis *principio* innixa, deque hujus *Scriptoribus*, inter quos nec pauci SS. *Patrum*, egimus, ut idem hîc ſuum, non ſecus ac horum omnium Defensio, ſortiretur locum. Cui verò cum nonnemo, qui ſe *Parrhaſium* dixit, voluiſſet in ſuis *Parrhaſianis* nonnihil obloqui, ſumſimus inde occaſionem, prætermiſſis ejus contumeliis, eandem Defensionem *Principiorum ſolidæ ac interioris* veræque Chriſtianæ *Theologiæ* proſequendi longius, tum *Theologiæ* ſimul *Pelagianæ* atque *Criticæ* vanitatem demonſtrandi in

in *Conſiderationibus* tam *generalibus* quam *ſpecialibus* quas poſt *Epiſtolam* ejuſque *Cenſuram* ſubjungemus.

Ad Epiſtolam ipſam quod attinet, eandem, ne longior aut confuſior viſa, tædio ſit lectori, diſtinxi in Sectiones novem, in quarum ſingulis hæc præcipua ſpectari poterunt.

In *prima*, cauſæ & materia Epiſtolæ in genere.

In *ſecunda*, Dominum Clericum non ideo ullis aut mihi poſtponi, quod poſtquam ille me ſuæ cenſuræ ſubjecit, nonnulli ejus viciſſim recenſendi ſint defectus, ea potiſſimum ex parte quæ Pelagianiſmum reſpicit.

In *tertia*, generaliora quædam, in ſcriptis D. Cl. conſideranda, tum quantum ad dogmata Pelagiana aliaque ejus generis, quorum defendendorum gratia quibuſvis ea improbantibus infenſus eſt; tum quod ad modos attinet quibus Criſin ſuam in eos exercet quibus adverſatur: interſerto & hic inſigni aliquo ejus errato ſpeciali.

In *quarta*, Generaliora ſphalmata D. Cl. in Relatione ſua de Oeconomia mea Divina, ei inviſa, quod principia divinæ *Gratiæ intus operantis* ſtabiliendo, & *Myſticos* auctores ea de cauſa commendando, repugnet principiis Pelagianiſmi & Socinianiſmi.

In *quinta*, Specialiora ſphalmata ejuſdem in eadem de Oeconomia Divina Relatione, ſimilibus in argumentis.

In *ſexta*, de articulo quodam Præfationis Tomi V. Bibliothecæ Univerſalis, & de convicio quodam in Tomo ſequenti, ob aſſertam Dei contra Pelagianos gratioſam illuminationem.

In *ſeptima*, quantum fidei Domini Cl. Relationibus de quibuſvis libris, iis præſertim qui opinionibus Pelagianis & Socinianis adverſantur, ſit habendum, aliquot exemplis oſtenditur.

In *octava*, de ejus in ſanctiores Eccleſiæ Patres, præſertim in S. Auguſtinum invectionum perpetuarum ſimilibus cauſis, fide & æquitate, nec non de ejuſdem deriſorio genio agitur.

In *nona* denique, plura eſſe in ejus ſcriptis & propoſitis circa hanc ipſam materiam irridenda & carpenda, quam quæ in aliis ipſe irriſit & carpſit; ſed optandum alia & Chriſtianis magis digna methodo dedoceri errores.

AU-

Digitized by Google

AUCTORI
BIBLIOTHECÆ UNIVERSALIS

Critico Singulari,

PETRUS POIRET

S. D.

§. I.

De cauſis & materia hujus Epiſtolæ.

DOMINE,

INtempeſtiva dubio procul videbitur tibi hæcce mea ad te Epiſtola de negotio ob quod vel nunquam, vel alioqui jamdudum interpellandus eras. Diſces hinc primo, me ea, quæ verbis aut ſcriptis paſſim contra me expromere haud veritus es, & adhuc neglexiſſe, & præterea neglecturum quoque poſthac fuiſſe, niſi forte nunc quicquam prælo commiſiſſem ſimillimi argumenti cum eis, quæ mihi tecum interceſſerant, quando tu quidem in *Bibliotheca* tuæ *Univerſalis Tomo V.* de Oeconomiæ meæ Divinæ tractatibus Relationem tuo modo inſtituiſti; ego vero ei Relationi, revera in non paucis fallaci, oppoſui Relationem aliam in *Novellis Reip. literariæ* anni 1687 menſibus Junio & Julio publicatam. Namque occaſione argumenti, quod modo præceſſit, circa ſenſus quoſdam a meis alienos mihi a pluribus perperam attributos, ſubiit memoriam, veluti exemplum eorum de quibus tractabam, tua illa mecum agendi ratio: quam non tantum in libri tui editione prima publicam feciſti, ſed & eandem (etſi Relatione mea aliter ſumma cum moderatione monitus) deinceps renovas verbis ſimulac de me loquendi tibi naſcitur occaſio; imo etiam in libro tuo aliquoties voluiſti repetere tum in aliquot novis ejus locis, tum ubi accidit priora tua ſine emendatione eorum quæ me reſpiciunt, denuo recudi. Quapropter

pter non ægre feres ſi, ad impediendum ne in poſterum alii te auctore credant cogitata & ſcripta mea eſſe alia quàm revera ſunt, tibi hic ea coram propoſuero, quæ ad hoc efficiendum idonea mihi videantur. Et certe alii, vel ſine exceptione, omnes, (quia hîc non quæretur an meæ opiniones tuis veriores ſint necne, ſed tantum quænam eæ ſint ipſo facto,) facilius credent, mea cogitata, meorumque verborum ſenſa, mihi magis eſſe quam tibi perſpecta: Tu vero, ſi exactioris Critici officio fungi cupis, & veritatem amas, quandoquidem de meis referre & judicare tibi viſum eſt, gratulaberis tibi de modis tua circa hæc judicia emendandi: tametſi vereor ne ob materiæ, quæ in tuis & meis ſcriptis occurrit, oppoſitionem fere omnimodam, mea tuo ſic adverſa ſint animo, ut, licet aliter conſcius, ipſa nihilominus aliis perpetuo diſſimulaturus ſis, abſurdaque eorum loco cum ſarcaſmis conſuetis deriſorie mihi imputaturus. Hoc ipſum ſane jam dudum feciſti; & monitus licet, id tamen iterare non dubitaſti: an ex animi malitia, vel ex timore ne ſcripta mea te ſincerius ea referente legentes, a ſenſis tuis, quorum fundamenta ibi convelluntur, & contraria commonſtrantur, recederent; an vero ex ignorantia, eaque pertinaciori quam ut iis quæ tuæ Relationi repoſueram, vinci potuerit, id judicandum Deo, tibi, aliiſque committo. Attamen quoniam meliora de te deque tui animi ſtatu opto, hoc ultimum potius credere malim: ac proinde ad illud removendum efficacius quam prius a me factum eſt, referenda hîc erunt nonnulla, prius a me præterita, tibi forte futura minus grata, neceſſaria tamen ut veritati ſua conſtet apud quoſvis incolumitas. Ea veras animi tui in me infenſi cauſas internas externaſque complectentur. Quæ quidem parum intereſſet publicum reſcire, ſi perſonas tantum reſpicerent: verùm ex quo in ſinceritate cordis ea ſcriptis conſignavi, quæ ſi faceremus omnes, inde & eruditiores & meliores, & Deo beatitudinique propinquiores, necnon in tempore & æternitate perfectiores nos futuros, nemini ſit dubitandum; jam non mea, ſed gloriæ Dei, utilitatiſque communis, & veritatis fructuoſæ cauſa exigit, ut & *veritati* ſatiſfaciam, reſtituendo eam qualis eſt; & *juſtitiæ*, monendo alios, ne ſi falli nolint, diſtortis deriſoriiſque tuis teſtimoniis habeant fidem; & *charitati*, pro emendatione tuâ argumenta ſufficientia proferendo. Quæ vero omnia ita proponere conabor, ut quoniam

Digitized by Google

niam non ſolum ea quæ ad me, ſed & quæ ad alios, & ad ipſamet etiam Chriſtianiſmi fundamenta pertinent, ſæpius elenchis tuis & dogmatibus oppoſitis ſoles concutere, ex dicendis poſſit iis iri obviam quæ & objicis plurimis, & male quaquaverſum diſſeminare tentas. Hoc ut tibi ac aliis omnibus utile ſit, Deum ex animo comprecor.

Chriſti Servatoris verbum eſt, *eos qui opera mala patrant, lucem odiſſe, neque ad eam accedere, ne opera ſua mala patefiant*: quod etiam de iis dicendum, qui errores malos fovent & communicant; eos nempe veritatem odiſſe, neque ad eam accedere; quin & alios ab ea arcere velle, ne errata ſua mala manifeſtentur. Quibus docemur, eos qui veritatem Relationibus falſis, calumniis, aut externis quibuſdam modis impugnant, id non ex cauſis quas ipſi obtendunt, ſed ex odio ejus occulto maximè facere; odium autem illud provenire ex tenebrarum & errorum amore, qui quidem non uni, ſed omnibus hominibus ex nativa corruptione ineſt: omnis ſiquidem homo naturaliter ſe ipſum & amet impenſe & magni æſtimet; tenebræ autem & error faveant ſuperbiæ iſti & amori proprio, quibus veritas (homines nihili & turpitudinis ſuæ convincens) eſt infenſa & exitium accelerat. Unde ſequitur primò, omnem hominem ex origine ſua corrupta & ad amorem tenebrarum errorumque, & ad veritatis odium eſſe propenſum: hinc ejus elogium in Scriptura, *Omnis homo mendax*: ſecundò, eum non poſſe inde liberari, niſi ab alio principio quam a ſe corrupto impellatur intus a tenebris ad lucem, & verò ipſe naturales grataſque propenſiones, quas ad errorem & tenebras habet, ſponte impugnet, ut amaræ veritati, eum prius deprimenti & conterenti, ſeſe, utut repugnante ſenſu, ex animo tradat: tertiò, eundem per externa non poſſe ab erroris mala via revocari, niſi ad erroris & tenebrarum internum fontem conſiderandum revocetur, quem ut melius noſcat, nec ſibi diſſimulet, ejus rivuli externi, quibus vel falſa diſſeminata ſunt vel vera impugnata, ei poterunt oſtendi. Hac tertia via erga te nunc agam, quando poſtea eos quibus ad errorum fontes poteris revocari, rivulos tangam, tum quibus errores diſſeminaſti; tum alios quibus veritates, & obiter quoque aliorum ſcripta impugnaſti: ubi & ſpecimina quædam quæ in alios & in me dediſti, deſumam, eorumque genium explorare annitar, necnon & de odio tuo Myſtico, amore

Digitized by Google

Critico, methodoque deriſoria interſerere nonnulla, vel in conclusionem reſervare. Alteram autem quam modo enarravi, viam, Deo, & tibi (libertate tua ad placitum uſuro,) relinquam.

§. II.

D. Clericum non ideo ullis nec mihi poſtponi, quod poſtquam ille me ſuæ cenſuræ ſubjecit, ejus defectus nonnulli viciſſim recenſendi ſint, potiſſimum ea ex parte quæ Pelagianiſmum reſpicit.

Sed ne tibi aſperior videatur meus procedendi modus, adhibebo & priorem viam, qua non tu ſolus, ſed & omnes iiſdem internis malis ex ortu pariter impliciti apparemus: unde cognoſces te nec ulli per me poſtponi, & multo minus odio cujuſcunque per ſequentia exponi; cum omnes, quantum quidem ex nobis æque perditi ſimus; & ille omnium ſit perditiſſimus qui vel hominum omnium ultimo, eive quem putaret talem, vellet aut faceret male, vel eidem inſultaret ipſe ſe ſtare credens, qui tamen non niſi per gratiam Dei erigi potuit, & vero a Deo, ob animi faſtum, & malevolentiam in proximum, vel ad momentum deſertus, inferiora tartari illico petiturus erit, quando interim Deus illum qui uſque adhuc in malo & tenebris jacuit, inde eripere poteſt, & luce donatum in egregium mirabilis ſuæ gloriæ inſtrumentum convertere. Quod tibi ut eveniat, ex animo, Deum non latente, optavi ſæpius & opto; ut quas ingenii dotes accepiſti naturales, nec paucas, eæ in manu & regimine Dei opus ejus divinum perficere poſſint in poſterum. Neque dubito quin, ut te in naturalibus donis mihi præpollere autumo, ſic in eis quæ gratiæ ſunt & divinioris veritatis, me infinitis paraſangis fuiſſes cautior, melior & fidelior, ſi eas gratiæ & veritatis adipiſcendæ occaſiones nactus eſſes, quas indigno mihi, & in Deum fere perpetuo rebelli, obtulit præ multis, neſcio quare, immenſa Dei benignitas. Quapropter non prius ea dicam quibus errorum tuorum fontes & rivos aliquo modo agnoſcas, quam in me eaſdem malorum origines, tuis non minores, palam agnovero.

Namque & ego, perinde atque tu & ceteri omnes, in fundo amoris proprii & ſuperbiæ natus ſum & crevi. Aucta ſunt & illa

mala

mala cùm accidiſſet ut eruditioni opera a me danda eſſet: enim vero ego & qui mecum eruditionis aut adjutores aut condiſcipuli, loco doctrinæ ſanctæ, qua nobis viles & odio digni, tanquam creaturæ quæ ex ſe nihil, impotentes, rebelles ingratæque in Creatorem eſſent, nobis appareremus, ut inde ad Sapientiam corruptiſſimi operis reformatricem diſceremus recurrere; horum, inquam, loco, operam vaniſſimis quiſquiliis ita dabamus, ut inde ſuperbia & amor proprius ingenitus creſcerent & nutrirentur: etenim propter hæc laudabamur ab iis quos tanquam pretii rerum arbitros æquiſſimos habebamus, qui cum idcirco gratum nobis animum teſtarentur, videremque me propterea etiam aliis gratum eſſe, quæcunque idealiter ſtudiis iſtis acquirebam, ea tanquam ornamenta veſteſque decoras ſuperbi amoris mei proprii, imo tanquam ipſam etiam vitam intuebar: unde iis adhærebam eo ardore, eaque pertinacia, ut illa non modo ab aliis impugnari nollem, ſed & quæcunque vel iſtis oppoſita, vel ab iiſdem diverſa erant, ipſe optaviſſem vel delere funditus, vel cùm non poſſem, ſaltem irriſionibus efficere, ut aliis eadem contemnentibus ipſa per ſe caderent. Atque ut ſuperbia mea ſibi de ſolido aliquo fundamento congratulari poſſet, exactiora literarum humaniorum, linguarum & critices ſtudia, quæ cortices, bullas & ſpumam eſſe jam videbam, non tam ob rei veritatem, quam forte ob animi faſtum aſpernabar, ut ſolidiora, Dei videlicet opera, tum corporea & phyſica, tum ſpiritalia & metaphyſica, ipſa etiam ſupranaturalia & Theologica, poſſem amplecti, e quorum acquiſita cognitione judicarem, & meum & aliorum de eruditione mea teſtimonium, caſſo non inniti fundamento. Sed quia Deus reſiſtit ſuperbis, hinc multas chimæras ideis meis ſterilibus, concupiſcentiaſque meas infirmare impotentibus, admiſcebam & coacervabam, Rationiſque corruptæ Idolo tantum non ut Deo ita adhærebam, ut in omnem inde & vanitatem & hæreſin potuiſſem labi niſi obſtitiſſet cura benigna Optimi Maximi, *qui vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Hic adimebat mihi occaſiones & phyſicorum experimentorum, mihi alias exoptatiſſimorum, & lectionis multæ, quæ jam mihi in pernicioſo quodam Curcellæi libro legendo circa corruptionis nativæ negationem incipiebat eſſe damnoſa; & verò ſanctiora Kempiſii, Theologiæ Germanicæ, Taulerique ſcripta ſubminiſtrabat;

tum a primis annis divini timoris aliquantulum intus inſtillaverat, ſervabatque, quo tangebar antè & citra omnem ratiocinationis actum, ita ut corruptæ Rationis meæ impetus eo refrenaretur, & ſincere optarem omnia quæ haberem divinæ gloriæ inſervire poſſe: quod bonæ voluntatis deſideriolum (gratiæ ejus donum,) ſequebatur nonnulla, ſed rudiſſima cognitio corruptionis, in qua Mundus atque Chriſtianiſmus hodiernus jacent omnino ſepulti. Obſervabam protinus animæ purificationem non, uti æquum eſſet, commendari ſatis in Theologia, neque hanc inniti ſatis fundamento amoris Dei & proximi. Inde diſplicere incipiebant Sectarum ſchiſmata & rixæ. Cumque omnia in concordiam redire optarem, quicquid in diverſis Sectis diſcors erat cum dogmatibus illis in quibus fueram educatus, conabar in optimam partem interpretari, & in unum, quoad fieri poterat, concordiæ gratia, reducere, ne excepta quidem Socinianorum ſecta, quam facile ad veritatem & unitatem revocari poſſe putabam unius atque alterius principii ope, veluti eſt, (*a*) 1. Deum, & quæ in Deo ſunt, eſſe humanæ menti incomprehenſibilia; & quæ de eo capiuntur tam imperfecte comprehendi, ut infinite plura in Deo ſemper ſuperſint. 2. In Deo eſſe primò quidem ejus naturam directe cogitantem; deinde cogitationis ejus luminoſam ideam atque repræſentationem ſive formam; & tertiò acquieſcentiam lætam Dei in ea. 3. Trinitatem in Deo toties laudatam hæc tria eſſe; & præterea in eadem ſupereſſe alia innumera infinitè captum noſtrum exſuperantia. 4. In Chriſto eſſe humanitatem quidem mente creata & corpore conſtantem, quæ Deus certe non eſt; ſed & eidem Divinitatem æternam modo ſtrictiore quam ulli unquam creaturæ adeſſe, quam unionem omni alia cogitabili arctiorem, ne re-conceſſa de nomine contendatur, perſonalem nominare non recuſaverint, ob quam humanitas & Divinitas in Chriſto una perſona dicantur, in qua perſona ſuperſint (ex principio primo) etiam infinita, quæ humanam mentem ſuperant, agnoſcenda. Et hæc quidem bene expoſita ſufficere putabam Soci-

(*a*) Nonnulli hæc & ſequentia de SS. Trinitate perperam voluerunt cenſuræ ſubjicere, quaſi in iis totum id quod de iſto ſubjecto ſentio, contineretur: cum tamen hìc narrem tantum quænam de hiſce tunc temporis, cum in multis adhuc tenebris eſſem, fuerint prima mea cogitata. Clariora deinde & copioſiora habui, ac propoſui plenius in meis aliis ſcriptis, necnon & infra §. V. num. 6.

Socinianis per Chriſtianum amorem redigendis in fidei nobiſcum unitatem. Verum mali eorum origo, Pelagianiſmus, latebat me. Hic enim unus eſt omnium Socinianiſmi errorum maxime capitalis & exitioſus, Pelagianiſmus, ſive propriæ, intimæ univerſæque corruptionis ſuæ negatio; necnon neceſſariæ gratiæ divinæ, omnia intrinſecus & extrinſecus purificantis, illuminantis & reſtaurantis, ſublatio: ſine quo mortifero errore ſi ipſi ad Deum, humili animo opem lumenque ſibi, ad intima uſque omnino corruptis, implorantes, recurrerent, eorum ceteri de SS. Trinitate Chriſtique perſona & ſi qui alii errores facile paulatim diſſiparentur divina luce atque opera. At vero qui ſe neque corruptos & ægros uti ſunt, agnoſcere volunt, neque opitulatione ac medela Dei interna pro omnibus facultatibus ſuis egere; quin potius Rationis miſeræ facultati actibuſque ſuis ac viribus in divinis rebus perſcrutandis & adipiſcendis toti confidunt; eos, etſi prius Orthodoxi in ceteris fuiſſent, neceſſe eſt in omnis generis exitiales hæreſes ruere, & quandoque tandem in Atheïſmum dari præcipites. uſque adeo perniciofa eſt una hæc inter omnes hæreſis capitalis, qua ſine, omnes ceteræ paulatim collabuntur; qua verò poſita, univerſæ inde certiſſime profluunt. Et fateor me, quòd corruptæ Rationi nimis adhærerem, ab eo veneni fonte non fuiſſe valde remotum, etſi id neſcirem diſtinctius. Quicquid ſit, modis & adminiculis hactenus dictis utcunque inſtructus, videbar mihi multis neque deterior, & forte melior, veritatique magis amicus, & a ſuperbia atque amore proprio defœcatior, tametſi nunquam carebam intus ſtimulo tacite me dejiciente & obſcurius condemnante, quando per medium, tibi multiſque aliis ludibrio habendum, (Virguncula ipſa erat, quam in tua Relatione non honoris ſed irriſionis gratia characteribus majuſculis indicaſti) Deo viſum eſt mihi primò quidem generalius meam omniumque univerſalem corruptionem, tenebras, errores, vanitates, plurimis luminoſis veritatibus oſtendere, quæ quidem approbante judicio non poteram non amplecti: deinde vero ſpecialius ſuperbiam meam amoremque proprium meum, (quæ in me valde minuta ex cœcitate putabam,) vividiſſime ad intima uſque ſauciare. Et ecce tunc in fundo meo exurgere advertebam repugnantiam adverſus divinam veritatem me carpentem, uti & frigidam remiſſionem ac indifferentiam, fugamque & odii adverſus eam, nec

non contemtus, & forte irriſionis etiam principia & motus. Tum verò obſtupui & horrui: meque ipſo (qui talium affectuum ac motuum adverſus id quod veritatem divinam ſciebam eſſe, prius incapacem exiſtimaveram) aliquantum ſollicitius inſpecto, expandi in magno angore animam meam coram Domino, exponens & confitens ei miſerias meas, atque diabolicas fundi mei, uſque adhuc mihi ea in re incogniti, diſpoſitiones & malitias, eumque deprecans, ut vel eas in me exterminaret; vel, ſi mala mea eſſent inſanabilia, ipſe me potius extingueret quam ut pateretur tartareas iſtiuſmodi radices fructus ſuos adverſus veritatem in gratiam meæ ſuperbiæ & amoris proprii proferre: ſatius enim eſſe me tunc unum perire, & ſolum damnari; quam ſupereſſe, & inſtrumentum fieri hoſtile diminutionis glorioſæ ejus veritatis, nec non forte damnationis plurium aliorum. Atque ab eo tempore affulſit ſpes, Dominum in bonam partem exaudiviſſe vocem deprecationum mearum: namque inde Veritatem ſuperbiæ meæ amorique proprio, nec non ornamentis & fulcris imaginariæ vanæque eruditionis, ac diſpoſitionibus propenſionibuſque aliis adverſantem, cœpi purius noſcere & diligere; tum optare & precari ut ictibus ſuis potentius interiora mea percuteret, donec inde omnis planta quam non plantavit Pater cœleſtis tandem eradicetur; tum ſimul decrevi veritatem eandem aliis quoque pro virili commendare quocunque etiam calumniarum, oppoſitionum, ac irriſionum genere ſuperbus meus amor proprius (in ſuam utique, qua opus habet, diminutionem, meumque adeo bonum,) ab hominibus impetatur, modo tantum non deſit mihi ſperata Dei gratia; ſiquidem ex eventu modò dicto, didici de me deque mea erga veritatem fidelitate non amplius ſpondere: favere intime veritati, donum eſſe gratiæ Dei: in interioribus noſtris corruptiſſimis latere principia inimicitiæ adverſus Deum, & odii contra veritatem; & præterea eos qui contra veritatem odio feruntur, non omnes id facere ſcientes atque ex malitia animi præconcepta; ſed interdum ex fundo illo nativo ſuperbiæ & amoris proprii, cœcitati noſtræ adhuc occulto, in quem totum genus humanum eſt miſere collapſum: proinde Chriſtiana commiſeratione potius quam odio errantes pleroſque eſſe excipiendos. Quæ omnia aliquantum prolixius tibi, Domine, in lenimentum futuræ reprehenſionis & in auxilium emendatio-

datio-

Digitized by Google

dationis profero, ex quibus forte pluſquam è multis contentionum aut confutationum chartis proficere poſſit quiſquis deriſorio Iſmaëlis ſpiritu tantiſper excluſo, in ſe ipſum deſcendere volet ſimili methodo ſeſe examinaturus & excuſſurus.

Quod ipſum tibi ſi tentare lubeat, tuum erit Domine, in te inſpicere ac diſpicere, annon, quamvis te in ſuperbiæ & amoris proprii elemento natum haud bene agnoſcas, idque ex communi corruptionis nativæ cœcitate, Pelagianiſmi erroribus a te aſcitis obfirmata, annon tamen huic morbo originario teſtimonia haud pauca dent primi tui, quantum memor es, anni? Annon ex tui exiſtimatione & amore proprio omnia primitus & feceris & judicaveris? Annon hiſce ſtimulis in eruditione tui egregie fueris educatus, iiſque ſæpius gratiſſime affectus? Annon ut commendabilior tibi appareres, tuiſque ſeu parentibus ſeu inſtitutoribus gratior, ea quæ ipſi æſtimavere magni, (qualia ex editis à te, video primum fuiſſe humanarum literarum, linguarum, criticeſque minutias,) ſtudioſe tibi comparaveris, iiſque ex more ſeculi, vulgaria e Ratione corrupta philoſophemata, Theologiamque qualis in tuis libris apparet, addideris, quibus veluti ornamentis indutus, jam te tibi aliiſque gratiorem, meliorem & commendabiliorem eſſe, vehementer ſis gaviſus? Iſta quando rectè animadverteris, tunc ſcias hæc ipſiſſima eſſe in te (uti in ceteris) fontem & originem omnium tenebrarum atque errorum, & principia unde impellitur animus tum ad falſa & vana quævis propalanda; tum ad contemtum veritatum vanis idoli noſtri ornamentis adverſantium, ſolidiſſimarum licet; tum etiam ad calumniam & irriſionem eorum, qui veritatem proferentes, falſas & vanas phaleras, quibus ſuperbus amor proprius ſibi aliiſque commendabilis videtur, nihil eſſe demonſtrant. Atque tuum erit deinde perpendere, annon niſi tunc Deum exores, ut potenter vividis gratiæ ſuæ ictibus amorem ſuperbum cum ſuis phaleris in te percutiat, niſique eos ictus, etſi amaros, hominemque in ruborem dantes, cum tui abnegatione & crucifixione ſenſûs tibi grati, ac exiſtimationis propriæ, humillimè excipere ſis paratus; non modo non ſis ſanandus in æternum, ſed ne quidem unquam veritatem vere ſis amaturus, ne dicam poſſeſſurus. namque alioqui Veritatem amabis, non ob ſe ipſam, ſed tantum quatenus amorem proprium & ſuperbum ornare videbitur;

bitur; unde ſequetur non eam, ſed te ipſum qua ſuperbum & corruptum, a te diligi; neque veritatem, ſed vanum & falſum ejus ſimulacrum tantum haberi; ſiquidem veritas non poſſit ſubſiſtere cum vanitate, falſitate, fumo & mendacio, quibus omnis ſuperbia abſolvitur. Et in genere non tantùm non poteſt veritas, ſed neque ulla virtus verè poſſideri antequam quis per difficilem & amaram contra ſe pugnam & ſui diſplicentiam, amorem proprium & animi ſuperbiam, (quæ vel in ipſis virtutibus tectum ſibi nidum condere vellent,) impugnaverit, eoſque debellaverit, ac omnino devicerit: quæ utinam omnibus & bene cordi eſſent, & in Ethices ſuæ principiis de acquirenda virtute, fundamenti inſtar ſubſtruerentur!

Porro nolim dubitare quin Benigniſſimus Deus, omnes homines ſalvos & veritate imbutos volens, ex adverſa parte tibi bonos motus non paucos etiam inſpiraverit, quibus & amoris & gloriæ ejus, & proximorum dilectionis atque concordiæ deſideria in te excitaverit, quorum in ſcriptis tuis aliqua comparent veſtigia, quando omnia inter Chriſtianos moderatiora & magis concordia exoptas, &, uti huc redeant, in meliorem interdum partem trahis ea de quibus diſſentiunt. Equidem ex inſtinctu amoris proprii ſolent ſeſe gloriæ Dei, concordiæ paciſque obtentu velare & illi qui inviſos publicant errores. At nolim te ex ejuſmodi mero corruptionis principio exiſtimare agentem, tametſi illud è pravo fundo modo indicato non ſemel appareat immiſtum erratis non paucis, quæ tum in dogmaticis tum in elencticis tuis hinc inde interſeruntur.

§. III.

De Generalioribus in ſcriptis D. Cl. conſiderandis, tum quantum ad dogmata Pelagiana, aliaque ejus generis, quorum defendendorum gratiâ quibuſvis ea improbantibus infenſus eſt; tum quod ad modos attinet quibus criſin ſuam in eos exercet quibus adverſatur: deque ſophiſmate quodam ejus periculoſo.

Quacunque argumentorum, hic non dicendorum, certitudine apud me perſuaſus ſim, te plurium, de quibus mentio fiet, libro-

librorum auctorem eſſe: non eos idcirco nominabo *tuos*; ſed vel ideo quod à te palam (*a*) agnoſcantur; vel etiam, quia publicâ voce eorum qui ſe hic documenta certiſſima habere & rem ipſam vidiſſe ajunt, tui dicuntur, veluti *Liberii de S. Amore Epiſtolæ Theologicæ*, quorum principia cum principiis aliorum tuorum ſcriptorum alioqui ſunt convenientia, in iiſque interdum laudata vel defenſa. Qui tuos igitur libros legerunt, annotare poterunt, te ſtyli quidem puritati magnam dare operam, ne vocis vel periodi aſperitate delicatulus aliquis lector offenſus, amori proprio laudeculam elegantis recuſet ſcriptoris. At utinam pura, ſana & ſolida materia æque tibi fuiſſet curæ! In dogmaticis namque tuis ſic deſunt veritates ſolidæ & ſalutares, ut non inſint niſi vel vanæ de critica minutiæ & de corticibus rerum obſervatiunculæ; vel errores ſummè, uti puto, noxii, dum (in Liberio præcipuè) Socinianiſmi principia, (quædam & pejora) ita proponuntur cum ſuis argumentis, exceptionibus, Scripturarum depravationibus, nec non & Methodo has explicandi ex grammatica & critica profaniſque auctoribus, negata ad hoc & ad virtutes acquirendas Spiritus S. interna operatione, ut hinc videatur hoc unum tibi maxime cordi eſſe, labantem Socinianiſmum ita fulfulcire, ut ad ſalutem perinde eſſe videatur an quis ſit Socinianus, an ſecus. In elencticis verò tuis obſervare quivis poterit, te ex profeſſo & inficiari & impugnare gratiam operationemque Dei in nobis eo uſque; ut etiam videaris (*b*) eam *chimæris* accenſere, & verò affirmare audeas, (*c*) nullum eſſe in tota Scriptura locum, ubi *gratia Dei* operationem Spiritûs S. internam in anima immediatamque ſignificet: quum tamen, etſi nomenclatura a Scripturis abeſſet, ipſa res, ſeu operatio Dei in animis interna, in nullo fere capite aſſerta non occurrat: imo etiam multis vocibus ſæpius eo ſenſu (cum ipſo quoque expreſſo nomine, ἡ δύναμις ἡ ἐνεργουμένη ἐν ἡμῖν, vel in tribus (*d*) Epiſtolæ ad Epheſios capitibus primis reperiatur. Porro obſervabit & unuſquiſque te rejicere ſenſum ſpiritualem omnium Scripturarum, & cum labe originali quæcunque Pelagianiſmo & Socinianiſmo in his aliiſque quibuſdam opponuntur. Præterea te, ubi quam plurima (*e*) de inſpirationibus Sanctorum, magis abſurda & temeraria quam cœci cujuſvis de luce & coloribus judicia velut ex alio referens protuliſti, multa etiam ex libris Scripturæ, Jobi, Pſalmorum, Proverbiorum, totum quo-

(*a*) Plures vide nunc in Parrhaſianis. pag. 353 &c.

(*b*) Entret. pag. 325.

(*c*) Ibid. pag. 345. & ſeq.

(*d*) Eph. 1: 6, 7, 8, 13, 17, 18, 19. cap. 2: 5, 6, 7, 8, 10, 22. Cap. 3: 7, 16, 17, 19, 20.

(*e*) Sentimens lett. 11, & 12.

que Eccleſiaſten, totumque Canticum Salomonis veluti Spiritu S. indigna traducere, & hoc ultimum cum cantilena Polyphemi de Galatea in Ovidianis Metamorphoſibus comparare. In perſonis vero impugnandis, te eos aſſumere, ut plurimum, adverſarios, qui opinionibus tuis erroneis, maxime verò Pelagianiſmo & Socinianiſmo, obluctantur; neque magis idcirco parcere recentioribus orthodoxis, quam ſanctioribus purioris Eccleſiæ Patribus, inprimis S. Auguſtino, cui præ ceteris propterea es infenſior. In modo autem quo dogmata perſonaſque impugnare ſoles, ſequentes videris tibi præſcripſiſſe leges. 1. Adverſarios tuos, ſi vivunt, pungere, irritare, & ad iram ita concitare, ut inde turbati, affectuumque nebulis involuti, & lumine & charitate magis deſtituantur; & vero tunc aliquid dicant aut agant inordinatius, unde tibi aliiſque deinde ludibrio eſſe poſſint, tuque eorum adverſus te veritatibus veluti per homines ob affectuum turbines veri non capaces prolatis, coram omnibus fidem derogare ſpecioſe tentes. 2. Eoſdem, mortuos etiam, veluti ridiculos omnium ludibrio exponere, ut tuarum chartarum lectores, ipſos, & quæ ab iis ſunt, non dilectione, ſed contemtu & odio proſequantur. Quæ duo efficere ſoles aculeatis quibuſdam irriſionibus & ironicis ſannis, non tam in verbis ſeorſim ſingulis, quàm in modo dicendi conſiſtentibus, eoque magis animum adverſarii irritantibus, lectorumque riſum concitantibus, quo mente frigidiore & veluti ſedata, quaſi aliud agendo, eas proferre videris. Atque his (quibus ſcripta tua in omni, etiam ſanctiſſima materia, abundant) tantopere delectaris, ut hoc elementum tuum eſſe videatur: tamque dexter & peritus in eis es magiſter, ut vel ipſe Momus queat eſſe tuus diſcipulus. Quoniam autem poſſibile non eſt adverſarios omnes tuos, ipſos etiam inter Sanctos venerabiliores, ludibriis iſtis juſtam præbuiſſe materiam, tu eam ſequentibus, quæ regularum tuarum numerum producunt, ſic comparas. 3. Imponis eis falſa, abſurda, contradictoria, verbis quidem vel iiſdem vel ſimilibus illis quibus uſi ſunt; ſed compoſitione, applicatione & ſenſu diſſimillimis; ut artificio altero efficias ne fides tua ſuſpecta videatur; altero verò, ut derideantur tanquam fatui, quos ita traducis. 4. Involvis ſilentio bona, ſolida, divina, ſalutaria, omneque punctum ferentia, quæ illi habent & divine atque vividè inculcant, tibi

ſæpius

ſæpius non intellecta, interdum nec lecta; & minutias ſuperficiarias de litera, de critica deque futilibus quibuſdam rerum circumſtantiolis minus ab illis qui ſolida guſtant, obſervatas, a te vero labore improbo conquiſitas, tanquam capitalia mimico dente arrodis. 5. In ipſis bonis, quæ a te carpi nequeunt, ut tamen critica tua mordax aliquid reprehendendum habeat, ſic agis, ut, ſi adverſarii tui de ſubjecto, quod tractant, quædam notiora non tangant, eos arguas quod præcipua quædam & notabilia omiſerint: ſi vero eadem recenſeant, dicas hæc jam ſuperflua eſſe, & nemini antea non nota. Si ea dixerint quæ cum receptis quadrent ſententiis, ais eadem ab aliis ſæpius eſſe jam dicta, eſſeque vulgaria: ſi vero quædam non ita obvia forte proponant, jam culpas eos quaſi videri vellent *aliter atque ceteri homines cogitare, novaque ſibi ſolis e cælo lumina ſuppeti*: ita ut nihil omnino quocunque modo vel dici vel taceri queat, quo, hac methodo, Critices tuæ livorem non paſcas, quodque ita ſimpliciorum contemtui non exponas. 6. Ea bona, quæ vel non intelligis, vel aliquatenus tantum capis, quæque vel videri non vis directò impugnare, vel nullis rationibus potes aggredi aut refutare, quando præcipue ea ſolidiſſime opiniones tuas noxias deſtruunt; ea inquam, ut tamen conficias, incruſtare ſoles nominibus & titulis ridiculis rerum, quibus in lectorum animis vel indifferentia, vel nauſea, vel contemtus, vel riſus excitetur. Ita paſſim in libris tuis ipſa orthodoxia, gratia Dei vera, aliæque ſanæ ac ſaluberrimæ doctrinæ, audiunt *Scholaſticorum errores*, *abſtractiones philoſophicæ*, *chimæra ac ſomnia*, *ideæ Platonicæ*, (ô quantum Pelagianis ideis anteponendæ!) *Metaphyſicæ ſubtilitates*, *myſteria myſtica*, & quæ ſimilia vel ſexcenties & ad nauſeam uſque paſſim repetita; ipſi vero Orthodoxi modo *Scholaſtici*, mòdo *Metaphyſici*, jam *Platonici*, nunc *Myſtici*: qua quidem arte poſtquam Lectores adverſariorum tuorum deriſores, iiſque minus faventes reddere anniſus es, eoſdem tibi, veluti nugarum & chimærarum debellatori magno, fautores conaris efficere. Recenſerem adhuc & alias tuas artes non pauciores niſi ſolam Criticam tuam Elencticam, quam in me & in alios multos exercuiſti, non autem dogmaticam & poſitivam, exponere eſſet animus. Etſi autem quæcunque modò dixi, vel ad primam fere quamlibet ſcriptorum tuorum aperturam hinc inde pateant, præ-

cipua tamen nonnullis exemplis libet comprobare, poſtquam id quod ſupra dixi, intermiſceri in libris quorum auctor haberis nonnulla Socinianis etiam pejora, prius oſtendero; atque ſpeciaIiores cauſas, cur in me infenſus iniqua de me meiſque publico dederis judicia, palam fecero.

(a) pag. 7. & 8. In tui Liberii de S. Amore Epiſt. I. docetur (a) Divinitatem & humanitatem in Chriſto non ita ſtricte inter ſe uniri atque duæ creaturæ inter ſe uniri poſſunt. Idque ut probet Liberius, demonſtraturum ſe promittit, *Duas creaturas arctius inter ſe uniri poſſe, quam creaturam cum Deo*, hoc eſt, Deum & creaturam minus inter ſe uniri poſſe quam creaturas inter ſeſe. Quo quidem aſſerto non tantum id, unde Chriſto dignitas & gloria ſua vera emanat, e medio tollitur; ſed & in homine deſiderium ejus & amor erga Deum immenſe deprimuntur; tum verò amor atque deſiderium & affectus ejuſdem erga creaturas, (quibus quippe magis quam Creatore frui detur) vehementer extolluntur, incenduntur & præferuntur. Id enim amabilius eſt cum quo unio & fruitio major & ſtrictior fieri poteſt. Atqui non credo ullos Socinianos in extenuanda unione, quæ in Chriſto eſt, hypoſtatica, ad ea uſque extrema unquam eſſe prolapſos, aut hæreſin ſuam ex principio in amorem Dei creaturarumque abnegationem (Religionis Chriſtianæ fundamenta) tam injurio & pernicioſo ſtabilire voluiſſe. At verò Liberius hæc non modo confidenter aſſeverat, ſed & id demonſtrat, ſcilicet, idque hoc modo:

(b) Ibid. (b) *Eo arctius res uniri poſſunt, quo major inter eas eſt convenientia.*
Sed major eſt convenientia inter duos ſpiritus finitos, (duaſve creaturas) *quam inter ſpiritum finitum & Deum*, [ſive inter creaturam & Deum.]
Ergo duæ creaturæ arctius poſſunt inter ſe uniri, quam Deus & creatura.

Egregia demonſtratio! Patere, quæſo, me inſigne hoc ſophiſma, etſi præter inſtitutum, hîc obiter diſſolvere, ſiquidem pernicioſis non nimis obviam iri poſſit. Res dicuntur inter ſe convenire duobus modis: 1. ratione materiæ aut formæ ſimilis, deinde ratione ſui finis & ſcopi, quando nempe res una eſt facta propter aliam & ad aliam. Dabo exempla vel palpanda. Ratione prima inter ſe conveniunt pes & pes, calceus & calceus, urbs

&

& urbs, homo & homo, ignis & ignis, lignum & lignum, mas & mas, fœmina & fœmina, creatura & creatura: ratione altera inter ſe conveniunt pes & calceus, urbs & homo, ignis & lignum, mas & fœmina, eademque etiam Deus & creatura. Quo animadverſo, patet clariſſime Liberiani axiomatis fallacia, aut concluſionis inconſequentia. Si enim axioma illud de priori convenientia intelligas, abſurdum eſt & falſum, ea quæ in materia aut forma conveniunt, magis uniri poſſe, quam ea, quæ eo modo non ita convenientia, conveniunt tamen reſpectu finis aut ſcopi; & ratio diſparilitatis hæc eſt, quod quæ in materia aut forma conveniunt, eatenus tantum ſimilia ſunt, non autem ideo proprie unionis capacia: at quæ ratione finis conveniunt, horum hoc ipſo unius natura, facultates, proprietates, conſtitutio, effectæ ſunt & diſpoſitæ ad alterum, ſive ut alterum excipiant, eique ſtrictiſſime uniri poſſint. Atque hoc in exemplis allatis patet: nam etſi calceus & calceus magis inter ſe conveniunt ratione materiæ & formæ, quam pes & calceus; non tamen magis inter ſe uniri poſſunt, quam calceus & pes, qui ratione finis conveniunt: ſimile de exemplis ceteris, aliiſque infinitis, dicere licet. Si vero axioma Liberianum ratione finis (uti fieri debet) interpreteris, tunc falſum eſt aſſumtum: poſito namque ea magis inter ſe uniri poſſe quæ magis inter ſe ratione finis conveniunt; falſo aſſumitur, creaturam & creaturam magis inter ſe convenire, quam Deum & creaturam: namque creatura, humana præſertim, de qua hic agitur, non eſt finis & ſcopus creaturæ alius; ſed Deus eſt finis & ſcopus creaturæ, quæ etiam expreſſe ideo facta & conſtituta eſt ut Deo uniretur. Ergo Deus & creatura magis poſſunt inter ſe uniri quam creatura & creatura: unde cadit prætenſa illa & vere hæretica demonſtratio Liberiana quam etiam olim alibi (a) ex alia conſideratione everteram, cum multis aliis quæ in ſcriptis tuis impenſe, meo quidem judicio, exitioſa reperiebam ac refutabam. Et hîc quidem latet cauſa ſpecialior, cur ſcriptis meis in Relationibus tuis adeo fueris infenſus.

(a) Cogit. Rat. Edit. II. p. 238.

Namque quamvis nec te nec ullum adoriri primum in animo habuerim, cum tamen mihi proponerem ea ſcribere ex quibus Dei gloria, ejus ſanctitas, ſalutaris veritas, ejuſque amabilitas, hominis vero ſolidum bonum, virtutes, ſolida eruditio, nec non vitio-

vitiorum ſuperbiæ, vanitatis, aliorumque abnegatio poſſent promoveri; ea propter ſi quando forte in manus meas incidebant libri in quibus iſta concurrerentur, tunc principia mea non modo magis in oppoſitam partem adverſus iſtiuſmodi librorum contenta ſtabiliebam, ſed & ſæpe argumenta in iiſdem occurrentia vel evertebam prorſus, vel tuto præveniebam, maxime quando ea ſpeciem aliquam præ ſe ferebant, erantque in libris anonymis, quorum cum nullus auctor diceretur aut nominaretur, nullus idcirco ſe pro impugnato habere debuit. Atque hoc modo cum tui libri anonymi (quorum nonnullos neſcivi niſi poſt annos aliquot tuos eſſe fœtus) in manus meas incidiſſent, & præterea cum ſcirem ea quæ prius edideram, & quæ ſentiebam, a te coram aliis contemni, iiſque contradici, ut omnes ab eis poſſent avocari; tunc non modo veritatum a me propoſitarum principia firmius ſtabilivi contra anonymorum ſcriptorum tuorum errores quos noxios & capitales credidi; ſed & ab exceptionibus tuis veritatem vindicavi, & argumenta tuorum dogmatum everti in omni fere materia. Quod quidem in Oeconomia Divina maxime ſum exſecutus, ubi vel a præfatione præjudicia anonymi (a) cujuſdam libri tui contra rerum intellectualium cognitionem diſcutiuntur; dein vero in reliquo opere apparent paſſim expreſſa tui Pelagianiſmi cum ſuis rationibus diſſipatio; principiorum Socinianiſmi quæ defendenda vel pallianda videris ſuſcepiſſe, everſio; Critices tuæ de Scriptura per eam ſine lumine & operatione Spiritus S. interpretanda, deque quorundam librorum canonicorum rejectione deſtructio; doctrinæ tuæ de potentia & ſtatu hominis, deque peccati originalis negatione, cum omnibus argumentis & exceptionibus quæ in eodem libro anonymo a te edito proſtant, exterminatio, & plura alia: ita ut qui mea legerit, eum ejuſmodi capitales periculoſique errores tui nec movere poſſint, nec lædere amplius. His ita ſe habentibus, Oeconomia illa mea, errores iſtos evertens, tibi deinde viſa eſt, cujus Relationem vel Epitomen in Bibliotheca tua dare ſuſcipiebas quidem; ſed an ſine indignatione & odio id exſequi potueris, judicabunt illi, qui diſpicient quid huic præcedaneæ quæſtioni ſit reſpondendum; An probabile ſit hominem, cujus principia & ſtudia in eo verſantur ut naturæ ſuæ corruptionem non agnoſcat, ſed eam tegat & excuſet auxiliumque Dei in animis rejiciat;

(a) Entretiens ſur diverſes matieres de Theol.

ciat; quique præter generales odii contra veritatem fontes, ſuperius dictos, ſpeciales etiam averſationis cauſas habet ex impugnatione eorum quæ ipſi ſunt intima & chariſſima; an, inquam, probabile ſit talem hominem bona fide relaturum eſſe vim operis & argumentorum quibus chariſſima ſua idola disjiciuntur? Neceſſe namque eſt ut aperte nunc moneam (quod huc uſque tibi parcendi cauſa tacui vel obiter tantum alibi tetigi,) te hic non judicem aut relatorem, ſed adverſantem partem eſſe, qui in Opere toto everſionem tuorum principiorum reperias; ne deinceps judicia tua de meis ſcriptis credantur a Lectoribus e veritatis cognitione potius quam e vindictæ cupiditate & affectu, uti revera ſunt, elicita.

Equidem non pauca etiam extant in tua Relatione, de quibus minime debeo conqueri. Et ſane ſi omnia illic de me aperte falſa eſſent, nemo hominum tibi fidem habere potuiſſet. Quando vero plura recte refers quidem; at non modò præcipua omittis, ſed & multa abſurda interferere audes; nemo non videt, hæc eo credibiliora fore multis, quo plura iis vera intermiſcebuntur: niſi ſi qui ſolidioris ſunt judicii inde potius contra te concludant, eum qui, te referente, tales aliquot conſpicuas & momentoſas veritates protulit, ejuſmodi abſurdorum quæ ei deinde tribuis, capacem minime videri; unde tuæ relationis fides hoc ipſo eis fiat merito ſuſpecta.

§. IV.

Generaliora ſphalmata D. Clerici in Relatione ſua de OECONOMIA *mea* DIVINA, *ei inviſa quod Principia Divinæ* Gratiæ intus operantis *ſtabiliendo, &* Myſticos auctores *ea de cauſa commendando, repugnet Principiis Pelagianiſmi ac Socinianiſmi.*

Tam falſa autem, tam abſurda, tamque contradictoria mihi non ſemel impegiſti, eaque modis ironicis atque ſarcaſmis ita ſedate mordacibus & inexſpectatis propoſuiſti, ut qui verum te narrare putabunt, non poſſint non me veluti fatuum, meaque tanquam abſurda & lectione indigna cum ludibrio & ſannis contemnere

Digitized by Google

temnere & deridere: quod me referre minime pudet, ſiquidem & Veterum & recentiorum ſanctiſſimos atque doctiſſimos, nec non diviniſſima quæque, hac eadem etiam methodo tua deriſoria excipere ſoles qua & mea tractaſti, quæ quidem cum de diviniore maximeque ſeria materia agerent, videbantur in lectore meo exigere mentem non profana irriſione, ſed Dei timore, rerumque divinarum veneratione omnino percitam. Sed de his & ſimilibus poſtea. Interim generalia (ut ab his exordiar) quæ in Relationis tuæ fide deſidero, duo ſunt. Primum, quod etſi in præfatione ſpeciali *Oeconomiæ Creationis* monuerim & rogaverim lectores, ne de opere toto judicent ex libro primo, quia is & abſtracta quædam continet, & omnia fere opinionibus vulgaribus vel adverſa, vel etiam ſuperiora & ſublimiora: tu tamen ceteris quinque libris omiſſis, & titulo tenus non ſine ludificatione indicatis, primi tantum libri contenta recenſeas; tametſi in præfatione monueram, eos qui Metaphyſicis non ſunt aſſueti (quales plerumque ii ſunt quibus relationes tuas populari ſcribis ſermone) lectionem ſuam ordiri debere a libris ſequentibus, qui idcirco eis a ſincero relatore potius proponendi erant. Et libri quidem primi contenta (quæ non ſemel mihi aliiſque faſſus es te non intelligere) ſic recenſes, ut vel nec videaris interdum ad ea, nullatenus vero ad ſequentium contenta reſpexiſſe: cenſes enim in primo libro deſiderari (*a*) conciliationem prædictionum divinarum de contingentibus cum libertate humana: quam tamen conciliationem in ultimo libro non tantum tractavi, ſed & expreſſe in præfatione libri primi, & in ejuſdem capite 12. p. 330. monueram, ipſam, etſi ejus principia inſigniora & præcipua in libro primo exſtarent, non ibi tamen eſſe tractandam; ſed in ultimo libro, quo pertineat, eſſe quærendam. Adeo, ſecundum Critices tuæ regulas, ea legis in quibus criſin tuam vis exercere! Scilicet magni Critici neutiquam opus habent ea ut legant & inſpiciant de quibus referre & judicare ſibi ſumunt!

(*a*) Bibl. V. pag. 431.

Alterum, ubi in genere æquitatem tuam deſidero, illud eſt: quod inculces materiam aliam in libris meis contineri, quam illic revera contineatur: id quod facis aſſeverando multis modis me myſticum myſtica myſticè paſſim tractare. Hoc vel in ipſo indice omnibus meis cogitatis applicas: quin eo uſque hac in re ridiculus es, ut non modo librum Irenicum meum, de contro-

ver-

verſiis hodiernis agentem, myſticum nomines, ſed & in uno ex ſequentibus Bibliothecæ tuæ (*a*) tomis, ubi de operibus Harphii & Molinoſii agitur, annum 1687 contendas debere a me & ab illis denominari *myſticum:* ab illis, qui librum unum atque alterum; a me, qui *libros myſticos octo* ediderim: & quia iſto modo riſum & nauſeam erga opera mea non dubitas te in lectoribus excitaturum, hoc adeo tibi arridet, tamque ſollicite inculcas, ut id mendacii non bis aut ter, ſed vel omnino plus decies in brevi aliquot pagellarum ſpatio ſollicite repetas, nec non hodieque, quoties de me meiſque loquendi anſa tibi datur, eadem continuo oberres chorda. Et myſtica quidem ipſa non modò nolim ego contemnere: ſed & ea, quia nil aliud ſunt quam totius divinitatis theſauri communicati, tanti facio, ut peroptem eo in ſtatu eſſe quo ſi bonorum totius mundi jactura, miſeriarumque omnium afflictionibus ea redimere poſſem, hilari animo cum divino Ignatio dicerem: *Ignis & crux, beſtiarumque congregationes, diſperſiones oſſium, conciſio membrorum, molitiones totius corporis, malæ puniſiones diaboli in me veniant, ſolum ut* JESU CHRISTO *fruar;* arcaniſque & myſticis ejus amplexibus. Sed qui infinite ab illis abſum, neque de his ex profeſſo ſcribere adhuc mihi ſumſi, aliorum tamen opera quædam myſtica egregie exquiſita in lucem edidi, & præfationibus illuſtravi, nec non & ea in meis ſcriptis aliquoties laudavi, principia quædam generaliora allegavi, phraſes aliquas explicui, nonnulla quæ remoram facere poſſent ſuſtuli, & lectores ad ea legenda præguſtu quodam diſpoſui & hortatus ſum, ut, quantum in me eſt, non omittam indicare & commendare adminicula, ſcriptis meis toto genere & infinito intervallo ſuperiora, quibus bonæ animæ ad amorem Dei puriorem, atque ad felicitatem æternam, nec non ad admirabilia Dei adoranda & celebranda provocari poſſint. At meos libros idcirco eſſe myſticos, aut myſtica ibi eſſe omnia, id non magis inde ſequitur, quam *Cogitationum* mearum editionem primam myſticam etiam eſſe, id quod nemo, tametſi in illa myſticos auctores aliquoties (*b*) laudaverim, ſomniavit unquam; aut non magis etiam quam verum ſit, libros tuos, libros eſſe poëticos, Horatianos & Ovidianos, eo quod hos auctores, ſæpius quam ego myſticos, laudes atque proferas; Ovidianaſque Metamorphoſes, & Horatianas cantiunculas, pro egregio Scriptu-

(*a*) Tom. VII. pag. 547.

(*b*) Vid. pagg. 30. 72. 250. 251. 299. &c.

ras interpretandi adminiculo inter alia commendes. Fatere, quæſo, id quod res eſt. Si Theologia myſtica Pelagianis & Socinianis ſenſibus faveret, non adeo ab ea abhorreres, ut libros tibi odioſos ab eadem contemtûs ergo myſticos nuncupares. Quin videmus Liberium tuum, quando conjiciebat per myſtica rem Socinianam utcunque fulciri poſſe, ad Theologiam allegoricam (quæ tibi myſtica eſt) ipſo facto recurrere, nomen myſtices etſi proferre refugiat, ne ipſe ſcilicet in irriſionum tuarum Myſticarum flagellum incurras proprium. Et hinc eſt quod loca Scripturæ, ubi creatio ita proprie dicta Chriſto tanquam ejus opus attribuitur, Liberius, ut in gratiam Socinianæ opinionis illa explicet, cum Socino ſuiſque de creatione allegorica ſive myſtica, deque operationibus & creaturis Myſticis, (quas ſic nominare non audet, ſed (a) *novas* pro *myſticis* dicit) intelligenda eſſe ſuggerit, pro ratione id adducens, quod ipſum Theologiæ allegoricæ fundamentum eſt, (b) *Innumera* ſcilicet *quæ ante Euangelium facta ſunt, adumbraſſe ea quæ ſub Euangelio fieri debebant.* Atque ita hæc loca: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod eſt factum*, &c. &, *Mundus per ipſum factus eſt*. item: *Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt. Ipſe eſt ante omnia*, &c. quæ (c) Joannes & (d) Paulus ad Chriſtum referunt, ſi ex Socinianorum & Liberii expoſita mente aliis verbis & terminis propriis explicentur, debebunt rejecto prorſus literali ſenſu, hoc modo exponi: „ In principio myſtico erat Verbum, „ & Verbum erat myſtice apud Deum, & Deus erat myſtice „ Verbum. Omnia myſtica per ipſum myſtice facta ſunt; & „ ſine ipſo nihil myſtici factum eſt, quod myſtice eſt factum. „ Item: Mundus myſticus per ipſum myſtice factus eſt. Iterum: Omnia myſtica per ipſum & in ipſo creata ſunt myſtice; „ & ipſe eſt myſtice ante omnia myſtica; & ſic conſequenter. In quibus neſcio quis riſum tenere poterit dum videbit eos qui alioqui myſticæ Theologiæ ſummi ſunt irriſores, errorum ſuorum gratiâ vel invitos cogi ut ad eam adeo ridicule tentent ſe recipere. Sic ergo etiam Dominus Joannes Clericus inter Myſticos! At ut non ex animo, ita nec diu: neſcit enim adhuc quid ſit Theologia Myſtica, quod prius ipſe ex aliquo auctore (v. g. ex Theologiæ Cordis præfatione & ejuſdem partis alterius ultimo libro,)

(a) Epiſt. Liberii, pag. 62, 65.

(b) Ibid. pag. 61.

(c) Joh. 1: 1, 10.

(d) Coloſſ. 1: 16.

libro,) diſcere debuiſſet. Olfecit tantum generalius eam principiis ſuis erroneis, nec non vanis minutiarum ſtudiis parum favere; novitque eam diſplicere cùm animis mundanis, tum eruditis ſuperficiariis falſiſve permultis; item & carnaliori vulgo, forte & ſimplicioribus quibuſdam haud malis, per aliorum de ea calumnias circumventis: atque hoc ſatis ei fuit, quo conceptum erga ſcripta mea ſuis principiis adverſantia odium & contemtum cum aliis communicaret, ea ut ſibi odioſo *myſticorum* titulo falsò inſigniret, & omnia in eis perridicule ad myſtica referret. Indignari, quæſo, noli, Domine, monenti ut Myſticorum reſpectu intra grammatices ac critices ſphæram tete contineas, neve Theologiæ myſticæ te intermiſceas, tirunculi ne a tergo rideant ad myſtica referentem, uti (*a*) facis, ratiocinationes & probationes quibus uſus ſum ad libertatem demonſtrandam, argumenta peccatum originale animarumque propagationem evincentia, ultimos rerum eventus externos a me recenſitos, analyſin meam Epiſtolæ ad Romanos, & plura alia quæ inter objecta & materiam Theologiæ myſticæ minime ſunt recenſenda. Ægre ferrem tibi dici poſſe ab imprudentiore forſan tirone aliquo verbum Syracidis, *De mendacio ineruditionis tuæ confundere*; vel illud Apellis, *Ne ſutor ultra crepidam*: aut forte aliquid ſimile, *Ne Criticus ultra cortices.*

(*a*) Bibl.V. pag. 432. 438. 439.

Hîc dices, pateſcere tuam de meo in Criticos infenſo animo querelam eſſe legitimam, quando refers me (*b*) Clamare *in opere meo contra Criticos.* Si cum Pareo, celebri Theologo, abſolute dixiſſem, Critices auctorem omnino eſſe Diabolum, poſſem cenſuram tuam iſtam forte aliquo modo meruiſſe. At ego Criticos ſobrios, qui ſub litera ſpiritum quærunt & venerantur atque commendant, non modo non tango; ſed & eos magni facio & veneror, & verò commendatos maxime volo: qualis inter alios erat nuper Illuſtris Uſſerius, qui S. Barnabæ Epiſtolam, totam allegoricis & myſticis ſenſibus plenam, primus edidit & maximi fecit; ſuperiore autem ſeculo magnus Eraſmus, nulli facile poſt ſe comparandus. Hic ut ut humanioris literaturæ & Criticæ eruditionis inexhauſtæ vir, opera tamen ſua, ſuas præſertim in Novum Teſtamentum egregias paraphraſes, rebus allegoricis & myſticis ſæpiſſime veluti gemmis non dubitavit condecorare: Arnobii junioris commentarios in Pſalmos, myſticis

(*b*) Bibl. p. 414.

quoque ſenſibus abundantes, primus & in lucem produxit, & impenſe laudavit. Idem in edendis aliquot præcipuorum Patrum (a) operibus, myſtica quæ in ipſis ſæpiſſime occurrunt, tanti faciebat, ut ea præ contentis reliquis maxime commendaret; iiſque tantopere afficiebatur animus ejus, ut vel immortuus ſit recognoſcendis operibus Origenis (b), Summi inter Patres Myſtici Theologi, quem propter ſummam ſuam in Scripturis ac in omnibus rebus peritiam, labores indefeſſos, virtutes admirabiles vitæque ſanctitatem continuam, tantum non omnibus aliis præferebat; maxime propter myſtica. Et hinc quoque, quod inſtar omnium eſt, in Enchiridii Militis Chriſtiani capite altero, hanc ſtatuit regulam: *Ex Interpretibus divinæ Scripturæ eos potiſſimum delige* QUI A LITERA QUAM MAXIME RECEDUNT. *Cujuſmodi ſunt in primis poſt Paulum* ORIGENES, *Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus.* Addit: *Video enim neotericos Theologos literæ nimium libenter inhærere, & captioſis quibuſdam argutiis magis quam* ERUENDIS MYSTERIIS *operam dare: quaſi vero non vere dixerit Paulus Legem noſtram* SPIRITUALEM *eſſe. Audivi ego nonnullos qui ſibi uſque adeo humanis illis commentatiunculis placebant,* (inſpice ſis contra quos hic clamet,) *ut veterum interpretamenta pene pro ſomniis contemnerent.* ---- *Conſeneſcunt in litera, neque ad ſpiritualem ſcripturarum cognitionem elaborant. Neque audiunt Chriſtum in Evangelio clamantem, Caro non prodeſt quicquam; Spiritus eſt qui vivificat: Et, Scimus quoniam lex ſpiritualis eſt, non carnalis: &* SPIRITUALIBUS SPIRITUALIA COMPARANDA. *Olim in monte, nunc in Spiritu vult adorari Pater Spirituum.* ---- *Te ergo,* ſubjungit, *qui ingenio tam felici præditus es, omnino nolim in ſterili litera lentum eſſe; ſed ad* RECONDITIORA MYSTERIA *feſtinare, & improbum conatum induſtriæ crebris* PRECIBUS *adjuvare, donec aperiat tibi librum is qui habet* CLAVEM *David, qui claudit & nemo aperit* ARCANA PATRIS, *quæ nemo novit niſi Filius & cui voluerit Filius revelare.* Tales cedo mihi nunc Criti-

(a) *Irenæi, Cypriani, Hieronymi, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini,* &c.

(b) Ipſemet Clericus hunce Myſticâ Theologiâ imbutiſſimum Patrem, Origenem, non mediocriter laudat in Bibliothecæ ſuæ univerſalis Tom. VI. p. 37. & quidem prolato hoc Hieronymi de Origenis eruditione voto: *Hæc unum dico, quod vellem cum invidia nominis ejus, habere etiam ſcientiam Scripturarum, flocci pendens imagines umbraſque larvarum,* [contumelioſarum de eo quas ſpargebant fictionum,] *quarum natura eſſe dicitur terrere parvulos, & in angulis garrire tenebroſis.* Hieron. in præfat. Quæſt. in Gen.

Criticos, & eos ego quovis auro cariores æſtimabo, commendabo, venerabor. At ſiqui Critici ipſam efficientem cauſam, vim, eſſentiam, & centrum omnis boni ſolidi, ſive, omnium *realitatum*, adorandum Spiritum Dei, ejuſque internas operationes atque ſenſus arcanos rejiciant & irrideant, fiantque idcirco myſticomaſtiges; ſi earundem realitatum ipſis *ideis* ſint inſenſi, & has, obtendendo Metaphyſicum odium atque ideas Platonicas, eliminare cupiant; ſi ne *umbras* quidem harum rerum, quibus craſſiore & figurato modo earum eſſentialis deſignetur realitas, tolerare velint, atque adeo allegoricæ Theologiæ illudant; ſintque inſuper infenſi omnibus illis, ut ut ſeculorum antiquitate & ſanctitate conſpicuis, qui iſta commendarunt; ita ut nil tandem eis remaneat pro ſuis deliciis criticis quam cortex corticaliter explicitus, ſive litera ſine ſpiritu, ſine ejus ideis intellectualibus, ſineque umbrarum ejus apodoſi, literaliter ſolùm ac per ideas grammatiſticas & criticas, Pelagianas & ethnicas, Homericas & Virgilianas, Horatianas & Ovidianas, ideis Platonicorum immenſum vaniores, expoſita; idque ea temeritate, ut quicquid non placet captui critico, id ex ipſarum etiam Scripturarum codice eliminent, ſibique incognita myſteria damnent, & ſuas præterea interpretationes grammaticas, criticas ac ethnicas haberi velint pro SACRIS *obſervationibus*, *quæſtionibus*, *annotationibus*, & ſi quid eis ſimile, quoniam ſcilicet materia externa aut cortices & verba ex Scriptura ſacra deſumta ſunt: hos ego non clamore, ſed demonſtrationibus, uti (*a*) feci, convincam de ſuæ ejuſmodi vanæ critices inanitate & abſurditate ſtolida. atque ſi demonſtrationes capere necdum queant; per ſimilitudines magis palpandas oſtendam eos non minus vane atque ridicule agere, quam ſi quis olim ex Iſraëlitis, quo ſacrificii oblati particeps eſſet, aliosque participes redderet, victimæ quidem internam ſubſtantiam relinqueret, ejus vero cutem, pilos, aut excrementa ſola ſuſcipere voluiſſet; quibus poſtquam ora, vultum ſeque totum egregie ſuperillita haberet, curreret per plateas clamans, *Sacrificium* SACRUM! *Unctio ſacra! Edulium ſacrum!* Scilicet hæc e ſacra victima deſumta eſſent eodem modo quo Critici noſtri e Scripturis ſacris SACRA ſua obſervata deſumere conſueverunt; iiſque ſe & alios nutrire, haud ſecus ſane ac ſues furfuribus, ipſa interim frugis farinâ & ſub-

(*a*) Oecon. Libr. III. Cap. 14.

Digitized by Google

ſtantiâ internâ, quaſi inanis pulviſculus eſſet, contemtim relicta.

§. V.

Specialiora ſphalmata D. Clerici in Relatione ſua de Oeconomia Divina, ſimilibus in Argumentis.

Jam ſpecialiora ſunt quæ ſequuntur.

(a) pag. 414, 416.

1. In Bibliothecæ tuæ Univerſalis (a) relatione, ubi me introducis promittentem in Oeconomia *demonſtrationes Geometricis nil cedentes de rebus Theologicis & Philoſophicis, Metaphyſicis, Phyſicis & Ethicis, nec non de Politices fundamentis*, addis, *me non ſperare vim earum demonſtrationum captum iri a lectoribus qui ſolam illic adhibebunt Rationem humanam: oportere abſolute eos & aliquid* FIDEI *adferre, ſine qua affirmem, eos nil ibi intellecturos*. Et, *me credere, illiteratos ipſos omnia, exceptis quibuſdam primi & ſecundi libri, intellecturos, modo & attentionem adferant, & vero* RECIPIANT CUM FIDE *veritates quas promitto me eos docturum*. E quibus quicunque nec me norunt, nec te audebunt ſuſpicari ex eorum irriſorum numero eſſe, qui impoſturas pro irriſionum ſuarum ſale de induſtria excogitant, non poterunt a cachinnis in me temperare, audientes, *veritatum demonſtrationes a me promitti, modo cum fide recipiantur*. Aſt, quicunque me pro mortalium ignorantiſſimo non habebunt, quin potius exiſtimabunt, mihi non minus ac tibi, & forte cuilibet alii, notum eſſe ecquid ſit *Demonſtratio*, quique animadvertent me eas promittentem ſupponere a prima operis pagina, lectorem eſſe vel ſcepticum incredulisſimum; non dubitabunt ſane quin hîc malæ fidei ſubſit cavillatio. Et quando conſpicient in ſerie operis, me nil explicite deducere in concluſionibus meis niſi id quod in principiis implicite & ex natura ſua continebatur (quod demonſtrare eſt) principiaque ipſa quando per ſe nota non erant, iiſdem modis ex alio, hocque ex alio, & tandem ex primo non controverſo deducta eſſe, (quod multi teſtantur ſe animadvertiſſe) mirabuntur & exiguitatem prudentiæ tuæ, & in cavillando intemperantiam, qua ne te gaudiolo privares lepidum hunc aculeum, *demon-*

Digitized by Google

demonſtrationes promittere modo cum fide recipiantur, ſarcaſtice ſemel & bis proferendi, alioſque eo ad riſum concitandi, non potuiſti apud te vel tantillum, ut deriſorium ſtylum reprimeres, quamvis non poſſet non inde fidei malæ dedecus in te redundare. At ſcilicet *fidem* nominavi & commendavi ad rerum intellectualium perceptionem! Libet rem paucis explicare. Dantur interdum ejuſmodi demonſtrationes, quarum multi, etſi non parum ingenioſi, vim tamen minime capiunt. V. g. Carteſius certe demonſtravit alicubi & animæ immaterialitatem, & Dei exſiſtentiam: quarum tamen demonſtrationum doctiſſimi Geometræ, etſi eas attente ſæpiuſque legerant, vim aſſequi ſe non potuiſſe, (a) teſtati ſunt. Hodie dantur Carteſiani aliique qui non aſſequuntur demonſtrationes de Dei libertate indifferente, aut de Dei ſufficientia, etſi immediate ſequantur ex eo quod Deus ſit ens perfectiſſimum, adeoque aliis præter ſe neutiquam indigens, ergo ſe ſolo ſibi ſufficiens; quique adeo, ſi aliorum habeat ideas, aliaque fecerit, ex indifferentia ea cogitavit & fecit, indifferens ergo ipſe primus: & tamen hæc non capiunt. Quis non intelligit hæc principia, Deum ſe ipſum ſuaſque proprietates negare non poſſe, neque conſcientia intima, neque dicto aut opere externo? At quotus quiſque eſt, qui capiat ſequi inde neceſſario & demonſtrative, opera Dei non tendere ad annihilationem, non eſſe inactiva, tenebroſa, ſibi adverſantia, ſeſe deſtruentia & angentia; atque adeo eſſe permanentia, activiſſima, luminoſiſſima, concordantiſſima, felicia & glorioſa; ac proinde res non fuiſſe conditas in ſtatu malo & miſero, in quo jam ſunt; ſed hoc ab alio aliquo auctore inordinationis peccante proficiſci? Ecce has multi non capiunt demonſtrationes ad eum modum quo concipiunt a Deo non poſſe eſſe mendacium. Atque id ipſum eo ſæpius accidere poteſt, quo magis demonſtrationes ſunt de veritatibus a primis principiis paulo remotioribus, necnon præjudicia inveterata concutientibus. Quid jam erit remedii ut adjuvetur Ratio ad vim ejuſmodi demonſtrationum ſentiendam? Requirunt alii attentionem: ego etiam. At illi, de quibus nunc, dicunt ſe attentiſſimos eſſe & fuiſſe, nec tamen demonſtrationum vim adhuc ſentire. Quid ergo præterea? Alii alia: Ego vero hoc. Requiro ut non attendat ſolum lector ad Rationem, ſed etiam ut eam ſequatur, hoc eſt, ut praxi efficiat ea quæ Ratio demonſtrative præſcribit eſſe facienda

(a) Obj. VI. in Medit. Carteſ.

cienda antequam ulterius ad plures alias demonſtrationes intelligendas ſeſe accingat. Exempli cauſa, ſi demonſtratio quædam mathematica, eaque implicatior & operoſior eſſet intelligenda, oporteret etiam, Ratione id dictante, ut prout quis eam legit, ſic quoque actu & praxi deſcriberet circino vel norma aut cyphris ea quæ attenta lectione percurrit: aliter diſſiparetur & confunderetur ſola ejus attentio, medio practico alioqui confirmanda. Ita etiam de intellectualibus. Poſtquam aliquis per Rationem, ſeu quocunque alio modo, convictus eſt Deum exſiſtere, eumque eſſe & omnis boni & omnis luminis auctorem omnipotentem & benevolum; primum quod Ratio dictat eſſe faciendum antequàm ad alia bene ſe accingat, eſt, quod debeat laudare Deum, eique gratias agere, deinde ab eo exſpectare & optare animo confidente operationes ſuas bonas & luminoſas. Aut mea mens me plane deſtituit, aut hoc ita ſe habet omnino. Ratio mihi oſtendit certo atque invicto modo, quod debeam optare *bonum & lumen*, idque a *Deo*, & in *anima* mea; quia is eſt auctor luminis & boni, ego vero ejus ſum opus, & anima mea ſubjectum luminis: & hoc quoque *anima confidente*, quia Deus eſt benevolus & omnipotens. Atque hæc animæ diſpoſitio, qua illa ſe Deo confidenter offert optando lumen & bonum ejus, ſive, is *ad Deum mentis grata & fidenter*, boni fontem *optantis recurſus* ſive *refugium*, ea res eſt quam FIDEM appellavi: quæ Fides, ſive, qui recurſus mentis Deo ſe committentis & fidentis, non quidem immediate demonſtrationes Philoſophicas ſive ideales & ratiocinatas de intellectualibus ingerit; ſed per illum facultates animæ, ipſaque Ratio, fiunt magis magiſque a Deo vividæ, ſanæ, perſpicaces, habiles atque aptæ quæ poſtea facillime functiones ſuas obeant, rerum intellectualium ideas veras vel recipiant a Divina illuminatione, vel ipſæ eâ adjutæ forment, concipiant, penetrent, videantque quid in illis inſit, & quid ex illis neceſſario ſequatur: hoc eſt, capaces fiunt conſequenter percipiendi & ſentiendi vim demonſtrationum de rebus intellectualibus. Iſtane etiam necdum capis, Domine Critice? Hæccine ſunt quæ vulgari ſenſu ac nomenclatura dicas, *promittere demonſtrationes modo cum fide quis eas recipiat, & parum fidei ad eas adferat?* Aut vero, an ego locutus ſum illic obſcurius quam ut ab attento Lectore poſſim capi? Quaſi non expreſſe dixerim, (*a*) *nos ſpiritu fidei proximare Deo,* unde

(*a*) Præfat. Oecon.

unde dum conformes ei in interioribus efficimur, mens ratioque noſtræ, nec non omnes facultates, HABILES *fiant pro ſuo quaque modo* AD EXPRIMENDUM (ſeu in nobis excitandum idealiter) *charactères & magnalia Dei & eorum quæ in ipſo atque in conceptu divino ſunt; ita ut* ACTIVITAS RATIONIS *acquirat impercepte* HABILITATEM AD REPRÆSENTANDUM *modum quo Deus omnia concepit & fecit. Eſſe in nobis* FACULTATEM REPRÆSENTANDI CLARISSIME & FACILLIME IDEAS & OPERA DEI, *eorumque* RATIONES *& pulchritudines* VIDENDI; *quæ facultas quando appropinquat Deo, recipit per lumen fidei*, ſive per lumen quod Deus cum anima fidenti communicat, DISPOSITIONEM AD PERCIPIENDAS *veritates & opera ejus*, & quæ plura ejuſmodi. Vide hinc, ſatis a me explicatum eſſe, quomodo fides ſeu appropinquatio fida ad Deum in anima lucentem, diſponat activitatem Rationis ad habilitatem excitandi in ſe ideas ideis Dei & rebus ipſis conformes, & ad capiendas rerum veritates & rationes. Verùm hoc eſt antipelagianum, adeoque tibi inviſum, uti etiam illud quod ibidem expreſſe monui, *Pelagianos, Criticos literales, eoſque qui operationes Dei in anima negant, idcirco eſſe ineptos ad res intellectuales percipiendas, eo quod ægra ſit, craſſa & corruptiſſima eorum Ratio.* An ergo, quoniam hæc forte tibi dicta putabas, oportebat ſenſum meum clarum, ſanum, præſtantiſſimaque & ſaluberrima præcepta continentem, vindictæ ergo a te falſari, & in ſenſum ridiculum ita converti? Nonne Paulus ante me annotavit, cauſam cur Philoſophi *tenebris* ſint involuti, & evanuerint *in ſtultas rationes*, hanc eſſe, quod *agnitum Deum non glorificaverint ut Deum*, ut auctorem luminis & boni, ad quem recurrendum fuiſſet; quodque *ingrati fuerint, atque vane* confiſi ſint & innixi *propriis ratiocinationibus deſerto Creatore benedicto?* Utinam vero omnibus Philoſophis ineſſet divina hæc fides, quâ ſanaretur ægra eorum Ratio; nec minus omnibus relatoribus humana fides, quâ candide aliorum facta aut dicta referrent! Rom. 1.

2. Pari fidelitate jlocalariter & contemtim refers (*a*) *Metaphyſicam meam non poſſe multis in locis perfecte intelligi, niſi quis in tenebras divinas inque contemplationem principii Dei ſit admiſſus.* Debuiſſes dicere, Metaphyſicam meam explicare quædam de divinis, quæ quidem idealiter bene concipi poſſint, at quæ nullus poteſt

(*a*) Bibl. p. 418.

 vivide

vivide experiri in ſe niſi Deus, principium noſtrum, ſe detegat ipſi eo modo qui jam nobis eſt tenebroſus, id quod obiter monui appellari a Myſticis, *admitti in tenebras divinas & in contemplationem principii ſui* (non principii *Dei*, ut male capis.) Atqui ſimilia aut æquipollentia nullus non dixit Metaphyſicus. Nam quando v. g. demonſtrant, in contemplatione Dei ſummam felicitatem conſiſtere; hoc quidem unuſquiſque capere ſatis poteſt; ſed id ipſum neminem experiri ſenſu ſine ſupranaturali operatione Dei, nobis nunc obſcura & tenebroſa, cuncti omnino fatebuntur. Ita ego in Cogitationibus Rationalibus totum caput circa *Æternitatem* divinam, noſtramque participatam, occupavi, quarum quidem demonſtrationum vis facile idealiter percipi poteſt; at rei ipſius experimentum vivum non poteſt, ut ibi monui, *niſi Optimæ Menti, quæ nos ſuſtinet, placeat ſe ipſam nobis ſecundum noſtræ Cogitationis plenitudinem jungere*, & quæ ſequuntur in dicto capite: quæ, etſi obſcura nunc experientiæ noſtræ, a magnis tamen ingenioſiſſimiſque viris tanti æſtimata ſunt, ut id unum caput ceteris omnibus totius libri prætulerint, quidam etiam memoriter verbotenus didicerint. Verum ii erant ex eorum numero, qui res Divinas ſerio & reverenter tractandas, minime vero irridendas eſſe credebant.

(a) Bibl. p. 427. 3. Apparebunt etiam proculdubio ridicula quæ ſiccè refers (a) de me, probare annitente, *fidem eſſe ipſum Deum*. Quod minus abſurdum fuiſſet viſum ſi candide lectorem monuiſſes, pro mea ſententia fidem conſiderari poſſe vel ex parte hominis, quatenus hic ad eam aliquid confert quod ab illo Deus exigit, & hoc modo eam eſſe traditionem vel exhibitionem fidentem noſtrarum facultatum deſiderii, intellectus & acquieſcentiæ Deo ipſi: vel eandem conſiderari etiam poſſe ex parte Dei, quatenus hic in hominis confidenter ſeſe tradentis facultatibus lucem & amorem operatur, aut ſemetipſum lucentem & diligentem in eo inſinuat, quo ſenſu fides, quæ a Deo eſt, eſt ipſemet Deus lucem, amorem & tranquillitatem animæ ingenerans, quo etiam modo dicitur Deus, Chriſtus, Spiritus S., in homine eſſe, habitare, vivere per fidem; & hanc fidem non eſſe opus hominis: quæ ut per ſe clara ſunt, ita nec abſurda intelligentibus apparebunt ſi qualia ſunt, referantur.

(b) Oecon. Creat. cap. VI. §. 19. 4. Facultatum duas dedi definitiones, unam rei (b), quam dixi

dixi *explicatione* indigere, utpote naturam rei deſignantem; alteram nominis, ut quivis ſciret quid per nomen facultatis intelligerem, dixique (*a*) nomen facultatis perinde mihi eſſe ac *potentiam faciendi ſive agendi*, & latius (*b*) *capacitatem agendi & recipiendi ſeu patiendi*. Tu vero, (*c*) quando lectori ſpem feciſti *me oſtenſurum quid facultas, & quo ſenſu* HOC VOCABULUM *ſit recipiendum*, omittis nominalem definitionem ad captum omnium claram; & realem ſolam, explicatione ſua (quæ illic ſequitur) deſtitutam, adeoque obſcuram, adducis, ut lectoribus, quibus ſpes claritatis facta eſt, inexſpectatam pro ea reperientibus obſcuritatem, riſum moveas, eadem ſcilicet arte tua vel ſimili qua geſticulatores objecta quædam præſentia faciunt dextera agilitate diſparere & alia inexſpectata apparere, ut ſpectatores hiſtrionico hoc agendi modo ad riſum concitentur. Et quemadmodum hiſtriones, quando credunt ejuſmodi ſpectacula ſpectatoribus eſſe arriſura, ea ſæpius repetunt; ſic tu objecta Myſtica inexſpectatò hinc inde ex ſcena tua etiam ſæpius producis; ſed toties, ut iſta tua hiſtrionica tandem fiat profecto nauſeoſa.

(*a*) Ibid. §. 22.
(*b*) Ibid. Cap. XV. §. 3.
(*c*) Bibl. p. 422.

5. Eadem arte ludicra, poſtquam lectores ad ſerium & ſublime quid a me audiendum de divinitate animæ præparaſti, ſubito introducis me (*d*) quaſi me ipſum nomine proprio & titulo Domini interrogantem; deinde mox, me omiſſo, ceteris velut ex cœlo delapſis, nec interrogantibus reſpondentem; omnia modis perridiculis, quos in meo opere nemo reperiet, ſed tantum difficultatem a lectoribus ſibi ipſis propoſitam: quam ut oſtendam eſſe abſurdam removeo eodem omnino reſponſo quo Philoſophus Claubergius (*e*) eam ipſam velut reſponſione alia indignam rejectabat. Mirum, homines doctos ſcurrandi ſtudio adeo excœcari, ut non videant ſe, dum omnia mimicis veſtibus induere geſtiunt, cum Hiſtrionum ſartoribus de artificio certare.

(*d*) Bibl. p. 428.
(*e*) in Exercit. de Deo.

6. Sed interim non pauca ſeria, & interdum bene ſatis relata, aliquoties interponis, unde etiam Lectorum mentes iſtis ſeriò aliquamdiu detentæ, eo ſapidius deinde affici poſſint lepidis tuis jocis myſticis hinc inde recurrentibus, quorum uno præmiſſo, pergis poſtea (*f*) de SS. Trinitate ſerius agere, nempe ut ibi Socinianis ſis auxilio, in quos me *clamaſſe* dicis acſi SS. Triadem negarent eo ſenſu quo eam explicui, quod vero tu pro il-

(*f*) Bibl. p. 430.

Digitized by Google

lis is inficias. Age, ſiquidem eorum es procurator aut advocatus, fac ergo ut illi ſequentia, quæ meus ſunt ſenſus, mecum fateantur, 1. Eſſe reipſa in Divinitate æternâ Trinitatem adorandam, quæ vocibus Patris, Filii ſive Verbi, & Spiritus S. in Scripturis deſignatur. 2. Eam eſſe quidem, non minus quam omnia quæ in Deo ſunt, incomprehenſibilem finito intellectui noſtro; attamen præter illa infinita ac realiſſima quæ in ea non comprehendimus, unum ex illis quod de eadem pro modulo noſtro concipimus inadæquatiſſime, hoc eſſe, quod Pater ſit ſui fruendi deſiderium Divinitati eſſentiale; Filius, Imago viva & lux Divinitatis; Spiritus vero ſanctus, Amor ejus, fruitioniſque lætitia & acquieſcentia eſſentialis. Hæc ſi renuant Sociniani admittere, eo ipſo oſtendent, ſe ab eo quod ego de SS. Trinitate ſentio & explicui (quæ hæc ipſa ſunt) diſſentire. Si vero hæc admittant, tibi & illis tum gratulabor: neque ii tamen idcirco erunt omnino innocentes aut excuſandi, ſi SS. Trinitatem prius ideo ſe negaviſſe dicerent, quod illa eis clare ſatis non fuerit explicata; quamque ſi vidiſſent prout nunc proponitur, expoſitam, non utique negare voluiſſent. Inanis eſt, inquam, talis ſeſe excuſandi modus. Etenim aliquando Deus de operibus ſuis aut de ſe ipſo quædam obſcurius revelat hominibus, tum ut hi id ei honoris deferant quod veracibus ſolemus, eis credendo de non viſis; tum etiam ut tenuitatis intellectus conſcii, nobiſque diffidentes, deprimamus criſtas Superbæ Rationis noſtræ per humilitatem continuam, petamuſque a Divina ejus ope & luce illuſtrationem obſcurorum quantum nobis erit ad ſalutem neceſſaria. Jam ſi nonnulli ex ſuperba cœcitate, *primo* nolint ad Dei operationem lucemque petendam recurrere; ſed eas quaſi fanatiſmi principia irridentes, ſuoque intellectui veluti ſibi ſufficienti audacter confiſi, nolint, *ſecundo*, admittere ideo res revelatas, quòd miſero intellectui ſuo, ipſas ſuis viribus ægris comprehendere nitenti, videantur repugnantes; ſique, *tertio*, intellectus ſui corrupti opera, pro Creatore creaturas ſubſtituere haud vereantur (veluti Sociniani, qui iſta tria committunt, & pro Spiritu S. creaturas aut dona Dei creata ſupponunt;) illine extra culpam fuerint, ſi, quando poſtmodum diceret illis Deus, Ecce, iſta quæ ex ſuperbia non vultis a gratia mea poſtulare; iſta quæ de me ideo rejicitis, quod ſuperbus veſter intellectus ſibique

ſibique confiſus, quem deprimere & ad meum auxilium compellere volebam, minime ea capit; iſta denique in quorum locum creaturas ipſi ſubſtituiſtis; illa ipſa ſunt, de quorum veritate, ſi aliis ea terminis modiſque vobis explicentur, ita vos cum omnibus ceteris ſentietis convictos, ut amplius ea rejicere non poſſitis. Illi, inquam, ſi jam demum hæc ultima crediderint, eruntne propterea agnoſcendi atque ponendi extra culpam præmiſſæ antea ſuperbiæ, incredulitatis, & ſeu idololatriæ, ſeu injuriæ in Deum aut in divina, pro quibus creata ſubſtituerant? Hoc jam ipſemet judica, & Socinianis applica, quorum primarium præcipuumque malum non tam in eo eſt quod multa myſteria negent, quam in hoc, quod corruptione ſua diſſimulata, viribuſque Rationis corruptæ confiſi, ab ea, non autem ab operatione Dei gratioſa, ſua exſpectent & quærant lumina.

7. Non movebor iis quæ a me de libertate dicta, pro tua arte perhibes (*a*) partim myſtica eſſe (hoc eſt, tibi vel incognita, vel inviſa & antipelagiana,) partim ab aliis dudum prolata. Carteſio aliquando objectum eſt, nil adeo novi eſſe, quod diceret ſe cogitare: hoc omnes dudum etiam ſciviſſe & dixiſſe. Is reſpondebat ita quidem rem ſe habere: at ante eum nequaquam fuiſſe obſervatum hoc ipſum eſſe philoſophandi principium, ex eo omnia deduci poſſe, idque ſe præſtitiſſe. Qui opus meum attente legent, videbunt ex iis quæ explicavi de libertate, ſequi, explicari, ſolvi omnia quæ gratiam, prædeſtinationem, juſtitiam Dei, modoſque omnes ejus cum hominibus agendi, reſpiciunt: quæ ab aliis huc uſque dicta, ea generaliora, obſcuriora, minus evoluta, (*b*) adeoque ad effectus dictos fere inutilia fuiſſe; non ſic ea quæ magis penitus propoſui, & ad nodos pro inſolubilibus habitos, primus, quod ſciam, cum ſucceſſu applicui: nec vereor dicere, libertatem, ſi eâ explicuiſſent qua ego, ratione nunquam fuiſſe futurum ut ullus Pelagianiſmus ullave circa gratiam hæreſis capitalis, locum in mentibus non peſſime malis habuiſſet. Hæc me tua cenſura coactum oportet ita profiteri, ſimulque monere, ut, quoniam ſæpius pronunciare geſtis quædam dicta mea jam prius ab aliis eſſe dicta, tua, ſi placet, Scripta inſpicias, videaſque an ſi quæ ex aliis, ſæpe illaudatis, ſurripuiſti, inde abeſſent, Æſopicæ corniculæ non renovaretur magna ex parte fabula.

(*a*) Bibl. p. 433.

(*b*) Vide quæ de his Voſſius. Hiſt. Pelag. Lib. III. Part. I. Theſ. 2. pag. 293.

Digitized by Google

(a) Bibl. p. 435. 8. Neſcio unde aſſeveres, hominem rectum (a) *potuiſſe, mea ſententia, formare vi imaginationis ſuæ corpus aliud, corpori ſuo ſimile:* quando tantum mea mens eſt, imaginationem ad ejuſmodi formationem non concurrere niſi ut cauſam ſociam & incompletam. Dubito etiam an excitandi riſus gratia (quia alioqui materiam de familiaritate cum Deo ludibrio habes) (b) retuleris me ſcripſiſſe, *inutiliter laborari in inveſtigatione naturæ quamdiu quis familiaritatem cum Deo non recuperavit: cognoſci ideo oportere Divinitatis interiora.* Certe Divinitatis interiora, cogitata, ideæ, ſunt rerum cauſæ & efficientes & exemplares; adeoque ut res effectæ per cauſas cognoſcantur, debent per notitias eorum quæ in Deo ſunt, cognoſci: hæc autem, Deo ipſa non communicante, aſſequi neminem poſſe, clarius eſt quam ut pluribus verbis probari indigeat.

(b) ibid. & p. 426.

(c) ibid. p. 436. 9. Quando refers (c) me ex vita & viſione aliqua S. Tereſiæ deſcribere rerum lucem primævam, ut ejuſmodi allegatio & Philoſophis & Proteſtantibus appareat ridicula, omittis indicare, hoc, antea ex attributis Dei deductum, & ratiociniis haud inanibus ſtabilitum, a me ibidem confirmari per octo aut decem Scripturæ ſacræ teſtimonia, quibus illuſtrationis gratia verba S. Tereſiæ adjunxi, credens ſatius eſſe, res divinas ſimili ſanctæ mentis teſtimonio illuſtrare, quam velle Scripturas ſacras e Virgilio & Horatio, Martiali & Ovidio, ſimilibuſque Criticorum Oraculis, tecum dilucidare.

§. VI.

De Articulo quodam præfationis Tomi V. Bibliothecæ Univerſalis, & de eo quod in Tomo ſeq. me dicit Enthuſiaſten ob aſſertam Dei contra Pelagianos gratioſam illuminationem.

Cetera, ne hic longior fiam, prætereo, luſtraturus monitum quod Bibliothecæ tuæ Tomo V. præfixiſti, ubi conſcius te juſtam conquerendi cauſam dediſſe, tum pervertendo ſenſum, tum multa neceſſaria omittendo in relatione tua, querelas de utraque fraude conaris excuſationibus frivolis prævenire. Et de prima quidem, cùm inculcas, te forte non bene ſatis intelligere potuiſſe

non-

Digitized by Google

nonnullos auctores, quibus propterea affricas & *confuſas ideas*, quando tamen meæ aliis, te circa hæc intelligentioribus, ſunt clariſſimæ; & *enunciationes incommodas*, quæ aliis & tibi ipſi alicubi ſunt *valde emphaticæ*; tum *inutilitatem parentheſium*, quæ tamen utiliſſimæ ſunt, ne reſpectus quiſpiam antecedentium ad ea quæ tractantur neceſſarius, oblivioni tradatur; tum *ratiocinationes inordinatas*, cum tamen Opus totum ſit ratiocinationum concatenatio ordine continuo procedens; deinde *æquivocam vocum uſurpationem*, quando e contextus inſpectione indubitatus vocum ſenſus patet; etiam *linguæ propriæ ſemi-ignorantiam*, cum non minus atque tu ſubſtantiam ejus intelligant, quanquam grammaticas, criticas & ſyllabicas minutias, ipſis forte non ignotas, etſi non uſu tritas, obſervare non curent, veluti tu, qui ad iſta magis attendis quam ad alia ſolidiora, & ad notabile de aliquo Auguſtini dictum: (*a*) *Fauſtus, magnus laqueus Diaboli; & multi implicabantur in eo per illecebram ſuaviloquentiæ: quam ego jam tametſi laudabam, diſcernebam tamen à veritate rerum, quarum diſcendarum avidus eram. Nec quali vaſculo ſermonis, ſed quid mihi ſcientiæ comedendum apponeret, intuebar.* Verus linguæ uſus eſt magnalia & laudabilia Dei & ſalutaria proximis ſimpliciter ex bono corde proferre; non autem operam dare ut omiſſis parentheſibus, ſervato vocularum ſeveriore ordine, loco, ſono, fucis minutiiſque ejus generis nugacibus, aures delicatulorum prurientes demulceri poſſint modis vaniſſimæ iſti aurium luxuriæ atque amori proprio gratis, & qui idolo ſuperbiæ noſtræ eloquentium virorum vanam gloriolam acquirant. Ita ut ex obtentis harum nugarum inobſervationibus & pædagogicis grammaticaſtrorum futilitatibus, neque poſſis prætexere dictorum obſcuritatem, neque cauſam neceſſariam obſcura, ſi quæ eſſent, perverſo ſenſu referendi: ſiquidem vel in eloquentiſſimos & nitidiſſimæ elocutionis Auctores, quando nempe Socinianis erroribus non favent, iiſdem artibus agas, uti modo videbimus: & Ill. Epiſcopi Meldunenſis de SS. Trinitate quædam egregia eo ſtyli nitore, ea perſpicuitate, ut nil ſuprà, enunciantis, Orationem nomines (*a*) ſemel atque iterum *du galimathias*, (verborum ſonitus inanes) rem autem ipſam, *chimeras*. Veriores cur his modis agas cauſas, cum generaliores tum ſpecialiores, jam ſuperius commonſtravi; uti & cauſas cur obſcura tibi multa videantur, quando dixi, illos qui ſuæ Rationis

(*a*) Conf. L. 3.

(*b*) Entret. p. 302.

tionis ægritudine diſſimulata viribus propriis confiſi ad Deum non recurrunt, nec opem ejus internam deprecantur, eſſe rebus ſpiritualibus percipiendis minime idoneos. Quid vero cauſæ erat, cur cum in iſtis, (vel te fatente) nil intelligeres, (prout longe eſt certiſſimum,) in Socium tuum onus articuli iſtius componendi non devolveres? An ſuſpicandum eſt te timuiſſe ne ille pro voto tuo ſatis non irrideret, ſed commendaret potius, quæ tibi ob amatos errores erant adeo inviſa? Aut vero cur in Opere meo legendo id non ſequebaris quod in Præfatione monitum eſt, ut ſi quibus hæc difficilia viderentur, ii ab ultimis libris ordine retrogrado lectionem inſtituerent? Etſi nunc experientia edoctus, video & commendatum optem minus intelligentibus, ut ab altero vel tertio libro incipientes pergant ad finem Operis; & tunc demum ad prætermiſſos ſi ſe accingant, tuas de obſcuritate querelas ſuis non comprobabunt.

Neque minus fruſtra tuas ſuppreſſiones excuſas, tum paucitate pagellarum ſcriptioni tuæ deſtinatarum; quod ſane, ſi quid eſt, ridiculum omnino eſt: (ne dicam paucioribus paginis & plura & integriora tractari potuiſſe, ceu experimento in Novellis Reip. literariæ fidem feci;) tum annumerando eos qui de te conqueri poſſent, inter *eruditos inhabiles, literis, lectione, notitia rerum mundi deſtitutos, aliter opinione ſua ac ceteri cogitantes, & imaginata ſua veluti lumina ſibi ſolis* COELITUS *infuſa habentes.* Quæ omnia etiamſi vera eſſent, nihil tamen ad rem faciunt: non minus enim talium ſcripta fideliter & ſine detruncatione ſunt referenda, quam ſcripta Doctiſſimorum Criticorum qui omnia legerunt exceptis iis quæ legere oportuiſſet; & qui omnia ſciunt, exceptis iis quæ ſcire oporteret; quique ipſi errores ſuos Socinianos, valdeque exitiales, appellant (a) *lumina ſibi a Deo data*, & *admirabilia media quibus providentia Dei utitur ad alios ab erroribus revocandos.* Quod me inter minus eruditos hic ſubinnuis, id non modo non diſplicet; ſed & vere & ſincere agnoſco ac profiteor, me Solidæ Eruditionis necdum verum adhuc uti decet eſſe diſcipulum: ſolùm ut a miſerationibus & gratia Dei ad illius veram diſciplinam præparer & aſſumar, enixe precibus contendere animus eſt. Eruditionem autem tuam, omni exceptione, ſententia quidem tua majorem, tibi non invideo. Equidem quid de ea ſentiam, jam nil opus eſt me hic edicere; at precor tantùm Deum,

(a) Entret. pag. 191. & 204.

Digitized by Google

Deum, ut ab illa me & quoſvis bonos, conſervet in æternum. Quid mihi ſit legendum, aut e rebus Mundi hujus cognoſcendum, non quæram ex iis Criticis, qui ipſi neſciunt ſatius eſſe (a) paucos libros ex origine manantes & ſolidos legere, paucoſque uniones & lapides pretioſos ſervare, aut etiam ſæpius ſecum intrinſecus in intimis animæ receſſibus ſine omni apparatu externo vera & ſolida quærere & intueri, quàm extrinſecus infinitas quiſquiliarum ac ſterquiliniorum ſtrues coacervare, atque immenſos ſiliquarum acervos inſatiabiliter devorare. Quam legem ſi obſervaſſes, omnibus tuis magnis Epiſcopiis & Curcellæis, illuſtribus Hammondis, incomparabilibus Grotiis, Polonorum fratrum Bibliothecis immanibus, innumeriſque iſtiuſmodi, prætuliſſes vel unius veſtri olim *Hermanni Herberti* aurea opuſcula, tibi, tanto Lectori, ne quidem, quantum conjicere poſſum, adhuc vel viſa; etſi ab eo viro id omne, quod primi Remonſtrantes boni habuerunt, ita deſumſerint, ut ſine eo fuiſſetis nulli: quanquam nunc admirabilis hujus viri, primariæque originis veſtræ, non modo quaſi neſcii & immemores, ſed & ejus vere divinorum ſcriptorum & principiorum deſertores & adverſarii plerique videmini. Hunc ſolum ſi tu, Domine, qui de curioſa eorum cognitione quæ in toto Orbe & geſta & chartis illita ſunt, etſi ad vos nequaquam pertinentia, videris gloriari, dum proxima tamen, dum interna, dum maxime domeſtica atque neceſſaria reſpuere videris; hunc ſolum, inquam, ſi ceteris prætermiſſis vertiſſes in ſuccum & ſanguinem, nec te ſane pœniteret olim, & verò nunc videre potis eſſes, vel una unius ſolida lectione plus profici, quam infinitorum futilium continua voratione. Quemadmodum enim terra quotidie multifariis ſeminibus conſita nil ſolidi producere poteſt; ſic anima recularum farragine infinita quotidie conſperſa, nil eruditionis ſolidæ productura eſt unquam: hæc enim pauciſſimâ lectione, copioſiore meditatione, ampliſſima vero atque continua oratione & praxi, nec non & receſſu & ſeparatione a vanis ideis rebuſque Mundi acquirenda eſt. Sufficit ejus diſcipulo ſi de Mundo ſciat, *id omne quicquid in eo eſt, eſſe (b) concupiſcentiam oculorum, concupiſcentiam carnis, & ſuperbiam vitæ*, & hæc perire cum illis qui ea magni faciunt atque concupiſcunt, dum qui bene ſtuduit ut ſolum Deum & ſe cognoſceret in Spiritu Chriſti, permanebit in æternum,

(a) Vide hac de re totam Senecæ Epiſtolam ſecundam, lectu digniſſimam.

(b) 1 Joh. 2: 16.

Digitized by Google

num, etſi ad tempus ludibrio habitus ab inflatis mundanæ ſapientiæ tympanis, quorum mentes vano aëre chimærarum, nugarum atque quiſquiliarum periturarum repleri geſtiunt; at contendere ut plenæ fieri poſſint Spiritu Chriſti æterno, id ludos ſuos faciunt, & pro *Enthuſiaſmo* irrident, quem tu mihi a nonnullo diſputatore fuiſſe impactum, ipſe in Bibliothecæ tuæ Tomo poſt quintum proximo, lætus in medium adducis, & in ipſo operis indiculo ſollicite annotas *Poiretum Philoſophum Enthuſiaſten*, ſecundum τὸ λῆμα. At, pro tua in excerpendis fide, omittis addere, iſtius (a me hic non nominandi) antagoniſtam, cujus etiam libri contenta refers, illi reſpondiſſe, Poiretum unum in Philoſophicis (de quibus erat quæſtio) vel quindecim ſimilibus illius eſſe præferendum: quod tuam illam de Philoſophico Enthuſiaſmo exprobrationem, quâ mihi inſultare coram gaudebas, nec non tua ejus publicatione curare, ut ab omnibus talis haberer, deſtruxiſſet. Ego ſane ſi pulcherrimos titulos qui tibi a quàm plurimis dati ſunt, colligere vellem, quot, quæſo, paginas iſtis encomiis non replerem? Sed vilis animi eſſe exiſtimo, eas ſordes quæ ab aliis dictæ ſunt, velle reſumere & recoquere. Atque ut ſcias quam parum iſti à te recoctæ cavillationi veritatis inſit, confidenter te provoco, ut mihi deſignes vel unum, qui unquam exactius & firmius atque ego Enthuſiaſmum omnem profligaverit a Philoſophia, nec non Enthuſiaſmum fanaticum a Theologia. Haud ignoras Philoſophos quoſdam, præcipue recentiores, omnem actum naturalem voluiſſe pro Dei actu immediato haberi; Rationem humanam, ejuſque ideas, imo extenſionem & figuras oculis perceptas, eſſe ipſum Deum, eſſe ejus lumen eſſentiale, & ipſam ejus ſubſtantiam; ac per iſta nos cum Deo ipſo commercium habere, & verè ſuaviſſima colloquia miſcere, quæ integris meditationum libris prodiderunt, pluraque ſimilia, quæ verus Philoſophicus Enthuſiaſmus merentur dici, quæque ego a fundamentis in *Oeconomiæ* libro primo, a te lecto, nec non in Diſſertatione præliminari *Cogitationum de Deo*, Editionis ſecundæ, ſic everti, ut demonſtraverim, Rationem, maxime qua activa eſt, ſenſuſque corporeos, nunquam eo pervenire poſſe ut cum Deo ipſo commercium habeant; ſed tantum cum ejus effectis, ejuſque picturis & imaginibus, quæ ſunt ex genere rerum creatarum. In Oeco-

Oeconomiæ vero Coöperationis Cap. IX. Theologiam & Chriſtianiſmum a fanatico Enthuſiaſmo ſic vindicavi, ut oſtenderim eos, qui perfecte ſibi corruptæque naturæ propenſionibus & motibus mortui non ſunt, de inhabitante & regente Spiritu Chriſti nec debere gloriari, nec ejus adhuc eſſe capaces. At vero per purificationem non debere eo nos adſpirare, nec poſſe Chriſtianos veros, hoc eſt, eos qui jam a liberalitate & operatione Spiritus Dei receperunt dona & principia atque incrementa Divinæ fidei, Spei & Charitatis, ſolidarumque virtutum Chriſtianarum, eos inquam non poſſe vere & debito modo fieri SPIRITUS CHRISTI magis magiſque compotes; nec denique eos eſſe *templa*, *tabernacula*, *domus* DEI, CHRISTI, SPIRITUS SANCTI, *qui in eis inhabitet*, *maneat*, *vivat*, *agat*, *regat*, *doceat*, ſic ut tandem *abundent & pleni ſint omni plenitudine Dei*; hoc, (quod hodierni Pelagiani & Sociniani tecum negant, irrident) niſi ſim impius & profanus irriſor Dei ejuſque promiſſionum & Scripturæ, cujus hæc ſunt verba expreſſa, & ſancta promiſſa, non negavero unquam. Atque ſi id ipſum ſit quod per ludibrium appellent *Enthuſiaſmum*, idque mihi per hocce verbum exprobretur; ego Chriſtum cum ludibrioſo titulo crucis opprobrio expoſitum, non minus propterea cum titulo illo deriſorio Regem & intimum animarum per Spiritum ſuum Motorem, Rectorem & Dominatorem agnoſcam atque amplectar; nec pudebit palam profiteri me Spiritûs ejus donationem, præſentiam, actus, regimen, dona, in me & efflagitare ſerio, & vivide ſperare. *Etiam, Domine, in te ſperavi: non confundar in æternum. Veniat ſuper me miſericordia tua, Domine; ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum. Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum; quia ſperavi in ſermonibus tuis. Da mihi lætitiam in ſalute tua, & Spiritu tuo principali fulci me* modo: Tunc nihil curabo utrum per homines vanos fanaticis & Enthuſiaſtis accenſear, uti neque moror an mea hæcce verba ab irriſorum gente Deifuga pro Enthuſiaſmi motibus habeantur. O utinam ejuſmodi Enthuſiaſtarum, quorum ipſum plenum eſt cœlum, etiam & terra eſſet plena, ut ſic *fieret voluntas Dei ut in cælo ſic & in terra*, *deſcenderetque de cælo ad nos a Deo nova Jeruſalem parata* donis Spiritus Chriſti, *ſicut ſponſa ornata viro ſuo, eſſetque tunc cum hominibus tabernaculum Dei, habitantis cum eis, ita ut ipſi populus ejus eſſent, & ipſe Deus, Deus eorum cum illis, &*

omnia in omnibus! qualem tibi inter eos ſtatum, ex benevolo apprecor animo, pro eo, quod me abſurdum ab aliis haberi haud benevole velis, perperam ita compenſans meam erga te non ſolum hic, ſed & alibi agendi rationem, quando (vera loquor nec ficta) apud nonnullos probos, quibus ob quædam opinione ſua irreverentius de rebus divinis & ſpiritualibus a te dicta & ſcripta, multum male audiebas, effeci ut meliora de te crederent. Conſequentiis enim extremis non eſſe gravandos quotquot principiis quibuſdam errorum fœcundis ſunt impliciti: atque adeo, exempli cauſa, ſi qui Dei gratiam Spiritusque ejus internam operationem & habitationem non agnoſcant, eos, quamvis Deum veluti inefficacem fingant, Spiritumque Chriſti ſanctum habeant veluti pro mortuo & inerti trunco, pro Spiritu qui vel non inhabitet membra corporis Chriſti, (hoc eſt, Chriſtianos veros) vel qui cum eis non communicet vitam & motum, nilque in eis operationum ſuarum producat; non ideo tamen cum Atheis exſiſtentiam negare Dei neque Spiritus ejus, etſi hanc in ſe negent & a ſe arceant. quod quidem non illis ſolis peculiare eſt, ſed commune cum eis omnibus, qui, quamvis iſta ore & judicio confiteantur & approbent, ipſo tamen facto concupiſcentiarum impulſibus obſequentes, rejiciunt a ſe gratiæ atque ſancti Spiritus Dei operationes & præſentiam: qui ſanè practicus Pelagianiſmus eſt & Atheiſmus, iſque generalior, quam ut multi ſe ab eo excipiant. Qua de cauſa nos oportet erga errantes agere multo quam ſoleant clementius; ſiquidem quæ illi idealiter & per theoriam, ea nos re ipſa & per praxin impugnamus in nobis omnes, ea propter coram tribunali Dei, juſte judicantis, errantibus eo damnabiliores, quo plura quam illi theoretice cognovimus. Quæ hic obiter dicere non piget, ne erratorum recenſione promoveatur potius adverſus errantes contemtus vel odium, quam erga eos dilectionis commiſerantis motus, nec non ipſorum propria emendatio: qua emendatione quantum inter alios opus habeas in tuis illis præſertim Relationibus quæ ſunt de doctrina cum tuis opinionibus non concordante, aut eas concutiente, poſtquam id meo exemplo hactenus oſtendi, tempus eſt ut ejus ſimilia in aliis tum recentioribus tum antiquioribus, dem ſpecimina nonnulla; unde condiſcant lectores, quantum tuis teſtimoniis modiſque fidendum ſit, & quam parum

parum per illa ab aliorum Scriptis & veritatibus ſalutaribus pati debeant ſe abduci.

§. VII.

Oſtenditur aliquot exemplis, quantum fidei ſit habendum D. Clerici Relationibus, præſertim circa argumenta Socinianos & Pelagianos errores tractantia.

Revera ad apertionem libri apud Bibliopolam forte inſpecti, & aliud agenti, occurrerunt exempla, quæ proponam, tria vel quatuor: nec alia volui præterea ſtudio quærere; neque enim credo pluribus ad hoc quod ſuſcepi confirmandum opus eſſe. a recentioribus lubet facere initium.

1. Scripſit Clariſſimus Vir quidam de Religionis Chriſtianæ veritate, eo dictionis nitore, eâ perſpicuitate, ut ſi a te male referatur, obſcuritatem aut ambiguitatem in elocutione, ut ſupra, obtendere nequeas; ea etiam moderatione, & argumentorum præſtantia, ut cum omnes habeat applaudentes, te unum iniquum niſi ob moroſitatem tuam, aut ob ſenſuum ſuorum a tuis diſcrepantiam, habere non debuerit. Interim tamen eum (ut ſoles fere omnes) ſemel atque iterum ſponte adortus es: & prima quidem vice (a) in tali argumento ob quod alios quoſvis potius quam illum tangere potuiſſes. Secundâ autem, ut ei, Spinoſæ contra Pentateuchi Scriptorem Moſen objectiones diſpellenti, contradiceres, uti (b) feciſti, ſed non impune. Is enim reſpondit tibi eo modo in libri ſui (c) editione altera, ut, quamvis moderatiſſime agat, non poſſit tamen non inde elucere Critices tuæ ſupra modum non ſolum incogitantia, ineptia & temeritas; ſed, quod hic ad rem facit, mala etiam fides, dum & (d) conqueritur, te ſibi imponere ea quæ ſua negat eſſe, & præterea te (e) Scripturam ſacram, omiſſis & detruncatis inde quæ tibi contraria ſunt, allegare, palam oſtendit.

2. Sed tu inde non cautior, at ei infenſior factus, quando prioribus ſuis tractatibus duobus tertium de DIVINITATE JESU CHRISTI publice addidit Clariſſimus Auctor, tuque egregii hujus libri Epitomen (f) Bibliothecæ tuæ Univerſali inſerere voluiſti, id laudatis artibus tuis ſic exſecutus es, ut omnino

(a) Entret. p. 273.

(b) Sentim. let. 6. p. 111.

(c) M. Abbadie de la Verité de la Rel. Chr. I. P. ch. 9. Edit. II.

(d) Ibid. pag. 267.

(e) Ibid. pag. 280.

(f) Tom. XV. Bibl. Un. p. 366 ad 379.

Digitized by Google

omnino ſtupendum ſit te non metuiſſe ne a lectoribus crederetur ſcopum tuum eſſe, hoc unum ipſis diſpiciendum relinquere, palmamne præripiat tuis in ejus generis Relationibus faciendis falſitas, an malignitas? Nōn quæram hic, quare tam ſæpe infenſum te oſtendas iis, qui Socinianos errores ſolide refutant; vel cur illis quibus es infenſus tete opponas ea ex parte qua Socinianis hæreſibus adverſantur: quod admodum imprudenter factum ab homine qui Socinianiſmi ſemper ſuſpectus, nollet eam de ſe ſuſpicionem confirmare. Neque meum faciam vindicare libri, de quo agitur, contenta a tuæ Relationis corruptela. Sed ea tantum obiter annotabo quæ ad ſcopum meum, de fide tuis Relationibus & artibus habenda, præſertim ubi Sociniana res agitur, conducunt. Conſtat illa tua Relatio partibus quatuor, in quarum prima invidiam pro gratiis & laudibus auctori ob errores Socinianos ab illo diſſolutos debitis, ſuſcitare conaris: in altera falſam libro ejus materiam aſſignas: in tertia Orthodoxorum ſententiam de SS. Trinitate deque æterna Filii Deitate incarnata abſurdo plane & omnibus deridendo modo palam proponis atque deformas: in quarta denique, quibusvis libri partibus falſa imponuntur à te & affinguntur. Et prima pars quidem præter livoris originem unde orta apparet, ita eſt contagioſa, ſimulque ita & iniqua & futilis, ut dum exitioſis quibusvis erroribus propagandis (quod de Socinianis licitum eſſe velles) apta nata eſt; ſolâ tamen nitatùr inani comparatiuncula, qua eos, qui ſanam doctrinam proponunt, nec non eos qui falſa & noxia docent dogmata, vis comparari debere cum duabus pugnantium partibus quibus & campus & omnium favor utrinque æqualiter patere debeant; alioqui indecorum eſſe ais generoſo militi cum alio decertare cui nec æque ac ipſi faveatur, nec defenſio æque pateat: quando tamen contra, ex tota Scriptura patet, doctores mendacii, non ita militibus quibus favendum ſit; ſed ſeductoribus qui ſint evitandi neque audiendi, aut etiam malarum herbarum ſeminatoribus, quibus invigilandum, ne dum dormitur ſeminet inimicus, eſſe potius comparandos. In altera parte, quamvis Auctor conceptis verbis (a) monuerit ſe *de ſola Divinitate* Jesu Christi *tractaturum, non autem de ejus Incarnatione*, (ſive de unione Divinitatis cum humanitate) *neque etiam de SS. Trinitate, quandoquidem de iſtis ſeorſim & diſtincte agi poſſit*; tu tamen (b) illum introducis

(a) pag. 4.

(b) Bibl. pag. 170.

troducis *tanquam alicui Sinenſi Philoſopho*, ut ſupponis, *librum ſuum offerentem, ſtatumque quæſtionis* (a) explicantem de *tribus perſonis* Divinitatis deque *unione hypoſtatica ſecundæ perſonæ cum humanitate Jeſu Chriſti:* ubi evidentiſſime omnibus notum facis, te libris, de quibus recenſes, (illis ſaltem qui Socinianis opinionibus non favent,) materiam & ſubjecta ad lubitum ſolere & imponere & pervertere: ſed nempe ſine eo jocis coram Philoſopho Sinæ de Orthodoxorum ſententia a te exhibendis, locus non fuiſſet. Hoc vero tertia relationis pars continet, ubi hominem Sinenſem ethnicum (egregium arbitrum rerum ſpiritualium, quæ, teſte Paulo, homini animali, Spiritum Dei non habenti, ſtultitia ſunt,) Judicem conſtituis ſententiarum orthodoxarum, ad ſequentes quæſtiones a te per ludibrium reductarum. 1. *An in Deo ſint tres diſtinctiones, quarum nulla habetur idea, & inter quas certa ſint relationes, quarum etiam nulla habetur idea?* 2. *An ſecunda ex his diſtinctionibus incognitis unita fuerit humanitati J. Chriſti modo pariter incognito?* Ubi præter materiæ falſam ſuppoſitionem, nemo non videt, myſteria divina in favorem Socinianarum partium perverſis iis modis a te exprimi, qui non ethnicis aut profanis ſolum, ſed omnibus etiam aliis riſum movere queant. Atqui ut ſincere ex Auctoris mente ſtatus quæſtionis recte fuiſſet expoſitus, ſic dicendum erat: „An illi qui agnoſcunt Deum eſſe omnipoten„tem, incomprehenſibilem & veracem, ſe vero ne dicam æger„rimi, ſaltem tenuiſſimi captûs, ne pili quidem naturam capien„tis, vermiculos; quique præterea agnoſcunt aliquem librum, „puta Scripturarum codicem, eſſe a Deo prolatum; non de„beant, quando liber ille teſtatur Deum ipſum ad nos veniſſe, „eumque eſſe qui locutus eſt nobis, nos docuit, vixitque inter „nos cum certo corpore certaque anima, &c. id ipſum credere, „etſi id quomodo factum ſit non capiant; an vero id rejicere ea „de cauſa, quod id non comprehendant? Item de SS. Trinitate, (ſi de ea fuiſſet agendi locus) „An illi iidem, inter quos de Dei „incomprehenſibilitate, ſui ipſorum captûs tenuitate, Scriptura„rumque Divinitate conſtat, non debeant, Scripturis teſtantibus „Ternarium quoddam Sanctum in Deo dari, id ipſum, etſi non „perceptum, credere; aut vero id negare, & Scripturam verbis „vim inferre, ideo quod id non comprehendant? Atque hinc certum eſt vel Sinenſes illos tuos ſententiam dicturos contra omnes quot-

(a) Ib. pag. 371. 372.

quotquot hæc negaturi eſſent poſtquam de principiis dictis inter eos convenerat, maxime vero quando hi negantes fatebuntur ſe Spiritu Dei præditos non eſſe, imo ſe ejus gratia, illuminatione & operatione interna opus non habere; dum tamen ille liber, quo nituntur, dicit, ſine Spiritu Dei ea quæ ſunt in Deo concipi non poſſe, necnon ea ſine eodem videri debere non falſa ſolùm, ſed etiam ſtulta & abſurda: quæ ipſiſſima ratio eſt ob quam iſti gratiæ Dei internæ inficiatores dicunt ſe divina illa myſteria nolle admittere, quod ſcilicet ipſis abſurda & non cohærentia videantur. Sed de hoc articulo ſatis. In quarta parte Relationis tuæ (cetera quæ huc nil faciunt ne tangam,) ubi Sectionum libri contenta refers ſpecialius, ter vel quater imponendo inculcas, ad argumentorum vel concluſionum Auctoris agnitionem vel admiſſionem, *debere ſupponi veras eſſe interpretationes Scripturæ ab eo allatas*: qua in re eodem prorſus agis modo atque ſuperius dixiſti, me promiſiſſe demonſtrationes modo ſupponantur lectores eas cum fide recepturi: aut velut ſi cui demonſtrationes mathematicas offerenti, opponeretur a cavillatore aliquo, agnoſcendum utique eas eſſe veras, modo ſupponantur bene ex principiis deductæ. Atqui hic tantùm, uti æquum eſt, unum hoc ſupponitur, ſcilicet, lectores ſinceritate mentis & judicii integritate præditos eſſe. Quod autem demonſtrationes ex principiis ſint bene deductæ, hoc non ſupponitur; ſed in ipſis demonſtrationibus id continetur probatum; quemadmodum etiam in argumentis Auctoris Clariſſimi non ſupponitur, ſed probatur Scripturarum ſenſum talem eſſe atque ab ipſo proponitur: quod de ſubſtantia totius Operis a me lecti teſtari poſſum ita eſſe, & teſtabuntur qui lecturi ſunt, modo tantum ſupponantur, ut dictum, lectores ſinceritate mentis & judicii integritate non deſtituti.

3. In libro, *Entretiens ſur diverſes matieres de Theologie*, cujus partem primam etſi non a te compoſitam, ut tamen a te editam & tuis principiis conformem in præfatione tua approbas, citatur aliquoties (*a*) Voſſius, veluti qui peccati Originalis probationibus vobiſcum & cum Socinianis adverſaretur; aut qui objectionibus quibus id impetitur, faveret: imo exſtat (*b*) Objectio ſequens, quam dicitis *ab ipſo relatam, nec tamen ſolutam. Adamus ſuam poſteritati peccatum tranſmittere nequivit niſi tanquam cauſa aut moralis, aut phyſica & efficiens: non enim datur medium. Atqui id non potuit*,

(*a*) Entret. pag. 181.
(*b*) Ibid. pag. 195.

Digitized by Google

tuit, &c. deinde eum excuſare conamini (a) *a mala fide, quod ita cauſam ſuam prodiderit*, hanc ſcilicet objectionem proferendo, nec tamen eam ſolvendo. Quis non credat vobis loca libri citantibus, ubi hæc ita ſint reperienda? Ego ſane id ſic eſſe primum credideram, idque Voſſii, ac ejus libri (egregii ſane) exiſtimationem apud me non parum minuerat antequam eum perlegiſſem; imo per veſtrum teſtimonium ab ejus libro tanquam lectione minime propterea digno, non parum abſterrebar. Sed mihi aliquando, neſcio quo caſu, in eum librum incidenti, eumque pervolventi, rediit in mentem memoria hujus loci, quem quæſivi, & ecce, reperi non ſine admiratione Voſſio indigne a vobis imponi. Namque Voſſius in loco a vobis laudato, tantum abeſt ut *cauſam ſuam nil reſpondendo prodat*, ut eam e contrario confirmet admodum ſolide. Inſuper ſpecialiſſime dictum argumentum duobus modis ibidem bene ſolvit, expreſſe dicens: (b) *Adam id* (tranſmiſſionem peccati ſui ad poſteros) *moraliter operari: quatenus nempe per actum moralem ac liberum ſibi ac poſteris meritus eſt privationem juſtitiæ originalis. Quanquam autem Adam directe non phyſica, ſed ſolum moralis ſit originalis peccati cauſa; tamen indirecte etiam phyſica ejus cauſa dici poteſt, quatenus nempe eſt realis cauſa illius cauſæ ad quam privatio juſtitiæ conſequitur*. Ecce, quam aperte duobus modis declaret contrarium ejus quod ipſi attribuebatis! imo vel à præfatione operis ſui id notabiliter ipſemet inculcat: *Oſtendi*, inquit, *quam vere olim ſcripſerit Vincentius Lirinenſis, neminem ante prodigioſum Pelagii diſcipulum Cæleſtium, reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negaſſe adſtrictum*. Sed hicce Voſſii locus ad ſequentem obſervationem commodius poterit referri.

(a) Ibid. pag. 196.

(b) Voſſ. Hiſt. Pelag. lib. II. par. 3 Theſ. 1. pag. 221. edit. ſec.

4. In dicto tuo libro, necnon & paſſim in aliis, ſæpiſſime tribuitis Eccleſiæ primitivæ, ejuſque Doctoribus, corruptionis nativæ omnium qui naſcuntur ignorationem; & hujus corruptionis aſſeverationem Auguſtino ſoli ita adjudicatis, (c) acſi ille rem antea incognitam, excogitaviſſet omnium primus: qua in re tam Eccleſiæ primitivæ quam Auguſtino falſum profecto impingitur. Et ne quis de hoc dubitet, legatur, ſi placet, Voſſius in hiſtoria Pelagiana, vobis aliquoties allegata, (d) ubi is vel viginti tres paginas teſtimoniis Veterum Auguſtino priorum & hocce argumentum aſſerentium replevit, ad occaſionem & probationem hujus ſuæ theſeos: *Probat hoc dogma Auguſtinus e ſcriptis priorum Patrum*, *quorum*

(c) Vid. Entret. p. 115. 116. 124. 125. 127. &c. item Liberii de S. Am. Ep. VI. p. 164.

(d) Lib. II. par. 1. th. 6. p. 158. &c.

quorum luculenta adeo teſtimonia depromit, (*nec minus illuſtria ſunt quæ præteriit*,) *ut plane ſit mirandum vel olim fuiſſe*, *vel hodie inveniri qui hanc doctrinam Auguſtini eſſe commentum putent*, *atque id porro aliis perſuaſum velint*. Deinde poſtquam huic exprobrationi, a Pelagianis Auguſtino factæ, eum *originale peccatum confinxiſſe*, Auguſtinum ita reſpondentem adduxiſſet; *Non ego finxi originale peccatum*, *quod Catholica fides credidit antiquitus*; *ſed tu*, *qui hoc negas*, *ſine dubio es novus hæreticus*; pergit Voſſius, & profert in dicti fidem e Græcis quidem Ignatium Antiochenum, Juſtinum, Tatianum, Irenæum, Origenem, Methodium, Macarios duos, Athanaſium, Cyrillum, Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Iſychium, Chryſoſtomum, necnon ex Auguſtini coævis, & ex iis qui eum ſecuti ſunt, aliquot alios: e Latinis autem Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Reticium, Olympium, Hilarium, Ambroſium, Optatum Millevitanum, Prudentium, Hilarium Diaconum, Hieronymum; quæ agmina hac quæſtione Vincentii Lirinenſis claudit: *Quis unquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præſumſit arbitrii*, *ut ad hoc in bonis rebus per actus ſingulos adjuvandum neceſſariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigioſum diſcipulum ejus Cœleſtium reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negavit adſtrictum?* Interim tamen hæc viſa & lecta non impediunt quo

(*a*) Entret. p. 115. 116. minus per te & ſocios omnibus perſuadeatur, (*a*) *nil magis diſtare a fide totius Eccleſiæ Auguſtinum præcedentis*, *quam credere*, *uti ille*, *omnes generaliter & æqualiter eſſe corruptos per peccatum Adæ*: eumque eſſe primum qui hanc doctrinam e *Schola Manichæorum* in medium produxerit.

(*b*) Entret. p. 345. 346. p. 358. 365. 5. Similia de gratia Dei neceſſaria & intus operante (*b*) & tribuis tum Eccleſiæ, quaſi hæc eam ante Auguſtinum ignoraſſet; tum Auguſtino, veluti qui ejus primus Auctor eſſet: unde & Gratiam Divinam per ludibrium *Gratiam S. Auguſtini* appel-

(*c*) Entret. pag. 325. (*d*) Voſs. Hiſt. Pelag. Lib. III. par. 1. & 2. maxime a pag. 278. ad 304. las (*c*). quam falſo autem utriſque, Eccleſiæ & Auguſtino, impoſitum ſit, demonſtrat Voſſius (*d*) enarratis in eodem libro quam plurimis Latinorum & Græcorum Patrum teſtimoniis, omni exceptione ſuperioribus, ac plus vel viginti paginas occupantibus.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

De D. Cl. in Sanctiores Patres, Auguſtinum præſertim, invectionum continuarum ſimilibus cauſis, fide & æquitate; deque genio ejus deriſorio.

Non jam neceſſe crediderim plura ut adducam exempla, quibus pateat quantum tibi poſthac de aliorum mente aut ſcriptis argumenta tibi minus grata tractantibus referenti credendum ſit: ea enim ob copiam tædioſa nimis eſſent; ob ſuperfluitatem vero etiam inutilia. Sed patere, quæſo, ut illuſtre magni Auguſtini exemplum, nec tædio nec diſpendio futurum ſuperaddam, in quo & ſimilia & multo plura peccare geſtis quam in aliis quibuſcunque, idque modis, ut mihi quidem videtur, omnino improbis & inhumanis, quibus ſanctiſſimum Eccleſiæ Præſulem, eo quod per ejus doctrinam Socinianiſmus & Pelagianiſmus potentiſſime profligentur, amorque proprius ac ſuperbia cordis vividius vulnerentur & impugnentur, atrociter inſectaris & improbe exagitas, eumque ubivis in ſcriptis omnibus tuis, ludibrio omnium ita exponere ſatagis, ut paſſim illic audiat *Manichæus converſus*, *a Manichæiſmo male ſanatus*, *peſſimus Scripturarum interpres*, *declamator quicquid in buccam venit effutiens*, *ſomniator perpetuus*, & ſi quæ alia ejuſmodi dicteria vel eouſque inſolentiæ graſſantia, ut etiam carmina Italica (*a*) in ejus dedecus dictites: qua quidem occaſione tum artes illæ tuæ, multis hactenus documentis oſtenſæ & laudatæ, porro magis magiſque apparebunt; tum ego aliquid inſuper de deriſoria tua methodo ſpecialius poſtmodum *concionabor*. Ita enim moralia & practica, quæ quandoque ſcriptis meis interſero, interdum ſoles, ut noſti, per irriſionem coram aliis appellare.

(*a*) Entret. p. 369.

Tria ſunt in Auguſtino ſpecialia quæ palato tuo haud penitus arrident: 1. doctrina de corruptione noſtra originaria; 2. doctrina de gratiæ divinæ intus operantis neceſſitate ad ſalutem; 3. de hujus gratiæ aliis impertiendæ, aliis vero non dandæ particularitate, ejuſque irreſiſtibilitate, ſive de prædeſtinatione abſoluta & particulari: quæ ſingula nil opus eſt hic exactius explicare. Et horum quidem primum atque alterum Pelagianiſmo,

Digitized by Google

atque adeo amori proprio & ſuperbo non poſſe non eſſe inviſa, nil opus eſt nùnc ut moneam: at vero quotquot ſecundùm Euangelii principia prima a Chriſto præ omnibus inculcata, ſe ipſos odiſſe & deprimere amaverunt, de hiſce non modo ſemper conſenſerunt, ſed & ea pro fundamentis *fidei* & *ſpei* ſuæ non dubitaverunt aſſumere. Etenim quis Deo fidat niſi ſibi ipſi diffidat? & quis ſibi diffidat, niſi fundi & principii ſui impotentiam & corruptionem vere agnoſcat? Porro quis ſe ſuaſque animæ facultates, deſiderium, intellectum & ceteras fidenter tradat atque concredat Deo, niſi eum intimorum animæ opitulatorem ſolum, adeoque neceſſariam internarum ſanationum & ſalutis efficientem cauſam agnoſcat? Tertium autem, de gratià quibuſdam tantum, idque irreſiſtibili modo impertienda, aſſumſerunt quidam alioqui Orthodoxi, eo præcipue inducti, quod libertatis idea vera carentes, timuerunt ne ſi in libertate hominis conſtituerent gratia potiri vel non potiri, ſalvari vel non ſalvari, ſequeretur inde hominem ſalutis ſuæ cauſam eſſe, & divinæ gratiæ dominatorem: quod ut amoverent, ceu primæ atque ſecundæ veritati modo dictæ adverſum, nec non amori proprio ac ſuperbiæ hominis favens, docere maluerunt, gratiam qua ſalvamur ſic a Deo pendere, ut, cum contingat eâ non omnes ſalvari, Deus eandem quoque neque dederit, neque voluerit omnibus dare; ſed nonnullis tantum, qui vero ea infallibiliter ſalvarentur. Et hoc quidem è bono principio amoris Dei, (quo ſolam ejus gloriam quærere intendebant,) ex odio autem amoris proprii atque ſuperbiæ, (quo omnem gloriandi anſam homini præreptam volebant,) defenderunt. Ceteri autem Orthodoxi in hànc non iverunt ſententiam; ſed quæ aliis difficultatem movebant cum ipſi aut prætermitterent omnino, aut forte etiam ſolvere poſſe ſibi viderentur, cumque præterea putarent amorem Dei magis promoveri, & homines potentius ad eum poſſe impelli, ſi doceretur gratiam divinam omnibus quidem offerri, at liberum eſſe cuivis eam admittere, aut ſecus; hanc doctrinam quoque amplexi ſunt, quæ non ſolum tempore Auguſtini, & poſt eum, ſed & dudum ante eundem viguit, & apud omnes fere obtinuerat, uti e teſtimoniis Patrum apud (*a*) Voſſium videre eſt, & hodie in Eccleſiæ Romanæ maxima parte adhuc apparet. Aſt qui ſuperbiæ & amoris proprii cauſam agebant, non modo ex principiis ſuperbæ ac cor-

(*a*) Hiſt. Pelag. Lib. VII. part. 1 & 2.

corruptæ philautiæ veritatum harum primam & alteram, Auguſtino cum primæva Eccleſia communes, impugnarunt; ſed & in tertia voluerunt voluntque adhuc videri ſenſui quidem Auguſtini adverſari, cum aliis vero orthodoxis ea in re conſentire: quod fallax ſolummodo larva eſt. Nam quid ad eos particularitas aut univerſalitas, reſiſtibilitas aut irreſiſtibilitas gratiæ Dei internæ, qua interiora noſtra ſanantur, vivificantur & reguntur & ſalvantur; quando ipſi aliam gratiam ſuperficiariam & fucatam, cordibus ſuperbis ac corruptis (univerſaliter & reſiſtibiliter, an ſecus, ipſi viderint,) incruſtandam, ſubſtituunt & intelligunt? Itaque ſententiam de Gratia Univerſali neque ſenſu orthodoxo neque principiis orthodoxis ullo modo defendunt. Nempe, non ex humilitate intima & ex ſolo ſtudio divinæ gloriæ dicunt aut docent, Dei gratiam ſalutarem intimè omnibus offerri, ut eam, ſi velint, non quidem cauſentur ſive efficiant, ſed eam intimo conſenſu admittant ſinantque in ſe agere, quo illa operationibus ſuis ipſos illuminet, ſanet, perficiat: verùm ex ſuperbia, quæ non vult reprobari, ſed amari; & ex amore proprio, qui non vult damnari, ſed ſalvari, docent; Deum omnes homines amare, illoſque ſalvare velle externis ejuſmodi mediis quæ ipſi ſuperbi, ſuique ipſorum intimi amatores, ſine ſui odio & abnegatione, ſine miſeriæ intimæ agnitione, ſineque Dei interno auxilio, optime adhibere queant, atque ita de ſalute ſuperbo amori ſuo danda ſibi gratulari poſſint. Quæ profecto Pelagianæ gratiæ Univerſalitas Auguſtiniana prædeſtinatione & gratia particulari multo eſt deterior: hæc enim cum fundamentis fidei ac ſpei omnino conſiſtere poteſt, imo & in anima ſancta ineſſe, quod alicubi diductius (a) de Auguſtino oſtendi: illa verò & fundamenta fidei modo dicta diruit; & ſi valeret, ſique ſuperbos ac philautia captos ſalvaret Deus, hic vel ipſorum Dæmonum (abſit dicto blaſphemia) fautor fieret ac ſocius, quod jam deterius eſt quam, Auguſtino quem recentiores tecum objiciunt Pelagiani, Manichæiſmus. ſiquidem Manichæi tametſi principia oppoſita duo boni & mali ſtatuebant, ea tamen nunquam ſecum concilianda ſtatuebant; hîc verò per methodum Pelagianam, uniri ac conciliari poſſent. Quoniam autem Auguſtinus, qui cum Eccleſia Catholica in fundamentis de corruptione & de gratia interna conſentiebat, diſſentiebat tamen in tertio

(a) Oecon. Div. Lib. V. cap. 7. n. 15, 16. & Lib. VI. p. 786.

illo quodam minus præcipuo; Pelagiani vero, qui duo illa prima ſalutis fundamenta concutiunt, in tertia iſta ſententia cum prioribus pleriſque aliis orthodoxis, de univerſalitate ſcilicet gratiæ & libertate circa eam conſentiunt ſolum quantum ad ſpeciem & nominationem; non autem quantum ad rem, quæ (ut dictum) ſub ejuſdem nominis ambiguitate eſt in utriſque diverſiſſima: evenit hinc, ut & hi, Pelagiani, propter eam ſpeciem nominalem ſolùm & fallacem, ſeſe fallaciſſime cum Catholicis illis primis ac ſi de re ipſa inter eos conveniret in ſolidum, componant; tum vero poſtea Auguſtino ſeſe opponentes in omnibus, Eccleſiam primitivam (cum qua ſe æquivocationis beneficio fallaciter & indiſtincte compoſuerant) adducere audent velut a ſuis partibus ſtantem contra Auguſtinum: quem, quia is per veram doctrinam de corruptione hominis & de gratiæ Dei neceſſitate ſeſe fortiſſime & cum ſucceſſu oppoſuit ſuperbiæ Pelagianæ & amori proprio, atrociter propterea inſectantur & implacabili odio traducunt, quo de eo aperte, deque omni puriore ante eum Chriſtianiſmo, in hiſce cum illo quantùm ad rem concordante, implicite vindictam ſumant in perſona Auguſtini, quem idcirco omnis generis artibus inviſum omnibus reddere allaborant. Atque niſi, præter generale & nativum corruptæ naturæ contra veritatem odium, de quo ſupra, haſce etiam ejuſdem pertinacis odii tui in Auguſtinum ſpeciales cauſas in te agnoſcas, orandus eſt Deus interiora tua tibi ut aperiat; in libellis enim tuis, iis præſertim quos in Simonium (a) ſcripſiſti, quæ modo dixi omnia ſe plus ſatis talia produnt: quæ non ex charitate veritatis, ſed ex affectibus & odii indefeſſa malignitate teſtentur ſe emanare.

(a) Sentimens Epiſt. 16. p. 357, &c. Defenſ. des Sent. Epiſt. 14. p. 367.

Quod ſi enim ex charitate cum eo ageres, immenſæ quæ in anima Præſulis ſancti inerant, vel hoſtibus non renuentibus, virtutes, præſertim quæ omne ferunt punctum, Dei proximique amor cum profundiſſima humilitate, tibi millies plus erant ubique laudandæ, quam exprobrandus unus aut alter nævus neque voluntarius & vero ei incognitus: errata enim ſua ſi qua cognoſcebat, nedum retinere vellet aut excuſare vel defendere, ſolebat ille deplorare, & vel publico etiam ſtylo coram Deo & hominibus ea mentis ſinceritate iiſque modis confiteri, ut ſentire poſſint quotquot audiunt, in ſanctiſſima atque humillima anima

non

non fuiſſe dolum. Tu tamen ad hæc & ſimilia nullus attendis, neque ad infinitas & ſalutares veritates a ſancto Doctore ad promotionem Amoris Dei & virtutum Chriſti vividiſſime prolatas: ſed aranearum mos videtur tibi magis arriſiſſe, vel ex floribus optimis venena legentium. Locos aliquot fabricas communes, ut pietatem Veterum in ſuſpicionem adducas quaſi aliter ſcripſerint, aliter vixerint: ſed quæ in S. Auguſtinum, cujus vitæ bona & mala omnia ab amicis & inimicis, imo & a ſe ipſo (omnium ſibi maxime inimico) diſcuſſa & publicata ſunt, nullo modo quadrant: deinde ubi aliquod ſphalma tibi in eo deprehendiſſe videris, nedum ea moderatione agas quo in Grotio tuo aut Hammondo ſimilia interdum annotas, ut ne quidem, velut propriæ infirmitatis conſcius, modum illius hypocritæ in Euangelio, fratrem, at modeſte tamen, de feſtuca monentis cum trabs ei oculum premeret, in tuis caſtigationibus obſerves: ſed veluti oblitus mandati Dei, quo parentes, hoc eſt, & ſeniores etiam, & canos capillos, & eos qui in Eccleſia Dei ceteris in Chriſto inſtituendis præfuerunt, atque jam in pace cum Deo requieſcunt, honorare tenemur; æmulusque facinoris Chami, qui venerandi patris nuditatem reliquis irridendam enunciabat, (unde ipſe cum poſteris meritò maledictus eſt,) ſoles non modo ſanctorum Patrum nuditatem (ſi qua forte eſt) toti Mundo cum ſarcaſmis annunciare, & vel ſexcenties repræſentare; ſed & eam ſæpe quæ non eſt, effingere, & quoſvis ad eam videndam provocare, ad quam cum ventum eſt, eam (ſi fieri poſſit) tegendi gratia, non modo nulla apparet, ſed potius contrarium.

Exempli gratia, nemo eſt eorum qui leget quæ de Auguſtino ſcripſiſti in libro ad marginem (a) deſignato, a pag. 366 ad 371, qui non putet S. Auguſtinum ea fuiſſe mentis crudelitate & *inhumanitate*, ut crediderit & *docuerit* licitum eſſe orthodoxis hæreticos aut errantes cogere ad ea quæ ſunt *contra lumen conſcientiæ ſuæ* circa OPINIONES quas fovent; idque per vim, & quidem eos vel MORTE *afficiendos dum creduntur eſſe in ſtatu damnationis, ut, quemadmodum videtur, horribilis quædam voluptas ex damnatione iis procurata, captetur.* Niſi hanc Auguſtini ideam ex contextu tuo, qui longior eſt & artificioſior, lectores quicunque formabunt, eorum cuivis in me judicio lubentiſſime ſubſcribam. Ipſemet conceptis verbis ais, ex ejus doctrina ſequi, *potentiorem quemque jus*

(a) Defenſe des ſentimens des Theol. de Holl.

pag. 369, 370.

jus habere perſequendi alios, & prout quiſque de ſuis OPINIONIBUS *perſuaſus eſt, creditque alios errare; ita in conſcientia tenebitur eos perſequi.* Appellas item ejus doctrinam (*a*) *abominandam.* Ais ibidem, & in Bibliotheca tua (*b*) idipſum repetis, *Subtiliſſimum omnium Patrum tranquilla mente promulgaſſe omnium doctrinarum, de quibus unquam inter homines auditum quidem ſit, inhumaniſſimam*; & talem (in fine epiſt. tuæ) agendi morem ei tribuis, ut tibi ipſe quaſi ſuccenſeas, quod de eo non *minori cum reverentia ſis locutus.* Eouſque igitur tua in illum procedit maltevolentia, ut per te non ſtet, quin tanquam immanem, ſanguinariam & Diabolica malitia repletam animam totus mundus Auguſtinum horreſcat & abominetur.

(*a*) p. 367.
(*b*) Bibl. Un. Tom. III. p. 122.

Atqui hæc nec in mente nec in ſcriptis Sanctiſſimi viri exſtare, neque ex eis conſequi, ſed meras eſſe in illum invectivas, calumnias & impoſturas, advertere poteſt quiſquis eas, quas ex Epiſtola quadam ejus ad Vincentium allegaſti, lacinias legens, obſervabit lecta tota ejus Epiſtola, aliiſque ejuſdem argumenti, omnia quæ ille de certis quibuſdam ſubjectis ſive materiis dixit, te ad diverſa prorſus ſubjecta detorquere, quæ (arte tua conſueta) ſubſtituis illis de quibus apud Auguſtinum erat quæſtio. Nam apud illum cum Donatiſtis agentem, neutiquam agebatur de rebus (*c*) fidei ſive de articulis qui reſpicerent credenda ad ſalutem, neque igitur, ut quis ad ea ullo modo, multo minus mortis ſupplicio, cogeretur credenda. Sed ibi quæſtio eſt de præſtanda externa obedientia Superioribus in rebus diſciplinæ, deque conſervanda pace, circa rem facti & perſonalem a Judicibus legitimis, quos ipſæ partes (Donatiſtæ) petierant, imo & a Summa Poteſtate deciſam & juſſam. Ad quam obedientiam refractarios potuiſſe a Poteſtatibus cogi, idque etiam capitalibus pœnis, ſi pertinacem rebellionem ſceleribus & homicidiis, furioſiſque cædibus & ſævitia defendant, nemo, niſi plus æquo indulgentior, aut etiam ſceleris propugnator, negare audebit. Atqui ſic res ſe habebat cum Donatiſtis, de quibus Auguſtinus. Non erat Secta de rebus fidei diſceptans, & a Catholicis circa has diſſentiens; ſed erat turba nefarie rebellantium in ſuos Præfectos, quibus quantum ad externa ſubjici recuſabant. Epiſcopo, Superiori ſuo legitime electo, debitam in externa diſciplina obedientiam negant, eum rejiciunt, alium ſeditioſe conſtituunt, poſtulant

(*c*) Vide quæ circa hæc fuſius annotavit D. Claude in Parte III. cap. 4. Defenſe de la Ref.

lant Judices quorum ſe ſubjiciant ſententiæ; renuunt eorum ſententiæ ſubjici: alios bis & ter poſtulant quorum ſtetur deciſioni: deciſionem Judicum toties rejiciunt: Cæſarem appellant; cjuſque deinde ſententiæ quæ ad pacem tantum & obedientiam externam erat, non autem ut creditos antea ullos articulos immutarent, nuntium mittunt: tum videntes ſuos agendi modos ab omnibus Eccleſiis condemnari, inſurgunt odio in omnes totius orbis cœtus, & inobedientiæ ſuperaddunt poſtea tumultus, ſeditiones, furores quoſvis, perſecutiones, homicidia & cædes, etiam Epiſcoporum & Presbyterorum, incendia aliaque tragica & horrenda non pauca. A quibus ſi qui eorum reſipiſcere & ad obedientiam redire volebant, hi & domus eorum funditus a ſociis illis ſuis evertebantur: adeo ſeſe ad pacem redigi & frugem, nolebant pati, quin potius tum ſe ipſos, tum Eccleſiam totam ſuis furoribus & perſecutionibus magis magiſque perturbare pergebant. Hic tandem inter Catholicos Epiſcopos quæſitum eſt, Num adverſus immanes iſtos perturbatores imploranda eſſent ab Eccleſiaſticis Imperialia Edicta, ut ad ordinem ipſi compellerentur? Auguſtinus, qua erat indolis manſuetudine, negabat Eccleſiaſtico Ordini aliis hac in re mediis utendum eſſe quam monitis & patientia adverſus illos: ceteri Epiſcopi cenſebant ſibi Chriſtianorum Imperatorum leges atque auctoritatem eſſe interpellandas: & hoc factum eſt. Interveniunt ergo, imo præveniunt, quæ immanem inobedientiam & rebellionem coërcerent Imperiales leges, non eæ de capite; ſed quæ bona ſolum aut quorundam exilium reſpicerent: non quæ ullos cogerent immutare fidem; ſed quæ juberent ut rebellioni renunciarent, & in concordiam cum illis redirent, quibuſcum jam antea una erat fides. Hæ leges effectum optatum, reductionem in concordiam, in omnibus fere ſortiuntur. Id ex eventu probat Auguſtinus, & mutat priorem ſuam ſententiam, qua antea opinabatur, refractarios iſtos non niſi verbis Paſtorum, non autem juſſis & pœnis Poteſtatum ab Eccleſiaſticis appellandarum, ad ordinem & obedientiam externam compellendos eſſe. Quid hîc Auguſtino poſſit vitio verti? Quid huic ſententiæ cum illa immani, quam ei imponis, intercedit, niſi forte quædam voces, dum aliquoties forte ſchiſmaticos & refractarios dicit *hæreticos* pro ſenſu vocabuli eorum temporum; & obedientiam æquitatemque, nominat *veritatem*

Vid. Epiſt. Auguſt. ad Bonifacium (quæ eſt 50. in Edit. Altorf. 1668.) ubi tota hiſtoria diducté narratur.

tatem vel fortè *fidem*, unde res fidei cum rebus diſciplinæ ab incautis forſitan confundi poſſent, quando interim ſubjecta & cauſæ, necnon & effecta, ſunt diverſiſſima? Et revera nullum ex omnibus Patribus eligere potuiſſes, cui minus tua illa de immanitate & crudelitate mentis ac doctrinæ impingi poſſet accuſatio: præ ceteris enim omnibus relucet (*a*) in eo ſcriptiſque ejus ſingularis omnino Spiritûs Chriſti manſuetudo & cordis humilitas incomparabilis. Quin eouſque Sanctus Vir abhorruit ab infligendis pœnis atque a ſanguine fundendo, ut etſi Donatiſtæ ob cædes commiſſas ejuſmodi pœnis ſeſe obnoxios reddiderant, eum tamen Interceſſorem potentiſſimum habuerint, nedum videndus ſit *gaviſus morte aut damnatione pereuntium*, pro iniqua ſuſpicione tua. Ecce enim quæ ad Proconſulem Africæ Donatum ea de re ſcribebat. (*b*) *Pertimeſcimus ..... ne tu pro immanitate facinorum, at non potius pro lenitatis Chriſtianæ conſideratione, cenſeas* [malum a Donatiſtis Eccleſiæ illatum] *coërcendum: quod te per* JESUM CHRISTUM *ne facias, obſecramus. Neque enim vindictam de inimicis hac in terra requirimus, aut vero ad eas anguſtias animi nos debent coarctare quæ patimur, ut obliviſcamur quid nobis præceperit pro cujus veritate ac nomine patimur, qui diligimus inimicos noſtros, & oramus pro eis. Unde ex occaſione terribilium Judicum ac legum, ne in æterni judicii pœnas incidant, corrigi eos cupimus, non necari; nec diſciplinam circa*

(*b*) Epiſt. 127. Edit. Altorf.

(*a*) Libet hic magni Eraſmi de Auguſtini indole judicium apponere, quod ejus præfixit Epiſtolis, e quibus ait *totum cognoſci Auguſtinum, & eluceſcere ſanctiſſimi viri pietatem, charitatem, manſuetudinem, humanitatem, civilitatem, ſtudium crediti gregis, amorem concordiæ, & zelum domus Dei. Ut ſatagit* (inquit), *ut molitur, ut ſe vertit in omnia quoties affulſit aliqua ſpes pentrahendi vel paganum ad Chriſtum, vel hæreticum ad Eccleſiæ communionem! Ut ſe ſubmittit! ut, juxta Paulum, mutat vocem ſuam, undiquaque venans occaſionem excitandæ propagandæque pietatis ubicunque ſentit aliquam bonæ mentis ſcintillam reſidere! Cui muliercalæ, cui plebeio, cui aulico, cui pagano, cui hæretico, non prompte, manſuete, blandeque reſpondet? Quam anxia ſollicitudine pro ſceleratiſſimis nec una morte dignis Circumcellionibus* [hi ipſimet erant furentes illi ac rebellantes è Donatiſtis,] *intercedit? Quis majori ſtudio pro ſuis amicis interpellavit quam ille pro ſuis hoſtibus? Quanto nixu parturit omnes Chriſto! Quam gratulatur reſipiſcentibus! Quam ſollicite proſpicit periclitantibus! Quam ſedulo docet errantes, erudiri ſtudens omnibus, perdere neminem! Quam miſere uritur ad quodvis exortum offendiculum! Videas vere gallinam Evangelicam ſollicitam & anxiam ut ſub alas colligat foveatque pullos ſuos. ... Sive docet, ſive corripit, ſive pugnat cum deploratis hoſtibus, nuſquam non ſentias Chriſtianæ Charitatis nativam dulcedinem, ut (ſi tamen congruit hæc collatio) mihi videatur quendam e comœdia referre Mitionem, qui tum etiam mitis eſt cum objurgat maxime. In hoc uno velut in ſpeculo, contemplari licet Epiſcopum qualem depinxit Apoſtolus. &c.* Ita probi de probis teſtantur.

circa eos negligi volumus, nec ſuppliciis quibus digni ſunt exerceri. Sic igitur eorum peccata compeſce, ut ſint quos pœniteat peccaſſe. Quæſumus igitur ut cum Eccleſiæ cauſam audis, quamlibet nefariis injuriis appetitam vel affectam eſſe cognoveris, poteſtatem occidendi te habere obliviſcaris, & petitionem noſtram non obliviſcaris. Non tibi vile ſit neque contemtibile, Fili honorabiliter dilectiſſime, quod vos rogamus ne occidantur pro quibus rogamus Dominum ut corrigantur, excepto etiam quod a perpetuo propoſito recedere non debemus vincendi in bono malum. Illud quoque Prudentia tua cogitet, quod cauſas Eccleſiaſticas inſinuare vobis nemo, præter Eccleſiaſticos curat. Proinde ſi occidendos in his ſceleribus homines putaveritis, deterrebitis nos, ne per operam noſtram ad veſtrum judicium aliquid tale perveniat: quo comperto, illi in noſtram perniciem licentiore audacia graſſabuntur, neceſſitate nobis impacta & indicta, ut etiam occidi ab eis eligamus, quam eos occidendos veſtris judiciis ingeramus. Hanc admonitionem, petitionem, obſecrationem meam, ne, quæſo, aſpernanter accipias. Adde & locum de iiſdem (Grotio ipſi (*a*) laudatum) ad Marcellinum Tribunum: (*b*) *Mihi ſollicitudo maxima incuſſa eſt ne forte ſublimitas tua cenſeat eos tanta legum ſeveritate plectendos, ut qualia fecerunt, talia patiantur. Idque his literis obteſtor fidem tuam, quam habes in Chriſto, per ipſius Domini Chriſti miſericordiam, ut hoc ne facias, nec fieri omnino permittas*, &c. Tota legenda eſt ardentiſſimæ interceſſionis Epiſtola: uti & illa ad Apringium Judicem tota, quæ ſic concluditur: *Contendo ergo bonitate cum multis. Illi ſcelere immani membra de vivo corpore avulſerunt*; (oculos eruerant truculenter Catholicis nonnullis Donatiſtæ) *tu opere miſericordi effice ut illa quæ nefandis operibus exercebant, alicui utili operi eorum membra deſerviant. Illi non pepercerunt correctionem ſibi prædicantibus Dei ſervis; tu parce comprehenſis, parce ductis, parce convictis. Illi impio ferro fuderunt ſanguinem Chriſtianum; tu ab eorum ſanguine etiam juridicum gladium prohibe propter Chriſtum. Illi miniſtro Eccleſiæ occiſo, extorſerunt ſpatium vivendi; tu inimicis Eccleſiæ viventibus relaxa ſpatium pœnitendi. Talem te oportet eſſe in cauſa Eccleſiæ Judicem Chriſtianum, petentibus, monentibus, intercedentibus nobis*, &c. Infinita ejuſmodi adduci poſſent, niſi hæc ſufficerent ad animam mitiſſimam glorioſamque famam Sanctiſſimi Viri a crudelitatis calumnia ei a te pro tuo in illum odio impoſita vindicandam. Cui certe calumniæ magis obnoxius eſſet Eraſmus (nulli tamen unquam de crudelitate ſuſpectus) quando eas ille in Donatiſtas leges exſequendas, mi-

(*a*) De Jure belli Lib. II. c. XX. §. 36.

(*b*) Epiſt. 159.

tiores (a) cenſuit eſſe ac par erat; & habet ſecum conſentientem, cujus indulgentior animus ad ipſas quoque Sagas peſſima clementia extenditur, (b) Wierum. Sed, inquis, *Laudavit* Auguſtinus *leges capitales in ſacrificia Paganorum.* Iterum ſtatus quæſtionis immutatur. An laudavit Auguſtinus leges quaſdam jubentes ut Pagani occiderentur propter *opiniones* ſuas, etiam eas quæ de ſacrificiis, niſi *ſenſa* ſua vellent immutare aliaque & amplecti & teſtari *contra lumen conſcientiæ?* Nequaquam: ſed laudatas fuiſſe ab omnibus ait leges vetantes ſub pœna capitali EXTERNA exercitia ſacrificiorum paganorum, in quibus quippe actionibus externis infinita inerant quæ contra jus dictamenque ipſum naturæ, contra bonos mores, civilemque etiam ſocietatem pugnabant, ut mirum ſit, niſi Satanas hominum oculos occœcaſſet, hæc ab ullis potuiſſe unquam tolerari. Litabatur Diis, in quibus omnis ſpurcitiei omniumque vitiorum moribus honeſtis adverſantium exempla proſtabant & laudabantur; litabatur fœdis & horrendis ceremoniis, & humano quoque ſanguine, neque his ſortilegia & omnis generis maleficia aberant: quæ cum ab ipſis etiam ethnicis capitali lege prohiberi debuiſſent, cur non a Chriſtiana Poteſtate, quando rerum potiebatur, & lux veritatis omnia detexerat, potuiſſent EXTERNÆ ILLÆ & morum corruptrices ACTIONES prohiberi ad deterrendos ab ejuſmodi tetris factis hominum animos? non enim ad exſecutionem, ſed ad terrorem tantum & a malo revocationem promulgatas fuiſſe (ut ſæpe ſolent) dictas leges certum eſt, quicquid de tuo in contrarium afferas; neque eædem ab Auguſtino ejuſque coævis niſi eo ſenſu (pro principiis ſuis modo viſis) probabantur. Quod ſi & iſtud tibi diſpliceat, id mirum non eſt. Diſplicent enim & ſacræ Literæ, quando aliquid declarant captui tuo adverſans: & tunc tribuis corruptis affectibus effata eorum, qui divina ipſa exararunt, veluti inter plura alia locum illum in Pſalmo 137. ℣. 9. ubi mirandum te, cum hæc & ſimilia in Scripturis ſacris reprehenderes, non magis idcirco tragice in Pſaltem eſſe invectum quam in Auguſtinum: quem ubi ſerio odioſum uno in loco effigiare conatus es, alibi ridiculum conaris efficere artibus illis tuis veritati & charitati omni ex parte contrariis: nempe, 1. multa ei falſa & abſurda imponendo, uti jam aliquoties viſum. 2. irriſionibus tuis perpetuis: de quibus mox. 3. de minutiis pauci vel nullius momenti:

(a) Eraſm. in Apol. ad Alphonſ. Manric. Archiepiſc. Sevill. in Tom. IX. operum ſuorum. Et in præfat. modo citat.

(b) Wierus de præſtig. dæm. Lib. 6. cap. 18.

menti altercando, cum præcipua & ſolida a te prætermittuntur. 4. nunc ipſi, nunc ejus ſcriptis & ſententiis, quin & Syſtemati ejus Religionis Chriſtianæ, *Platoniſmi* titulum ſarcaſtice ubivis aſſuendo, modo etiam myſticum, ſive qui *continue in nubes aberret*, proclamando, & allegoricum quoque, cujus *allegorias*, quia rerum ſpiritualium amor caſtratos ad divina animos non afficit, ideo *frigidas* dicis. Deinde miraris Pelagianos anteceſſores artibus iſtis tuis non *vertiſſe illum in ridiculum*: at inquis, *non erant magni Critici*: tu vero magnus Criticus pro illis nunc eam rem confectum ibis: eſt enim ars illa mimica admirabile talentum tuum, quo omnes & ſoles excipere, & adhuc exhibere aliis deridendos conſuevisti. Sentimens ſupr. p. 357. Ibid. p. 359.

Et Auguſtinum quidem nullo negotio ita tractaveris, ſi perpetuo præterieris ſilentio ſcriptorum ejus unum ſcopum & ſubſtantiam nil aliud revera ſpirare quam deſideratum honorem Chriſti, ſolidam pietatem, timorem Domini rectum, pœnitentiam continuam, puriſſimum Dei amorem, charitatem erga proximum ardentiſſimam, animi profundam humilitatem, ſanctitatem veram, diviniorеſque omnis generis virtutes Chriſtianas; colligas autem hinc inde minuſcula quædam accidentaria, de quibus is, vel te (*a*) agnoſcente, fatetur, *in illis ſalva fide qua Chriſtiani ſumus, aut ignorari quod verum ſit, & ſententiam definitivam ſuſpendi; aut aliter quam eſt, humana & infirma ſuſpicione conjici*: quod multum abeſt ab illa arrogantia, qua falſo dicis eum iſta *veluti oracula proferre*. Interim propter illas minutulas erratiunculas, e quibus nihilominus bonos reverentiæ & pietatis erga Deum hominеſque motus excitare annititur, eoſque ad finem omnium ſummum ducere, quia tamen illæ cum moroſæ Critices tuæ vana atque futili de corticibus accuratione non concordabunt, ideo illum ludibrio eorum, quos ad virtutes divinas ipſumque Deum movet, geſtiens exponere, ſimili omnino pietate & modo, acſi in familia numeroſa nonnullus e præcipuis liberis præfectus ceteris, relictum aliquem a patre ad ſtabiliendam firmandamque obedientiam & reverentiam in patrem, fraternamque inter ſe concordiam, librum, fratribus prælegeret ea mente, iiſque modis, quibus illi patris ſui amantes & reverentes, morigeri item & unanimes fieri poſſent, ſurgeret vero inter eos protervus aliquis irriſor, qui ſuſque deque habita ſincera & laudabili iſtius mente,

(*a*) Sentimens p. 44.

orationiſque ſubſtantia & ſcopo, cum ludibrio fratrum ſuorum, quantum in ſe eſſet, maligne exponeret, ob dicta quædam exilia ad criticas leges minus exacta; ac idcirco eum, quamvis illa ipſa nullius periculi erratula ad voluntatis paternæ amorem & exſecutionem flecteret ac reduceret, pro peſſimo tamen paternæ voluntatis librique interprete traduceret: id quod de Auguſtino eadem revera mentis æquitate facere non dubitaſti. Ingens ſane malum, ex occaſione omnium rerum, etiam critice minus accuratarum, occaſionem ſumere bonas cogitationes & pios motus excitandi, hominesque ad frugem atque virtutes inde reducendi! Quem vero non pudeat malitioſæ iſtius & putidæ carpendi rationis? Sint nonnulla in orationis materia minus quantum attinet ad circumſtantias accurata, minuſque convenientia, quid tum poſtea? Animi ſinceritas, ſcopique ſanctitas, & bona loquentis voluntas, omnia in aurum amoris Dei & proximi ſalutariter ſciunt convertere: poſſemque oſtendere quoſvis e ſanctiſſimis, etiam e ſacris Auctoribus, etiam Deum ipſum, ejuſmodi materialiter minus accurata admiſiſſe, & eis uſos eſſe ad homines in ſanctum ordinem reducendos. Si cujus eſſet ſcopus, laudeculas in diſquiſitionibus criticis venari ex recenſione multarum vaniſſimarum quiſquiliarum (qualibus Bibliotheca tua ſuperbit) quibus lectorum prurientem curioſitatem perfricare vellet, & tamen ibi hallucinationes deprehenderentur (ut non raro in tuis,) aut ſi etiam iſtiuſmodi nugæ orbi veluti *obſervationes*, aut *quæſtiones ſacra* plenis libris ad vanum hunc ſcopum proponerentur; tunc forte ibi, maxime ob vanitatem gloriolæ ſic quæſitæ, ridendi poſſet quæri materia. At longe notiſſimum eſt Auguſtini ſcopum non eſſe ex curioſis quæſtiunculis captare hominum laudes, a quibus humillimus ejus animus plane abhorrebat: neque etiam excitare aut titillare auditorum vel lectorum inanem cupiditatem critica accuratione; ſed unius Dei gloriam tantum & amorem eum ſanctiſſime intendiſſe, excitando in animis hominum ex quavis occaſione motus ſanctos, quibus ad Deum laudandum, venerandum, amandum attollerentur, ad ſe ipſos vero humiliandos deprimerentur. Atque adeo in ſcribendo, vel ad populum verba faciendo, conſtat ejus ſcopum non fuiſſe auditoribus lectoribuſve ſuis explicare Scripturas critico & dictionario modo; neque etiam ſimpliciter hiſtorice & externo, ut eos inde redde-

redderet criticos aut hiſtoricos; ſed potius eo modo, qui eſt Scripturarum principium, ſcopus & materia, qui eſt amor Dei & proximi, qui veros Chriſtianos efficiat & conſervet. Quod exſequitur Vir ſanctus poſſeſſione principii, ſcopi, materiæ, Spirituque Scripturarum egregie bene inſtructus, hoc eſt, Spiritu (quo pollebat) precum, amoris divini, pœnitentiæ magnæ, charitatis ardentis, humilitatiſque incomparabilis, quæ clavis atque diſpoſitiones ſunt quibus cœleſtis Pater ſuis ſe aperturum ſalutaria Scripturarum ſenſa & arcana ſanctiſſime & veriſſime promiſit. Tu tamen non vereris eum ut ridiculum, ut ineptum, ut peſſimum Scripturarum interpretem paſſim ſine pudore traducere, ut eum qui *nullis ad interpretandum mediis requiſitis inſtructus* ſit, idque ais etiam ad operum ejus aperturam fere quamvis conſtare. En vero quovis pignore certavero, licet forte interpretationibus illius quibuſdam aliquid quantum ad externos critices ac literæ cortices minus accuratum inſit, non deeſſe tamen vel uni e millibus ſubſtantialem Scripturarum ſenſum quem dixi & ſcopum; inter tuas vero ne unam quidem eſſe in qua mens Dei ſenſuſque Scripturarum ſalutaris ſolide inveniatur; quin potius iiſdem (etſi aliquid literali cortici & accidenti Scripturarum ſenſui externe conveniens potueris grammatice proferre) mentem Dei penitus, vel taceri, vel enervari, vel deleri atque impugnari. Quod qua ratione fiat, facile judicabit quiſquis ea quæ de interpretationis & critices materia in libris de Eruditione, nec non in (a) Oeconomia dixi, voluerit vel obiter expendere.

(a) Oecon. Lib. III. Cap. XIV.

Quam legitime judicandi viam ſi ſemel notaverint & inierint cordati lectores, condiſcantque hoc modo ſolidam veritatem a fucata dignoſcere falſitate; tunc de Critica deriſoria actum eſt: neque non poterit recidere irriſio in irridentium capita, præſertim quando animadvertetur, (quod a pluribus jam factum eſt) nil indecentius atque turpius a recentioribus quibuſdam nuper barbatis & aliunde plus ſatis de pejori nota ſuſpectis fieri poſſe, quam ſi nulla pudoris conſcientia tacti publice vel coram juvenili laſcivia propudioſo modo exagitent & ludibrio habeant venerabiles viros, qui ſenio, meritis, ſanctitate, gratiæ donis inſignibus ac auctoritate non contemnenda fuerunt conſpicui; quique dum viverent, perſpicaciſſimis quibuſque & ſanctiſſimis, eos praxi uſuque longo pernoſcentibus, admodum erant commendabiles; tum & univerſæ

Digitized by Google

verſæ poſteritati a multis retro ſeculis quam maxime venerandi; quique humili mente, ſanctum Dei Amorem ſincere ſpirante & intendente, divinas ſic tractabant Scripturas, ut inde Dei Opt. Max. laus & gloria hominumque ſanctimonia creſcerent & promoverentur. Tales quippe nec debitum ſunt objectum, neque idonea materia irriſionis, quæ non tantum deteſtanda eſt ubi illa ſeſe in iſtiuſmodi venerandas animas diffundere non erubeſcit; ſed & quæ in ſe ipſa, maxime ubi in conſuetudinem abiit, peſſimi ánimi nota & character eſſe ſolet. Procedit namque habitualis irriſio ab impietate, improbitate, ſuperbia, invidia, odio, vindicta, crudelitate, malitia & hypocriſi, quæ animæ diſpoſitiones coram Deo ſunt omnium maxime abominabiles. *Impietas* & improbitas aperte patent, quando irriſor ob nullius utilitatis nugas non dubitat ludibrio exponere ea quæ corde minime fucato ad laudum amoriſque Dei, nec non ad pietatis motus excitandos dicta ſunt & faciunt, eorumque auctores non riſui ſolùm ſed & odio, & tantum non exſecrationi omnium. *Superbia* irriſionis mater eſt, quando animus philautia captus, & eorum quæ poſſidet admirator, cetera aliorum omnia contemtim deſpicatui habet; & vero invidioſe timens aut videns ſuis præferri aliena, id eorum irriſione impedire conatur, parum conſiderans, ridiculæ eſſe apud omnes ſuperbiæ & *invidiæ*, ſeſe ob caſſas nullius utilitatis ſolidæ futilitates grammaticas, criticas, hiſtoricas, præ aliis quibus ſolida ſæpe & ſancta inſunt atque divina, magni facere & admirari, hos autem propter hæcce propudioſo inſultationis modo infra ſe dejicere: quo ipſo oſtendit quoque irriſor animam ſuam non dilectione proximis debita, ſed *odio* erga eos iniquo animari, de quibus ut *vindictam* ſumat, non tantum curat ut ſalſis ſuis dicteriis, tanquam aculeatis ſagittis, corda eorum quos impetit amare vulnerentur, ipſique ſentiant ſe ab irriſore contemni & inter ſtultos reputari; ſed & ut *crudelius*, & majore cum læſorum dolore id efficiat, eos modos adhibet, quibus læſi videant amorem erga ſe & exiſtimationem in aliis quoque extingui, non tantum ſine commiſeratione, (quam alioqui omnibus jacturam facientibus non denegat ullus) ſed & cum gaudio lætiſque cachinnis. Quis autem eſt qui non malit a declarato hoſte aperto campo impugnari, quam tecto hoc modo inſidioſa pacis & tranquillitatis ſpecie pungi & confodi? priori enim ratione,

ſe

ſe non plane pro nihilo contemni videt, & æqua datur vel omnium approbatione ſeſe defendendi cauſa: poſteriori verò ſentit duntaxat ſui contemtum, & fere abſurdus aliis apparet ſi inde commotus de injuria facta conqueratur, aut de ſe defendendo cogitet. Quod lædendi genus, telum eſſe inter omnia amariſſimum, ſciunt ipſi qui eo utuntur. Unde eorum *malitia* non parva ea in re ſe prodit, quando præſertim irriſor abſurda, quorum ipſe artifex eſt, de ſuo comminiſcens, dexteritate ſua effectum iri conſiderat ut non ipſe, ſed alii quibus ea affricat, quique eo nomine ſalſe irridebuntur, eorum auctores habeantur; idque artificium ſuum in ſe cum maligno gaudio intuetur & miratur, dum interim animus ejus juſtitiæ, moderationis & honeſtatis *hypocriticam* larvam & *titulum* coram hominibus ſervat & obtinet, quando non craſſis affectuum motibus, non incompoſitis verborum modis; ſed delicata & circumſpecta ſermonis aculeati dexteritate, ſpeciem encomii interdum, vel apologiæ pro inimico, aut ſaltem hiſtoricæ narrationis æmulante, nec non frigida mente, dicteria ſua venenata diſpenſat. Et tunc quidem, uti olim Phariſæi, ſe ab hominibus pro honeſto, modeſto, paſſionumque juſto moderatore haberi lætatur; ſpernitque & irridet eos qui zelo vel affectu conciti, iratos motus, aut convicia forte aſperiora (quorum ipſemet tamen cauſa eſt) apertius proferunt: at coram Deo vitiis improbæ impietatis, ſuperbiæ, odii, vindictæ, crudelitatis, malitiæ & hypocriſeos ſcatens, quibuſvis apertis & craſſis peccatoribus abominabilior & inferior habetur, iiſque poſtponitur. Quæ omnia, Domine, ſi necdum in te ſint vel dudum radicata, vel nondum a te perſpecta ſatis, rogo Deum ea ut tibi vivide ita uti ſunt horrida, animo repræſentet, atque nota reddat, ut inde vel revoceris, vel præpediaris ab eo præcipitio in quod te ceteroquin procliviorem eſſe teſtantur omnia fere ſcripta tua, præſertim ea quæ in alios exaraſti, aut in quibus de illis loqueris qui tecum paria non ſentiunt, præſertim circa Sociniana placita vel Pelagiana. Sunt enim cuncta illa tua ſcripta tectis irriſionibus adverſus eos ſic referta, ut, dum qui inter lectores tuos minus emunctæ ſunt naris nil ſubeſſe putant, ceteri ſagaciores inde ſentiant in ſe excitari ejus, quæ in nobis omnibus a corruptione naturæ intus latet, malignitatis deriſoriæ adverſus quoſvis principia, ita ut & vix poſſint abſtinere quin naſo ſuſpen-

dant adunco tum & ipſos irriſos, tum & lectores omnes qui maligna iſta ſpicula pro ſimplicitate ſua non animadvertunt. Equidem interdum ſalibus & jocis innocuis abuti in eis quæ vel parvi vel nullius ſunt momenti, aut etiam quæ vana ſunt, vel mala non ſunt magna, nil prohibet, quando id charitatem in cordibus proximorum non lædit neque minuit, aut cum male agentes a malis ſuis aliquo pudore incuſſo revocari poſſunt: quin læta veritas lætioribus interdum temperamentis ad hoc non invita utitur. Etiam proborum hac in re lapſus ex infirmitate unus aut alter forte excuſari poſſit. At id in rebus & de rebus divinis, id in ſinceras mentes ut a ceteris infamentur, id pro conſuetudine exercere, tametſi torvus irriſori & pallidus renidet in fronte Saturnus, Chriſtiani nullius neque viri probi character eſſe debet. Honeſti clariſſimique Viri (*a*) qui Critices tuæ naſutam accurationem, veramque de divinis temeritatem, *guſtum ſubtilem* criticum, rationes criticas, riſui & commiſerationi expoſuerunt, quique (uti nuperrime celeberrimus (*b*) Theologus Ultrajectinus,) dum & Criticam tuam in rebus ſacris tanquam temerariam, impiam & profanam deteſtabantur, & ſcripta tua opinionibus, (*c*) *Arrianiſmo, Pelagianiſmo, Libertiniſmoque* faventibus paſſim contaminata declarabant, ob interſperſas abſurditates riſerunt aliquoties obiter tantum, plerique etiam prius a te provocati, id fecerunt. Unus P. Simon perpetuos quos de eo prior feciſti publice ludos, eadem menſura redditurus, te arte illa, ſed apertius & vehementius, ſic exercuit, ut campum ei deinceps debueris relinquere. An multos habiturus ſit imitatores, neſcio. De irriſione res ſe fere habet veluti de homicidio aut de alia quavis injuria: eam in aliquem inceptare nemini licet; licita tamen videtur ejus in auctorem ſuum retorſio, modo nimia vindicta, ceteraque recenſita vitia, non ſubrepant cum illa, quod in hac naturæ noſtræ corruptione evitare difficillimum eſt, ne dicam, impoſſibile.

(*a*) Abbad. Verit. de la Rel. Chr. I. P. ch. 9. Du Pin Bibl. Eccl. P. I. Diſſ. præl. pag. 38.

(*b*) Vide p. 9. Clariſſ. D. Witſii Miſcellanea Sacra, Capp. XIV. XVIII. XXII.

(*c*) ibid. pag. 345.

§. IX.

Plura eſſe in D. Clerici ſcriptis & propoſitis circa hanc ipſam materiam irridenda & carpenda, quam quæ in aliis carpſit & irriſit: ſed optandum alia methodo, & Chriſtianis digna, errores dedoceri.

Quapropter ſi qui eorum quos his modis pupugiſti, vel quibus diſpli-

Digitized by Google

diſplicet Sanctos a te deridiculo publice exponi, in te etiam calamum dirigant, ſive ut tela tua retorqueant, ſive ut propria tua tibi oſtendant abſurda, non crediderim eorum quenquam artis iſtius illaudatæ methodum electurum, etſi non deſit forte in tuis ſcriptis magna carpendi & irridendi materia: non ſolum quia multis aliunde imitatis, infinitis minutiis, rebus & vanis & indifferentibus, in quibus joci innocentius exerceri poſſunt, ſuperabundant; ſed etiam quod non deſit in illis inter multas hallucinationes ridiculum illud errati genus quod *contradictionem* appellant. Ego ſane, plurima ne tangam ſpecialiora quæ in numeroſis ſcriptorum tuorum argumentis occurrunt, cum ſemel oculo currente propoſita tua quædam generaliora in illis intuerer, tria aut quatuor præcipua eſſe animadverti, quibus omnibus ineſt contradictio. Primum, cui alia ſubſerviunt, eſt Pelagianiſmum & Socinianiſmum cum Chriſtianiſmo incorporare & conciliare, (forte ut tandem ii huic ſubſtituantur.) Alterum, Metaphyſicam limitare & refrenare: (ſub quo nomine ubi involveris veriora quævis rerum divinarum myſteria Socinianis principiis inviſa, de ponte ea facile dejicies poſtea.) Tertium, Auguſtinum & Patres univerſos calumniis (tritheiſmo, v.g.) diffamare, & ob neſcio quæ futilia minus obſervata, præbere omnibus deridendos, (ſine dubio quod cum Pelagiani ac Sociniani non fuerint, ſed ab eorum principiis maxime abhorreant, & lectores ſuos inde longiſſime removeant, fides ac auctoritas eorum propagando Socinianiſmo remoram injicit & obſtaculum.) Quartum, Criticam & humaniora ſtudia velut nobis valde digna, & ad res ſacras tantum non neceſſaria, commendare, (quibus loco illuminationis ſpiritus Dei ejuſque operationum ſuppoſitis, Socinianiſmi fundamentum unum manere poſſit tutum.) Et per horum quidem primum, vis indifferens eſſe Chriſtiano ad ſalutem, utrum habeat objectum aliquod, puta Filium Dei & Spiritum ſanctum, pro ſummo fidei, ſpei, & ſalutis ſuæ fundamento, dilectioniſque & adorationis ſummæ objecto; an vero id objectum habeat pro creatura, fidei, ſpei ſalutiſque non-fundamento, nec dilectionis adorationiſque ſummæ objecto. Præterea indifferens eſſe Chriſtiano, aut vero vivoque corporis Chriſti membro, utrum Spiritum capitis & corporis, ejuſque vitam, motus, operationeſque internas participet, an verò eo Spiritu ejuſque internis operationibus in ſe (quod hodierni Pelagiani volunt) careat, nec eis opus habeat? Hoc eſt, indiffe-

differens eſſe vis membro vivo, a capite & Spiritu corporis animari, aut eis carere? Indifferens eſſe vivo principia vitæ habere vel non habere, atque adeo vivere vel mortuum eſſe. Quæ omnia manifeſte contradictoria ſunt. In altero, quo vis Metaphyſicam non tollere, ſed reformare, inter multa & obſcura & perturbata, ubi revera ſine lumine huc illuc a te oberratur, nec non cognitiones fidei, Metaphyſices, ſenſuumque inter ſe confunduntur, ais: (a) *Metaphyſices dodrantem tolli poſſe.... ſi cognitiones Metaphyſica limitentur ad ea quibus ad ſperatam felicitatem perduci poſſumus.* item (b) *Deum menſuram cognitionum noſtrarum metaphyſicarum menſum eſſe prout illis opus habemus* ad ſalutem. ſive *ad finem propter quem nos creavit.* Atqui omnes conſentiunt, nec tu diffiteberis, cognitiones Metaphyſicas, qua Metaphyſicæ ſunt, non eſſe ad ſalutem neceſſarias: Quid enim de vulgo tunc fieret? Ais paulo poſt (c) *quicquid neceſſarium eſt, id ita clarum eſſe, ut omnes homines id ſciant: atque adeo metaphyſicos quando nos hac de re voluerunt aliquid docere, nil novi nos docuiſſe, aut ſaltem quod ſit eſſentiale.* Ubi per priora vis concedere Metaphyſicam, per hæc ultima vero eam tollis totam. Quæ iterum ſibi contradicunt. In tertio non minus etiam tibi contradicis. Non neſcis SS. Patres ſæpiſſime & maxime ſerio tritheiſmum conceptis verbis à ſe amoviſſe. Agnoſcis non ſemel in ſcriptis tuis „ (d) conſequentias ſive conſectaria, ſeu bene ſeu male è principiis „ eorum qui oppugnantur deducta, neque debere neque poſſe ſine „ maligna invidia iis imputari qui ea nequaquam agnoſcunt. Et tamen paſſim in ſcriptis tuis vel ſexcenties SS. Patribus Tritheiſmum pergis objicere. Quid, quæſo, eſt ſibi ipſi, & quidem fraudis & invidioſæ hujus agendæ rationis conſcio, apertiſſime contradicere ſi hoc non eſt? Porro, agnoſcis alicubi (e) *Scriptores ſacros ſtyli adeo incurioſos fuiſſe, ut quovis momento inveniantur in eorum ſcriptis obſcuritates quæ omnibus grammatices regulis nequeant diſſolvi.... grammaticam, criticamque nil facere niſi propoſitum ſciatur Auctoris.* Doces (f) & ſine eis ſimpliciores, bona fide intellectu utentes, omne id quod ad ſalutem neceſſarium eſt, quodque fide in Deum, & obedientia erga ejus mandata abſolvitur, e Scripturis percipere poſſe. Auguſtinus autem procul dubio erit tibi ſaltem vel unus e ſimplicioribus illis qui hoc eſſentiale & neceſſarium ex Scriptura poſſint recte capere. Scis vero ejus ſcopum eſſe populo inſtruendo, cui præficiebatur, nec non iis quibus ſcribebat, interpretari Scripturas

(a) Entret. p. 233.
(b) Ibid. 277.
(c) Entret. p. 240.
(d) *In diſſert. de argumento ab invidia ducto. n. 12. Bibl. choiſie. Tom. IV. pag. 375. 376. &c.*
(e) Sentim. p. 15. & 16.
(f) Ibid. p. 40 & ſeq.

Digitized by Google

pturas quatenus illi inde in eſſentialibus & neceſſariis, in fide erga Deum, mandatorumque ejus obſequentia recte formandi, aut fovendi erant & nutriendi; non vero ut docti critici fierent: & tamen contra eum, Sanctoſque Patres ſimiles, ſæpiſſime clamas, quaſi pro ſuſcepti muneris ſui ratione, peſſimi ineptiſſimique eſſent Scripturarum interpretes, ob inobſervatas ſcilicet rei grammaticæ & criticæ minutias, quarum ſive imperitiam ſive negligentiam, ipſis licet Scriptoribus ſacris, te teſte, tritiſſimam, Auguſtino aliiſque Patribus pro omni ratione accuſationis tuæ exprobras: tametſi illi inſuper Spiritus divini illuminationem, qua Scriptoris ſacri propoſitum & mens ſciri poſſunt, neceſſariam eſſe, & a Deo precibus poſtulatam ſibi interdum contigiſſe, præ te agnoſcant. Quæ omnia tua nemo non videt meris contradictionibus abundare: haud ſecus ac quando, quarto, commendas neſcio quot humanas & profanas artes & literas & lectiones & criſes & hiſtorias, vanaque alia ſtudia ſexcenta, quibus & ſerio & totus occupetur animus, tametſi id contradicat tum naturæ illi noſtræ, qua ad æterna, non autem ad evanida iſtiuſmodi nugamenta facti ſumus; tum experientiæ, qua videmus eos qui bullis iſtis tument, & tenuiculo Criticæ ſupellectilis apparatu abundè ſunt inſtructi, a veritatis ſolidæ ſanctitatiſque veræ fonte uno, Spiritu Dei Sancto, ejuſque poſſeſſione vel ſpe & deſiderio, ceteris eſſe multò remotiores; tum & ipſiſſimo Liberio de Sancto Amore, (hoc eſt, tibi ipſi) condemnanti in Epiſtolis illis tuis Theologicis, veluti imperfectionis vitium id omne *quo non reddimur ſanctiores & beatiores*, qua in rerum claſſe Critica tua, cum næniis eo pertinentibus, procul dubio eſt referenda, niſi ſi eam etiam in Salvatorem erigere, & per novam apotheoſin non modo beatam ac Sanctam Criticam, ſed & beatificam ac ſanctificam commendare velis. Verba Liberii concepta, hæc ſunt: (a) *Imperfectio eſt ea ſcire quæ inutilia ſunt; & tempus ponere in iis ſcientiis diſcendis quæ nos nec ſanctiores nec beatiores reddunt.* O quam multi hac lege pro ſcopo habent, ut ſtudeant fieri quotidie *imperfectiores*, idque etiam aliis miſerè commendent! Non jam pluribus oſtendam quam contradictorie cum Scripturis agatur quando hæ ex ejuſcemodi artibus cenſentur exponendæ: dicam tamen, tuto aſſeverari poſſe, Bibliorum Sacrorum interpretatio aut explicatio ſiqua exſpectanda eſſet ab homine critico, ſimili apparatu atque methodo tecum inſtructo, nos pro Scripturis divinis ejuſmodi literarium

(a) Lib. p. 125.

cadaver habituros, quod non tantum careret Spiritu, ſed & ei omnino adverſaretur, & eum in nobis impugnaret, noſque letali afficeret contagio & indolentia. Indolentia quidem, ſi (quod ſanguineis lacrymis deplorandum eſſet) quæcunque immenſa Dei charitas excogitavit ad homines ultimorum, noſtrorumque adeo, temporum a mortali veterno excitandos, per prædictiones quæ de tremendis Dei judiciis, de plagis, cladibus, flagellis excidioque hominum univerſali & horrendo paſſim in Scriptis propheticis exſtant, quæque unica ſuperſunt incitamenta quibus mentes ad æternitatis deſideria nunc prorſus mortuæ excitari poſſint, infelix Critica aboleat, juxta cum admirabilibus divinorum donorum promiſſis, quæ omnia jam dudum pariter præterita, nuncque adeo nulla eſſe, neque exſpectanda eſſe, pernicioſe inculcet, ne vividis timoris ſpeique motibus hominum mentes ad frugem & reſipiſcentiam evigilent: Contagione vero, cum quæcunque in Scripturis conſideranda eſſent ut typi rerum potiorum, quæque adeo ultra cortices ad Spiritualem animarum ſtatum internaſque Dei in illis operationes eſſent trahenda, ea modis ita brutis, ita carnaliter, ita pulverulente literalibus & criticis ſolùm venirent interpretanda, ut omnis divinus veruſque inde rejiciendus eſſet ſcopus & ſenſus: Sic ut Scripturis, veroque eorum Interpretis officio, non poſſit contradici periculoſius, quam iſtiuſmodi earum interpretationibus aut commentariis; quorum proinde errores effectuſque malos ut in omnium mentibus velit reddere irritos, imo & eos affuſis gratiæ ſuæ divinæ donis prævertere Deus Opt. Max. ſeriò rogandus eſt.

Hæc & ſimilia ſphalmata, nec non & alia quæ unuſquiſque committere poteſt, melius amica & placida mente oſtenduntur & dedocentur, quam deriſoria & inimica. Optimè autem omnium, omnia errata atque mala quilibet apud ſe ipſum dediſcere poterit, modo vel aliorum monitis, vel propriæ conſcientiæ inſtinctu, ad interiora ſua ſe recipiat, illicque imploret animarum, intelligentiæ, luciſque veræ formatorem unum, benedictum Dei adorandi Spiritum, cujus lumina, dona, gratiarum effuſio, ac operationes, millies in Sacra Scriptura ſanctis Dei verbis promiſſæ ſunt, pro illis maxime temporibus, in quibus abundabunt tenebræ, iniquitates, errores, impietas, quæ quidem tempora & ultima, & noſtra eſſe, vel ſaltem tam propinqua ut nil propinquius, dubitari utique non poteſt. Cavendum ſolum ne ex numero eorum ſimus, vel

vel ab eis ſeduci nos patiamur, quos Apoſtolus cautionis gratia præſignificavit, quando dixit, (*a*) *Venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores, juxta proprias concupiſcentias ambulantes, & dicentes ubi eſt promiſſio aut adventus ejus?* Juxta proprias *concupiſcentias ambulant* quotquot nolunt quicquam de divinis myſteriis rebuſque admittere, credere, ſperare, niſi id quod eorum intellectulo, palato corrupto, captuique naturali arridet & ſapit: *illuſores* ſunt promiſſionum Domini qui Spiritus ejus Sancti præſentiam, gratiam, operationes vivificas & intimas, donaque illuminationis & virtutum omnigena, ex incredulitate irrident exſpectanda, etſi ſanctiſſimè ore Omnipotentis & fallere neſcii Dei promiſſa ſint; *illuſores* ſunt *adventus Domini*, qui non exſpectant venturum eum qui doceat, renovet, regatque omnia per effuſionem Spiritus ſui in omnem carnem effundendi; cœloſque novos & novam terram, in quibus habitet juſtitia, formaturi, quando tunc cum rerum omnium corruptione veteri deriſores ipſos vindice igne exterminaturus eſt. Et tunc (*b*) *memento noſtri, Domine, in beneplacito populi tui: viſita nos in ſalutari tuo: ad videndum bona electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, & laudandum te cum hereditate tua.* Vivificet Dominus animas noſtras in ſpe gratiæ & ſalutis ſuæ, detque ut divini luminis ſui auxilio interiora noſtra excutiamus ſerio, (*c*) *ne forte ſit in aliquo noſtrûm cor malum incredulitatis, diſcedendi a Deo vivo, & ut non obduretur quis ex nobis fallacia peccati, ſimuſque ex illis qui increduli fuerunt, & non potuerunt introire in requiem illius propter incredulitatem.* Hoc ut nobis omnibus, tibique ſpeciatim, Domine, indulgeat Deus, ex ſincero animi fundo eum adoro, nec non ut efficiat, ut quæcunque hactenus dixi, tibi non aliò dicta videantur quam ad ſolidum bonum tuum; nec aliud in te aliiſque efficiant, quam ut obſtacula removeantur quibus impeditur inter omnes divinæ veritatis, gratiæ, gloriæque communicatio & progreſſus, quò illis remotis, & (*d*) *depoſita omni malitia, & omni dolo atque ſimulatione, cum livore & rixis*, futilibuſque omnibus noſtris ſtudiis & partibus humanis, *ſicut infantes modo geniti deſideremus lac illud* ſapientiæ divinæ *intellectuale &* humanis miſturis *non fraudatum, ut in eo creſcamus, guſtantes, quam benignus* & liberalis *ſit Dominus, ad quem accedentes tanquam ad lapidem vivum* & fundamentum Sapientiæ & Eruditionis noſtræ veræ, *Deo, etſi ab hominibus rejectum, electum tamen & pretioſum, ei*

ut

(*a*) 2 Petr. 3: 3.

(*b*) Pſ. 106.

(*c*) Hebr. 3.

(*d*) 1 Pet. 2.

Digitized by Google

ut lapides vivi divina politi atque eruditi manu, *ſuperædificemur ut domus ſpiritualis*, in qua habitet æternum adorandus Patris Chriſtique Spiritus. Hoc ubi tibi mecum pluribuſque aliis acciderit, agemus gratias Omnipotenti animarum Eruditori & Inſtauratori, cujus in amore dein lætabimur perpetuo: neque porro amplius de divinis alia, ſpero, teſtimonia laturus es, quam quæ cum veritate, æquitate & charitate concordaverint. Sin minus (quod abſit) iſtis te conformare recuſaveris, & ſimili, qua prius, procedere malis methodo; faxim & ego ut ſecundum Methodi meæ procedam regulas, quarum una eſt, ut mihi proponam aliorum, maxime eorum qui ſecum & cum ceteris fallaciter, doloſe & minus ſincere agunt, non immutare animum; ſed potius eos neque curare, & ſibi ipſis totos permittere. Manebunt ergo illi per me, agentque & loquentur aut ſcribent, quantum quidem voluerint, in ſuo fraudum ac deriſionis elemento, cujus ſi vel in Bibliothecæ continuatione, vel in alio quovis libro nova ſpecimina contra me iterum ediderint, ſufficiet pro omni reſponſione memoria loci annexi, ſecundum cujus tenorem cogitabit, ſi placet, quiſquis lector nolet decipi, eorum verbis fidem non facile adhibendam eſſe quamdiu a mente in melius non immutata proficiſcentur. Vale.

Sentimens ſur l'Hiſt. Critique du P. Simon pag. 71.

EN verité c'eſt une choſe très-fâcheuſe, qu'il faille ſi fort ſe defier des traducteurs, & des CITATIONS, *& qu'il ſe trouve ſi peu de foy dans la Republique des lettres, qu'il faille traiter les Auteurs comme on fait ceux que l'on a convaincu une fois de parjure, à moins qu'on ne veuille s'expoſer à être trompé à tous momens. Il les faut examiner rigoureuſement, & conferer inceſſament les originaux avec leurs traductions & leurs* EXTRAITS, *ſi l'on ne veut tomber dans l'erreur ſur la foy de ces Meſſieurs. Vous avez oüi parler ſans doute d'un fameux Chicaneur, nommé* Oüir-dire, *qui tenoit Ecole de Temoignerie, d'où ſont ſortis un ſi grand nombre de faux temoins. Mais, Monſieur, ces gens-là n'y entendoient rien en comparaiſon d'une infinité d'Autheurs qui diſent à tous momens, qu'un tel, ou qu'un tel a dit des choſes à quoi il n'a jamais penſé, en faiſant des proteſtations ſolemnelles qu'ils ne diſent que la verité toute pure.*

Digitized by Google

AD PARRHASII CENSURAM DE PRÆCEDENTI EPISTOLA

RESPONSIO AUCTORIS, in eamque Conſiderationes.

SYNOPSIS ET SUMMÆ.

Cenſura Parrhaſiana. pag. 677

CONSIDERATIONES *in haecce* PARRHASIANA,

Et primo quidem GENERALIORES, *rei controverſæ momentum & ſtatum deſcribentes.*

I. Parrhaſianæ CENSURÆ confuſus ſenſus & ſcopus. *pag.* 679

II. Non inſulſis cum eo clamoribus; ſed ſolida utiliſſimarum rerum expoſitione evertendus. *ibid.*

III. *Fundamentum* ſequentium. 680

IV. Religionis tum veræ tum falſæ origo ac punctum ſaliens. 681

V. *Religio* vera, realis & Chriſtiana. *ibid.*

VI. Religio falſa, idealis & Philoſophica. *ibid.*

VII. Sectatores realis & veræ Religionis. *ibid.*

VIII. Sectatores idealis & Philoſophicæ Religionis. 682

IX. Diſſenſus D. Clerici, & Cenſuræ Parrhaſianæ, cauſa vera & plena. *ibid.*

X. Rei de qua agitur *momentum. ib.*

XI. Vita æterna quid, & in quibus conſiſtat. 683

XII. Quî Deus in homine, ſi hic non peccaſſet, cauſa vitæ æternæ fuiſſet. *ibid.*

XIII. Poſt peccatum, hominis facultates depravatas eſſe reformandas, & iis principia ad vitam æternam inſtillanda. Idque a ſolo Deo fieri poſſe. 683

XIV. Officium noſtrum in his. *Summa Religionis Chriſtianæ.* 684

XV. Mendacia quæ Satanas excogitavit adverſus hæc. Quid ſit *hæreſis Pelagiana.* *ibid.*

XVI. Periculo hujus hæreſeos nullum majus; quod non poteſt conſiſtere cum adeptione vitæ æternæ. 685

XVII. Verus quæſtionis controverſæ ſtatus inter D. *Clericum*, *Parrhaſium* &c. & inter Auctores quibus, (ut & mihi,) infenſi ſunt.

Scopus utrorumque. 687

XVIII. D. Clericum incepiſſe adverſus me nominatim agere, quod ſcripta mea ſcopo ſuo adverſarentur. 688

XIX. Cur ei per *Epiſtolam* reſpondi. *ibid.*

XX. Nullos genuinorum Remonſtrantium debere adverſari doctrinæ de corruptione ac impotentia hominis, deque Dei gratia intus operante prout eam expoſui. 689

XXI. Gratiam Dei intus operantem, nullis rationibus poſitivis, ſed ſola naturæ arrogantia, ac Satanæ impulſibus impugnari ac infamari poſſe. 690

XXII. Gratiæ Dei internæ rejectæ ac

Digitized by Google

ac deriſæ crimine nullum in re ſalutis majus atque etiam abſurdius. 690

XXIII. Deliria Parrhaſii in hiſce. 691

XXIV. Male a Parrhaſio pro Palladio ſupponi *Rationem* eſſe ſolam intelligendi ac cognoſcendi facultatem & ſubjectum luminis.

Dari *realiores* cognoſcendi *facultates*, ac veriores luces quam Rationis. 693

XXV. Quod clariſſimum redditur per aliquot ſimilitudines. 694

XXVI. Parrhaſius non retulit, velut D. *Clericus*, veram rationem cauſæ ſuæ in experientia fundatam. 696

XXVII. Hæc cauſa fundamentalis erit caſſa & ſine effectu in omnibus qui Dei magis quam naturæ corruptæ ac Satanæ ſollicitationibus attendent, & ſeſe eis dabunt. 697

In Censuram Parrhasianam speciaLiores Considerationes, qua *Theologicæ*, qua *Philoſophicæ*, atque etiam *Criticæ*.

Parrhaſii ejuſque Cenſuræ principia specialiora. 698

Pelagianiſmi principium *Philautia*. ibid.

Philautiæ qualitates. Prima, *falſitas*. ibid.

Secunda, *iniquitas*. ibid.

Tertia, *cæcitas*. ibid.

Quarta, *malignitas* & *artificia*. ibid.

Malignitatis artificioſæ tres ſpecies præcipuæ. 699

Thraſoniſmus,

Adulatio,

Vindicta impotens. ibid.

(1) De Parrhaſii objectione injuſti, ibid.

(2) argumento ab invidia, ibid.

(3) minimis ejus jocis, 700

(4) felle & malitia objectatis, ibid.

(5) æquitate, ibid.

(6) objectis ſomniis, 701

(7) diffamato cliente ſuo, ibid.

(8) & cenſorio ſuo officio. ibid.

(9) Parrhaſio quid ſit *Religio*, & quid *fanatiſmus*, quorum illam dicit a me præberi *deridendam*, & in hunc *converti*. 702

Quam ille hîc agat perſonam. ibid.

(10) *Myſticas* res ex cæcitate contemnit. 703

Quid & unde ſit *Theologia Myſtica*. ibid.

Veræ *Theologiæ Allegoricæ* natura & origo prima ac initialis in homine. 704

Theologiæ ac Philoſophiæ Theoſophicæ origo, natura & principia. ibid.

Cur & Myſticorum perſonas & agendi rationes contemnat Parrhaſius. 706

Parrhaſii de Myſticis ſententiæ, nullius ponderis, contraria vera eſt. ib.

Parrhaſium cum D. Clerico ſibi non cohærere in vituperandis rebus atque interpretationibus *Myſticis*; quas ipſimet interdum profitentur & laudant. 707

Cur licet illi laudaverint myſtica, propenſiores tamen ſunt in eorum odium. 709

(11.) *Obtrudere nonnulla tanquam oracula*, quid? & quis id faciat? ibid.

(12) De *pudenda ſeductione ſimpliciorum* a Parrhaſio objectata. 710

(13) De eo quod Parrhaſius appellet quæ a me emiſſa ſunt, *ridendas ſpiritualitates*. 711

Accuſationem Parrhaſii, *de ſeductione* aliorum *per ridendas quas emitto ſpiritualitates*, exigere uti ne reticeam *Catalogum* eorum quæ huc uſque emiſi omnium. 712

Libri Auctoris proprii.

Cogitationes Rationales de Deo &c. 713

Digitized by Google

Oeconomia Divina. 713
Irenicum. 714
De Eruditione ſolida &c. *ibid.*
De Educatione Liberorum. 715
Theologiæ Myſticæ ejuſque Auctorum idea brevior. *ibid.*
Libri aliorum a me editi.
Antoniæ Burignoniæ opera omnia. 716
Kempiſius Communis. 717
Theologia Cordis. *ibid.*
Theologia Amoris. *ibid.*
Theologia Crucis Jeſu Chriſti. 718
Theologia Realis ſive Germanica. *ibid.*
Chriſtianus Realis. 719
Sanctus Profugus. *ibid.*
Catechiſmus Chriſtianus pro vita interiore. 720
Schola puri Amoris Dei. *ibid.*
Opuſcula ſpiritualia D. Gujoniæ. 721
Virtutum Chriſtianarum inſinuatio. &c. 722
Fides & Ratio comparatæ &c. *ibid.*
(14) Parrhaſius objiciens *modos loquendi fanaticos*, ignorat quid dicit. 723
Origo *modorum loquendi*, inter quos *tres* præcipui ſunt, horumque cauſæ. *ibid.*
Tres loquentium ſpecies: quæ ad duas reductæ. 725
Ratio vera cur Myſticorum loquendi modi Parrhaſio dicantur *fanatici*. *ibid.*
(15) Parrhaſius eos quibus Myſtica placent, cur accuſet *deceptionis quæſitæ*. 726
(16) Cur Parrhaſius adverſariis ſuis tribuat *imaginationes vacuas* pro *Religione*. 727
(17) *Religio*, ut a Parrhaſio definitur vel commendatur, quantum fallere poſſit? 728
Scopus veræ *Religionis*, & quid exigat? 729
Præcipua cœleſtiſſimæ RELIGIONIS CHRISTIANÆ ſubſtantia & nucleus. 730
(18) De vero deque falſo *Amore proximi*. 732
(19) De objecta a Parrhaſio *devotione & malitia* &c. 733
(20) De *ſententia* AUGUSTINI circa *Gratiam*, a me comparativo modo defenſa. 734
Quî divina *Gratia* ſano ſenſu irreſiſtibilis & particularis ſit: erroneo ſenſu poſſit per accidens prodeſſe: gratia D. Clerici nunquam. 735
(21) De odii objectione. 736
(22) De Auguſtini ſententia circa *coactionem*, etiam *per pœnas*. In ea non agi de rebus fidei; ſed de rebus externis & diſciplinæ. *ibid.*
Quo ſenſu hic verba *veritatis*, *erroris*, &c. ſint capienda. 737
D. Clerici abſurda interpretatio Critica in Auguſtini Epiſtolam. 738
Falſa imponit Auguſtino, & falſiora inde concludit. 739
(23) De inſultatione Parrhaſiana Poireto facta, *non debere eum ſibi arrogare intelligentiam* ſenſus Auguſtini; quod *Criticam* neſciat. 740
(24) De *contemtu* CRITICES mihi objecto. Eam a me non contemni abſolute. 744
Circa hoc tria oſtendenda. *ibid.*
PRIMUM. D. Clericum contradicere Parrhaſianæ adverſus me inſultationi. *ibid.*
SECUNDUM. Examen *Definitionis* CRITICES a D. Clerico datæ, in qua quatuor vel quinque defectus oſtenduntur. 745
TERTIUM. De Critica, notabilia. Diſtinguitur. 748
Critica *oculata*, quid? *ibid.*
Critica *cæca*, quid? 749
Diſtinctionis hujus explicatio diductior. *ibid.*

Digitized by Google

Illuſtratur Critica *oculata* per ſimilitudinem ab objectis ſpiritualibus deſumtam. 749

Illuſtratur eadem per ſimilitudinem ab objectis corporeis. 750

Illuſtratur Critica *cæca* per eandem ſimilitudinem ab rebus corporeis deſumtam. 751

Applicatur iſta ſimilitudo ad illuſtrationem *Criticæ cæcæ* in rebus ſpiritualibus & divinis. 752

Applicantur ad *Criticam D. Clerici.* Ejus definitio vel deſcriptio. 755

Clariſſ. *Witſii* ſententia de eadem congruens. 756

Critici a D. Clerico laudati, hoc ipſo ſuſpecti redduntur, quod ei placeant. 759

DISSERTATIO *interpoſita.*

I. Quomodo ſine *Critica* poſſit ſcripturarum vera *interpretatio* & ſalutaris ſenſus acquiri. 761

II. Hominum libros & Dei libros, non ſe eodem modo habere quantum ad interpretationem.

Differentiæ tres. *ibid.*

III. Deum facile ſenſum ſcripturæ communicare. 762

IV. *Requiſita* ex parte hominis duo, facultates debitas, eaſque bene diſpoſitas offerre. *ibid.*

V. Qua in re bonus facultatum ſtatus ſive præparatio conſiſtat. *ibid.*

VI. Applicatio ad rem præſentem. *Interpretatio* ipſa. *ibid.*

VII. Objectiones generaliores ac præcipuæ Criticorum. 763

VIII. Qui ſimilibus ex Paulo reſpondendum. 764

IX. Ulteriores ad Criticorum objectata reſponſiones. 765

X. Objectiones aliæ faſtidioſæ. negotium hoc nimis eſſe populare, languidum, nec a Deo cupitum. 767

XI. *Reſp.* Criticorum occupationes potius viles eſſe & frigidas. *ibid.*

XII. Explicatur comparatione, qui Dei deſideratæ deliciæ ſint hominum mentes radiis veritatis ac mentis ſuæ ferire atque penetrare. *ibid.*

XIII. Continuatio comparationis. qui homo dimiſſis nugis, poſtulet & impetret vivum Dei ejuſque verborum ſenſum. 768

XIV. Fiatque etiam idem capax eum aliis explicandi. 770

XV. Hæc fuiſſe ſolide in S. Auguſtino, contra quam ejus inimicus D. Cl. *ibid.*

(25) De *Acerbitate* Parrhaſii, tribuſque ejus variis reſpondendi methodis. 771

(26) De Parrhaſii reliquis jactantiis. *nolle ſe reſpondere.* 772

(27) Alios velle cum eo *rixando innoteſcere.* 773

(28) Uti & ipſorum *libros.* *ibid.*

(29) Ficta ejus ſecuritas de cauſa ſua. *ibid.*

(30) Et tamen avocat Lectores a legendis iis quæ adverſus cauſam ejus ſunt. *ibid.*

Ut ut D. Clerici ſcripta pleraque ſine *temporis jactura*, vel fatente ipſo, legi non poſſint. 774

(31) Cur Cl. *Wayenus* D. Clericum improbavit, me non item. 775

(32) Male Parrhaſius in me cachinnatur, ubi & perperam elevare tentat pondus præjudicii adverſus Clericum e numeroſitate obſiſtentium deſumti, cujus vero vis oſtenditur. 776

CEN-

CENSURA PARRHASIANA.

LEgerat neſcio quo oculo atque animo, præcedentem *Epiſtolam* D. *Clericus*, & tenuerat diu ſilentium, quando tandem in ſcenam prodiit neſcio quis *Theodorus Parrhaſius* qui in ſuis ita dictis *Parrhaſianis* Gallico idiomate ſequentia pro D. Clerico interſerere voluit, quæ ego quam fideliſſime poſſum, Latinis verbis hic reddo. Numeros interpoſui, qui deſignant loca ad quæ *Conſiderationes ſpecialiores* infra ſubjungam, poſtquam prius & Parrhaſianam Cenſuram (uti illam vocat) & *Conſiderationes* in eandem *generaliores* præmiſero.

Cenſuræ tenor hic eſt.

THEODORUS PARRHASIUS *in* PARRHASIANIS pag. 383.

Inter eos qui [1] injuſte de *Bibliotheca* (*Univerſali* D. Clerici) con- 1.
queſti ſunt, annumerandus quoque eſt D. Poiret, Antoniæ Bu-
rignoniæ [2] ſectator, qui minimo [3] joco uno in *Oeconomiam* ſuam 2. 3.
Divinam irritatus, extulit ſe [4] præter modum in D. Clericum, 4.
non ſolum in oppoſito quodam breviori ſcripto, quod in *Republ. literaria* anni 1687. curavit inſeri, ſed & aliquot poſt annos in longiori *Epiſtola*, [4] felle & malitia plena, quam ad finem Libri ſui *de Eruditione ſolida* &c. non monito Bibliopola, ea de re minime contento, adjecit. Ratus eſt D. Clericus ei Epiſtolæ ſibi
minime [5] eſſe reſpondendum, ſiquidem D. Poireti [6] ſomnia 5. 6.
(ſive viſiones) ita ſunt cognita, ut is a longo tempore nemini
poſſit nocere, licet in ea Epiſtola nihil omittat quo D. Cl. [7] dif- 7.
famet. Atqui ſi hic ea in re aliquantum culpandus fuit, ideo culpandus fuit quod ipſi fuerit ſatis vel leviſſime deridere Opus (ſive
Librum) quod ſeveriſſimam [8] merebatur cenſuram, quippe quod 8.
Religionem [9] præbeat deridendam ab initio ad finem uſque, dum 9.
eam in merum convertit [9] fanatiſmum. Imaginatur ſibi D. Poi-
ret, omnes Myſticorum [10] ſtultitias, & quas ille eis jungere 10.
vult, chimæras [10] omnes, pro totidem [11] oraculis habendas eſſe, 11.
quando tamen deberet pudore ſuffundi quod tam diu artem

12. 13. " [12] exerceat ſimpliciores ſeducendi per [13] ridendas quas emittit
14. " ſpiritualitates. Modi [14] Myſticorum fanatici ſolos eos decipere
15. " poſſunt qui vel ſe ipſos decipere [15] paratiſſimi ſunt, vel Reli-
16. " gionis loco [16] aſſumere vacuas imaginationes, pro bonis mori-
17. " bus, [17] in ſpe alterius vitæ in Euangelio propoſitæ fundatis.
18. " Quantum ad illos quibus quanti momenti ſit [18] amor proximi
" notum eſt, cavebunt ii ſatis ne ipſos captet D. Poireti exſtatica
19. " [19] devotio, quæ cum teterrima malitia ſociabilis eſt. Inſigne
" malæ fidei ſuæ documentum apparet in ea quam cum cura facit
20. " Auguſtini Apologia, circa opiniones [20] a quibus vel ipſemet infi-
" nite abhorret, nempe de prædeſtinatione abſoluta, deque gra-
21. " tia irreſiſtibili, ſolummodo ut D. Clericum ſi poſſet, [21] odio-
" ſum reddat. Eodem modo ſe habet explicatio, quam dat Epi-
" ſtolæ illius Patris ad Vincentium, in qua vult, non docuiſſe
22. " [22] Auguſtinum perſecutionem eſſe licitam: quaſi vero Auguſti-
" ni opera haberet nemo ad eam legendam. Si D. P. Criticæ
24. " operam dare nolit, [24] quam à ſe contemni ſimulat, non debet
23. 25. " ſibi arrogare de iis loqui [23] quæ non intelligit. [25] Acerbior ipſi
" quidem erit hæc cenſura: at negare nequit quin eam ſibi ex
26. " æquo adſciverit: neque vero eſt quod ſibi imaginetur [26] animum
" (D. Clerico) eſſe in certamen cum eo deſcendere. Rixas ſolum
27. " quærit, [27] ut, ſi poſſit, publico rumore innoteſcat, libroſque
28. " ſuos quos [28] nemo legit, faciat ita divendi. qua quidem in re
" 5 non dabit ei anſam D. Clericus ut multum promoveat. Con-
30. " ſentit ut ſicui ſat temporis ſuperſit quod [30] perdendum in illius
29. " Epiſtolæ lectione impendat, de eadem judicet eam [29] conferen-
" do cum ipſis rebus quas D. Poiret oppugnat, ſine ulteriori re-
" ſponſo.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIONES

IN HÆCCE

PARRHASIANA,

& primo quidem GENERALIORES, *rei controverſæ momentum & ſtatum deſcribentes.*

I. OBſecro Lectores uti attendant utrum ex hiſce indigeſtis Parrhaſii logis aliquid lucis vel utilitatis poſſint capere, vel ſaltem hiſtorico modo inde intelligere quid ſibi velit noſter Parrhaſius, adeo vagos, atque perturbatos dedit hic clamores ſuos, nec rei momentum, nec controverſiæ ſtatum declarantes, neque rationes ejus ullas vel verbulo tangentes; at teſtes ſolummodo animi irati, omnique pleni faſtidio ac Thraſoniſmo quibus mentem falſa eruditio ſolet reddere turgidam. Si ex illius verbis nonnulla de ſubjecto ſive dē re de qua eſt quæſtio, intelligere poſſit Lector, illud eſt, diſplicere D. Clerico, & ipſi (qui idem ac Clericus publica voce dicitur) Parrhaſio res ſive materias quas vocat *myſticas* & *ſpirituales*, cum Auctoribus qui de illis egerunt, puta, Myſticis ſcriptoribus, Auguſtino, eorum approbatoribus, ipſoque etiam Poireto: Deinde, habere D. Clericum bonas rationes ob quas quidem eos improbet, & quibus illos eorumque libros confutet: Sed, tertiò, velle eas ſibi reſervare, non autem in publicum emittere, ne hoc modo ille adverſarios ſuos, minus alioqui notos, reddat illuſtriores. Atque ita Parrhaſii ſcopus hic eſſe videtur, libros adverſariorum, eoſque quos myſticos & ſpirituales dicit, ita deprimere, ut Lectores ab iis legendis deterreantur tametſi neſciant eorum argumenta & rationes, quo D. Clerici libris, ſuique Parrhaſii opinionibus, ſeſe ſine impedimento totos dedant. I. *Parrhaſianæ* CENSURÆ *confuſus ſenſus & ſcopus.*

II. Ego vero operam dabo, quantum in me erit, uti ad eum ſcopum, qui mihi iniquus videtur, minime pertingat Parrhaſius. II. *Non inſulſis cum eo*

Con-

clamoribus; ſed ſolida utiliſſimarum rerum expoſitione evertendus. Contumelias, mihi ab eo factas, uti grandinem ſinam liqueſcere, optans ipſi Deum per pœnitentiam propitium. Conabor utiliora reponere pro vilioribus, & quæ dicam, non minus ad veram ERUDITIONEM pertinebunt, quàm quæ de argumento hocce ex profeſſò in *Libris de Eruditione* ſcripſi. Materiæ momentum & naturam, quam diſſimulavit Parrhaſius ne recte illa cognoſcatur, quia omnium primaria eſt & digniſſima, conabor primo explicatius ponere ob oculos, eamque vel a radice oſtendere: poſtea vero nonnulla ſpecialiora annotabo ad quoſvis numeros quibus Parrhaſianam cenſuram interpunxi.

III. Fundamenta ſequentium.

III. Pro radicibus autem dicendorum de noſtro argumento ſequentia pono.

1. Omnes qui inſtinctus intimos non ejurarunt, (etiam ipſum cum D. Clerico Parrhaſium,) tendere ad finem ſummum, licet forte minus intenſe ac minus ſæpe, & generalius ac par eſſet.
2. Finem ſummum eſſe vitam æternam.
3. Deum unum eſſe cauſam omnis boni, præſertim æterni & ſalutaris.
4. Homines nunc eſſe ex ſeſe corruptos, tum quantum ad facultates reales, eaſque ſive ſpirituales voluntatis & intellectus &c. ſive corporeas, tum quantum ad facultatem idealem ſive pictoriam Rationis ſuæ, ideas rerum effigiantis & diverſis modis ordinantis. Et hanc quidem corruptionem ſatis, pro re noſtra, demonſtratam dedi (a) ubi egi de Methodo inveniendi verum.
5. Suppono & illud, hominem, etiam corruptum, eouſque tamen a Deo eſſe reſtitutum, ut ſit liber non quidem ad cauſandum bonum ex ſe ipſo; ſed ad admittendum illud a cauſa oblatum, vel ad id ipſum rejiciendum. Quod quidem fuſius, nec uno in loco, demonſtratum alibi dedimus. (Vid. Oecon. Div. Libr. III. cap. VI. §. 10.)

(a) Part. I. §. 35.

His poſitis, ut ad rei momentum accedamus propius, videamus primo, idque generalius, quomodo homines ſeſe horum reſpectu regere potuerint: quod quidem ad duos modos ſive ad duas ſpecies præcipuas, (reliquis nunc prætermiſſis) redigi erit neceſſe.

IV. Sci-

Digitized by Google

IV. Scilicet homines ad ſummum finem tendere annitentes, & animadvertentes eum finem eſſe vitam æternam, vel adhibebunt illico facultates ſuas reales & internas, cor, animam, intellectum, uti illam quærant, & quidem in ſua cauſa, ſive in omnis boni cauſa, Deo, cui tradent deſiderium, intellectum, acquieſcentiam, ut ille eam vitam in ipſis efficiat; vel adhibebunt facultatem Rationis umbratilem, in qua ſibi formabunt aliquam vitæ æternæ ideam pro Rationis ſuæ corruptæ atque tenebroſæ indole, & ad hujus vitæ imaginatæ quæſitionem & acquiſitionem vocabunt eam ipſam Rationis facultatem, ut ſcilicet præbeat eis lumen, docendo quæ ſit iſta vita, quæ viæ, quæ media; præbeat vires, regat affectus & facultates inferiores, atque ita ſubjectum ſuum vitâ æterna non indignum efficiat, de qua tamen vita illi adeo parum ſunt ſolliciti, ut præcipuum vitæ ſuæ tempus rebus perituris ac nugis evanidis, (ne pejora dicam) impendant.

IV. Religionis tum veræ tum falſæ origo ac punctum ſaliens.

V. Harum vivendi & agendi rationum prima conſtituit *Religionem divinam*, ſive, quod idem eſt, ſubſtantiam RELIGIONIS CHRISTIANÆ quæ eſt adoratio Dei in Spiritu & Veritate, ſive, traditio Spiritus noſtri & facultatum realium atque verarum Deo, auctori & Operatori omnis boni, omnis lucis omniſque ſalutis: cui idcirco omnis tribuitur amor, honor, gloria in æternum.

V. Religio vera, realis, & Chriſtiana.

VI. Altera, conſtituit RELIGIONEM *Philoſophicam*, ſive RATIONALEM atque *idealem* & *pictam*, & hoc tempore, CHRISTIANISMUM GENTILEM, hoc eſt, exercitium ſibi activitate Rationis ſuæ ideas & picturas de rebus divinis excitandi, de iis ratiocinandi, & exteriores facultates, quæ converſationem cum aliis reſpiciunt, regendi & coërcendi ſic ut viros decet honeſtos, belluis per Rationis exercitium, in regimine hujus mundi præſtantiores, qui propterea Rationis ſuæ induſtriam, potentiam, activitatem, magni faciunt atque æſtimant, in ea gloriantur, deque ea Amori ſuo proprio impenſe gratulantur.

VI. Religio falſa, idealis & Philoſophica.

VII. Ad primam claſſem pertinuerunt omni tempore ſanctiſſimæ quæque animæ, Patriarcharum præſertim, Prophetarum, omniumque qui Scripturas ſacras nobis deſcripſerunt: ipſe CHRISTUS JESUS cum ſuis Apoſtolis, tota Eccleſia primitiva ſanctior, omnes ad unum ejus primi Doctores ac Patres, & ſpeciatim inter eos illuſtris Auguſtinus: Omnes Theologi My-

VII. Sectatores realis & veræ Religionis.

ſtici, quin & omnes ceteri qui ſolidâ Eruditione imbuti ſunt & qui vel Chriſtianorum nomen meruerunt.

VIII. *Sectatores idealis & Philoſophicæ Religionis.*

VIII. Ad poſtremam claſſem pertinuerunt inter Judæos quidem Sadducæi; inter Gentiles Philoſophi haud pauci, illi præcipue de quibus Paulus ad Romanos cap. 1: & verò inter eos qui Chriſtianorum nomen, licet immerito, tulerunt; omnes qui Eruditione falſa, imo qui ſola ſuperficiaria, præditi ſunt: illi qui dicuntur Pelagiani, quibus quidem ſeſe adjunxerunt hiſce ultimis ſeculis dicti Sociniani: omnes omnino Chriſtianiſmi Gentilis, Philoſophici, Logici ſive rationalis & idealis ac picti buccinnatores & defenſores: qui licet Scripturas ſacras adhibeant, & ad eas provocent, nihil tamen ex illis deducunt quam quod ad facultatem Rationis pertinet, videlicet ideas ſiccas ad cœcæ Rationis ſuæ captum & palatum accommodatas, ac ſecundum philoſophiam ſuam cœcam gubernatas & ordinatas.

Ego, Deo gratificante, ad primam illorum claſſem mente & ſcriptis me conferre conatus ſum, eamque commendare: Aſt alteri propagandæ videtur ſe totum mente & ſcriptis D. Clericus, rejecta & contemtui habita priore, conſecraſſe: licet enim eruditionem humanam non parvam in libris ſuis ubique oſtentet, *nemo tamen non videt*, ut verbis nuperi Theologi (*a*) Groningenſis utar, *ſuam* illam *eruditionem ei inſervire ad inſtar commeatus, quo in res divinas corruptionem introducat.*

(*a*) J. Gouſſet Conſider. Theol. pag. 5.

IX. *Diſſenſus D. Clerici & cenſuræ Parrhaſianæ cauſa vera & plena.*

IX. Et hoc quidem eſt punctum ſaliens, ut ſic dicam, verumque fundamentum diſſenſus inter illum & me; nec non & veriſſima cauſa horroris quem concepit tum adverſus operationes Dei reales in facultatibus noſtris internis (quibus dat nomen *fanatiſmi*) tum adverſus Sanctos primi Chriſtianiſmi *Patres*, adverſus S. *Auguſtinum* præſertim, etiamque adverſus *Myſticos*, ac *me* præterea. Quæ omnia effecta cum clariſſime in cenſura Parrhaſiana appareant, habemus hic *cauſam a priori* iſtius Parrhaſianæ declamationis, quæ alioqui confuſa, vaga & irrationalis verborum coacervatio appareret.

Rei nucleo ita aperto, videamus quantum ſit ejus momentum.

X. *Rei de qua agitur momentum.*

X. Si de re parvi momenti, vel de re quæ me ſolum reſpiceret, quæſtio hic eſſet, tacerem omnino, neque paterer lectorum mentes ac tempus detineri rebus inutilibus. At agitur & de

Digitized by Google

de re omnium ſine ulla exceptione momentoſiſſima; & quæ omnes ac ſingulos, nullo prorſus excepto, reſpicit.

Agitur de vita, de ſalute, de beatitudine æterna, deque cauſa ejus efficiente & operante, ſine qua cauſa vera & una, homines omnes ejuſdem effectu, ſive beatitudine ipſa deſtitui neceſſe eſt.

XI. *Vita æterna*, unius cujuſque noſtri vera res eſt, verum negotium; & ut ad eam creati ſumus, ita & ad ejus cognitionem, ad ejus cauſam, ad ejus media tendere debemus. Quid vero ea ſit vel ex ipſis terminis attendenti conſtare poteſt. Vita vere & ſolide vita, vere & ſolide æterna & beata, ſine fonte uno vitæ & beatitudinis omniſque boni, conſiſtere non poteſt. Involvit ergo communionem & unionem cum illo fonte, hoc eſt, cum Deo, qui cum ſit ſpiritus immenſus, ſitque originaliter unum & ſolum bonum, ſequitur evidenter VITAM ÆTERNAM conſiſtere, *in perfruitione Dei qui in nobis habitet, ſe manifeſtet ac communicet, vivat, agat, & æternas habeat delicias.* XI. *Vita æterna quid, & in quibus conſiſtat.*

XII. Homo a Deo per Verbum ſive Filium ejus ac Spiritum ſuum ut primùm creatus eſt, non complementum quidem, ſed initia hujus vitæ habuit, fuit enim inter illum & Deum aliquod commercium, & communio quædam, quæ ſi excoluiſſet, ſique cum iis cooperatus eſſet, offerendo ſe Deo & cum eodem exercendo libere & continue vel ſæpiſſime facultates ſuas reales ac internas, puta deſideria, cor, intellectum, affectus; Deus in ipſo ejuſque facultatibus, ſeque, ſuaſque operationes, & bona ſua omnigena per verbum ac Spiritum ſuum magis magiſque manifeſtaſſet, donec tandem ſuo tempore, ſeque ſuaque omnia plene & conſummato modo cum ipſo communicaſſet: atque ita is Deus qui in homine initia vitæ æternæ, & in homine ei reſpondente incrementa ejuſdem vitæ cauſatus erat & effecerat, fuiſſet & ipſe tunc eadem vitæ æternæ cauſa perficiens atque conſummans. quo ipſo, ſoli Deo omnis redit honor & gloria. XII. *Qui Deus in homine, ſi hic non peccaſſet, cauſa vitæ æternæ fuiſſet.*

XIII. Nunc autem per peccatum ex origine noſtra depravati, miſeri naſcimur non modo ſine illis vitæ æternæ initiis & primitiis quæ primo parenti impreſſerat Verbum Dei quod eum formaverat: ſed & ſtupiditate, & tenebris, & propenſionibus pravis affectæ ſunt facultates animæ noſtræ realiores, ne de inferioribus deque Rationis facultate ſuperficiaria & umbratili ſimilia aut XIII. *Poſt peccatum, hominis facultates depravatas, eſſe reformandas, & iis principia*

Digitized by Google

ad vitam æternam inſtillanda. idque a ſolo Deo fieri poſſe.

aut plura dicam. Quo fit ut initia illa prima vitæ æternæ, quæ ad ejus plenitudinem acquirendam data erant, non poſſint à cauſa ſua in facultatibus noſtris reſtitui, niſi ineptæ & emortuæ facultates noſtræ e ſtatu ſuæ ineptitudinis (quæ tantum non immenſa eſt) tollantur, & in ſtatum priorem vel priori appropinquantem reſtituantur. Porro quis hominem, quis facultates animæ ſuæ interiores deformatas, reformare poſſit niſi ipſe formator hominis & animæ ejus, Omnipotens Dei Verbum, Deive Filius, per quem Pater omnia condidit? Ecquis poſſit facultatibus ad ſanitatem revocatis principia primitiaſve æternæ vitæ infundere, ac tandem ejus plenitudinem dare, niſi ipſe vitæ æternæ Fons?

XIV. *Officium noſtrum in his.* Summa Religionis Chriſtianæ.

XIV. Quæ cum ita ſint, ſupereſt ut quantum ad nos, ſciamus nos hîc in tempore poſitos eſſe, ut id ipſum tempus impendamus nobis ad æternam vitam præparandis tum per facultatum noſtrarum ſanationem, tum per primitiarum vitæ æternæ adeptionem: quæ quidem recte & uti par eſt fient, ſi ab inutilibus & malis cogitationibus ac occupationibus deſiſtentes, convertamus nos interioraque animi noſtri, facultates realiores ac intimas noſtras, (quæ ſubjectum ſunt beatitudinis) ad ipſum Deum, qui fecit nos, quique ſolus & nos reſtituere, & ſe & ſua nobis dare potis eſt bona, rogantes eum omnis boni fontem & efficientem cauſam ut charitate ſua nobis & vim, & lumen & amorem largiatur, quibus interiora noſtra ita purificentur & ornentur, ut eum dum hîc vivimus, ſaltem per modum initii poſſidere poſſimus, veniatque ad nos Chriſtus, cum Patre & Spiritu promiſſionis habitatum in nobis, nos deinceps & gubernaturus, & contra infinitos ſalutis noſtræ inimicos protecturus ad finem uſque hujus vitæ; qua peracta, ipſe ſe totum nobiſcum communicaturus eſt, & perfecturus opus cujus ante effecerat initia & incrementa. Atque ita omnis ad eum unum redundabit laus & gloria in æternum. Et hæc quidem eſt tota Chriſtianæ Religionis ſummatim eſſentia.

XV. *Mendacia quæ Satanas excogitavit adverſus hæc. Quid ſit* hæreſis Pelagiana.

XV. Verùm hiſce veritatibus, per omnes Scripturas teſtatiſſimis, fecit opponi ſalutis noſtræ inimicus a longis retro ſeculis mendacia ſua mortifera, quibus hominum mentes æternâ quantum poteſt, privaret beatitudine. Facultates mentis interiores ac realiores non permiſit uti ſe Deo paſſive offerrent irradiationes

ac

ac operationes ejus poſtulantes ac eſurientes. Suppreſſit illas. Stimulavit inanem Rationis facultatem ejuſque activitatem, qua quærerent homines ideas ſteriles, imagines pictas, (opera manuum ſuarum ſive potentiæ & activitatis ſuæ) ac multa de eis ratiocinia, in quibus gloriari poſſent quaſi vel ipſi propterea Dii eſſent aut divini, vel acſi iſta ſua opera atque idola ipſa divinum quid, divinæ quædam luces eſſent, ſuoſque cultores ad divinum ſtatum appropinquarent. Vitam veram, vitam æternam ad quam conditi ſumus, eſſe Dei in nobis habitantis, viventis, operantis poſſeſſionem, cogitare ne idealiter quidem permiſit hoſtis idem; ſed tantum generalius, eſſe vitam hacce temporali meliorem, (quod vel cum Alcorano concordare poſſit.) Nos ad eam è nativitate noſtra & pro ſtatu miſero in quo ſumus non eſſe ita ineptos uti ab aliis dicitur: neutiquam opus eſſe poſtulare ac exſpectare in nobis vires, lumen & operationes à Deo quibus ad ſalutem præparemur, multoque minus præſentiam ipſam Patris, Filii ac Spiritus Sancti in nobis viventium, nos illuminantium, gubernantium atque protegentium: hæc eſſe ſomnia & fanatiſmum omnia. Facultates noſtras ratiocinandi atque agendi & omnium præcipuas eſſe, & ſatis integras eſſe, ut ſi eas excolamus & exerceamus per Logicam & Philoſophiam ac literam ſcripturæ ex iis intellectam, atque pro viribus illis noſtris executioni mandatam, jam ſimus omnino in via tuta ad illam vitam meliorem quam concepit homo animalis. Hæc vero illa eſt hæreſis capitalis quæ *Pelagiana* dicitur, Socinianiſmi mater, fundamentum, anima & vita una, cujus conſectaria tantum ſunt ceteri errores Sociniani, qui haud ſecus atque accidentia quædam, illico intercidérent ſi hæcce venenata radix, ſubjectumve fundamentum, ex animo eradicaretur.

XVI. Hujus autem erroris id eſt periculum quo nullum aliud majus dari poſſit. Neque me hic tranſverſum agit zelus ſeverior quo plerique eos qui in eadem ſecum ſecta non ſunt aut ſententia, æternis illico flammis addicunt. Rei, ſive erroris hujus natura, non ego, hæc ipſa loquitur: tollit enim *agentem ſalutis* noſtræ *cauſam*, ſive, Deum, in anima operantem, ſanantem, illuminantem atque dirigentem: tollit animæ *ad eam cauſam* atque ad ejus effectum, ad ſalutem ipſam, *diſpoſitionem*, ſive, conſcientiam impotentiæ ac corruptionis propriæ, & ſitim atque deſide- XVI. *Periculo hujus hæreſeos nullum majus; quod non poteſt conſiſtere cum adeptione vitæ æternæ.*

rium omnipotentis ac vivificantis Soſpitatoris, id eſt, veram fidem: tollit ipſum locum ſive *ſubjectum proprium & beatitudinis*, & ejus cauſæ, & diſpoſitionum animæ ad eam, hoc eſt, tollit fundum ac *facultates* noſtras *paſſivas* atque intimas, ſua objecta, ſuas ſenſationes beatificas non cauſare, ſed aliundè cauſatas in ſe paſſive admittere tantum aptas. Subſtituit autem pro illis Idolum ſuperbum intellectus activi ſuperficiarii, ſive Facultatis Rationis humanæ, ſuperficiarias, frigidas, emortuas, atque etiam deformatas Dei rerumque divinarum ideas ſive picturas ex ſe vel e Scripturæ litera pro morboſa ſui indole extundentis, cum iis ludentis, ac earum ſuique circa eas exercitii virtute politicam probitatem ſibi ita effigiantis, ut credat ſe hoc pacto vita æterna carere non poſſe. quo quidem errore nullus ipſo facto in Orbe univerſo exitialior exiſtit. Judæus, Turca, Gentilis homo, ſi in ſinceritate animi ſuæ impotentiæ conſcii ad Creatorem ſui & omnium recurrant, procul dubio ſervari poterunt per Omnipotens illud Verbum Dei æternum quod fecit & ſuſtinet illos, & a quo procedit omnis motus ſincerus & humilis animæ ſibi diffidentis & recurrentis ad Auctorem ſuum, qui ipſemet eſt Dei Verbum & Filius, hoſce motus tanquam veræ fidei ſemen, in animis ipſi per ſuperbiam voluntariam ac pertinacem non reſiſtentibus excitans & fovens: quibus ſi reſpondeant, non dubium eſt quin ille magis ac magis omnia eis neceſſaria auxilia ac media, tam in internis quam in externis, ſit benigne procuraturus quibus tandem ad ſalutem pertingant. Non ita animus Pelagiani erroris ſuperbia præfracte tumidus, ſuæ indigentiæ, miſeriæ, impotentiæ ad ſolida & realia bona diſſimulator, Medicatoris ſuorum interiorum deriſor, & ſalutis ſuæ Operatoris unius renuntiator, putridi poſitor fundamenti ſuperficiarii potentiæ activæ ſui intellectus, ſive facultatis Rationis ſuæ; cui vero quicquid ſuperſtruere poſſit veritatis, virtutis, fidei, ſpei, Amoris Dei & proximi, bonorumque morum omnium, picturæ ſunt & ideæ à ſe ægro fabricatæ, ſteriles eæ & emortuæ, imo & deformes rerum ac virtutum verarum imagines larvæque inanes, & ſpecies probitatis politicæ ac philoſophicæ, vento amoris proprii tumidæ, quæ hac in vita contra adverſarii tentationes aut adverſitates non poſſunt ſubſiſtere, uti norunt optime illorum animi qui in his fuerunt vel adhuc ſunt, ad quævis ſæpe leviora facile intus per-

Digitized by Google

perturbati atque dejecti: multum abeſt ut cum hocce apparatu ſtabiles poſſint ac imperterriti permanere contra ventos atque fluctus judicii Dei, omnem domum everſuros quæ petræ non eſt inædificata, ſive quæ pro fundamento non habet Chriſtum in nobis habitantem, in cujus vi omnia noſtra fiant ac recumbant, & *in* quo *ſi quis non manſerit ſicut palmes manet in viti*, ita ut vitis cum eo veluti cum palmite non communicet vitam ſuam & ſpiritum ſuum, vimque fructiferam, *ille* a Patre rejicietur, *& mittetur foras, & areſcet* cum omnibus ſuis idealibus ac vanis virtutibus philoſophicis atque politicis, *& colligetur, &* IN IGNEM MITTETUR, ET ARDEBIT. Joan. 15: 4, 6.

XVII. Hactenus vidimus & rem ipſam, & quam momentoſa ſit, de qua quidem agunt ii libri iique auctores in quos idcirco vage & confuſe declamavit Parrhaſius, ut ne ſciretur a Lectoribus quid eſſet ea res de qua inter eos Auctores libroſve interque D. Clericum & ſui ſimiles eſſet quæſtio: quod, ut contra ſcopum Parrhaſii evidentius pateret, paulo fuſius uti hic exponerem neceſſe fuit, neque enim omnium eorum, qui uſque adhuc in D. Clericum ſcripſerunt, ullus id, uti æquum & maxime neceſſarium fuiſſet, bene repræſentavit. Dilapſi ſunt pene omnes ad minus præcipua, ſæpeque inutiliſſima, cum ipſo vexanda. Ego vero velim, ut cetera omnia quæ vel ille in me, vel ego in eo reprehendere potui aut poſſim, pro nullis (niſi in quantum huc redeunt) habeantur præ hacce una omnium rerum momentoſiſſima re, quæ vitam, eſſentiam, fundamentum, ſubſtantiamque Chriſtianiſmi & ſalutis æternæ uniuſcujuſque penitiſſime & funditus reſpicit: & ad quam quidem ego ac Auctores & Libri D. Clerico inviſi ex una parte, ipſe autem D. Clericus ex altera, ſeſe habent modis plane oppoſitis, ac enituntur ſuam quiſque ſententiam ita commendare, ut, ſi fieri poſſet, ipſum cœlum & terram optarent eadem repleri, ac omnia eam unam reſonare in æternum.

XVII. *Verus quæſtionis controverſa ſtatus inter* D. Clericum, Parrhaſium *&c. & inter Auctores quibus (ut & mihi,) infenſi ſunt.* Scopus *utrorumque.*

Quantum ad me attinet, fateor me nihil aliud in votis habere, neque me cupere nunc & in æternum vivere & agere, quàm ut Deo ſoli, veluti omnis boni, maxime vero boni æterni, ſalutaris, ſolidi ac vere realis Fonti, cauſæ, ac Operatori uni ſit laus, honor & gloria ab omni creatura ſua in omnem æternitatem: peccatori autem rebelli, ingrato, monſtroſo & abſurdo, qui cum

ex

ex ſe nihil ſit, & pejor nihilo, vult tamen τὸ *non eſſe* exiſtere cauſam τοῦ *eſſe*, plus eſſe in effectu quam in cauſa; τὸ nihil eſſe cauſam realitatis, malum boni, curvum recti, impurum puri, morboſum ſani, damnatum ſalvati &c. ſit pudor & (ut cum Scriptura loquar) *confuſio faciei*, quod tam immanem & tam monſtroſam ſtultitiam in cor ſuum unquam admiſerit atque foverit. contra quam ut præmunirentur mentes æternæ vitæ cupidæ, ego, pro bona quæ mihi ineſt erga illarum ſalutem voluntate, dedi operam ut in omnibus quæ ſcripſi & publicavi, quantum quidem ego potui & locus tulit, ſalutaris illa ac ſumme neceſſaria doctrina quæ capitali iſti errori oppoſita eſt, pure ac ſancte proponeretur, omniaque reliqua ad illam, veluti ad ſcopum unum hujus vitæ noſtræ reducerentur. Unde factum eſt, ut quando in aliorum libris, præſertim anonymis, argumenta divinæ huicce veritati oppoſita mihi occurrebant, ea pro viribus diſſolvere conatus ſim, & vel ad tartara, quo homines ducere apta ſunt, remitti optaverim, ſervatis ac liberatis iis, qui per illa capti tenebantur.

XVIII. *D. Clericum incepiſſe adverſus me nominatim agere, quod Scripta mea ſcopo ſuo adverſarentur.*

XVIII. Verum id non eo animo ab illis acceptum fuit qui partes contrarias mordicus tenere & propagare decreverant, maxime quando auctores erant quorumdam e libris anonymis a me, quantum ad hocce argumentum, confutatis. Inter hos primarius fuit D. *Clericus*, qui ubi vidit Pelagiana ac Sociniana iſtorum librorum argumenta iis diſſolvi modis quos neque adhuc viderat, neque etiam ſperaverat, quique rationibus ac exceptionibus Pelagianis locum nullum dabant, illud ægerrimo pertulit animo: atque id ut caſſum redderet, in *Bibliotheca ſua Univerſali* eam fecit de meis Oeconomiæ divinæ libris Relationem, qua per falſorum ſuppoſitionem, rei ipſius diſſimulationem & perverſionem, ridiculorumque nominum impoſitionem putavit Lectores a legendis libris iſtis atque a rei ipſius cognitione poſſe abduci, quo deinceps tranquillius & ſine obſtaculo doctrinam illam ſaluti hominum pluſquam dici poteſt inimicam, iis inſtillaret eruditionis ſuæ profanæ fucatæque eloquentiæ auxilio, idque in ſcriptis ſuis Philoſophicis, Hiſtoricis, Criticis, Theologicis, Gallicis pariter atque Latinis; neque id ſine omnis generis artificiis atque fraudibus inter eruditorum callidiores cognitis ac uſurpatis.

XIX. *Cur ei per Epiſtolam reſpondi.*

XIX. Spes erat aliqua eum poſſe ad rectam reduci viam ſi ſuæ ipſi obliquitates, ſimulque rerum ſalutarium veritas, bono animo ob

ob oculos ponerentur. quod in præcedenti ad ipſum Epiſtola exſequi tentavi eo modo, ut, ſi mens omnino non læva fuiſſet, veritati debuiſſet potius dare manus, quam pati ut adeo abſurde & inſulſe per Parrhaſium ſuum ei reſiſtatur.

XX. Et ſane mirari ſatis nequeo, dari homines animo adeo inverſo præditos, ut quamvis ipſis doctrina de corruptione & impotentia hominis, deque Dei gratioſa in intimis operatione, proponatur iis modis, per quos e ſuis quinque famoſis olim articulis, eo quem ſuum faciunt ſenſu, concutitur nullus, nullaque eorum ſequuntur incommoda quæ ſe ſola horrere teſtabantur, atque objiciebant, velint tamen præfractè iſtius Divinæ Gratiæ, qua ſine omnia Orcus eſſent, adverſarii eſſe & permanere. Si dixiſſem, homines per peccatum eſſe adéo corruptos & impotentes, ut nulla vi & potentia aliunde ſuppeditata poſſint reſtitui; aut vero eam potentiam, vim, gratiam, offerri tantùm paucis quibuſdam, ceteris non item; vel eam talis eſſe naturæ, ut oblata rejici non poſſit, admiſſa ſemel omitti non poſſit, ac ſimilia iſtius generis; non mirarer D. Clericum, necnon & omnes Remonſtrantes, mihi in his adverſantes eſſe; obtendere poſſe, hoc pacto homines redigi alios ad deſperationem, alios ad ſecuritatem; omnium peccatis, ſceleribus & impœnitentiæ excuſandis anſam præberi; omnium ardorem frangi & ſtudium erga virtutes praximque bonorum operum, & alia iſtiuſmodi quæ illi ſolent iis objicere a quibus ſeſe olim propterea ſeparaverunt. Verùm quando, quem fuſe declaravi, ſenſus meus eſt, hominem corruptum & impotentem poſſe non in ſua, ſed in Dei potentia & vi agente reſtitui: hanc Dei potentiam, vim, gratiam agentem, omnibus ex parte Dei indiſcriminatim patere: eam talis eſſe naturæ ut ſi homo illi, ipſum ſollicitanti, velit attendere, ſeque ei tradere, perficiendum ſit gradatim per eam in ipſo opus ſalutis ac reſtitutionis ſuæ; ſin ei attendere nolit, ſed carnis, Satanæ atque Mundi ſollicitationibus aures præbere malit, maneat idem culpa ſua inexcuſabili in corruptione atque perditione ſua: libertatem ejus non efficere, ſed admittere tantum ſalvificam operationem, cujus realitas & gloria ſoli debeatur omnis boni Auctori ac fonti Deo, homini vero cura incumbat non attendendi neque aſſentiendi, neque cooperandi Satanæ, carnis ac ſeculi ſollicitationibus; ſed divinis tantum, hiſque ſeſe tradendi; & vero traditum ſemel, non

XX. Nullos genuinorum Remonſtrantium debere adverſari doctrinæ de corruptione ac impotentia hominis, deque Dei gratia intus operante prout eam expoſui.

denuo ſe ſubducendi, ſed, (per vim a Deo oblatam ac præbitam,) fideliter perſeverandi in ſui continua reſignatione: qua quidem in re, prout ſe geſſerit, ita etiam a judice Deo vel remunerabitur, vel relinquetur: quando, inquam, hæcce omni difficultate remota pluribus declaravi; non exſpectaveram ullos eorum quibus rigida prædeſtinatio, & particularis gratia irreſiſtibilis diſplicent, veritatibus iſtis ullo modo adverſaturos, illuſuros, & omni inſuper molimine conaturos ut ipſam Dei in nobis ſalutis opus agentis vim & gratiam ſi poſſent eliminarent.

XXI. *Gratiam Dei intus operantem, nullis rationibus poſitivis, ſed ſola naturæ arrogantia, ac Satanæ impulſibus impugnari ac infamari poſſe.*

XXI. Idque eo minus ab illis tentatum oportuiſſet, quòd eo in tentamine nullis ipſi poſitivis ac ſolidis rationibus, nullis adverſus eam prægnantibus difficultatibus niti poſſint; ſed ſola una atque libera corruptæ naturæ, facultatiſque Rationis ſuæ ſuperbæ arrogantiâ & inclinatione, à ſe ipſa & à Satana ſollicitata, & ad hanc ſollicitationem conſentiente uti diſcedat quidem animus a Deo atque ab ejus in nobis amoris, glorificationis, regiminis, inhabitationis, operationumque cœleſtium ſtudio; adhæreat autem ſibi ipſi, gloriæque & honoris & præſtantiæ propriæ ſenſui grato & delectabili, futilibus item ſtudiis ac occupationibus aliis innumeris: quibus verò cum immenſe adverſetur intima Dei in nobis ſollicitatio atque gratioſa operatio, ecce, hæc veriſſima cauſa eſt quamobrem homines corrupti, ſui & eorum quæ ſua ſunt amatores, tantopere a Gratia Dei interna abhorreant; atque ea in re ab inimico animarum ſuarum eouſque excœcentur & indurentur, ut deinde adorandam illam Dei Gratiam annitantur infamare, ac ſub ridiculis *fanatiſmi* ac *Enthuſiaſmi* titulis omnium irriſioni exponere, ſimul cum illis qui eandem veluti unicam in naufragio tabulam amplectuntur atque adorant, ſpem ſuam in eam conjicientes.

XXII. *Gratiæ Dei interna rejectæ ac deriſæ crimine nullum in re ſalutis majus atque etiam abſurdius.*

XXII. Quo quidem crimine, rejectæ dico atque etiam deriſæ Gratiæ ac operationis Divinæ intima noſtra ſanaturæ, nullum novi in re ſalutis veræque Religionis gravius aut etiam abſurdius. Vel ipſemet Deus ēa de cauſa cœlos ipſos ad ingentem appellat ſtuporem, exclamans per Prophetam: (a) *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, horreſcite & deſolamini vehementer, dicit Dominus: duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt, fontem aquæ vivæ; & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Duo hæc maxima mala, deſertio Dei, erectioque idoli abominanc,

(a) Jer. 2: 12.

nandi, apud hodiernos Gratiæ Dei intus operantis adverſarios, in flore nunc ſunt & vigent quam maxime. Quando ſcopus Dei eſt ſeſe, ſuum Spiritum, ſuaſque admirabilitates atque virtutes quaquaverſum in omnes diffundere, & tandem eſſe omnia in omnibus, diceres hoſce contrà non repellere tantùm, ſed & horrere Dei in ſe præſentiam, metuere ne Spiritus Dei in cordibus ſuis ſit efficax, imo formidare ſummopere ne forte aliquando velit in eis luminoſo atque divino modo ſuo agere, neve ſuarum divinarum operationum, ſuorum donorum, donationiſque ſui ipſius promiſſa aliquando ipſos reſpiciant & ad ipſos pertineant, adeo ſolliciti ſunt ut omni cura & induſtria Scripturas ſacras in hoc argumento enervent penitus, idque abſurdiſſimum in modum, quo innumera Dei de Spiritus ejus donatione, effuſione, & operatione in nobis, dicta & promiſſa à ſe declinent, & vel ad ſolos Apoſtolos Apoſtolicique temporis homines pertinuiſſe dicant, vel etiam detorqueant ad mera quædam externa, cum vi noſtrâ rectè ſecundum Logicam & Criticam ratiocinandi conjuncta. Quo quidem modo, hæc Dei promiſſa, exempli gratia, (*a*) *Ponam legem meam in mentibus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eas*, eo erunt reducenda ſecundum egregios hoſce interpretes, ut idem velint ac, „ Ego diſponam ita media externa, ut „ eorum ope in memoria veſtra firmiter habeatis & retineatis ideas „ (Pelagianas ac Socinianas) quas Ratio veſtra per Grammaticam, „ Criticam, & Philoſophiam exſculpet è verbis Scripturæ. Ecce quomodo pro Deo, pro facultatibus internis & realibus, pro impreſſionibus Dei vivis & potentibus in eas, binum vel trinum Idolum illud, Rationis, Critices, & Philoſophiæ, erigere non erubeſcunt!

(*a*) Jer. 31: 33. Hebr. 8: 8. & cap. 10: 16.

XXIII. Et ipſe quidem Parrhaſius noſter, multus ubique in eo eſt, imo eò uſque delirat in ſuis Parrhaſianis, (*b*) ut *Dei promiſſiones de ſuis luminibus inter Chriſtianos aliquando augendis, magnamque* inter illos *mutationem* effecturis, dicat a Deo eſſe implendas PER INTERVENTUM RATIONIS ET CRITICES. Atque ita magnifica illa Dei promiſſa de Spiritu ſuo, de cognitione ſui & Chriſti, in qua eſt vita æterna, de luminibus ſapientiæ ſuæ, de gratiis omnis' generis theſauriſque immenſis divitiarum qui latent in Chriſto, plena manu in omnes circa ultima tempora ab ipſo Deo effundendis, tantumdem erunt ac ſi Deus

XXIII. *Deliria Parrhaſii in hiſce.*

(*b*) Parrh. T. 1. pag. 415.

 homi-

Digitized by Google

hominibus dixiſſet, *Ego faciam vos bonos Criticos & Rationaliſtas; taleſque qui per Criticam & Rationem omnia vobis comparetis.* Quem vero non pudeat Meretricem illam infamem, Rationis humanæ facultatem, cum Critica de verbis vitilitigatione a Diabolo (*a*) vel in primis hominibus, ac deinde in eorum poſteris ad hoc uſque tempus tantum non infinite conſtupratam atque vitiatam, nunc eouſque evehere, ut impuriſſima illa meretrix ſine morbi ac luis ſuæ agnitione, ſine ejus pœnitentia & abnegatione, ſine ejus purificatione ac morte, indeque in ſtatu novo ac puro vivificatione ac reſtitutione, habenda ſit pro pretioſiſſimarum Dei promiſſionum materia, pro ipſa Dei caſta Sapientia, pro Sacroſancto Domini ſpiritu, in cujus loco & throno ſedeat illud Satanæ proſtibulum Chriſtianos omnes inde illuminaturum, gubernaturum atque perfecturum? Potuitne unquam animarum inimicus Dæmon portentoſiorem partum eniti atque hoc Orci commentum? quo etiam factum eſt ut contendere voluerint (*b*) converſionem hominis ad Deum reipſa fieri per ratiocinia & per ſpirituum animalium ex unis in cerebro veſtigiis ac viis in alias vias novas deductionem & curſum, tamdiu repetitum donec viæ illæ tritæ ſint, & in bonas conſuetudines confirmandas deſierint, monſtraque ſimilia, quibus quidem merito accenſeas criticam interpretationem (an depravationem) illuſtris (*c*) loci in quo Chriſtus totus eſt ut doceat veram *cognitionem* ſui ſuorumque myſteriorum ſoli referendam eſſe virtuti ac potentiæ *Patris*, qui eam *a ſapientibus* quidem *peritiſque abſcondat*, in ſimplicibus vero, *qui infantium parvulorum* inſtar arte nulla, nulla ratiocinatione pollent ac uti ſciunt, ſed paſſivo tantum atque infantili modo cor & intellectum & ſeſe totos divinæ in Chriſto virtuti offerunt, operetur atque *revelet:* quamobrem etiam *gratias* ille Patri lætus agit veluti uni effectori boni illius tanti, quo deſtituerat ſeculi doctores ac Ratiocinatores ſuperbos, in ſuis, non in Dei operationibus gloriantes. Quem vero locum inſigniter admirabilem ſi D. Clerici criticam & rationalem interpretationem (*d*) audiamus, hunc in modum debebimus intelligere. Rem, vel materiam, de

(*b*) v. Entretiens ſur div. matieres de Theol. pag. 27. 28. &c.

(*c*) Matth. XI: 25 &c.

(*d*) Vide *notas ad locum* Matth. XI. 25 &c. *in N. Teſt. Gallico ex interpretatione D. Clerici.*

(*a*) Primi parentes a Satana in lapſum per ratiocinationem & criticam de Verbis Dei diſputationem & vitilitigationem, inducti ſunt. *Fecit Deus hominem rectum: ſed ipſi quæſiverunt ratiocinationes multas.* Eccl. 7: 30. *Confer Defenſ. com. Tit. Spec.* ad §. opp. 35.

Digitized by Google

de qua ibi agitur, eſſe propoſitionem ac perſuaſionem hujus facti hiſtorici, *Chriſtum eſſe a Patre miſſum*, ejuſque *doctrinam eſſe veram*. *Parvulos*, quibus hoc revelavit Pater, eſſe eos *qui melius ſciebant ratiocinari quam doctores & ſcribæ Judaici*, licet hi eos pro *parvulis* ſive pro ignaris haberent, quando tamen erant meliores Logici naturales quam ipſi doctores. *Revelationem* ex parte Dei *Patris*, eſſe miracula externa quæ Chriſtus potentia Patris faciebat; ex parte illorum *parvulorum*, eſſe *concluſiones ab illis factas ſecundum regulas bonæ ratiocinationis*, ut bonos ſcilicet decebat Logicos. *Sapientes* autem illos, quibus Deus hæcce occultabat, *Scribas* eſſe *Phariſæos doctoreſque Judæorum*, *in traditionibus* quidem *ſuis peritos*, ſed *qui peſſime ratiocinabantur*, *explicabantque Scripturas contra regulas rectæ Rationis & bonæ Critices*: nimirum in Artem Criticam & ſimul in Dialecticam peccabant miſeri. *Abſconſionem* vero qua iis Pater iſta abſconderat, in eo eſſe, quod permitteret Deus ut *illi nollent examinare* per Rationem & Criticam *id quod eorum ideis atque uſibus videbatur opponi*: ita ut Deus iſtos traderet ſuis tenebris, ſive non recto Critices Logiceſque uſui & ejus conſequentiis. Atque ita hæc erit mens Chriſti, hic ſenſus genuinus verborum Domini; „Gratias ago tibi, Pater, quod permiſeris hanc pro„poſitionem hiſtoricam, hanc ratiocinationis concluſionem, *me* „*eſſe a te miſſum*, non fieri ab illis qui neque ratiocinantur neque „ſcripturas explicant ſecundum regulas rectæ Rationis & bonæ „Criticæ: volueris autem me tanta feciſſe miracula ut ii qui me„lius ratiocinantur ſecundum leges recti ratiocinii quàm Docto„res iſti Judæi, hanc inde Concluſionem & perſuaſionem ope „ſuæ Rationis ac naturalium Logices legum eliciant deducant„que, quod a te miſſus ſum. Quis ad hæc, quæſo, non dico riſum teneat, ſed *temperet à lacrymis*?

XXIV. Equidem non eſt hic locus iſta omnia abſurda cum aliis ſuis Scripturarum depravationibus examinandi atque confutandi, (quod jam alibi (*a*) fecimus aliquatenus:) libet tamen ex abundanti monere, Parrhaſium non parum cœcutire; & ipſa ratione abuti, quando hujus cauſæ defendendæ gratia paſſim clamat „(*b*) nullum poſſe contra Rationem loqui niſi qui velit „homines ſeducere, & iis quæcunque lubuerit perſuadere: ſine „Rationis luminibus, nos in Revelatis nihil intelligere poſſe: „Ra-

XXIV. *Male à Parrhaſio pro Palladio ſupponi* Rationem *eſſe ſolam intelligendi ac cognoſcendi facultatem*,

ssss 3

(*a*) Oecon. Div. Lib. V. de Cooperatione: Cap. I. (*b*) Parrh. p. 417. 434 &c.

& ſubjectum luminis.

Dari realiores *cognoſcendi* facultates, *ac veriores luces quam Rationis.*

(*a*) Cogit. Rat. in Diſſert. præ-lim. 43. 45. Oecon. Div. Lib. II. cap. 20. Supr. de Meth. Part. II. Sect. I. num. 3. pag. 51. & Lib. I. §. 6. 10. & Lib. II. §. 5 & 7.

„ Rationem deſeri non poſſe quin in fanatiſmum incidamus: & ſimilia: namque in his (ne dicam male ſupponi Rationem rectam vel ſanatam cum tamen ſit ægra ac corruptiſſima) confunduntur, quod ſæpius paſſim oſtenſum, debuiſſet ſcire Parrhaſius confunduntur, inquam; Intelligentia vera & lumina ejus, cum Rationis facultate & actibus atque luce ejus picta vel fatua. Intelligentia, ſive capacitas cognoſcendi Deum & Divina, in homine pars eſt eſſentialiſſima, oculuſque animæ ad videnda objecta mundi intellectualis: aſt eſt paſſiva, uti oculus; & lumen a Deo atque ab objectis recipit, uti oculus in mundo exteriore. Verum Ratio, ſive capacitas excitandi ideas picto modo, & de iis ratiocinandi, non eſt homini eſſentialis, (ut alibi (*a*) demonſtravimus,) eſtque donum quoddam acceſſorium ſeſe ſuperficiario quodam modo & veluti pingendo exercitandi, qua activitate qui careret, non tamen ideo lumine vero careret; neque interno, neque externo: poteſt enim Deus & ſe ipſum, & mundum intellectualem, imo & ideas mundi externi, intelligentiæ ac conceptui paſſive ſe habenti detegere, ſine ullo actu ex parte Rationis noſtræ.

XXV. *Quod clariſſimum redditur per aliquot ſimilitudines.*

XXV. Ponamus hominum aliquem Rationis ſuæ activitatem & ideas aliquamdiu ſeponere, an propterea Deus atque objecta ſpiritualia in facultates ejus ſpirituales radiare & in iiſdem lucere non poterunt? Ponamus alium Ratione nondum uti ſua (quemadmodum infantuli, vel etiam adultiores quidam,) an propterea etiam lumen naturæ externum in facultates ejuſdem externas, in ejus oculos v. g. deſinet operari & illic eſſe, quòd non utatur Ratione ſua? Ponamus denique, aliquem carere facultate reali ac externa videndi, hoc eſt, cœcum eſſe; eundemque tamen eſſe præditum Rationis facultate vel omnium ſubtiliſſima, activiſſima, ſagaciſſima, & omnia quæcunque concipit atque ratiocinatur, valde ordinatim & methodice diſponere idonea; hic quæro, utrum ejuſmodi cœcus poſſit cum omni Rationis ſuæ ſagacitate ac ratiocinatione ſibi excitare non dico lumen Solis vividum, colores, rerumque hujus mundi characteres vivos; ſed eorum vel ſolas ideas ſive imagines in conceptu ſuo ſive in Ratione ipſa depingere? Quis non fateatur illum nihil præter chimæras & nugas effecturum cum ſua Ratione & ſuo lumine Rationis imaginario, quamdiu ipſius facultas externa videndi, ſive ejus oculi,

ii, non erunt ſanitati reſtituti paſſiveque expoſiti Soli ac objectis hujus mundi luminoſis quæ in eos agant & cum eis communicent & lumen & formas rerum vivas ante & citra Rationis actus, licet hæc poſtea ſeſe circa illa & circa formationem idearum mentalium & ratiocinationum de iis, exercere poſſit? Eodem modo ſe res habet ubi homines cœci ſunt ſpirituali ſenſu, hoc eſt, quando eorum Intelligentia, ſive facultas intellectûs paſſivi, clauſa eſt, & tamen illi Intellectu activo ſive Rationis facultate pollent vel ſubtiliſſima atque ſagaciſſima & quam ampliſſima. Si tali cœco (uti ſunt omnes ex origine corruptiſſima) non aperiatur oculus animæ, ſi Intelligentia illa paſſiva, ad res divinas & ſpirituales data, nunc autem emortua, vel lethargo detenta profundo, non excitetur ab Omnipotenti animarum Medico; ſi ſe illi Sol divinus omniaque mundi divini ac ſpiritualis objecta non objiciant, neque lumen, neque notiones vividas & luminoſas in eam, paſſive & receptive ſe habentem, evibrent atque infundant; tunc quacunque ſagacitate, induſtria & capacitate ſeſe motitet & agitet Domina Ratio iſtius hominis cœci, non tantum non efficiet in ſe verum lumen notioneſque vivas & luminoſas rerum ſpiritualium ac divinarum; ſed nequidem earum ideas ſive picturas ſuperficiarias utut ſteriles & inanes; verùm chimæras, nugas & abſurdiſſima portenta, qualia in libris a Parrhaſio tantopere laudatis affatim ubique proſtant. Quis jam dicere poſſit, in ſpiritualibus pariter ac in corporeis, eos qui contra imaginarium lumen & ideas quæ ſunt in Ratione hominis cœci, loquuntur, ut ipſum ducant ad Medicum & ad realia, eos, inquam, *velle ſeducere*, iſtum cœcum *ut ei perſuadeant quæcunque lubuerit: ſine Rationis iſtius* cœci *ideis*, *illum nihil in iis quæ ipſi detegentur intelligere poſſe: cadere illum in fanatiſmum* ſive foveam *ſi ſuam illam facultatem* in repræſentandis imaginibus adeo activam *deſeruerit?* Quæ quidem omnia Parrhaſio ac ejus Heroï repetitis etiam vicibus vel ad ravim uſque eſſent diutius inculcanda, ut deſinerent tandem confundere (quod faciunt ſemper & ubique) paſſivas Facultates, luceſque earum & notiones reales tam pro rebus ſpiritualibus quam pro corporeis, cum facultate activa Rationis, ejus luce ſterili ac picta, ejuſque ideis umbratilibus: & ſcirent, has ſine illis nihil eſſe, nihil poſſe, præter chimæras & nugas; illas ſine his realia, ſolida, & tantum non immenſa & poſſe & eſſe.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI. *Parrhaſius non retulit, velut D. Clericus, veram rationem cauſæ ſuæ in experientia fundatam.*

XXVI. Miror vero inter argumenta ſive rationes quibus Parrhaſius hanc ſuam atque D. Clerici cauſam defendere annititur, præcipuam, veriorem atque etiam efficaciorem rationem cur hiſce partibus adhæreant, mordicùs eas tueantur, pertinaciter diſſeminent, ſintque in ea ſpe ut à quamplurimis libenter recipiantur, omiſerit dicere. Apertius protulit dudum eam rationem in ipſarum partium gratiam D. Clericus in *Bibliotheca* ſua *univerſali* hiſce verbis, quibus rem ipſam ita commendat, ut eos in ſinu deridere videatur qui non eſſent illud animadverſuri. (*a*) *Aſſeverant nonnulli*, inquit, *homines univerſos* ſi plane de Socinianis dogmatibus impugnandis taceretur, *ſenſim ſine ſenſu evaſuros unitarios*, ſive Socinianos, & *ita quidem ut neſcirent quî eò devenisſent: quoniam illorum hominum* (Socinianorum) *opiniones magis accommodatæ ſunt ad captum vulgi quam Orthodoxorum* opiniones, *& ſeſe naturaliter menti offerunt*. Ita ſane res ſe habet. Menti humanæ, uti a nativitate corrupta eſt, quatenus a Deo ſeparata ſibique relicta eſt, in quantum propriis propenſionibus, propriæ ſapientiæ, propriæ illuminationi, ipſiuſque Satanæ, ejus corruptoris atque ſtimulatoris ſollicitationibus attendit, omnino ſeſe offerunt principia Pelagiana atque Sociniana, ad captum animalem omnis hominis carnalis & ſuperbi ita accommodata, ut niſi accedat è bono Spiritu Dei principium divinius intima noſtra pulſans, penetrans, & inhabitans, *omnes prorſus homines evaſuri ſint ſenſim ſine ſenſu Sociniani* & *Pelagiani*, *ita ut neſciant qui eo devenerint: quoniam illorum opiniones accommodatiſſimæ ſunt ad captum*, & propenſionem ſtatumque naturæ corruptæ & *vulgi*, *& omnium hominum nativitate corruptorum*. Et ſane Socinianiſmus ac Pelagianiſmus, cum omni ſua ſapientia, nihil revera aliud eſt quam ipſiſſimus naturæ corruptæ ſtatus prout is expulſâ divinâ per ipſam naturam peccantem & per Satanam hanc corrumpentem gratiâ redditus eſt. Nos omnes qua corrupti & divinâ Spiritus Sancti operatione deſtituti, a natura ſimus & naſcimur Pelagiani & Sociniani quantum ad principia: quod ſi huc accedant continuæ Diaboli ſollicitationes intrinſecus, extrinſecus verò errorum ipſorum repræſentatio, omnino ſentiemus in nobis corruptis non parvam naturæ noſtræ ſuperbæque mentis ac Rationis erga errores iſtos propenſionem atque conſenſum. Et hæc eſt veriſſima ratio quare hominis natura, ſui ipſius amatrix, ſibique ipſi libenter adhærens, adeo in partes

(*a*) Bibl. Univ. Tom. XV. pag. 369.

Digitized by Google

partes illas ſponte ſua propendeat, ab illiſque, ubi eas deliberata & conſueta diu voluntate ſuas fecit, haud poſſit avelli facilius quam vel ipſe Dæmon a ſuis tenebris & partibus. inde etiam iis qui hæc zizania diſſeminant, ſpes non parva exurgit fore ut quàm plurimi ea & admittant, & foveant; & propagent quam libentiſſimè.

XXVII. At quotquot voluerint ſerio attendere ſecretioribus boni Spiritus Dei, naturam corruptam ſalvare quærentis, impulſibus & operationibus, quæ in noſtris intimis vel ab ortu inſinuantur, illicque habitare, ac ibidem reſtitutionem ſanationemque noſtram operari volunt: quiſquis & inde, & e bonis etiam, quibus foris adjuvatur, Dei per ſcripturas verbaque ſanctorum exhortationibus, didicerit ſe ipſe vere cognoſcere, inceperit videre ſe a ſe & nihil eſſe, & nihil poſſe; ſe corruptiſſimum eſſe atque omnino miſerrimum, ſe tenebris penitus immerſum, ſe cœcum, ſe pravum, rebellemque & omnis erroris, pravitatis, ac rebellionis principia in natura ſua foventem; is ab iſtis, quæ jactant, principiis non minus quam ab ipſo orco omniſque mali fonte abhorrebit; & vero converſus ad Dominum, omnis lucis ac boni unum auctorem & fontem, bonum, miſeratorem, operis ſui perditi unum reſtitutorem, rectorem, contra inimicos defenſorem, ac tandem Salvatorem, continue cum ſanctorum inſignioribus clamaturus eſt, (a) *Audire fac me mane, Domine, miſericordiam tuam; quia in te ſperavi. Scire fac me viam per quam ambulem; quia ad te levavi animam meam. Eripe me ab inimicis meis, Domine: ad te enim confugi. Doce me facere voluntatem tuam; quia tu es Deus meus. Spiritus tuus bonus deducat me in terra recta: & vivifica me propter Nomen tuum, Domine.* Et certe, (b) *qui elongant ſe a te peribunt: perdis omnes qui fornicantur a te. Mihi autem adhærere Deo, bonum eſt, ac ponere in Domino ſpem meam.*

XXVII. *Hæc cauſa fundamentalis erit caſſa & ſine effectu in omnibus qui Dei magis quàm naturæ corruptæ ac Satanæ ſollicitationibus attendent, & ſeſe eis dabunt.*

(a) Pſ. 143.

(b) Pſ. 73.

Hæc generalia; quoniam & maximi ſunt momenti pro omnibus; & verum rei inter D. Clericum & me controverſæ ſtatum ac nucleum, quem Parrhaſius diſſimulare voluerat, continent; ac præterea claram lucem omnibus ferme rebus, iis præſertim quæ ſpecialius in Parrhaſiana Cenſura notabimus, affundere apta ſunt; neceſſario præmittenda eſſe duxi. Nunc ad ipſius Cenſuræ ſpecialiora.

Digitized by Google

IN CENSURAM PARRHASIANAM

SPECIALIORES CONSIDERATIONES, *qua* Theologicæ, *qua* Philoſophicæ, *atque etiam* Criticæ.

QUæ in Cenſura Parrhaſii perſonalia ſunt, leviori pede tranſibimus; ut ea perſequamur (nec obiter, ubi opus erit,) quæ Lectoribus utilia eſſe poſſint.

Quoniam Cenſuræ Parrhaſianæ principia non ſine utilitate detegi poſſunt & animadverti, ea tribus verbis ante omnia patefaciemus.

Parrhaſii ejuſque Cenſuræ PRINCIPIA ſpecialiora.

Pelagianiſmus, in quo ſe totum eſſe oſtendit Parrhaſius, AMORIS PROPRII Theologia eſt.

Pelagianiſmi principium, Philautia.

Amor proprius eſt amor propriæ excellentiæ. Vult amor proprius ſibi & aliis haberi *verus*, *æquus*, *bonus*, omnique virtute præditus. Atque hæc eſt ipſa *ſuperbia*.

Philautiæ qualitates. *Prima*, falſitas.

Superbia hæc negat & odit primam veritatem, & complectitur mendacium primum. PRIMA VERITAS hæc eſt, τὸ eſſe ſive Ens (Deus) eſt; eſtque cauſa omnis entis & realitatis; eſt cauſa omnis *eſſe*, & omnis *bene eſſe*. PRIMUM MENDACIUM eſt, quod id quod a ſe eſt non-ens, ſit tamen ens, & cauſa realitatis: quod τὸ *non eſſe*, ſit cauſa τοῦ *eſſe*; & τὸ *non bene eſſe*, ſit cauſa τοῦ *bene eſſe*. Hinc Amor proprius & ſuperbus, eſt originaliter *mendax* & falſus; idemque *oſor*, *atque calumniator veritatis*.

Secunda, Iniquitas.

Eſt etiam *iniquus* ex origine, non tribuens cuique quod vere ſuum eſt; Deo omne bonum, ſibi nullum.

Tertia, cæcitas.

E veritatis deſtitutione & odio naſcuntur quoque *tenebræ*. hinc Amor proprius eſt ex natura *cæcus*; nec videt, dum vult haberi verax, æquus atque bonus, ſe eſſe mendacem, iniquum, malum. Se ipſe neſcit. Quod ſi vero abſenti luci ac veritati ſubſtituere velit *intellectus* ſui *activi*, ſive *Rationis* (ſimiliter cæcæ,) conatus, operationes ac partus, multiplicat tantum ſibi tenebras malaque & mendacia.

Quarta, malignitas & artificia.

Hinc autem evenit, ut ſi ipſi dicatur ac probetur a veritate

ſe

ſe in mendacio eſſe, in injuſtitia, in malo; nec tamen velit ſibi ipſe mori, neque morte ſua gloriam dare ſoli Deo; evenit, inquam, ut *malignus* fiat, & omni *artificio* conetur tum ſua propria defendere, tum impugnare vera, juſta & bona, quantum quidem poteſt.

Ex hac malignitate artificioſa provenit duplex vel triplex potiſſimum fraudum ejus ſpecies quatenus ſcilicet ei adverſa veritas proponitur cui refellendæ imparem ſeſe ſentit. Prima fraudis ſpecies eſt *thraſoniſmus*, cum ſimulat ea quæ ipſi oppoſita ſunt, tam debilia eſſe, tam nulla eſſe, ut ejuſmodi fortis athleta, qualis ipſe eſt, debeat ea non reſponſo, ſed contemtu ſolo & contumeliis excipere ac rejicere. Altera ſpecies fraudis eſt *adulatio*; quando eadem, quia ab illis a quibus ſibi aliquid timet proficiſcuntur, ſimulat non ſibi adverſari, vel admodum parum adverſari, & adverſarios potentiores demulcet. Tertia ſpecies eſt, ſingularior quædam & apertior vindicta per odii & furoris demonſtrationem, qua alios quoſdam adverſarios armis mendacii, iniquitatis & malitiæ adeo commotus proſequitur, ut credat ſe hoc modo *terrorem* aliis incuſſurum, ne forte ipſum etiam in poſterum aggredi audeant.

Malignitatis artificioſæ tres ſpecies præcipuæ.

Thraſoniſmus,

Adulatio,

Vindicta impotens.

Horum omnium exempla qui in toto Parrhaſio ejuſque Parrhaſianis quærere volet, facile videbit utrum ea in ſylva fruſtra vel ſecus ipſa venaturus ſit. Veniamus nunc ſpecialius ad ejus Cenſuram, & quidem ſecundum numeros ei a nobis appoſitos.

1. Amor proprius videtur ſibi juſtus, (ex ſuperbia & cœcitate): Quicquid igitur facit, id juſtum eſt. Ergo de eo *conqueri*, *injuſtum* eſt. Ergo *injuſte de Bibliotheca* univerſali (D. Clerici) *conqueſti ſunt* qui de ea conqueſti ſunt, licet oſtenderint (uti in Epiſtola præcedente feci) deturpata eſſe pleraque quæ illic relata ſunt.

(1) *De Parrhaſii objectione injuſti,*

2. Amor proprius, ex malitia artificioſa, aliquando utitur argumento *ab invidia ducto* & ad *odium* ducente, ut fuſe alicubi (*a*) obſervavit & improbavit D. Clericus. At id hic nihil curat Parrhaſius, tametſi hic nihil ad rem. Nam quid hic, quæſo, *Antonia Burignonia*? Et cur, falſo, contra quam publice declaratum eſt atque cognitum, aſſignat ei Sectam Parrhaſius dum me illius dicit *ſectatorem*? Hic ea de re minime erat quæſtio. At diſplicet Parrhaſio Theologia Antoniæ B. quam ceu Sectariam in odium

(2) *argumento ab invidia,*

(*a*) *In fine Logic. Diſſert. de argumento ab invidia ducto.*

odium vellet adducere quod ſuo ſit contraria Pelagianiſmo. Scilicet illa cum vel ab infantia obſervaſſet Chriſtianos hujus temporis quærere terrena atque amare, non autem æterna; eoſque ſpiritu naturæ ac Rationis corruptæ duci, non ſpiritu ac mente Chriſti, precataque Deum aſſidue uti ſe a ſpiritu illo mundi conſervatam donaret Chriſti mente ac ſpiritu, idque obtinuiſſet; teſtatum reliquit vita, verbis ac ſcriptis Chriſtianiſmi ſubſtantiam, Scripturarumque ſenſum ac vim in hoc eſſe, ut homines depoſito rerum terrenarum, Rationiſque corruptæ ac Sapientiæ propriæ amore, vaſa fiant idonea ad recipiendum Sanctum Chriſti Spiritum quo vivificentur, inſtruantur, gubernentur, repleantur, uti membra ſana a capitis Spiritu: tuncque fore, nec aliter, veros Chriſtianos. Quæ cum Theologiæ Pelagianæ adverſa ſint è diametro, non mirum eſt ſi *Sectatoris* invidioſum nomen impingat Parrhaſius illis qui hæc & propoſuerunt & ob Scripturas, conſcientiam ipſumque teſtantem Deum crediderunt. At mirum eſt ſe non vidiſſe (per tenebras amoris proprii) hâc *Sectatoris* appellatione iniqua anſam cuivis ſuppeditare hoc ipſum merito D. Clerico objiciendi, ut qui partes in quibus natus eſt deſeruerit quo ſe alîus Sectæ ſectatorem redderet, quod vero omnes factum dicunt ut ſub Sectæ hujus pallio dogmata alterius alicujus Sectæ non parum a Chriſtianiſmo alienæ tegeret, foveret, ac diſſeminaret.

(3) *minimis ejus jocis,*

3. Repræſentavi & conqueſtus ſum in Sectionibus IV, V, VI, *Epiſtolæ* præcedentis, D. Clericum falſa mihi non pauca impoſuiſſe, optima & ſalutaria in peſſima ac ridicula detorſiſſe, viros de omnibus benemeritos omnium ludibrio expoſuiſſe: id vero Parrhaſius hic appellat, *minimum unum jocum*, ex principiis ſcilicet amoris proprii nemini non evidentibus.

(4) *felle & malitia objectatis,*

4. Contra, ex iiſdem principiis quicquid ego D. Clerico ex æquitate, veritate ac animi candore reſpondi, id noſtro Parrhaſio hic dicitur *Epiſtola felle & malitia plena*, ſcripta *ex irâ præter modum efferveſcente*. Neque vero aliter poteſt Philautia rebus ſibi oppoſitis nomina imponere: ac revera febricitantibus (amoris proprii intemperie) *fellea* videntur omnia, inverſa omnia, & vel ipſe medicus, ſub ſpecie *malitioſi* hoſtis tali ægroto apparere poteſt.

(5) *æquitate,*

5. Æquitatis eſt naturalis alteri ſatisfacere ac reſpondere qui de

de injuria ſibi a nobis illata ſerio conqueritur. Parrhaſius hîc ait, D. Clericum minime id curare, *nihil reſpondendum duxiſſe*, pro æquitate ſcilicet amoris proprii, ſuam ſimul impotentiam ita lepidè diſſimulantis. Repetit infra, ſe *neutiquam deſcenſurum in certamen*, neque alteri hoc modo daturum *anſam innoteſcendi*. Verùm, quæ in hac cenſura continentur omnia, aut non ſunt *certamen*, oppoſitiones, *anſa ad* replicandum; ſed ſunt nihil, ſunt dulciaria, ſunt *minimus unus jocus*; aut verbo non facit fidem Parrhaſius ſi ipſe D. Clericus fuerit. Horum alterum ad cœcitatem, alterum ad falſi claſſem an non pertineat, ipſe & quivis viderit.

6. Cogitata mea quæ libris editis publica reddidi, dicere *ſomnia*, ut hic facit noſter, eaque ut talia eſſe *agnita*, quando tamen id non probat, & contrarium evidens eſt, vident omnes ex qua id deducat amoris proprii qualitate Parrhaſius, neque enim inviſa earum nomina libet mihi ad quamvis occaſionem repetere. (6) *objectis ſomniis*,

7. Conqueritur hic Parrhaſius, meum & aliorum ſcopum eſſe D. *Clericum diffamare*. Atqui nihil ei repræſentatum eſt niſi id quod ipſemet in publicum emiſit ut ab omnibus legeretur, uti e locis & paginis illic annotatis fit evidentiſſimum. Neque vero (niſi proprio placeat amori, pro principiis ſuis, invertere rerum nomina,) errare in opinionibus, civilis eſt infamia: neque errorem alicujus, quem ipſemet publicavit, confutare, aut ipſi repræſentare, *diffamare* eſt; multoque minus quando id bono fit, prout a me factum, animo, quo ab erroribus noxiis caveant ceteri; ipſeque etiam errans, ubi ſpes aliqua de eo ſupereſt, reſipiſcat. Eone igitur res eſſet redigenda, ut nemo dogmata quæ diſſeminaret aliquis Sociniana vel Pelagiana auderet notare, quin hoc ipſo *diffamans* eſſet habendus & dicendus, & quidem ab eo, qui ipſe Antiquos pariter ac Recentiores quovis contumeliarum & irriſionum genere excipit ac diffamat? Mira amoris proprii cœcitas & iniquitas! (7) *diffamato cliente ſuo*,

8. D. Clerici *culpam* aliquam hic confitetur Parrhaſius, at quam culpam? nempe quod *leviter* tantùm (*minimo uno joco*) deriſorem egerit, omiſerit autem id facere quod maxime & veluti ex officio ſuo facere debuiſſet, nempe *acerbiſſimâ cenſurâ uti* adverſus id quod palato ejus non erat conſentaneum: hoc eſt, *cul-* (8) *& Cenſorio ſuo officio.*

Digitized by Google

pandum videri Parrhaſio D. Clericum quod laudata Amoris proprii principia non ſatis exercuerit contra id quod Amori iſti adverſatur: Officium ejus eſſe non *deridere* tantum, ſed & *acerbiſſime* lancinare quicquid in lucem prodiit quod ei non ſapit. (uti vel in ſanctiorem fecit ſæpius & facit adhuc antiquitatem.) At quid ipſi proderit Officii hujus uſurpatio & exercitium, id ille (adeo cœcus eſt proprius amor) bene non videt. Moroſum ſe comprobabit, & oſorem ſolidi veri ac ſolidi boni. Tum ſi qui principiorum ſuorum technis perſuadebuntur, à vero quidem & a bono eos non parum removebit; ſed tamen de iis peſſime tandem ipſe merebitur. Impetitos autem adiget ad majorem errorum ſuorum ac veritatum iis contrariarum apertionem; aut ſi ſileant, ipſis præmium injuriam paſſis promiſſum, ſibi vero plagas a Deo mordacibus ac gratiæ adverſariis prænunciatas procurabit; difficilioremque aditum & converſionem ad Deum ejuſque lucem & gratiam efficiet. Quæ ut prohibeat Deus, votum meum eſt.

(9) *Parrhaſio quid ſit* Religio, *&* *quid* fanatiſmus, *quorum illam dicit a me præberi* deridendam, *& in hunc* converti.

9. Explicatius monui in Præfatione Latinæ Editionis Oeconomiæ Divinæ, quid Parrhaſius hic, per verba, *Religionem præbere deridendam, & convertere eam in fanatiſmum* re vera intelligat. Res eo paucis redit. Religio Parrhaſio eſt, *idea ex verbis Scripturæ in Ratione corrupta excitata ope Grammatices, Critices & Philoſophiæ, excluſa & deriſa operatione Spiritus Dei in intimis, & exſibilatis myſteriis ſacris quæ Rationis egræ & ſuperbæ palato, ac Amoris proprii cæcitati, falſitati, fatuiſque luminibus repugnant.* Fanatiſmus autem eidem eſt, *aſſertio gratiæ Dei operantis in interioribus noſtris, in corde, in intellectu, in facultatibus mentis, fidem, ſpem, charitatem, virtuteſque ſolidas, quibus ad ſanitatem ſpiritualem reſtituamur.* Et de fanatiſmo quidem alibi (ad Titianas objectiones) plura diximus: Oeconomia vero mea Philoſophicam hancce Religionem (quæ & Sociniana eſt) quia exploſit, gratiamque Dei, Principium & elementum Religionis Chriſtianæ, aſſeruit, id (pro amoris proprii cœcitate & malignitate) appellatur hic à Parrhaſio, *Religionem præbere deridendam, & in fanatiſmum merum eam convertere.*

Quam ille hic agat perſonam.

Hactenus Parrhaſianæ Cenſuræ proludia & velites. In ſequentibus dicas eum (licet ipſe dicat ſe certare nolle) gravioris tamen armaturæ milites e principiorum ſuorum fundo ac caſtris educere.

Digitized by Google

cere. Sed quid hoc quod facturus erit, male inſigniam nomine ab officio militis deſumto, quando revera neſcio quam perſonam hic agat Parrhaſius? Theologum ſe & Chriſtianum non oſtendit: alioqui ictûs, malis ac erratis D. Clerici ſanationis gratia inflictos, toleraret, etiam cum grati animi ſincerâ teſtificatione. Non ſe gerit ut decet Philoſophum: etenim ratiocinaretur, & adderet verbis pondera rationum. non agit quoque ut Criticus: neque enim ſpecialia adducit, quibus criticas rationes opponat. Quid ergo? Legat hæc ſua; & niſi cœcum obſtet Philautiæ principium, agnoſcat ſe ipſe. (*a*) *Oratores* (ſive Declamatores) *irritarunt ſæpius plebem in eos qui ipſis minime placebant: nec iidem tamen ulla legitima ratione oſtendebant illos eſſe odio dignos. Sufficiebat iſtis* (Declamatoribus) *mille odioſa, de quibus probandis minime erant ſolliciti, effutire: quæ quia dicta erant cum vehementia & affectibus, ita ut ipſimet omnino de iſtis perſuaſi viderentur, plebem eo pacto ad ſe alliciebant ſine ullius ſolida rationis prolatione, qui quidem agendi modus minime proponi poſſit imitandus, niſi quis ſe aperte inimicum bonæ mentis atque æquitatis declaret.*

(*a*) Parrhaſiana pag. 121.

10. Myſticorum argumenta *ſtultitias* dicit Parrhaſius e meræ *cæcitatis* principio: quod ut evidens fiat in lectorum ſolidam utilitatem verbo indicandum eſt, quid re ipſa ſit iſta Theologia Myſtica, Allegorica, & quæ huc referuntur, tantopere a Parrhaſio contemta atque irriſa.

(10) Myſticas *res ex cæcitate contemnit.*

Tota Myſticorum ſcriptorum vel THEOLOGIÆ MYSTICÆ ſubſtantia huc redit, & in hoc concluditur; nimirum, ut *amemus Deum toto corde, tota anima, tota mente, & omnibus viribus noſtris, atque huc proximos adducamus*. Cum autem poſt Adami lapſum internæ illæ facultates cum externis, vitiatæ ſint, repletæ ſint pravis propenſionibus, pravis objectis, erroribus, ſordibuſque omnis generis, quæ amorem Dei expulerunt & cum illo nequeunt conſiſtere; neceſſe eſt ergo antequam redeat & dominetur divinus Amor, illas prius ab impedimentis iſtis purificari: quod fit primum quidem inchoativo modo per gratiam Dei a Chriſto ſuppeditatam & cum facultatum cooperatione adjunctam; ita ut *intellectus* Dei contemplatione activa, *voluntas* oratione affectiva erga Deum, & *facultates* ceteræ mortificatione exerceantur: deinde vero perfectius & plenius, facultatibus paſſive ſe habentibus, dum operatio Dei una illic agens cauſa eſt, ipſaſ-

Quid & unde ſit Theologia Myſtica.

Digitized by Google

ipſaſque facultates ægras ad fundum uſque plene purificat. Hinc locus purus amori cum pateat, effundit Deus charitatem ſuam in ejuſmodi animam, per Spiritum S. qui datus eſt illi, venitque illuc Chriſtus cum Patre, atque ita habitat illic tota ſacroſancta Trinitas, ſeſe ibidem manifeſtans, ejuſmodi hominem regens, eique quot & quantos vult perfectæ & continuæ contemplationis ac orationis modos aut gradus, item & vitæ æternæ guſtus anticipatos, luces, gaudia, effectus alios, veluti amoris reciproci ac æterni luſus nonnullos, hominibus imparatis non ita cognitos, largiens ubi placet, donec in futura vita omnia æternum & pleniſſime communicentur. Hæc eſt breviſſima totius Theologiæ Myſticæ ſumma, illiuſque ſubſtantiæ compendium.

Rom. 5: 5. Joan. 14: 21, 23.

Vera Theologiæ Allegoricæ *natura & origo prima ac initialis in homine.*

Porro, quia iſtorum totum cor, anima, mens, vireſque abundant amore Dei, hoc eſt, plenæ ſunt Deo ipſo rebuſque divinis ac ſpiritalibus & internis, fit inde, ut quicquid illi cogitent, quicquid deſiderent, quicquid exequantur, quicquid videant in rerum univerſitate, quicquid audiant, guſtent, tangant, ſentiant, ſemper Deus adſit, ſemper cogitent Deum, ſemper occurrant divina & occupent illos; ſemper videant, ſentiant, ſapiant cœleſtia, Deum & quæ Dei ſunt, in omnibus rebus. Atque hæc eſt prima ac vera THEOLOGIÆ ALLEGORICÆ ſolidioris cauſa, quæ Theologia ſolide ineſſe non poteſt niſi in mentibus ſummopere Myſticis. Illæ quando legunt vel audiunt in ſcripturis divinis aliquam hiſtoriam externam, ceremonias & ſimilia, ſtatim illic vident, licet generalius, Deum, Chriſtum, Spiritum adorandum quibus plenæ ſunt, magnalia Dei & animarum interiora, quæ ſunt elementum in quo totæ innatant. Si Solem intueantur, ſi nubes & meteora cetera, ſi terram, ſi metalla, ſi plantas, flores, eorum elegantias & odores, ſi fructus, ſi animalia, ſi homines ipſos eorumque & ſocietates & negotia, protinus Deum cœleſtia, ſpiritualia in omnibus cogitant, detegunt, ſentiunt, contemplantur, imo illa iſtuc ſecum portant & inſerunt.

Theologiæ ac Philoſophiæ Theoſophicæ *origo, natura, & principia.*

Ubi autem in his bene exercitati ſunt, & ad penitiora etiam vel præparati vel vocati, tum, quando Deo viſum eſt, recipiunt inſuper a Spiritu ſancto ſpeciale donum ſapientiæ & intelligentiæ, quo fit ut, quandoquidem Pater omnes res, nulla excepta, creavit per Verbum ſive Filium ſuum in Spiritu ſancto, & eas lapſas aggreſſus eſt reſtituere idem Pater per æternum Verbum

ſuum

ſuum Jeſum Chriſtum in Spiritu ſancto; idemque Pater per Filium in eodem Spiritu ſuo nobis locutus eſt, illuminando, movendo, gubernando Patriarchas, Prophetas, Euangeliſtas & Apoſtolos per quos produxit Scripturas, & quæ ſunt in eis Sanctorum Deo viventium actiones, regimina, revelationes, divina inſtituta atque dogmata; fit inquam hinc, hoc eſt, e dono ſpeciali ſpiritus ſapientiæ & intelligentiæ, iſtis Dei amicis dato, ut eorum interni oculi a divina Sapientia ſic aperiantur & illuminentur, ut & in univerſitate rerum creatarum, & in omni creatura, earumque facultatibus & virtutibus, earundem ortu, progreſſu, tendentia ut ſic loquar, vel contentione ad perfectionem, totoque regimine; item in omnibus Scripturis Dei, earumque hiſtoriis, inſtitutionibus, ac doctrinis, videant evidentiſſime ac vividiſſime quantum vult Deus, Æterni Patris, Filii ac Spiritus Sancti, eorumque mentis intentionum & actionum in creandis, redimendis atque reſtituendis & tandem glorificandis creaturis ſuis ſpecialiſſimos characteres, claras imagines, diſtinctiſſima & admirabilia veſtigia, & ut ſic dicam, ſignaturas profundiſſimas atque indelebiles, quæ & rerum creatarum & rerum in Scripturis deſcriptarum naturam & gloriam, fundamentum, ſtructuram & culmen; radices, corpus, ramos, fructus & uſus, omniaque cetera eis aperiunt ac dilucida reddunt, dum eadem ceteris, etiam bonis mentibus, manent adhuc veluti ænigmata. Ex quo dono eſt quod tam magnifice, & ſimul pro inexpertis tam obſcure, pro cœcis & impiis, (a) *in quorum cogitationibus non eſt Deus*, pro malevolis & irriſoribus, *in quorum* (b) *animam non introibit ſapientia*, tam abſurde & extra orbitam diviniſſima quæque ſub externorum cortice & emblematibus deſcribere ſoleant qui amore divino incenduntur, ejuſque Sapientia illuminantur, quemadmodum ſub emblemate conjugalis ſocietatis deſcripſit olim Reſtitutionis opus in Canticorum Cantico Spiritu Dei ſacro plenus Salomon: ac haud ita pridem in Canticis ſuis ſublimiſſimus inter Myſticos Joannes à Cruce.

(a) Pſ. 10:4.
(b) Sap. 1:4.

Et his quidem paucis videre nunc licet quænam ſint eæ res quas adeo aſpernatur atque deridet noſter Parrhaſius, & annon illi forte dici poſſet pro omni reſponſo id quod olim ab Apoſtolo (c) dictum eſt nonnulli Spiritus Dei ejuſque gratiarum non quidem tunc irriſori, ſed tamen profanatori; *Non eſt tibi pars ne-*

(c) Act. 8: 21. &c.

que ſors in ſermone iſto: cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hac cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te eſſe.

Cur & Myſticorum perſonas & agendi rationes contemnat Parrhaſius.

Quod autem Myſticorum perſonas & agendi rationes contemnat quoque, iſtius contemtûs hæc eſt ratio. Quandoquidem illis qui Dei lumine & amore bene tacti ſunt & penetrati, quique *guſtaverunt*, ut ſacris (*a*) utar verbis, *quàm ſuavis ſit Dominus*, ſapiat ſolus Deus, evenit inde ut cetera illis omnia fiant inſipida atque nauſeoſa; adeoque ut ea illi non amplius deſiderent atque requirant; ſed dimittant potius & oblivioni tradant. Et hoc quidem modo agunt tam cum terrenis negotiis, quàm cum ſecularibus ſcientiis, hiſtoriis, elegantiis, curioſitatibus, & quæ huc pertinent, quando iſta eis omnia non magis ſapiunt quam fœnum vel ſtercora humano palato. Non poſſunt ſuum illi amplius animum, Dei guſtu ſuavi jam imbutum, non pretioſum tempus fallere diutius frigidis iſtis ſtultitiis ac inſipidis nugamentis, quæ in Dei & veritatis ſolidæ conſpectu vel ipsâ vanitate vaniores bullæ ſunt. Ea vero de cauſa evenit, ut illi non eſſe curent, vel etiam non ſint, ut plurimum, magni ſapientes ac eruditi ſecundum mundi morem, vel, id ſi fuerint, deſinant id eſſe, & inanium bullarum cunctarum libentiſſime obliviſcantur. quod cum animadvertant alii eruditi cœci qui ſunt, quando ſuum pulpamentum, quod ſibi ſolum ſapit, ab iſtis projici deprehendunt, nec tamen vident quidnam id ſit quod in hujus loco eis nunc ſapiat, putant protinus illos deſipere, ſtultos fieri, vel jam eſſe, atque, uti loquuntur, viſionarios eſſe; appellantque totum illud diviniſſimum æterni momenti negotium, unicumque illud neceſſarium, his cœcis inviſibile, *ſtultitias* atque *chimeras*, veluti hic facit noſter Parrhaſius, qui in humanis omnibus ſcientiis & futilitatibus coloſſeus Goliathus geſtit apparere, oblitus verborum Apoſtoli, (*b*) *ea quæ ſunt Spiritus Dei*, ipſamque *Dei Sapientiam*, eſſe apud homines naturales ac ſeculi Sapientes *ſtultitiam*, dum ipſimet vere ſtulti ſunt in ſua vana Sapientia, quæ re ipſa & Dei judicio vera ſtultitia eſt.

(*a*) Pſ. 34:9. 1 Petr. 2: 3.

(*b*) 1 Cor. 2: 14. & 3:19.

Parrhaſii de Myſticis ſententiæ nullius ponderis, contraria vera eſt.

Stulta proinde Parrhaſii ſententia minime impedit quin habeant Myſtici veri, ab eo contemti, veram *Sapientiam* & *Eruditionem*, Deo intellectum amori ſuo traditum ita ſapienter illuminante & regente, ut quæcunque bona ſunt & neceſſaria tam pro internis

quam

quam pro externis rebus, recte illi intelligant, prudenter diſponant, peragantque uti decet & æquum eſt, inutilibus & noxiis oblivioni vel neglectui traditis. quæ ſane vera & ſolida Sapientia eſt atque intelligentia, eaque à quovis homine ſani judicii ſummopere æſtimanda atque laudanda.

Parrhaſium cum D. Clerico ſibi non cohærere in vituperandis rebus ac interpretationibus Myſticis; quas ipſimet interdum profitentur & laudant.

Myſticorum & allegoricorum contemtus, qui hic in Parrhaſio & paſſim in D. Clerico apparet, talis eſt, ut iſti Domini ea in re ſecum minime cohæreant. Myſtica & allegorica quando in ſcriptis illorum ſunt qui partes divinæ gratiæ intus operantis tuentur, vel quando in Scripturis ſacris quæruntur & oſtenduntur, *ſtultitia* & *chimara* à D. Clerico & Parrhaſio judicantur: ſed ipſi ſi vel ad partes Socinianas ſtabiliendas, vel ad auctoritatem ſibi conciliandam, vel ad eruditionis oſtentationem Myſticis & Allegoricis opus habent & poſſint abuti, ad ea recurrunt haud ſecus atque ad res omnium maxime ſerias, & ſapientiæ atque ponderis plenas, uti patet e ſequentibus exemplis. Liberius de S. Amore, Parrhaſio & D. Clerico notiſſimus, myſticos & allegoricos, qui e S. Scriptura educuntur, ſenſus, titulo *ineptiæ* ab ipſo notatos, ubi ad ethnicam originem, ſcilicet ad ſtudium Rhetoricum, (*a*) alicubi retulit, iiſdem tamen Ethnicis acceptam refert liberationem a *peſſima illa conſuetudine* myſteria ubique quærendi. (*b*) *Ex lectione Scriptorum Ethnicorum*, inquit, ---- *naſcitur emolumentum* ---- PESSIMA *illa* CONSUETUDINE *myſteria ubique quærendi*, *quod parvi momenti non eſt*, *ſeſe exuendi*. Quo utili *emolumento* utens D. Clericus, ſedulam dedit operam in explicandis quidem ſacris Scripturis, quæ a Spiritu immenſæ Sapientiæ profectæ, judicari poſſint myſteria magna continere, ut abſtineret ſummopere a *peſſima illa conſuetudine* quærendi myſteria: imo, ſicubi evenit Scriptores ſacros N. Teſtamenti, proferre loca e Veteri in ſenſu apertiſſime myſtico & allegorico, non ſemel (*c*) monuit eos ſenſus non eſſe ſanctorum Auctorum, ſed Judæorum, quos vero Apoſtoli vel Euangeliſtæ, argumento veluti ad hominem utentes, adhibebant ut Judæos ſuis rationibus & armis, in ſe ineptis licet, convincerent. Quin & ipſum axioma Apoſtoli, quo ſenſus illi confirmantur, (*d*) *hæc omnia illis* (Iſraëlitis) *in figura* (vel *typice*) *contingebant*, falſavit in interpretatione ſua Gallica, convertens ita textum, *tout cela leur arriva pour ſervir* D'EXEMPLE. Verum ubi ad eruditionis ſuæ profanæ

(*a*) Præfat. Liber: de S. A.

(*b*) ibid. pag. 281.

(*c*) Vid. notas in ſuo N. Teſt. Gall. ad Hebr. 1: 5. Gal. 4: 24. & alibi paſſim.

(*d*) 1 Cor. 10: 11.

næ oſtentationem *peſſima illa conſuetudo* myſteria ubique quærendi aliquid facere poteſt, ſolet illam haud ſecus ac conſuetudinem optimam, reſumere non ſemel, eaque ſerio uti in interpretatione ſcriptorum vel ſtultiſſimorum fabulatorum inter nugatores Gentiles, in quorum fabulis Herculis, Adonidis, Cereris, ſimilibuſque abſurdis, imo & impuritatum & impietatum plenis ſomniis, myſteria non pauca & allegoricas explicationes innumeras admodum ſerio oſtentat, laudatque ſæpius in Bibliotheca Univerſali, in Morerio, in his ipſis (*a*) Parrhaſianis. Imo, quod mireris, reſumitur & reducitur ab illo *peſſima illa conſuetudo* ad ipſam Scripturam quando inde Sociniana res promoveri aliquo modo poteſt, uti in Epiſtola præcedente (*b*) oſtendi, ipſeque fatetur conceptis verbis Liberius, dicens, (*c*) *obſervavi innumera quæ ante Euangelium facta ſunt, adumbraſſe ea quæ ſub Euangelio fieri debebant, idque variis in locis ab Apoſtolis didici*. Sed omnem fere admirationem ſuperat, eum, quando ſua vel dogmata vel gloſſas Pelagianas aut Socinianas, quibus ſcripturas enervat, in auctoritate optat eſſe apud Lectores, ſeſe tunc numero illorum accenſere qui Spiritus S. afflatu & lumine & revelatione fuerunt illuſtrati, vel qui in ſupranaturali ac extraordinaria Theologia Myſtica experti ſunt experimenta omnium maxime ſublimia tactuſque divinos alterius vitæ. Liberius de S. Amore in *Præfatione* Epiſtolarum ſuarum, rationem redditurus cur quæ pro novis ac veris profert, ignota fuerint Reformatoribus, ab eo ante laudatis, ita loquitur: SPIRITUS FLAT *ubi vult, & quando vult, ſed etiam quantum vult; & quos majori* AFFLATU *dignatus eſt* [Reformatores,] *interdum ea celat quæ aliis* [Liberio, D. Clerico &c.] *quos minori* LUMINE ILLUSTRAVIT, REVELAT. En Liberium Spiritu afflatum, Spirituſque lumine, illuſtratione & revelatione donatum: quæ tamen res & voces in aliis & in Myſticis à Parrhaſio & D. Clerico inter *ſtultitias, chimeras, fanatiſmos* & *Enthuſiaſmos* annumerantur. Sed & in præfatione ſua ad Novi Teſtamenti Gallicam interpretationem, dicit idem, ſe in convertendo, ſive notas & gloſſas componendo, *repletum* fuiſſe *talibus ſenſibus, dulcedinem adeo magnam in ejus mentem effundentibus*, ut debuerit *bonitati divinæ ad quamvis paginam agere gratias, quod illa ante exſpectationem diei magnæ* MERCEDUM (ſive compenſationum) *ſuarum, eas ipſi* PRÆBERET NUNC QUIDEM GU-

(*a*) p. 378.

(*b*) Section. IV.

(*c*) Epiſt. Theol. Liberii p. 61.

GUSTANDAS, *nec non* VIVO MODO CONTEMPLANDA *beneficia quæ* OLIM (poſt hanc vitam) *effuſurus eſt Deus.* --- Profecto non ſolent vel ſublimior Theologia *Myſtica* quæ *extraordinaria* dicitur, ejuſque Theologiæ Cultores majora exhibere, complecti, ſuiſque candidatis promittere quam quæ hic de ſe ut experto profitetur D. Clericus. quæ tamen ſi aliquam in D. Clerico ſpeciem habuerunt, debuiſſet ille, ne falleretur ab inimico, didiciſſe e Solidioribus Myſticis, Satanam, qui teſte Apoſtolo, ſeſe in Angelum lucis transformare poteſt, imitari etiam divinas dulcedines, divinos ſenſus, divinas contemplationes, immittendo fallaces earum ſpecies in eos qui cum ſint adhuc in elemento corruptæ naturæ, audent tamen ſeſe divinis rebus immiſcere; quas verò uti audacius & alacrius enervent & perdant, ſolet eos infelix hoſtis per haſce fallaces ſpecies eo in labore infelici crebrius excitare & animare.

Cur licet illi laudaverint Myſtica, propenſiores tamen ſunt in eorum odium.

Quæ omnia ſi bene perpendiſſet Parrhaſius cum cenſuram ſuam antimyſticam faceret, fuiſſet proculdubio ea in re aliquantum cautior, ſaltem ne & ſibi & D. Clerico (interdum Myſticæ Theologiæ candidatis, ſi Diis placet, & laudatoribus) oppoſitus eſſet: tametſi fatendum ſit eos dediſſe operam ne neſciretur ſe in partes antimyſticas maxime ut plurimum propendere, ac in ipſis dominari conſtantius (quod pluribus porro patefacient) antimyſticum odium non parvum: cujus quidem odii aliam, præter modo dictam, rationem non dari arbitror quàm quod Theologia Myſtica, non modo vanorum ſtudiorum, in quibus illi ferè ſunt toti, flagellum ipſiſſimum exiſtat; ſed & ſit quoque eadem, ſi quod res eſt dicendum ſit, Socinianarum ac Pelagianarum opinionum præſentiſſimum venenum & omnimoda extinctio. innititur enim illa tota fundamento præſentiæ Dei ejuſque in nobis operationum facientium ad penitiorem peccati denudationem & exſtirpationem, ad lucis amoriſque Dei puriorem infuſionem, atque ad vivam Sacroſanctæ Trinitatis, ejuſque arcanorum & gratiarum cœleſtium revelationem guſtumque anticipatum, quantum quidem Deo placuerit ea hic utcunque cum diligentibus Nomen ſuum communicare. ita ut omnino impoſſibile ſit aliquem vere myſticum eſſe Pelagianum vel Socinianum, & vice verſa.

(11) Obtrudere nonnulla

11. *Velle* Poiretum *pro totidem oraculis haberi* ea quæ modo notavit noſter Parrhaſius, id vero ex principio Philautico falſi elicit

tanquam oracula, *quid? & quis id faciat?* cit duntaxat. Si quædam Poiretus commendat, ad Scripturas ſolet provocare & ad cujuſvis conſcientiam in conſpectu Dei ſeſe examinantem, profertque, quoad fieri poteſt ab illo, bonas omnium quæ proponit rationes & cauſas, uti ſciunt quotquot illius ſcripta vel mediocriter inſpexerunt. Ipſe vero Parrhaſius hic omnino (e principio cœcitatis) committit quod ipſemet culpat: nam tota ſuæ cenſuræ, contumeliarumve, congeries veluti mera e tripode oracula, enthuſiaſticum in morem, ſine ulla rationum ac probationum appoſitione, ab illo effunditur.

(12) De pudenda ſeductione ſimpliciorum *à Parrhaſio objectata.*

12. Quis hic non miretur cœcitatem qua *ars ſeducendi* objicitur ab eo homine qui ipſemet omnibus ſuſpectus eſt ſuper arte & ſtudio retrahendi & *ſeducendi* homines à cognitione & ſenſu peccatorum, tum originalis, tum actualium internorum & maxime ſpiritalium? abducendi item & *ſeducendi* eos a Deo & Spiritu ejus, in nobis operante lucem, Charitatem, omnes virtutes? abducendi & *ſeducendi* ab agnitione & adoratione SS. Trinitatis & myſteriorum ac mirabilium Dei? abducendi & *ſeducendi* a ſenſu Scripturarum vivo & ſalutari precibus ab ope Spiritus Dei impetrando? quæ ſane omnia Chriſtianiſmi vita & ſubſtantia ſunt: quando tamen ille, cui *artem ſeducendi*, & quidem *diu*, idque hominum *ſimpliciores*, valde imprudenter & falſo objicit, omnes, quantum ſcriptis poteſt, ad iſta provocat, hoc eſt, ad ſalutis requiſita, cauſas, adque ſalutem ipſam qua creatam, quà increatam. Diſcat præterea Parrhaſius, me nullis unquam hominum ſuaſiſſe uti partes in quibus ſunt, vel aliud quid externi cultus aut ſtatus, derelinquerent, mihique appropinquarent, qui potius non paucis contrarium perſuaſi: & vero nullos unquam conventus habui, nullos hominum doceo, nec docere cupio: ſcribo: & ea quidem ſcribo quorum ita *me pudet*, (contra Parrhaſii ſententiam,) ut illa emittam in publicum omnia. Si in quibuſdam nomen ſuppreſſerim, faciam & nunc quidem, eorum agnitione, ut à nullo poſſim dicier eorum pudore duci; At vide quo ducit principium cœcitatis! Parrhaſium ipſum pudet vel primi libri Clientis ſui. Spoponderat (*a*) D. Clerici librorum, quippe eorum gnarus, relationem: laudaverat pro hiſtoricæ fidelitatis regulâ hæc Polybii verba; (*b*) *ſupprimere in hiſtoria id quod revera factum eſt, non eſt* MENDACIUM *minus quam dicere id quod nunquam fuit:* & ſupprimit tamen illico in capite Cata-

(*a*) p. 352.

(*b*) Parrh. pag. 160.

Catalogi Clericanorum librorum, præcipuum primumque eorum omnium, Liberii de S. Amore Epiſtolas Theologicas, licet non ignoret a diſperſis eruditis Scholæ Salmurienſis (ubi impreſſæ turbas dederunt) eas ipſi ubique aſſertas verbis & (*a*) ſcriptis fuiſſe. pudet item Epiſtolarum ſuarum de inſpiratione, quas neſcio cui M. N. vult videri tribuere. Nonne etiam ad conſcientiam rei cujus pudere debeat, referenda eſt illa tam multiplex aſſumtio fictorum nominum Liberii, Parrhaſii, Phereponi, & plurium aliorum a me nunc quidem prætereundorum? Socinianiſmum ab omnibus dicitur idem propagare, hoc eſt, *artem ſeducendi exercere.* fateri *pudet*: utinam & facere.

(*a*) Vid. Epiſt. Gall. pro D. Wayeno contra Parrhaſ. pag. 54. & 55.

Porro, Parrhaſius illos qui in iiſdem mecum conſentiunt appellando *ſimpliciores*, ſi hocce verbum, Euangelico ſenſu, ſumat pro iis qui depoſitis omnibus artificiis & fraudibus tum proprii cordis, tum Rationis fallacis ſuæ & aliorum, ſeſe Deo ſimpliciter rebuſque æternis dedunt informandos a Spiritu & Sapientia Chriſti, qui ſit in ipſis omnia; tunc ſe deriſorem aperte oſtendit; neque vituperationis, ſed laudis adverſum me materia eſt per ea quæ emiſi, de veritate tales *ſimpliciores* perſuaderi: tales enim, & nullos alios, optat Chriſtus in ſuos diſcipulos, talibus aperit Pater arcana cœleſtia, gratias ei habente Chriſto quod iſta *ſimplicioribus* ac parvulis revelaverit, ſapientibus autem ac prudentibus in ſe, occultaverit, quippe jam plenis ſuperba ac tumida illa ſapientia Rationis ſuæ, per propriam induſtriam, in qua gloriantur, ſibi acquiſitâ. Verum, quia evidens eſt Parrhaſium hacce *ſimplicitatis* objectione, velle eos denotare, & forte deridere, quos non eodem cum illo, vel cum D. Clerico, ingenii acumine, non eadem mentis ſolertia, ſcientia, prudentia præditos eſſe putat; ſciat, ſi placet, id non parvæ tribui poſſe arrogantiæ ab iis quibus ignotum non eſt illorum plurimos neque ingenio, neque bona mente, neque eruditionis ſoliditate vel ipſo inferiores eſſe Parrhaſio, quem forte non pauca, maxime inter ſolidiſſima, edocere poſſint, nec in uno genere, quæ adhuc neſciunt irriſorum animi, ſui apud ſe admiratores deceptiſſimi.

(13) *De eo quod Parrhaſius appellet quæ a me emiſſa ſunt*, ridendas ſpiritualitates.

13. A deriſorio ejuſmodi animo proficiſcitur, quod ea quæ *emiſi*, *ridendas* appellet Parrhaſius *ſpiritualitates*. Atqui res ita cum iis ſe habet, ut qui ea legerunt & intellexerunt, quo doctiores illi ſunt & probiores, eo magis illa magni fecerint, & vel mihi

ob

ob edita gratias officioſas agi curaverint licet a me alioqui remoti, nec mihi prius, niſi forte fama, etiam cogniti. Ac ne Parrhaſius eos quoque veluti *ſimpliciores* forte derideat, liceat mihi vel unum ex illis, inter plures, nominare, ipſi D. Clerico pro *ſimpliciore* minime habendum; neque ei contemnendum, illuſtrem & eruditum R. Boileum. Is lecto libello a me Gallice emiſſo, *Theologia cordis* titulo, hoc adeo afficiebatur, eumque tanti faciebat, ut mihi cum ſalutis voto gratam mentem ob illius editionem non multo ante mortem tempore curaret teſtari. Fecerunt id & alii complures non minus genere, ſcientia, virtute illuſtres, tacendos licet, quòd in vivis ſint. Librum eundem, qui Theologiæ Myſticæ, & omnium quæ ſcriptis commendavi eſſentialiſſima breviter continet, tam parum pro *ridendis ſpiritualitatibus* habuere Theologi graviſſimi, imo Theologiæ Profeſſores, eruditione ac pietate celebres, ut ipſum in Germanicum idioma converti ſimulque imprimi curaverint, quando jam Gallicè bis prælum meâ curâ ſubierat. quæ quidem adducere cogor, ut videant cuncti, videat non ſine pudore Parrhaſius vel aliquot exemplis, quantum ipſe fallatur & fallat ubi deriſorium in modum dicit, *ſeduci a me ſimpliciores per ridendas quas emitto ſpiritualitates*, neque debere propterea *pudore ſuffundi*.

Accuſationem Parrhaſii, de ſeductione *aliorum* per ridendas quas emitto Spiritualitates, *exigere uti ne reticeam* Catalogum *eorum quæ huc uſque emiſi omnium.*

Dicet forte Parrhaſius, vel alius aliquis pro eo, ſe non de certo quodam ac uno eorum quos emiſi libro, hæc elocutum eſſe; ſed generaliori & indiſtincto modo de omnibus, inter quos licet unus aut alter ab hoc ſuo dicto excipiatur, de pleriſque tamen aliis id fuerit verum, illis *ſeduci ſimpliciores per ridendas*, quas iidem continent, *ſpiritualitates*. Cui verò accuſationi aliter ſatisfieri a me non poteſt, quam ſi hic recenſuero eorum quos emiſi librorum omnium & titulos & contenta ſummatim, ut quicunque ea in re voluerint eſſe judices, e documentis perſpectis judicium ferre rectum valeant. Etſi autem huc me compellit & cogit Parrhaſianæ Cenſuræ iniquitas; hoc ipſo tamen non paucis ſatisfaciam, ea quæ emiſerim noſſe cupientibus: ſimulque caſſum reddemus Parrhaſii ſcopum, qui eſt, libri ei inviſi ſuis efficere confuſis calumniis, ſi poſſet, uti, ne cognito quidem eorum argumento, prætereantur, quod illi erroribus ejus adverſentur, eoſque evertant funditus, vel contra eoſdem tuto præmuniant Lectores.

Primum

Digitized by Google

Primum quod compoſui ac edidi opus, ſub titulo, *Cogitatio-num Rationalium de Deo, anima & malo, Libri quatuor*, anno 1677, comparuit. quod cum notum ſit ſatis, non eget uti de eo quicquam ſpecialius commemorem. Vel me tacente advertent omnes quibus opus perlectum eſt, mihi jam tum fuiſſe ſcopum & animum uti conarer non ſeducere, ſed adducere quotquot philoſophari volunt, præſertim verò Philoſophiæ Carteſianæ, mihi non ignotæ, addictos, ad Dei ſinceriorem, pro modulo meo, cognitionem, dilectionem ac venerationem, nec non ad pacis inter rixantes Chriſtianos commendationem ac ſtudium. Prodiit deinde ſecundis curis anno 1687 notis & acceſſionibus non paucis auctius, ipſo tamen Editionis primæ contextu ab illis diſtincto, atque ſeorſum poſito. Equidem me latet minime Editionem iſtam nonnullis aliquantum diſplicuiſſe, quod forte vel in Diſſertatione præliminari Rationis, atque adeo *Religionis Philoſophicæ* in *Ratione* fundatæ, & interdum in *Atheiſmum* degenerantis, robur caſſum ac nullum oſtenderim; vel quod in notis alia atque plurimi de prædeſtinatione & de libertate propoſuerim: ſed eam ipſam ob rem fuit illa multis aliis, majorem longe numerum facientibus, eo acceptior; & debuerat primis quoque, niſi aliquid lævæ mentis ſubeſſet, non diſplicuiſſe, quando videbant Editionem primam, quæ eis grata fuerat antea, in hac altera *invariatam* exſtare totam; ſibique integrum eſſe acceſſiones prætermittere, licet earum plurimas contextui Librorum præferam. Verum quia Editio utraque a longo ſatis tempore deſideratur, dabo operam in tertia, quæ forte brevi fieri poterit, uti & contextus primæ perſiſtat & reponatur minime mutatus, ac ſi quæ variationes vel emendationes accidunt, eæ in notis fiant ſolummodo & in acceſſionibus.

Libri Auctoris proprii. Cogitationes Rationales de Deo &c.

Secutum eſt opus Gallicum *Oeconomiæ Divinæ*, ſex libris, at ſeptem mediocribus in octavo, ut vocant, voluminibus comprehenſum. In eo ſcopus fuit non Philoſophos tantum, ſed & veræ Theologiæ, & ſolidioris pietatis amantes quoſvis adducere quam optime potui ac ſcivi & ad Deum & ad amorem proximi, talia proponendo principia quæ & cum ſcripturis, & cum rerum natura, & cum pacifica dilectione inter Chriſtianiſmi ſectas (quæ quidem ſalutis eſſentialia fundamenta agnoſcunt & probant,) penitus concordarent. Quo in argumento non paucis utique gra-

Oeconomia Divina.

Digitized by Google

tus ſui atque acceptus. Verùm quia illic oſtendi *Religionis Philoſophicæ* in Facultate *Rationis* & Arte *Critica* fundatæ, Pelagiana ac Sociniana principia cum Chriſtianiſmi fundamentis principiiſque vivis Operationum intimarum Spiritus Chriſti, cumque ſalutis adeptione conſiſtere non poſſe, illaque paſſim confutavi, & quidem uti ſæpe jacent in libris quibuſdam a D. Clerico editis; eapropter Operi toti infenſus ille, ipſum in Bibliotheca ſua Univerſali talem in modum cavillatus eſt, ut diſſimularet vel inverteret Operis contenta, ut ab eo, ſi poſſet, averteret Lectores, quamvis tamen illic reperire ſit principia, quibus nova illa quæ cum D. Bælio ipſe & alii magno cum rumore habent certamina de *origine mali*, de *libertate*, & ſimilia, ab Atheis pro inenodabilibus nodis habita, facillimo negotio diſſolvuntur, uti non paucis inter eruditos acquieſcentiſſimo animo expertos ſe eſſe teſtati ſunt. Ceterum Libri illi ſex Oeconomiæ Divinæ, prodierunt noviſſime Francofurti, (1705, duobus in 4to. voluminibus) idiomate Latino, quam interpretationem licet non feci, legi tamen, recognovi, & interdum, ſed rarius, emendavi antequam prodiret, præmiſſo circa finem præfationis, monito de iis quæ ad illam pertinent. Idem opus deſideraverunt non pauci vulgaribus linguis, Germanica, Belgica, imo & Anglica publicari; idque dudum eſſet factum ſi magnitudo operis & laboris non obſtitiſſet.

Irenicum. (a) *La paix des bonnes ames dans tous les Partis du Chriſtianiſme.*

(*a*) *Irenicum Univerſale, piis quibuſvis mentibus quarumcunque Chriſtianiſmi partium pacificandis accommodatum*, eodem anno Gallice prodiit in lucem occaſione acerbæ cenſuræ Theologi cujuſdam in Epiſtolam quæ de iſto argumento a me ſcripta erat, & ab amico nonnullo publici juris facta. Illic a ſcopo meo, adducendi homines ad Deum atque ad amorem mutuum per praxin eſſentialium Chriſtianiſmi, ſeſe, ubi Dei & proximi amor id exigunt, iis accommodando quæ tantum acceſſoria ſunt, beneque uſurpari poſſunt, minime diſceſſi. Libellus nunc deſideratur, at prodiit (anno 1702) in Germanicum idioma converſus e Gallico exemplari in quo ipſemet non pauca emendaveram. Supra eum Latine exhibui, amico quodam meo interprete: Sed in eo multo plura quam in Germanica Editione, mutavi ac emendavi, prout a me ſuo loco dictum eſt.

De Eruditione ſolida, &c.

Addidi iis (anno 1692) *Libros tres de Eruditione, ſolida, ſuperficia-*

ficiaria & falſa, qui nunc correctiores & auctiores ſecundis curis prodeunt cum *ſua defenſione*. Fuerant iidem paulo poſt Editionem primam Lipſiæ recuſi, præfixa Clariſs. D. Thomaſii diſſertatione de libris eo uſque a me editis, in qua ſane multum ille aliter atque Parrhaſius de iiſdem judicat: quamvis autem in nonnullis Philoſophicis diſſenſum teſtetur, ea tamen quæ de me meiſque ſcriptis in bonam partem dixit talia ſunt, ut nulla permittat modeſtia uti a me quovis modo referantur, niſi ſi tantum dixero, opponi ea e diametro Parrhaſianæ maledicentiæ de hominibus per ea quæ a me eduntur, dedita opera ſeducendis; quod ſane quivis, vel ex hiſce de Eruditione tertio recuſis libris, utrum vera an falſa dicentis cenſura ſit, potis eſt dijudicare.

Libellus de Educatione Liberorum, a me in modum Epiſtolæ ſcriptus, ac primum per alium, deinde per me, & quidem auctior, emiſſus eſt. Hic liber, etſi famoſos inter quoſdam Eccleſiaſtas habuit adverſarios, quod Germanice per Paſtorem probum ederetur & alius Auctoris eſſe crederetur quorum illi utrumque non parvo proſequebantur odio; nullus tamen e meis libris plures ubique reperit fautores atque approbatores, qui etiam eum non paſſi ſunt Gallicâ tantum lingua exſtare. Supra auctior recuſus eſt adjunctis monitis & reſponſionibus ad objectata neceſſariis, & in Editione Latina tantum comparentibus. Nihil nunc de eo dicam ſpecialius niſi quod a Lectoribus optem obſervari, utrum vel hic ſaltem *artem* voluerim exercere *ſimpliciores* (qui maxime inter infantes ſunt) *ſeducendi per Spiritualitates ridiculas*, uti fert cenſura noſtri Parrhaſii. De Educatione Liberorum.

In Libro, *Theologia pacifica itemque Myſtica ac hujus Auctorum Idea brevior*, qui prodiit anno 1702, *Ideam Theologia Myſtica generalem*, nec non & *Epiſtolam de Auctoribus Myſticis*, pro meis agnoſco: Latina quidem interpretatio mea non eſt; a me tamen recognita eſt & aucta, & hac quidem vice, prout ſupra iterum comparuit, amplior atque correctior edita. Utramque Gallicè ſcripſeram, quo etiam idiomate prodierunt, *Theologia Germanica* editioni de qua infra, adjunctæ. Theologiæ Myſticæ, ejuſque Auctorum idea brevior.

Hactenus libri in ſolidum mei. In ſequentibus mea ſunt, labor editionis, interdum interpretationis, præfationes pleræque, acceſſiones etiam aliquæ, & ſi quæ notulæ vel ſummaria capitum. *Libri aliorum a me editi.*

Antoniæ Burignoniæ Opera Omnia.

Antoniæ Burignoniæ Opera omnia 19 *voll. Gallice*, ſi unum ac alterum Librum excipias qui jam ante fuerant editi. Nihil ego contuli editionibus Germanicæ & Belgicæ duodecim vel quatuordecim voluminum, nihil Anglicæ, in qua tres vel quatuor partes jam comparent, indies augendæ; nihil etiam interpretationi Latinæ unius atque alterius libri. Licet autem quivis liber ſeorſum haberi poſſit, maluit tamen Bibliopola, compendii gratia, ad totidem Tomos redigi omnes. Præpoſui *præfationem Apologeticam*, ſubjunctâ vitæ *Virginis continuatione* ad obitum uſque ſuum. Annexui toti Operi *Joannis Engelberti Divinam de Tribus ſtatibus, Eccleſiaſtico, Politico & Oeconomico Viſionem* Gallicè verſam. Ubi Opera illa primum ſimul comparuerunt XIX voluminibus comprehenſa, *Relationem* eorum invidiæ plenam in Actis quibuſdam Eruditorum interſerebat aliquis, cui quidem reſpondere volui per *Monitum neceſſarium ad ea Acta*: verùm cum id *monitum* me abſente ita ab aliis edendum curaretur, ut meos loquendi modos, neſcio quo Zelo, in duriores verterent; id, quantum ad dictionem, non poſſim pro meo agnoſcere. Ac Auctor Relationis inde exacerbatus, *Defenſionem Relationis* ſuæ ſcripſit quidem; ſed defenſionis illius prodigio nihil replicandum duxi quam aliquot pagellas quæ Librorum de Eruditione Editioni primæ fuerunt additæ. Nunc autem cum defenſionis auctor fatis ſit functus, mihiquè perſuadeam ceteros Actorum Collectores nullam hac in re habuiſſe partem, illas pagellas hinc abeſſe juſſi, ne contemtui vel odio excitando aut fovendo occaſionem ullam præberem. Librorum Antoniæ Burignoniæ ſcopus & ſubſtantia (ut in Irenico & in Epiſtola de Auctoribus myſticis monui) cùm hæc ſit, ut homines corruptionis ab Adamo acceptæ atque propriis peccatis auctæ, vivam habeant cognitionem, eidemque renuncient moriendo vitæ Veteris Adami mundanæ ac Diabolicæ per vim crucis Chriſti, quo purificati, vaſa fiant apta ad recipiendum Spiritum S. a Chriſto promiſſum, ac per eum deinceps illuminentur, regantur, & tandem glorificentur; utrum hæcce ore pleno velit Parrhaſius dicere *ridenda* per quæ homines *seducantur*, non omnino ſcio: hoc ſcio, non paucos e Satanæ & Mundi caſſibus per libros Virginis ſanctæ liberatos eſſe: non paucos in poſterum per eoſdem eſſe liberandos.

Libri de *Imitatione Chriſti* in gratiam Proteſtantium ſub titulo

Kem-

Kempiſius communis.

Kempiſii Communis Gallice a me verſi, ſecundis curis editi ſunt anno 1701 correctiores, ac nullis non Proteſtantibus gratiſſimi, qui, ut audio, editionem meam Germanico idiomate imitati ſunt.

Theologia Cordis.

(*a*) *Theologia cordis* (de qua ſupra) tomi duo, duas paſſi ſunt editiones, quarum ultima, anni 1697, auctior eſt & emendatior. Collectio eſt parvorum quorumdam tractatuum, & in primo quidem Tomo ſunt, 1. Tractatulus dictus, *Paſtor illuminatus*, de adoleſcentulo ovium paſtore, per cordis puritatem ac ſimplicitatem ad mirum Dei amorem, miramque ipſius & operum ſuorum cognitionem deducto. 2. De perfectione Chriſtiana, fœminæ Mediolanenſi adſcriptus, ubi via ad ſtatum in quo quis puriſſime perfecteque a Deo regatur, per omnium quæ Deus non ſunt abnegationem mirabiliter panditur. 3. Ejuſdem de deſtructione Amoris proprii, cujus infinita latibula deteguntur, ut eo inde expulſo, locum in nobis inveniat tandem divina operatio atque præſentia Divinuſque Amor. In altero Tomo: 4. Virginis ignotæ tractatus de diſtinctione quæ eſt inter Dei gratias ſive operationes internas ſenſibiles, interque mere ſpirituales; de ſpeciebus item Orationis octo. 5. Tractatus Religioſi a puero cœci, F. Joannis a S. Simſone, de Amore Dei per aſpirationes ad gradum maximum evehendo. 6. P. J. Rigoleuci ſumma quædam Theologiæ Myſticæ, ut quis poſſit per Orationem & mentis puritatem adhærere Deo. 7. Tractatus eſt de Educatione Liberorum.

Theologia Amoris.

Editi ſunt poſtea, Gallice quoque, anno 1691. ſub titulo (*b*) *Theologia Amoris*, Catharinæ Adornæ Fieſcanæ, vulgo S[tæ]. Catharinæ Genuenſis, *Dialogi tres*, Divinæ Sapientiæ Methodo, ordine ac dexteritate omnem doctorum humanam artem ſuperantes, ſimulque ardentiſſimum atque puriſſimum ac omnino incomparabilem Dei amorem ſpirantes, cum *vita* ejuſdem, de quibus arbitror vel ipſam Dæmonum impudentiam dicere non poſſe iſta eſſe irridenda, ac per eadem ſimpliciorum animos ſeduci.

(*a*) *La Theologie du Cœur, ou Recueil de quelques Traités qui contiennent les lumières les plus divines des ames ſimples & pures.*

(*b*) *La Theologie de l'Amour, ou les Oeuvres & la Vie de S. Catherine de Genes.*

Theologia Crucis Jeſu Chriſti.

(*a*) *Theologia Crucis Chriſti Jeſu*, quam anno 1696 e Latina Gallicam feci & emiſi, oſtendit in Operibus ac vita ſanctæ matronæ, Angelæ de Fulginio, ſeculo poſt natum Salvatorem decimo tertio viventis, quomodo anima Orationi ſeſe dedens atque imitationi Vitæ Chriſti Jeſu per viam Crucis ejus, pervenire poſſit ad ſcopum illum creationis & Redemtionis noſtræ, qui eſt puriſſimus Dei Amor, ſolida ac certa Veritatis cognitio atque poſſeſſio, & ſimul ad multos Dei ac divinarum ejus communicationum anticipatos guſtus, quos pro lubitu quibus vult Dei amantibus diſpenſat Dei bona Sapientia. Exercitia quatuordecim piiſſimi Bloſii de Paſſione Chriſti addidi in fine Gallice a me reddita. Quæ omnia cum efficaciſſime Euangelii ſolidam ſubſtantiam, ad finem omnium ſummum quoſvis adducentem, repræſentent, irridenda ac ſeducentia a nullo dici poſſunt qui Euangelii vim ac ſubſtantiam non dicat deridendam atque ſeducentem.

Theologia Realis, ſive Germanica.

(*b*) *Theologia realis, ſive Germanica*, Gallicè e Germanico a me converſa, annexis de hominis *Reſtitutione* deque ejuſdem *Regeneratione* tractatulis duobus Belgico idiomate ſcriptis, Gallice itidem a me redditis, quibus *Aphoriſmi ſpirituales ac Myſtici* præcipui e ſubliſſimi F. Joannis à S. Simſone operibus collecti adjunguntur, emiſſa eſt anno 1700. Huic præfatio quadripartita præfixa eſt, vel ipsâ Theologiâ Germanicâ amplior, in cujus prima parte ea exſtant quæ ad libellos ipſos attinent: in altera, brevior & clarior Theologiæ Myſticæ idea exhibetur, &, vel adſtipulante ipſa Ratione humana evidenter probatur. Hujus pars Latine, ſupra exhibita eſt. In tertia continetur Theologiæ Myſticæ Apologia adverſus Gallicum (*c*) *Tractatum hiſtoricum complectentem Judicium Proteſtantis* Theologi *de Theologia Myſtica*: cujus tractatus fundamenta illic & contenta præcipua evertuntur. In quarta, deſtruuntur itidem fundamenta libelli Gallici (*d*) cujuſdam Abbatis Anonymi in eandem Theologiam. Toti operi *Epiſtola de Myſticis* modo dicta, & Latine exhibita cum *Catalogo*, ſubjuncta eſt. Approbationes *Theologiæ Germanicæ* quæ in Præfatione

(*a*) *La Theologie de la Croix de Jeſus Chriſt, ou les Oeuvres & la Vie de la Bienheureuſe Angele de Foligni.*

(*b*) *La Theologie réelle, vulgairement ditte la Theologie Germanique &c.*

(*c*) *Traité hiſtorique, contenant le jugement d'un Proteſtant ſur la Theologie Myſtique &c.*

(*d*) *Le Chriſtianiſme éclairci ſur les differens du tems en matiere de Quietiſme &c.*

Digitized by Google

ſatione tam e Catholico-Romanis quam e Proteſtantium præcipuis apparent, eam extra omnem *ridiculi* & *ſeductionis* ſuſpicionem abunde collocant, uti & ipſam *Theologiam Myſticam* ea quæ (*a*) ſuperius de ejus natura & ſcopo annotavimus.

Chriſtianus Realis.

Anno 1701. recuſa eſt cum præfatione nova ſub titulo (*b*) *Chriſtiani realis*, duobus Tomis, Gallice, primo, *Vita Marchionis de Renty*, ſæpiſſime in Galliis prælum paſſa; ſed tunc rarior, quæ ſi a noſtro Parrhaſio inter *ſtultitias ſeducentes* numeretur, habebit ſibi ea in re contrarios quotquot Deum & virtutem non proſequuntur odio, imo & Viros quos ipſemet non parvi æſtimat: quamvis enim Vir ille illuſtriſſimus animo & factis Myſticus fuerit omnino, imo & Romano-Catholicus; nihilominus tamen coëgit veritas uti è Proteſtantibus Doctor Burnetius, nunc Epiſcopus Salisburienſis, cui D. Clericus quædam opera ſua dedicavit, teſtaretur, (*c*) eam Vitam *nihil fabuloſi redolere: elucere in ea Virtutes adeo præclaras, ut ille, qui eaſdem exercuit, merito tanquam unum e primariis, quæ noſtro ævo Gallia ſuppeditaverit exemplis, haberi debeat.* In altero autem Tomo, exſtat *Vita diſcipulæ cujuſdam Religioſæ Domini de Renty*, in qua eædem atque in illo virtutes ac Dei gratiæ admirabiles prorſus atque ſolidiſſimæ, refulſerunt. Solebat virgo Burignonia geſtare ſemper ſecum, venerationis gratia, libellum in quo pleraque verba Salvatoris erant deſcripta, & cui nonnullæ *Exclamationes ſuper vita gratiæ*, erant ſubnexæ. Haſce ex eo libello, qui penes me eſt, curavi huic ſecundo Tomo ad finem adjici.

(*c*) Pref. *ſur la vie de M.* Hale.

Sanctus Profugus.

Hoc tempore circiter cum Amicus quidam meus ſingularis Eruditionis ac pietatis mihi miſiſſet hiſtoriolam vitæ ac mortis pii cujuſdam juvenis ex eorum numero qui e Gallia ob Religionem Reformatam inhibitam profugi ſunt, quam ille hiſtoriolam teſtis oculatus Gallice conſcripſerat; eam ego ſub titulo, (*a*) *Sanctus Profugus, ſive, Vita & Mors Exemplaris Werneri* ** edendam curavi. in qua quidem præter exempla ad Chriſtianam vitam cum abnegatione ſeria & fidelitate ſumma ineundam vivide moventia, nihil aliud neque *ridendum* neque *ſeducens* reperire eſt.

(*a*) *Cate-*

(*a*) *Supr. ad num.* 10. *verſus initium.*
(*b*) *Le Chretien reel, ou la Vie du Marquis de Renty* &c.
(*d*) *Le Saint Refugié, ou la Vie & la mort Edifiantes de Wernerus. . . .*

Digitized by Google

Catechiſmus Chriſtianus pro vita interiore.

(*a*) *Catechiſmus Chriſtianus pro vita interiore*, *à D. Olerio*, Gallice ſcriptus, cujus exemplar unum in manibus habebam, cum fruſtra quæreretur, dedi eum (anno 1703) denuo edendum, & huic etiam *Exclamationes de vita gratia* ſubjungi curavi quæ apprime ad id argumenti conveniebant. is ſiquidem Catechiſmus, corruptionis noſtræ immensâ nequitiâ & impotentiâ vividiſſime oſtensâ, ſummam *gratia Dei* neceſſitatem, uti & excellentiſſimum Vitæ Chriſtianæ a gratia Dei illuſtratæ ſtatum ita præ oculis ponit, ut idem huc uſque tam paucis, tam efficaciter, ipſiſque etiam S. Scripturæ verbis frequentiſſimis, fecerint vel pauci vel nulli.

Schola puri Amoris Dei.

Nactus deinde Gallicè vitam mirabilem paupercukæ ancillæ ruſticæ ac omnino idiotæ, id omne quod de theoria ac praxi Chriſtiana atque myſtica concipi poſſit ſuperantem, eam præfatione præpoſita ſub hoc titulo recudendum dedi, (*b*) *Schola puri Amoris Dei*, *doctis juxta ac indoctis aperta in Vita admiranda paupercula idiota*, *natu ruſtica*, *conditione ancilla*, *Armella Nicolaa*, *nuper in Britannia Armorica denata*: *per quandam ſociam ſuam*, *Deo devotam*. 1704. In qua quidem vita admirabilitas, ſoliditas, & ſublimitas rerum Chriſtianarum, ſpiritualium atque diviniſſimarum, tam theoreticarum quam practicarum, inter ſeſe certare videntur, utra præ aliis palmam ſit latura: ac fateor me in eo genere nihil unquam ſimile quid conſpexiſſe: ita ut non ſine ingenti ſtupore nuperrime, ea de re a quibuſdam monitus, legerim quæ de hacce Vita omnino divina, contractius orbi exhibere voluit Auctor libellorum Gallicorum titulum gerentium, (*c*) *Hiſtoria Operum Eruditorum*, qui ſolidiſſimis quibuſque ac primariis rebus ſuppreſſis, collegit de induſtria quotquot illic adventitia, externa & parvi momenti, judicavit poſſe a quibuſvis contemni vel rideri, præſertim quando illa de genere erant rerum externarum Catholico-Romanis propriarum, ac interdum ab ipſo ridiculis modis expoſitarum. qua in re miror eum voluiſſe cavillantium litigatorum imitari methodum, neque animadver-

(*a*) *Catechiſme Chretien pour la vie interieure.*

(*b*) *L'Ecole du pur Amour de Dieu*, *ouverte aux ſavans & aux ignorans dans la vie merveilleuſe d'une pauvre fille idiote*, *paiſanne de naiſſance & ſervante de condition*, *Armelle Nicolas* &c.

(*c*) *Hiſtoire des ouvrages des ſavans. Avril*, *Mai*, *Juin*. 1703.

advertiſſe a quamlibet impiis, ut alibi (*a*) monui, poſſe eodem omnino modo divina Rentii, Kempiſii, S. Bernardi, volumina, ipſas etiam Scripturas ſacras, riſui ac ludibrio omnium malitioſe exponi. Imponit præterea Lectoribus dum perſuadere nititur ea, quæ ſive hoc in opere, ſive in aliis modo memoratis interdum occurrunt de nonnullis ad cultum aut opiniones Catholico-Romanorum ſpectantibus, a me emitti, defendi aut præfationibus leniri animo Protestantes alliciendi uti ſuas deſerant partes, & alias amplectantur. quod nunquam mihi in mentem incidit, imo meæ menti omnino adverſatur, quæ tantùm eſt, ut homines, in quibuſcunque vivant partibus, alii alios neque odio ob externa nonnulla proſequantur, neque contemnant quæ in aliis ſolidiſſima ſunt interdum atque diviniſſima, neve eadem rejiciant, propter quædam adventitia, parvi admodum momenti, quæ licèt inter errata numerarent, attamen cum Amore Dei cumque gratiis ejus inſignibus poſſunt omnino conſiſtere. Verbo, volui ac velim, ut quivis ſine permutatione partium ſuarum aſſueſcat videre & agnoſcere in aliis operationes & vim ſpiritus Chriſti, licet vel circa ceremonias vel circa opiniones nonnullas ſuas imperfectiora quædam in iis ineſſent: & hoc quidem eum in finem, ut in Dilectione Chriſtiana, tantopere a Chriſto commendata, una convenientes, viventes, creſcentes, idonei ſimus qui pleniorem Spiritus Amoris, & Veritatis promiſſi menſuram recipiamus, atque eo tandem modo unum cum Chriſto Patreque ſuo in Spiritu Sancto, pro Chriſti Jeſu ardentiſſimis precibus, fieri poſſimus, cognoſcatque eo pacto Mundus CHRISTUM eſſe a Patre miſſum Salvatorem verum, qui ſuos per Spiritus S. ſui communicationem a peccatis ſalvet ac ab odio Diabolico, per Caïnum & Satanam ob cultum externum introducto liberet, reſtituatque omnes in perfectam æternæ cum Deo unionis Charitatem, quæ eſt ipſa vita æterna.

(*a*) In Epiſt. de Myſtic. ſupr. §. 28.

Opuſcula ſpiritualia D. Gujoniæ.

Eodem anno cum tranſmiſſum eſſet e locis peregrinis manuſcriptum adhuc ineditum celeberrimæ D. Gujoniæ, quod & maximi momenti mihi viſum eſt, & veluti quædam omnium ſuorum Scriptorum clavis, conſtituimus non id ſolùm in lucem emittere; ſed & quæcunque antea illius Auctoris prodierant, denuo ſimul recudenda curare. Hic monere debeo, me in prima quæ in Belgio facta eſt anno 1699 libellorum ejus duorum

editione, nullam præter nudum illos edendi conſilium, habuiſſe partem; idque moneo, quia ſcivi nonnullos qui hoſce tractatulos pro merito magni faciunt, ægre tuliſſe quod in præfatione primæ iſtius Editionis licet in bonam partem, uti decet, plerumque omnia flectat, is qui ibi præfatur, nihilominus tamen viſus ſit non frigide tantum, ſed & ironice nonnulla expreſſiſſe. quæ vero præfatio mea neutiquam eſt; at illa duntaxat quæ præmittitur Editioni ſecundæ, titulum hunc, Gallicè, gerenti, (*a*) *Opuſcula ſpiritualia Dominæ J.M.B. de la Mothe Gujon, aucta Tractatu ejuſdem adhuc inedito qui* TORRENTES *dicitur, ac Præfatione Generali de Auctoris perſona, doctrina, & oppoſitionibus utriſque ſuſcitatis*. Opuſcula ea ſunt, 1. *Brevis ac facillima Methodus Orationis*; quæ quidem tantopere omnibus probis placuit ut Belgice, Germanice, imo & Latine, & Anglice etiam prodierit. 2. Rarus ille ac vere arcanus & incomparabilis Tractatus, verum divinæ Sapientiæ monumentum, *Torrentes*, in quo ſub torrentium aquarum emblemate deſcribuntur viæ fidei admirabiles per quas eæ animæ purificantur quæ hic puriſſime Deo uniri debent, ejuſque manus inſtrumenta in terris exiſtere inſignia. 3. Sublimiſſima atque Solidiſſima *Cantici Canticorum Salomonis interpretatio*, quatenus illa ad eaſdem animas vere eſt referenda: ac 4. deinde, anno ſequenti, 1705, ejuſdem Tractatulus Gallicus, (*b*) *Regula pro ſociis Infantiæ Jeſu, perfecti exemplaris pro quibuſvis conditionibus*, qui tractatulus ſerius ad nos ex Anglia tranſmiſſus eſt.

Virtutum Chriſtianarum inſinuatio. &c.

Edidi denique ultimo tractatulum Latinum cum titulo, *Virtutum Chriſtianarum inſinuatio facilis & quibuſvis accommodata*, qui mihi ab amico erudito ac pio in manus eum in finem erat traditus, cujus vero argumentum titulus breviter, præfatio mea explanatius proponit.

Fides & Ratio comparatæ &c.

Et habeo quidem præterea in manibus anonymi alterius Amici, non minus eruditione quam pietate aliiſque prærogativis præclari, tractatum de *Fide* ac *Ratione* cum acceſſionibus de *Perfectione* & *Fe-*

(*a*) *Les Opuſcules ſpirituels de Madame J. M. B. de la Mothe Guion, nouvelle Edition, augmentée de ſon rare traité des* TORRENTS *& d'une Préface Generale &c.*

(*b*) *Suite des Opuſcules de Mad. Guion, ou Regle des aſſociés à l'Enfance de* JESUS, *modele de Perfection pour tous les Etats, tirée de l'Ecriture &c.*

& Felicitate, in quo pernicioſa J. Lockii principia (quæ ſua fecit D. Clericus) quibus vero fides divina ſub profanæ Rationis pedibus ponitur, funditus deſtruuntur: at quia is tractatus nondum editus eſt, (licet propediem edendus,) nondum poteſt a me in eorum reponi numero è quibus adhuc judicare, quibuſvis promtum ſit, utrum Parrhaſius noſter jure an injuria dicat, ea *quæ in lucem* (ſive mea ſive aliorum) *emitto*, *ridendas* eſſe *ſpiritualitates*, quibus *me non pudeat artem ſimpliciores ſeducendi* diutius *exercere*: quod vero utrum ita ſit necne, ex recenſione præcedentium, eorumque inſpectione, poterit, quiſquis volet ea de re eſſe certus, judicare rectiùs quam noſter Parrhaſius ſive Clericus, qui contra propriæ Critices ſuæ leges de illis judicavit quæ ipſe legit nunquam, vel forte etiam, quantum ad maximam partem, ne inſpexit quidem. timet enim ſerpentina naturæ noſtræ corruptæ, ſive Pelagianiſmi, indoles divinioris veritatis verbis, ea ſi audiat, quaſi incantari; atque adeo ab iis aures avertit ſollicite ſuas, quemadmodum illi de quibus Propheta Regius:

(*a*) *Lingua venenum peſtifera gerunt*,
Aureſque claudunt conſiliis, velut
Obturat aures callida aſpis
Quæ magicos metuit ſuſurros.

(*a*) Pſalm. 58.

(14) *Parrhaſius objiciens* modos loquendi fanaticos, *ignorat quid dicit.*

14. Suſurros hoſce divinos appellat noſter Parrhaſius in hac cenſura ſua e principiis amoris proprii ſupra indicatis, *modos fanaticos decipere aptos.* Si ab ipſo peteretur, quidnam ſint *fanatici iſti modi*, aut quid per has voces intelligat ille, non parum revera quæſtione ea impeditus eſſet. Dicam id pro illo, & quidem verius.

Origo modorum loquendi, *inter quos tres præcipui ſunt, horumque cauſæ.*

Verbum, ſive ſermo, animi index eſt, imo & imago. Loquere ut te cognoſcam, dicebat ille: & Chriſtus, (*b*) *quomodo bona poſſetis loqui exiſtentes improbi? nam ex abundantia cordis loquitur os.* Qui ſimpliciter concipit mente objecta aliqua, non tamen idcirco illa verbis eloquitur: ad hoc enim oportet ut concipiat ea & affectu: nec hoc ſolùm, ſed & ut ea velit ab aliis hominibus etiam concipi, & affectu admitti, imo & ulterius ad alios atque alios propelli. Tria ergo ſermo, maxime ubi eſt dogmaticus & ſana ac ſeria mente prolatus, infert ac denotat, objecti ſcilicet in mente conceptum, affectum erga idem, & deſiderium propagationis ejus. Objectum autem quando magnum

(*b*) Matth. 12: 34.

 eſt,

eſt, quando optimum eſt, quando eſt pretioſum, ſtabile, intimum, ſpiritale, divinum: quando præterea mentis affectus eo tactus eſt ac penetratus magnopere, vivide, ſincere, profunde, lucide ac ad ipſum uſque ſpiritum, divinoque modo: quando item hæc a Deo, intimorum hominis ſpectatore & boni approbatore atque adjutore, viſa & approbata, adjuvantur, ſic ut Mens ita affecta, & res per verba enixura, a Deo & gratiis ſuis affundatur, & in eloquendo experiatur Dei ſuppetias; tum *modi loquendi* non poſſunt non præ ſe ferre aliquid magni ac digniſſimi, non poſſunt non grande quid ſonare, non ſapere quiddam maxime intimum, vividum, ſincerum, divinum, atque omnino incomparabile. Quando vero objectum terrenum eſt, tranſitorium, evanidum, corruptum, futile, & pro homine immortali parvi vel nullius momenti; equidem tunc, quia æquum eſſet iis & conceptus & affectus vel admodum parum, vel nullo prorſus modo occupari, de illis quoque vel taceri æquum eſſet, vel modis parvam exiſtimationem ſignificantibus ſermonem de iiſdem fieri. Verùm, cùm res hominis, ſtatuſque ejus totus, in corruptione ſint, ac Mentis ſuæ conceptus ſive intelligendi facultas, ipſiuſque affectus ſive cor, ab objectis divinis atque ab eorum affectionibus averſa ſint, evenit inde, ut & pro objectis magnis concipiendis receperit ille res minimulas, craſſas, futiles, evanidas, nullas; & pro objectis amandis, vel affectu recipiendis, non eaſdem modò res tenues vel nullas (quæ diu locum in illo tueri non poſſunt,) ſed & præcipue ſemetipſum, quem verò per iſtam Philautiam maxime vult ornare, magni facere, & magni faciendum aliis præbere, non quidem per iſtiuſmodi affectuum ſuorum pudendorum directam oſtentationem, ſed per oſtentationem idearum, conceptuum accuratæque ſcientiæ iſtarum rerum futilium, quas idem exprimere conatur & pingere verbis ac modis ad hominum aliorum palatum corruptum auriumque titillationem quàm optime poteſt accommodatis. ad quod vero cœci ceteri quibus objecta ſublimiora minime ſunt cognita ſtupere poſſint & ſoleant, atque ita miſerabile futilis iſtiuſmodi hominis idolum (pro ſcopo ipſius primo) maximi æſtimare, admirantes quomodo in tam parvo unius homunculi cerebello tam ingentium quiſquiliarum atque futilitatum (quas e cœcitate pro magnis theſauris habent) numerus pene infinitus, poſſit cum ali-

Digitized by Google

aliquo ordine atque methodo nonnulla hoſpitari, ac tam lepidis verbis veſtiri; ac ita frequenter & copioſe vænum publice exponi.

Tres loquentium ſpecies: quæ ad duas reducta.

Habemus igitur tria loquentium genera, qui *tribus loquendi modis* utuntur, licet tamen omnia potiſſimum ad duo redeant.

Primi loquuntur de rebus æternis, divinis, ſolidis, intimis, deque iis quæ huc referuntur, ſimpliciter, ſincere, vivide, divine.

Alteri, de rebus externis, perituris, evanidis, nullis loquuntur parum, remiſſe, contemtim, aut omnino nihil: & hi duo in una eademque mente revera ſunt, quæ conſiderat ſolum duorum objectorum varietatem.

Tertii, de iiſdem externis ac vanis loquuntur & ipſi, atque id quidem modis variis, plus minuſve affectatis, diverſiſſime fucatis & ordinatis, ſuas tamen univerſi futilitates magni facientibus, prout per illas vel emolumenta, vel laudes ſperant ſe conſecuturos.

Ratio vera cur myſticorum loquendi modi Parrhaſio dicantur fanatici.

Notandum autem eſt, primos atque ultimos iſtorum loquentium ſibi ſummopere quantum ad concepta objecta, ad affectus, & ad loquendi modos, adverſari. Nam primi ſola magnificientes ſolida, de ultimorum occupationibus loquuntur veluti de rebus futilibus, homineque immortali indignis; imo tanquam de laqueis Satanæ, quibus veluti vinculis vult animarum ille inimicus ligare & impedire animas ne ad objecta cœleſtia, pro quibus factæ ſunt, evolare poſſint. & quæ hi dicunt, ea dicunt modis penetrantibus ac moventibus, boniſque ac ſolidiſſimis è Scriptura & ratione ſanata argumentis muniti. Contra, locutuleji tertiæ claſſis cum ſuas tabernas vident ab illis vel everti vel contemni, iis ſummopere offenſi, nec tamen in Scripturis ac in Ratione ſaniori ullum pro ſe aut contra illos argumentum vel præſidium invenientes, coguntur ad armamentarium Amoris proprii, ad falſa & fraudulenta, ad vagas ſine rationibus declamationes fucis Rhetoricis, contumeliis & falſis plenas, recurrere adverſus illos.

Atque hæc eſt a fundamentis ratio quapropter Parrhaſius, (quippe ad claſſem tertiam pertinens) ſine ullius rationis prolatione in Myſticos (qui ſunt e primo ac altero genere) inque horum loquendi modos debacchetur, uti facit, eos pro *modis fanaticis.*

Digitized by Google

ticis traducens, hoc eſt, pro modis divina, æterna, intima, ſolide, vivide, ſincere & efficaciter proponentibus, omnino aliter atque faciunt frigidi locutuleji futilia ſua nugamenta, aut etiam imaginaria ſua divina, ſi quando ipſis lubet e cerebro ſuo tenebroſo rerum ſpiritualium vel divinarum ideas quaſdam caſſas, vel picturas fictitias extundere, eaſve e litera Scripturæ per cœcam & corruptam Rationem & Criticam enervatæ elicitas, quæſito & affectato modo, imo & mortuo & minime movente proponere.

(15) *Parrhaſius eos quibus Myſtica placent, cur accuſet deceptionis quæſitæ.*

15. Porro, utrique loquentium iſtorum claſſi, reſpondet ſua auditorum faventium & placentium claſſis, altera alteri etiam adverſaria.

Primi cum vident aliquos auditis ipſorum verbis ad Deum & cœleſtia contemtis ceteris converti, hujus rei gloriam non ſibi, ſed Deo tribuentes, dicunt hoc a Deo eſſe, illos a Deo, (cui facultates offerre volunt operationes ejus excepturi) eſſe tactos, eſſe proinde filios Dei, quando ceteri, qui rebus & verbis vanis afficiuntur & perſuadentur, mundani ſunt & manent. (*a*) *Ipſi de mundo ſunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus audit eos. Nos ex Deo ſumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo non audit nos. In hoc cognoſcimus Spiritum veritatis & ſpiritum erroris, ſive* DECEPTIONIS.

(*a*) Joan. 4: 5.

Ultimi contra, quia Philautia ſunt pleni, ſe ſuoſque ſequaces ita magni faciunt Solos, ut omnis rei hujus gloria ad ſe, ad ſuam induſtriam, vires, ingenium, redeat; quapropter etiam ſolos ſe ac ſuos inter eruditos viros, inter magna, ſtupenda, cœleſtia ingenia ſolent numerare: quod ſi vero videant nonnullos alios, forte etiam e ſuis auditoribus vel ſodalibus quoſdam, ad primos illos, relictis ac ſpretis prioribus ſuis tantopere adamatis nugis, accedere, quia tamen non vident illi ob animi ſui cœcitatem, hujus rei, ſive hujus mutationis cauſam, videlicet, mentis objecta diviniora, eorumque intimas affectiones & operationes quibus Mentes eò attrahuntur, fieri non poteſt quin attoniti eo de effecto, illius incognitam contemnant cauſam idque attribuant animæ *ſimplicitati*, ac dicant, eſſe facilitatem aut animæ *propenſionem ad deceptionem ſui ipſius*, omnino quemadmodum facit hic noſter Parrhaſius, dum eos qui a divinis Auctoribus myſticis ſeſe ad illa quæ Parrhaſio inviſibilia ſunt duci patiuntur, dicit, *fana-*

ticis

tacis Myſticorum modis ideo decipi quod *ſeipſos paratiſſimi ſint decipere*, hoc eſt, quod parati ſint *ſinere ſe* divine efficacibus trahi objectorum diviniorum operationibus, quæ quia ob cœcitatem Parrhaſio non videntur nec capiuntur, cluent ipſi illuſio atque *deceptio*. à qua vero abhorret Parrhaſius: eſſet enim Philautiæ ſuæ abſurdum ſeſe illis rebus, illis objectis, verbis aut promiſſis tradere aut concredere quæ nondum cœca ſua Ratio capiat. *Deciperet ſe ſponte*, ſcilicet! Verùm, bone vir, nunquamne vidiſti cœcos alicui Operatori, ut vocant, ſive Medicatori ophthalmico ipſis, utique nunquam viſo, ac ejus operationi & curæ iiſdem incognitæ, ſeſe concrediſſe, & tamen hoc ipſo ſeſe non *decepiſſe*, ſed ſapienter admodum egiſſe? aut verò nonne è ſacris oraculis audiviſti ejus, *qui vult ſapere* in Chriſto, Philautiam, vel *carnis ſapientiam*, debere *ſtultitiam* fieri, hoc eſt, videre ſe deceptam, imo debere, crucifigi, mori, putrefieri; & licet *lucrum antea* fuerit, *ſtercoris inſtar* abjici, *ut inveniamur in Chriſto*, *& cognoſcamus eum*, *& vim mortis ac reſurrectionis ejus*, fiatque *nobis ille Sapientia* minime decipiens? 1 Cor. 1: 30. & cap. 3: 18. Phil. 3: 8. &c.

16. Porro, Parrhaſius ſatis animadvertens, eos qui rebus ſolidis & ſpiritualibus afficiuntur ac deduntur, non eſſe propterea ſtupidos; ſed eorum Mentem, intellectum, cor & affectus revera vivo modo exerceri & occupari; non autem videns ſive non cognoſcens Deum intime illis præſentem, operantem, & occupantem amoris ſui operationibus Animam ac facultates ejus; hinc non audet quidem illis tribuere (ut faciunt nonnulli Theologiæ Myſticæ ignari & irriſores) *quietiſmum*, ſive *otium ſimplex*, privationemque omnis cogitationis abſolutam. Agnoſcit noſter in illis cogitationes, conceptus ac actus mentis; ſed tamen pro more deriſorio, illas appellat, *imaginationes*, & quidem *vacuas*, ſive inanes, ob ignorantiam videlicet ſuam de realitate ſumma tum objecti illas occupantis, tum ipſorum Mentis actuum internorum & ſpiritualium ac inviſibilium. Et quoniam Myſtici hancce ſuarum facultatum intimam occupationem cum Deo, ejuſque operationibus & amore, per Spiritum S. dato & accenſo, habent & commendant pro veræ RELIGIONIS eſſentia ac vita, pro magno illo Mandato à quo Lex & Prophetæ pendent; ea autem mentis & facultatum occupatio cum operante Deo a Parrhaſio inter *imaginationes vacuas*, ut dictum, refertur; hinc eſt quod

(16) *Cur Parrhaſius adverſariis ſuis tribuat* imaginationes vacuas *pro* Religione?

Digitized by Google

quod addat, eos qui Myſticos audiunt, *aſſumere vacuas imaginationes pro* Religione.

(17) Religio, *ut a Parrhaſio definitur vel commendatur, quantum fallere poſſit.*

17. Ipſe vero, ne iſtis per illum exploſis, maneamus ſine Religione, actutum ſatagit indicare quid pro Religione habendum ſit, ſcilicet, *boni mores in ſpe alterius vitæ in Euangelio propoſita fundati.* Calumnia ſubeſſet ſi Parrhaſius (quod de eo non ſuſpicor) innuere vellet, eos, de quibus loquitur, minus ac par eſt bonos mores æſtimare: quamvis enim mores magis ad externa Chriſtianiſmi quàm ad ejus interna pertinere videantur, quia tamen Deus eſt glorificandus corpore & coram hominibus, ut ita poſſint ad Deum adduci, non poteſt Religio Chriſtiana ſine iiſdem eſſe ſincera. Et revera maximi ſunt pretii *mores boni* quando procedunt, (uti Myſtici cum Scriptura docent,) e fundo Dei cupido, ſincero, humili, Divini Spiritus auxilium, vim & regimen implorante, Soli Deo placere volente, Solam Dei gloriam in omnibus ſibi proponente, ut Deus per nos ac per alios nunc & in æternum magnificetur. At quando procedunt ex amore proprio, propriam laudem, proprium gaudium, proprium emolumentum, quærente; e corde ſuperbo, ſibimet confiſo, Dei internum auxilium, lumen, motus, regimen rejiciente vel deridente; tunc iſtiuſmodi *boni mores*, politicè & ad leges honeſtatis licet optimi, coram Deo tamen ſunt plane abominandi, quemadmodum boni mores Phariſæorum, Deo gratias agentium quod non eſſent (*a*) *ſicut ceteri hominum, raptores, injuſti, adulteri*; quod eſſent ſæpius *jejunantes, decimas de omnibus dantes*, longius orantes: quando tamen Chriſtus affirmat neminem (*b*) per hanc juſtitiam, ingreſſurum eſſe Regnum cœlorum; (*c*) *Deum*, etſi ſe credant ipſi juſtos, & bene moratos ſe præbeant coram hominibus, *noſſe eorum corda*, ac *abominari quæ ab hominibus exiſtimantur*; unde etiam eis, ad (*d*) *ſepulchra æquiparatis dealbata* dira mala ſæpius denunciat. Atqui ſecundum Parrhaſii noſtri effatum & Religionem, laudandi potius fuiſſent illi & beandi, ſiquidem *bonos* habebant *mores in ſpe alterius vitæ in* Pſalmis aliiſque ſacris ſcriptis V. T. *propoſita fundatos*. Quis non videt Pelagianam, ſuperbam, & veneno amoris proprii infectam, rejectione verò operationum Dei intimarum gloriantem Religionem ſub hiſce verbis occultari vel introduci a Parrhaſio, ſuis in libris aliis (*e*) Socinianam probitatem & ſanctitatem tantopere deprædicante?

(*a*) Luc. 18: 10. &c.
(*b*) Matth. 5: 20.
(*c*) Luc. 16: 15.
(*d*) Matth. 23: 27 &c.
(*e*) Bibl. Choiſ. Tom. 5. pag. 311.

Verum,

Digitized by Google

Verum, quî poſſet illic eſſe vera ſanctitas unde principium & auctor Sanctitatis, Spiritus Dei Sanctus, abeſt, & cum ſuis operationibus deridetur a corde ſuperbo, ſui impuritatem & impotentiam non agnoſcente, & medicam Dei manum in ſuis interioribus humiliter non deſiderante? Quid etiam illa *vita altera* aliud eſſe poſſit homini corrupto, rerum intimarum ac myſticarum irriſori, quàm omnia quæ naturæ corruptæ, ſalva honeſtate, grata ſunt & jucunda, ita ut nonnulli ex hoc abſurdo principio ſibi ferme imaginarentur vitam Dei & cœlitum forſitan impendi in Geometricando, niſi ſi forſitan Parrhaſiani quidam Critici malint eam occupari in edendis auctoribus claſſicis cum notis variorum correctiſſimis, vel ſimilibus ad delicias Criticas ſpectantibus; vel forte in cantibus aut tripudiis ad latus globi illius lucidi quem D. Clericus aliquoties in notis ad Novum Teſt. ſubſtituit (ſymbolicè, ut ait) pro præſentia Dei & ad cujus (*a*) *latus dextrum* fabulatur Chriſtum in cœlis ſedere, neſcius in illa altera vita res non ænigmaticè, ſed in ipſiſſima veritate ac realitate communicari, ita ut ſpiritus juſtorum ſanctificatorum in unum (*b*) cum Deo & in Deo ipſo conſummentur ea unione intima qua Filius ipſe Dei in & cum Deo Patre unus eſt.

(*a*) Vid. not. ad Marc. 16: 9. item ad Matth. 13: 16. & 5: 9. Joan. 14: 8.

(*b*) Vid. Joan. 17.

Scopus veræ Religionis, & quid exigat?

Et ad hanc quidem vitam æternam, unionem ſcilicet cum Deo plenam & penitiſſimam, debemus duci & præparari per RELIGIONEM *Chriſtianam*, qua ea debent tum à nobis tolli quæ unionem illam intimam in & cum Deo impediunt, quæque ſunt remoræ ne Deus ſit (*c*) *omnia in omnibus* quæ in nobis ſunt; tum verò ea ſubminiſtrari quæ in ipſas nos manus formatoris noſtri tradant ac refundant.

(*c*) 1 Cor. 15: 28.

Atqui nos ſeparaverunt ab unione Dei, eique remoræ ſunt, animi ſuperbia, & quæ ei alendæ inſerviunt propria ſapientia, propriæ ratiocinationes, proprium regimen, effuſio noſtri in objecta quæ non ſunt Deus; porro gloriatio noſtra in ſapientia ac in ſcientia multarum rerum unde videamur Deorum inſtar, ſcientes per induſtriam noſtram mali bonique diſcrimina; cupiditas denique & delectatio naturæ in exteriorum quorumvis copia, inque grata qua illis afficimur jucunditate. Unionem autem divinam promovere apta ſunt horum quidem remotio & odium, deinde converſio cordis & intimorum noſtrorum ſince-

ra & ſimplex ad ſolum Dei placitum, quæ vero conſequitur ipſa Dei operatio ſanans, perficiens atque uniens.

Præcipua Cœleſtiſſimæ RELIGIONIS CHRISTIANÆ *ſubſtantia, Parrhaſianæ contrà poſita.*

Quorum omnium ut removeret alia, alia ut promoveret potenter ac admirabiliter Omnipotens Deus, potentiſſimum inter omnia medium, id ipſum videlicet per quod fuimus facti, adhibiturus, ſtupendiſſimum, & omnium Angelorum æternis adorationibus ſuperius Miraculum, Myſterium pietatis, CHRISTIANÆ RELIGIONIS vim ac vitam ex immenſa Sapientiæ ac Charitatis abyſſo operatus eſt atque patefecit. Scilicet, ipſum

Joan. 1. Dei VERBUM, *per quod omnia facta ſunt, quod eſt ab initio cum Deo, quod eſt* DEUS, *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris*, omnipotens, immenſus, æternus & æternùm benedicendus, CARO FACTUM EST; ac gloriam ſuam æternam nobis abſcondens,

Phil. 2. 7. *exinanivit ſe & humiliavit ſe*, factus homo hominum humillimus, parvulus infantulus fari ac ſeſe regere impotens, commiſſus regimini Sapientiæ Divinæ in virguncula ac fabro vigentis, vixitque in omni ſimplicitate, in abnegatione ſui, in omnis generis privationibus, mundanæ ſapientiæ, abundantiæ & voluptatum; in contemtu, in doloribus animæ & corporis, in quibus poſtquam mori voluit & ſepeliri; reſurgens inde virtute Dei, ad glorioſam rediit unionem vitamque æternam cum Patre, & ab eo impetravit miſitque Spiritum Sanctum in cujus virtute & regimine nos ipſi quoque redeamus ad Patrem per illam ipſam omnino viam quam in conſpectu noſtro calcavit & nobis com-

(a) Joan. 14. 6. mendavit Filius, dicens, (a) *Ego ſum via, veritas & vita: nemo venit* neque redit *ad Patrem niſi per me*, hoc eſt, nemo fit idoneus

(b) 1 Petr. 2. 1, 2. & dignus qui iterum uniatur cum Deo (b) *niſi depoſitâ omni malitia & omni dolo*, omni ſuperbia, omni propria ſapientia, ac vana ratiocinatione, omnique naturæ corruptæ philautia & cupidine, naſcatur denuo in infantili ſpiritu Chriſti, niſi ſe quiſque reddat ac tradat Spiritui Chriſti, Dei noſtri, ut in nobis ſecundario quo-

(c) Gal. 4. 19. dam modo, vivo tamen ac vero, incarnetur, ut (c) *formetur in nobis*, ut mentem, facultates & omnia noſtra ſibi ſumat, faciatque & operetur in illis (in unoquoque pro ſua menſura) omnia quæ in ipſius Chriſti humanitate fecit & operatus eſt: ita ut ſimus per eum & in eo *parvuli infantuli quaſimodo geniti*, nihil ſcientes niſi *concupiſcere* ac petere continue à Sapientia Dei *lac ſinceruum illud* & λογικὸν, (vim & robur Dei vivificum in Spiritu & verita-

ritate,) quo ὁ λόγος ϗ θεὸς, *verbum caro factum*, nutriebatur, *ut per id creſcamus* in eodem Verbo incarnato, participantes ejus vitam & Spiritum exinanitionis humillimæ, ſimplicitatis, afflictionum, infamiæ, mortis, ſepulturæ, reſurrectionis, adſcenſioniſque ad cœleſtia in quibus porro ſit cum eo cor noſtrum & converſatio noſtra, unde & per eundem Spiritum ejus S. in nobis tunc ſine impedimentis dominantem, omniaque bona in nobis plenius operantem, deinceps procedant cognitio & ſcientia & virtus noſtra, & regimen, & verba, denique omnia, ad gloriam Patris per Chriſtum in eo Spiritu tendentia, uſque dum mortalitatis noſtræ reliquias abſorbeat ille omnipotens in æternam gloriam. Hæc, hæc eſt vera illa ac cœleſtiſſima RELIGIO CHRISTIANA, in Scripturis ſacris atque etiam ab Auctoribus Myſticis, *Parrhaſio* inviſis, tantopere commendata, quâ vero ſola in ruborem dari poteſt miſera cordis humani ſuperbia, inſana ſapientia, ſtultaque Rationis humanæ confidentia & gloriatio in ſua impotenti induſtria, activitate, operationibus, per quas, horribili Satanæ fallacia, volunt *redire ad Patrem*, ad vitam æternam, ad perfectionem ſummam, ſtudendo, ratiocinando, philoſophando, criticando, coacervando infinitas idearum cumulos ac montes de Deo ac de divinis, de operibus naturæ & gratiæ, de factis ac geſtibus hominum, & præterea de infinitis etiam quiſquiliis ac lanis caprinis, dum habeant interim cum ſuis ſimilibus *bonos mores* philoſophicos atque honeſtos quibus magis magiſque ſua ſuperbia ſuuſque amor proprius revera nutriuntur & conſervantur: quando tamen e Sacris Scripturis debuiſſent ſcire, & deberent alta mente reponere, hæc ipſiſſima eſſe objectum illud Deo inviſum & idolum illud odioſum quod Chriſtiana Religio exterminandum ſuſcepit, & ob quod, ut nulla caro glorificet ſe, ſed ſola Dei Majeſtas in omnibus & de omnibus glorificetur & laudetur, placuit Deo, ut modo dictum, eam Religionem, ſolamque ad Patrem, ad vitam, ad perfectionem æternam redeundi viam ſtatuere unum JESUM CHRISTUM exinanitum, ac humiliatum, ſimplicem infantulum, propria ratione, propria voluntate, proprio regimine uti neſcium, neque ſe neque propriam gloriam quærentem, contemtum, patientem, morientem, reſurgentem, ac in cœleſtibus viventem & habitantem, extra cujus Spiritum & ſta-

Digitized by Google

tus participatos per fidem, ſive per traditionem facultatum noſtrarum paſſivarum Deo, in nobis incarnando, victuro, operaturo, dominaturo, non datur Religio vera, neque acceſſus ad Deum; ſed omnes in errore & via mortis ſunt, atque ad Satanam pertinent & vadunt cum omnibus Rationis ſuæ ſuperbæ ratiocinationibus, philoſophationibus, criticationibus, nugis, & ſcientiis falſis, ideis, & argutiis, perſuaſionibus imaginariis de vita altera ſperata, omnibuſque Religionis Philoſophicæ ac Rationalis *bonis moribus* & virtutibus ſuperficiariis, quæ omnia ſine fundo iſto diviniſſimæ Religionis Chriſtianæ, vel ſine contentione vera ac viva ad illum, ejuſque per fidem incœpta participatione, ſunt duntaxat revera frigidæ ſterileſque virtutum imagines ab humanæ Rationis facultate ſuperficiaria callide & induſtrie, ſæpe abſurde, ſed mortuo ſemper modo, in tabula imaginationis depictæ, nullam verò vim omnino habentes quæ faciat nos eſſe (a) *imitatores Dei ſicut chari ejus filii*; (b) *nos eſſe in hoc mundo ſicut Chriſtus eſt, ut fiduciam habeamus in die judicii*: nullam vim quæ poſſit nos ſupra naturam corruptam evehere, nullam quæ ad vivos actus in tempore tentationis producendos valeat quibus pravorum affectuum impetus deleantur, ac Amoris proprii principia tenebroſa, falſa & malitioſa ſupprimantur. Id quod optime in ſe advertere poſſet ipſe Parrhaſius, vel is qui ſub hoc nomine latet, qui ubivis crepans *bonos mores*, *amorem proximi*, *moderationem* affectuum, regulas *æquitatis*, *veritatis*, *ſinceritatis*, abſtinentiæ *a fraudibus*, *ab invidia*, *à mendacio*, & infinita moralia quæ belliſſime hic & alibi ſcit garrire; ubi tamen de ſua re cum aliquo ei adverſo agitur, omnia protinus apertiſſime paſſim violat atque perrumpit. Sed quî poſſint aliter facere illi quibus invocatio Spiritûs Jeſu ad interiorum ſuorum illuminationem atque ſanationem, perpetuàmque in ſe habitationem & operationem ſunt magis deriſioni ſub titulis *fanatiſmi*, *ſtultitiarum myſticarum*, *vacuarum imaginationum*, & *ridendarum ſpiritualitatum*, quàm *Religioni* per quam ſolam ad Dei imaginem ipſumque Deum redeatur? Det ipſis Dominus, & omnibus nobis, converti a malis viis noſtris ad vias rectas Spiritus Salvatoris!

(a) Epheſ. 5: 1.
(b) 1 Joh. 4: 17.

(18) *De vero deque falſo* Amore proximi.

18. Innuit hic Parrhaſius, eos qui norunt quid ſit *Amor proximi*, agnituros eum amorem a me in Epiſtola mea ad D. Clericum violatum eſſe, & quidem *per teterrimam malitiam*, hancque *deto-*

Digitized by Google

devotione tectam. Quiſquis ad lampadem luminis naturæ corruptæ ac Rationis nebuloſæ cognoſcere vult & judicare quid ſit *Amor proximi*, ille admodum à janua aberrat, & amorem vitiorum proximi, hujuſque infelicitatis promotionem, quando Philautiæ grata eſt, Amorem proximi eſſe putat. Si laudaſſem in D. Clerico errores ſuos, ſi adjumento fuiſſem ut eos ille quaquaverſum diſſeminaret, hoc ipſi, Parrhaſiove noſtro, eſſet verus *Amor proximi*, quando tamen veram ejus & ceterorum infelicitatem & mala eo modo reapſe promoviſſem. Lumen divinum, quod irridere iſti ſolent, oſtendit plane aliud: ac detectis erroribus in proximo pernicioſis, dictat, *veri Amoris* eſſe contendere ut ille per eorum declarationem inde liberetur: quod ſi iis liberari nolit, imo ſi velit eorumdem diſſeminatione quoſvis præterea inficere, unde vera ſalute privari poſſint; exigit *amor proximi* ut alii de iſtis moneantur erroribus, deque fraudibus per quas pernicioſa venena inſtillare & obtegere ſeducenti animus eſt. Cui quidem amori utrum mea detrahat aut adverſa ſit ad D. Clericum Epiſtola, cuivis oculato judicandum relinquo.

19. Parrhaſius objiciens cum *malitiâ devotionem*, irriſoris animum denuo oſtendit. Si ſe effecturum putet per ſcommata ſua, *devotionis exſtaticæ* ut non annitar deinceps per ea quæ ſcribo lectorum animos ad Deum ejuſque amorem ac venerationem perducere, admodum fallitur. Sit, per me, & maneat irriſor uſque ad diem ſi vult judicii, id me minime morabitur. Nullam a me devotionis ſpeciem affectari, ſciunt qui me uſu ipſo cognoſcunt. Verùm animus erat Parrhaſio criminis hypocriſeos ſingularis reum me declarare quando cum ſuâ de *devotione* ironiâ criminationem jungit *teterrimæ malitiæ*: magna namque devotionis ſpecies cum tetra malitiâ conjuncta, non poteſt non eſſe hypocriſis omnium maxime execranda. Quàm conſentanee cum *Amore proximi* agit hìc Parrhaſius! Quàm neſcit innocens vir quid ſit *alterum diffamare*, & quidem circa cordis occulta, mentiſque receſſus intimos! Scilicet decebat eum qui in vexandis ac judicandis ſanctioris antiquitatis ac recentioris memoriæ Scriptoribus laudatiſſimis oſtendit quanti momenti ipſi eſſet *Amor proximi*, & quam ſollicitè à *tetra malitia* eſſet alienus, eodem jure, eadem æquitate, cenſorem ſe ac judicem de aliorum interioribus etiam conſtituere!

(19) *De objecta a Parrhaſio* devotione *&* malitia &c.

Digitized by Google

Teterrimam illam *malitiam*, qua me reum dictat Parrhaſius, non dicit ille quid ſit, ut ſibi per omnia ipſe conſtet, animo cœco vituperans atque nihil probans. Ego pro illo iſtud dicam. In hoc ergo conſiſtit mea illa *teterrima malitia*, quod cum viderem D. Clericum & ſe ipſum & veritatem ignorare, erroreſque capitales non fovere tantum, ſed & iis orbem Chriſtianum geſtire replere: neque vero velle oblata veritate ab iiſdem ac ab eorum propagatione deſciſcere; ſed potius quotquot cum illo non conſentiunt, vel qui eum ab erroribus illis per eorum everſionem liberare conantur, omni odioſo affectu ac indeficientibus technis circumvenire: hanc ego ei diſſimulatam ſui imaginem, tanquam in ſpeculo vel in tabella per *Epiſtolam* repræſentavi; nec ipſi ſolùm, ſed & quibuſvis aliis; eamque imaginem non è mea imaginatione aut verbis meis effictam, (ut Parrhaſius ſolet) ſed ex ejus propriis factis ac ſcriptis deſumtam, citatis locorum & paginarum circumſtantiis, ipſiſque propriis verbis ſuis. Unde fit ut qui ſe neſcio quot aſtutiarum involucris velatum credebat, videatur ſibi aliiſque nudior ac vellet, licet id factum ſit in aliorum bonum, ne ab illo decipiantur, imo & in ſui emolumentum ſi vellet reſipiſcere. Verùm cum nolit ille immutari, Philautia, non ferens turpitudinem ſuam (ſibi gratam & amatam) ita denudari ac repræſentari, id non ducit pro odio tantùm; ſed &, (quia data eſt opera ut ſubterfugia ipſi præcludantur, ne poſſit evadere niſi ſe turpem agnoſcendo, ac culpam deprecando,) hoc pro *malitia* interpretatur: & quoniam probationes rei ſunt clarius in ſuis locis oſtenſæ, lux iſta ejus Philautiæ *tetra* ſunt tenebræ teterque nigror; unde *malitiam teterrimam* totum nominavit negotium.

(20) *De ſententia* AUGUSTINI *circa gratiam, à me comparativo modo defenſa.*

20. Parrhaſius ad ſpecialia quædam, ſed ſemper ſine probationibus, deſcenſurus, *malam fidem* mihi actutum objicit dum ipſe hîc ſuam denuo prodidit. In *Auguſtini* ſententia de *Gratia* (*a*) tria annotavi, 1. quod gratiam Dei in intimis noſtris ſanandis operantem ſtatuerit neceſſariam; id quod ego approbavi atque approbo. 2. quod ejus oblationem reſtrinxerit ad quoſdam tantum: 3, quod eam dixerit eſſe irreſiſtibilem: quæ duo ultima neque approbavi neque adhuc approbo. Ubinam ergo *feci eorum* defenſionem ſive *Apologiam a quibus ipſemet infinite abhorreo*, uti loquitur noſter? Faciat fidem ſuæ aſſertioni Parrhaſius ſi falleℓre

(*a*) Vid. Epiſt. ad Clericum. § VIII.

lere neſcit. Hoc vero eſt quod feci. poſtquam iſta duo ultima in Auguſtino notata, quæ abſolute improbo, *comparate* conſideravi cum ſententia D. Clerici, aſſerentis quidem univerſalem ac reſiſtibilem *gratiam*, at gratiam non gratiam, gratiam non intimam qua operante interiora noſtra ſanentur & ſalventur; ſed ſuperficiariam ſpeciem ac larvam gratiæ, quæ cordibus ſuperbis oblata, eorum ſuperbiam augeat & cum ea optime conſiſtat: hoc in caſu, remque *comparate* conſiderando, dixi, & adhuc dico, Auguſtini ſententiam de gratiæ Dei in intimis noſtris neceſſitate, veritate & ſoliditate, licet ei *error* de irreſiſtibilitate & particularitate annexus ſit, eſſe tamen D. Clerici gratia Pelagiana univerſali & reſiſtibili infinitis paraſangis meliorem minuſque noxiam. Nam gratia D. Clerici Sociniana non poteſt ſubſiſtere cum ſalute, ſiquidem non eſt operatio Dei intima animam intus ſanans; imo fovet ea & auget ſuperbiam; &, ſi dicant a Deo eam eſſe, Deum facit amicum & ſocium ſuperborum. Sententia vero Auguſtini retinet veram ſubſtantiam gratiæ ſalutaris, fundamentum ſalutis, quamvis ei unam atque alteram qualitatem minus congruam tribuat, quæ tamen qualitates eſſentiam rei ipſius non mutant, ſed difficultates duntaxat quaſdam in nonnullis ſubjectis excitare aptæ ſunt, licet non ſemper, imo & quodam ipſæ ſenſu veræ ſunt.

Qui divina Gratia ſano ſenſu irreſiſtibilis & particularis ſit: erroneo ſenſu poſſit per accidens prodeſſe: gratia D. Clerici, nunquam.

Omnis namque gratia ſenſibilis eſt *irreſiſtibilis* quantum ad ſenſum in anima, utut non quantum ad effectum ſive ad converſionem certam: deinde omnis gratia correſpondentiæ ſive mutuæ reſponſionis eſt *particularis*, & pro illis ſolis qui priori gratiæ debito modo reſponderunt. Poteſt etiam fieri, ut nonnullus opinans ſe gratia particulari & irreſiſtibili converſum eſſe, ita bono & ſimplici animo colligat; ſiquidem Magnus ille Deus omnipotens me præ multis aliis gratia ſua efficaciter & irreſiſtibiliter dignatus eſt convertere ad ſe, ergo teneor præ multis aliis eum amare ac ei nequaquam reſiſtendo obedire: idque revera faciat. Tali vero homini ſalutaris eſt (per accidens) ille defectus erroneus qui in ſua de veræ gratiæ fide ineſt: neque eſt ab illo homine temere tollendus, ne zizania bono grano adjecta eradicando, bonum granum amoris & obedientiæ ei adhærens ſimul etiam tollatur. Exſpectandum potius donec amor & obedientia creverint in eo homine ad maturitatem; & tunc lumen a Deo

mit-

mittetur, quo ſolo diſſipabitur & cadet quicquid imperfecti priùs intererat. Aſt in Pelagiana D. Clerici gratia nihil ſolidi boni ineſt, nullus inde bonus fructus neque per ſe neque per accidens ſperari poteſt: eſt enim ipſa Divinæ operationis ſalutem agentis rejectio, & aſſertio ſolùm quorumdam externorum corticum, quibus, ejecta inde medulla atque vita, cordis ſuperbiam ſtatuminant, adeoque & perditionem animæ attrahunt.

(21) *De odii objectione.* 21. Non perſonam *D. Clerici*, ut mihi ſine veritate imputat Parrhaſius, ſed ejus errores perniciosos, ac technas quibus eos propoſuit, *odio* haberi deſideravi ac deſidero; vellemque ut ab eis, præſertim a Pelagiana Gratiæ Dei rejectione & irriſione, non minus quam ab ipſo orco omnes abhorrerent; cujus quidem juſtiſſimi deſiderii cauſas omni pondere graviores qui videre volet, inveniet eas (*a*) alibi a me expreſſas. At ii, quorum Philautia in dogma tranſiit, & quorum ſuperbia in corruptæ Rationis potentia & vi fundata eſt, unam eandemque rem putant eſſe *odium* erroris ſui, & odium perſonæ ſuæ: amant enim ſuum errorem ut ſeipſos, ſuamve Rationem propriam.

(*a*) Vid. ſupr. *in general.* à §. 10. *ad* 16. Item. *Oecon. Div. Lib. V. cap.* 1.

(22) *De Auguſtini ſententia circa coactionem, etiam per pœnas. In ea non agi de rebus fidei; ſed de rebus externis & diſciplinæ.* 22. Pervertit hîc iterum Parrhaſius ſuis modis ac verbis id quod in D. Clerico Auguſtinum vituperante reprehenderam in Epiſtolæ meæ §. VIII. Annotavi, cum magnis quibuſdam Viris, in negotio *Donatiſtarum* atque in ipſa *Auguſtini ad Vincentium* ea de re Epiſtola non agi de rebus fidei, de dogmaticis quibuſdam circa fidem articulis, ad quos pars altera, alteram compellere voluerit; ſed de externis rebus diſciplinæ Eccleſiaſticæ ac Politiæ, quibus ſi quis poſtea diſſenſus circa nonnullorum veritatem acceſſerit, id totum in diſſidio circa rem diſciplinæ fundabatur. Donatiſtæ rem totam ad Imperatorem, Imperator ad Epiſcopos, illi iterum iterumque ad Imperatorem detulerant, utrum Cæcilianus, Carthaginenſis Epiſcopus electus, eſſet criminoſus, imo & deinde utrum pariter ii qui illum elegerant? in iſta culpatione neutiquam de Orthodoxia agitur aut hæreſi. Partibus ſæpius auditis, accuſati declarantur innocentes, Cæcilianus legitimus Epiſcopus, cui, ejuſque ſucceſſoribus, illi externam quæ Paſtoribus ſuis debetur, obedientiam & ſummiſſionem Eccleſiaſticam jubente ipſo Imperatore præſtare teneantur, Renuunt; & refractarium cœtum ſive ſchiſma adverſus Eccleſiæ pacem & obedientiam a Poteſtatibus injunctam propterea

ſuſci-

ſuſcitant. Dividuntur deinde ipſi in duas potiſſimum partes, alteri, qui Circumcelliones poſtea dicti ſunt, furore mentis agitati, ad ſeditiones violentas, ad vim, imo & ad cædes provolant; alteri quietiores, ſed & decretis Cæſareis refractarii manent. In illos accedunt novæ leges ut pro commerita culpa inquirantur & puniantur: Auguſtinus vero hîc ut ardentiſſimus Interceſſor & advocatus ſeſe pro illis geſſit, uti ejus Epiſtolæ teſtantur, idque cum laude agnoſcunt omnes, vel ipſe Grotius, cum Eraſmo aliiſque viris doctiſſimis. in hoſce vero qui ſolùm refractarii erant, ſtatuitur ut ad pacem, ad unitatem, ad juſtam obedientiam ipſi redirent, vel bona ſua fiſco addicerentur. de quo verò ita conquesti ſunt: *neminem debere cogi ad juſtitiam*; (verba ſunt Vincentii,) *neminem ad* UNITATEM *eſſe cogendum*. Id illis negavit Auguſtinus, defenditque, illos (refractarios) per ejuſmodi leges Poteſtatum recte cogi poſſe ad pacem, ad unitatem, ad juſtam obedientiam atque diſciplinam pro tranquillitate Eccleſiæ, quamvis ipſemet tamen antea mitius cenſuiſſet. Neque eis ille aliam objecit hæreſin ut hîc, ſic & in Tractatu (*a*) de hæreſibus, quàm quod ob crimina non probata quæ Cœciliano impegerant, externam tranquillitatem Eccleſiæ turbaverint: neque ipſi conquesti ſunt ſibi doctrinas circa fidem credendas injungi. Provocatur D. Clericus cum omni ſua critica verſutia, ut hoc in negotio aliud quid, quantum ad rem ipſam, inveniat vel detegat unquam.

(*a*) Cap. 69.

Quo ſenſu hic verba veritatis, erroris, &c. *ſint capienda.*

Nam ſi quæ poſtea de Eccleſia natæ ſunt controverſiæ, utrum ea corrupta ſit atque defecerit, communicando cum iis quos criminoſos eſſe contendebant Donatiſtæ, id tantum obtentus erant rebellionis ſuæ, in cauſa illa Cœciliana ſolùm fundatæ. & quamvis loquatur interdùm Auguſtinus de coactione *ad veritatem amplectendam*, vel *ad errorem deſerendum*; veritas illa eſt *veritas cauſæ* & *facti* deciſi, ſcilicet quod *verum* ſit quod Cœcilianus ſuæque partes, hoc eſt, ipſa Eccleſia, non ſint criminoſi ac traditores, ſed vere innocentes: tum quod Donatiſtæ, qui negotium ad Judicem Imperatorem detulerant, id debeant agnoſcere ex *vero* & æquo deciſum, ſaltem agnitione externa, ordinem Eccleſiæ externum propterea non conturbando: quin potius accuſationis ſuæ *errorem*, judiciumve ſuum de Cœciliano *falſum* agnoſcendo & relinquendo; vel ſaltem gerendo ſe externe, pro ſervandâ diſci-

Digitized by Google

plinâ in tranquillitate, quaſi id agnoviſſent & reliquiſſent: quod ſane quotidie in rebus fori externi jure exigitur & jure præſtari debet a quibuſvis qui aliquo in negotio condemnantur licet non crederent ſe juſte condemnatos. Huc autem totum redit quod Auguſtinus de coactione ac pœnis ea in re tuetur *ex eventu*: has pœnas, hanc coactionem, ſæpe efficere uti ad ſe redeant refractarii, agnoſcantque *errorem* ſuum, ſe in culpa, alios, quos criminabantur, innocentes eſſe; proinde, ad ejuſmodi innocentiæ *veritatem* agnoſcendam prodeſſe coactionem ac pœnas.

D. Clerici abſurda interpretatio Critica in Auguſtini Epiſtolam.

Quid nunc hîc in Auguſtinum moliri contendit D. Clerici Critica, verarum illa interpretationum clavis primaria, ſi non una, ſine qua verò ſit nefas audere aliquid interpretari? Primo, ait (*a*) *inveniri in Epiſtola Auguſtini ad Vincentium Apologiam abominanda hujus doctrina*, ſcilicet, (*b*) *licere cogere conſcientias, & perſequi propter Religionem*. Atqui ſi hîc per *perſequi propter Religionem*, aut *cogere conſcientias*, intelligat D. Clericus perſecutionem & coactionem quæ idem ſint ac compellere Magiſtratus auctoritate refractarios ad tranquillitatem, ad ordinis & diſciplinæ obſervantiam erga præfectos & proximos ſuos, uti hic intelligi debet, ridicula eſt omnino iſta criſis, niſi ſi calumnioſa ſit dicenda, quæ tale quid appellet *abominandam doctrinam*, item, *cogere conſcientias*, & *perſequi propter Religionem*: ſumque certiſſimus Remonſtrantes ipſos, ſi in Synodo Dordracena de quinque articulorum doctrina fuiſſet altum ſilentium, ſi quæſtio tota in eo verſata fuiſſet, utrum Paſtor aliquis vel Profeſſor eſſet criminoſus, an innocens declarandus; inſonſque declaratus a Synodo, etiamque a Magiſtratu ipſo, num Remonſtranticæ Partes ei judicio conſentire deberent, neque propterea ſchiſma facere niſi pœnis ad unitatem & pacem Eccleſiæ vellent cogi; certiſſimus ſum, inquam, futurum fuiſſe ut eo in caſu illi in ſententiam unitati faventem toti iviſſent, ac præterea ex animo conceſſiſſent, refractarios poſſe à Magiſtratu ad unitatem vel ſub pœna cogi: riſiſſent autem ſi qui ex ſuis illud D. Clerici objeciſſent, illud eſſe *cogere conſcientias* & *perſequi propter Religionem*. Faciat vero D. Clericus periculum, & petat ab illis, annon juſta & legitima fuiſſet Grotii & primorum Remonſtrantium vexatio, vel, ſi velit, perſecutio ſive coactio, ſi duntaxat id ab iis poſtulaſſent Synodus

(*a*) Defenſ. des ſentim. p. 367. (*b*) ibid. p. 365, 366.

dus atque Magiſtratus, uti Gomarum vel Gomariſtam aliquem recognoviſſent pro non criminoſo homine, ſed pro legitimo Paſtore vel Profeſſore Leidenſi; ita ut propter eam rem Schiſma non facerent, neque totam Eccleſiam Reformatam dicerent deſiiſſe veram eſſe Eccleſiam, quod tamen poſtulatum illi præfracte recuſaviſſent? Videbitque vel audiet ipſe ſuos illico affirmantem ſententiam, quæ Auguſtini ipſiſſima eſt ſententia, ſimiliſque caſus, amplexuros eſſe.

Verum quoniam Auguſtinum volebat D. Clericus inviſum & odioſum omnibus reddere, quò odium illud in ejus doctrinam de Gratiæ internæ neceſſitate adverſus Pelagianos adſertam recideret; ſupponendæ ei ad hoc erant res quædam iniquæ ac ſimul etiam admodum omnibus odioſæ. Impoſuit ergo illi, ſententiam illam ſuam, de coactione ac pœnis, reſpicere res fidei, res dogmaticas, rem (a) *doctrina inſtitutioniſque per vim* communicandæ. quod quàm falſum ſit, vel è ſola ſubjecti de quo quæſtio erat, naturâ pateſcit, vel ab ipſis etiam Auguſtini quæ D. Clericus in rem ſuam adducit (b) exemplis, *legum* ſcilicet *conditarum adverſus ſacrificia Paganorum*; tum, *Chriſti Judaeos flagellantis*, *Apoſtolorumque homines poteſtati Satanæ tradentium*: in quibus Sole clarius eſt neutiquam de *doctrina* agi: non enim ſtatuunt illæ leges, Gentiles debere idololatricas *opiniones* ſuas in Chriſtianas opiniones mutare: nec flagellavit Judæos Chriſtus ut illos cogeret ad credendum ſe Meſſiam eſſe: neque Apoſtoli nonnullos Satanæ poteſtati tradiderunt ut ad Chriſtianam fidem hoc modo impellerentur: Sed in omnibus hiſce caſibus agitur tantum de coërcendis ac in ordinem redigendis actibus quibuſdam externis ac publicis qui vel adverſus principia ab hominibus illis agnita & admiſſa, vel adverſus cultus externi decentiam, aut adverſus ipſam ſaniorem naturam, virtutemque ac probitatem repugnabant. Equidem non mihi aſſumo exempla aut ratiocinia Auguſtini omnia, utrum ad rem ſatis ſint appoſita, defendere: at ſufficit rei ipſius tenere vim & ſubſtantiam, quæ tota huc redit, agi hic minime de doctrina atque opinionibus; ſed de actibus externis quibuſdam duntaxat ac publicis.

Falſa imponit Auguſtino, & falſiora inde concludit.

(a) Defenſ. des Sent. pag. 367.

(b) Defenſ. des Sentim. pag. 367, 368, 369.

Ita ut immenſum à janua aberret D. Clerici Critica, quando poſt ſubjectum aliud hac in re falsò ſuppoſitum, tribuere deinde annititur, nec profecto ſine tetra malitia, malitiam pluſquam

(*a*) Clerc. Defenſ. des Sentim. p. 369. 370.

quam Diabolicam Auguſtino ſuiſque ſimilibus, (*a*) quaſi illi *delectarentur damnationem* aliquorum æternam *procreare* pœnis eos capitalibus afficiendo *ob* OPINIONES *ſuas damnatione dignas dum in ſtatu ſunt damnationis eo tempore cum occiduntur.* Videte, quæſo, quouſque extra oleas evagetur ſacer iſtiuſmodi Criticorum livor, an furor! Nec ſatis, niſi etiam publicæ tranquillitatis ac ſecuritatis everſionem ex eo concluderet idem: (*b*) *ex Auguſtini* ſcilicet *principiis fluere conſecutiones omnino in hoc pernicioſas, quod* CUIVIS *potentiori* (fortiori) *dent* JUS *perſequendi alios: ſi quidem* UNUSQUISQUE *perſuaſus de ſuarum* OPINIONUM VERITATE, *quodque alii ſint in* ERRORE, *tenebitur inde* CONSCIENTIA *ſua eos perſequi, ut ſcilicet eoſdem a ſua retrahat aberratione.* qua in Critici novi conſequentia, duo vel tria falſa ponuntur: primo, hic agi de fide, de opinionibus, de erroribus mentis, quod omnium Critici falſitatum fundamentum eſt: ſecundo, poſita fuiſſe ab Auguſtino ſuiſque principia e quibus ſequatur jus per vim agendi unicuique competere, ſive ad ſingulos extendi: &, tertio, hoc ipſum jus eſſe in conſcientia fundatum. Atqui clariſſimum eſt neque dictum neque permiſſum unquam fuiſſe hoc in negotio ut unuſquiſque vi & pœnis adverſus refractarios iſtos uteretur; multo minus ut id veluti e conſcientiæ dictamine exſequeretur: ſed legitimæ illæ adverſus externos refractarios pœnæ cogentes committebantur tantum quibuſdam à Summa Poteſtate ad id delegatis, qui ſoli eas non pro *conſcientia* ſuæ inſtinctu, ſive prout bonum iis videretur, ſed ex *lege* lata & ad præſcriptum edicti publici debebant infligere, ut vel pueris ſine ullius artificioſæ Critices ope evidentiſſimum eſſe poſſit. Quid ergo peccavit adeo Auguſtinus quod a Critico debeat tam falſo, tam tetre, omnium ſummo horrori atque exſecrationi publice proſtitui? Hoc unum. Pelagianus non fuit ſanctiſſimus Præſul: ſed eorum & Socinianorum principiis immenſum oppoſitus. Ergo per Criticæ Pelagianæ artem ac calliditates crucifigendus.

(*b*) Idem ibid. pag. 370.

(23) *De inſultatione Parrhaſiana Poireto facta*, non debere eum ſibi arroga-

23. Verumenimvero, quid hac in re Poiretum tam diu audinamus, qui, aſſerente Parrhaſio, *nihil* hic *intelligere* idoneus eſt? *Non debet*, inquit, *ſibi arrogare D. Poiret de iis loqui quæ non intelligit.* Quare vero non intelligit ille Auguſtini ad Vincentium Epiſtolam aliquam? quia neſcit Criticam: *non vult Criticæ dare operam*: imo eam etiam contemnit, vel *à ſe contemni ſimulat.* Hoc ipſum

Digitized by Google

ipſum eſt quod alicubi (*a*) jam obſervaveram, iſtos pædagogos operoſe admodum & veluti magnum quid agentes, ea, quæ alioqui ſunt hominum omnium qui communi gaudent ſenſu, erigere in Artes Syſtematicas, quibus vero minutula quædam alia, ſæpius futiliſſima, aſſuendo, dant ſpeciem Artis novæ, ſibi ſolis, ſi Dîs placet, ſervatæ ac cognitæ, ut poſtea quando aliqua in re ad incitas redacti erunt, pro effugio dicant, rem iſtam ejuſve intelligentiam, pertinere ad artem illam ſuam ſibi ſuiſque propriam, aliis, propterea minime audiendis, incognitam atque contemtam. Scilicet diſcernere neſciet homo plebejus utrum paleam an frumentum venditet Parrhaſius, quia de illis criticè neſciet diſſerere! Nemo igitur ante benedictum Syſtema Artis Criticæ D. Clerici fuit idoneus qui hæc Auguſtini ad Vincentium verba totum rei argumentum explanantia intelligeret: *Illos hinc arguimus: quia apud Imperatorem ultro Cæcilianum accuſaverunt quem prius apud Collegas tranſmarinos convincere debuiſſent. Ipſo autem Imperatore longe ordinatius agente, ut Epiſcoporum cauſam ad ſe delatam ad Epiſcopos mitteret, nec victi* PACEM *cum fratribus habere voluerunt; verum etiam datos ſibi Epiſcopos judices, apud terrenum Regem accuſaverunt. Rurſus ab alio Epiſcopali judicio ad eundem Imperatorem appellaverunt; ne eo ipſo* [Imperatore] *inter partes cognoſcente atque* JUDICANTE, *vel veritati* [de innocentia Cœciliani & ſuorum] *vel* PACI *cedendum eſſe duxerunt.---- Ille quippe Imperator* [Conſtantinus] *primus ſtatuit in hac cauſa, ut res convictorum &* UNITATI PERVICACITER RESISTENTIUM *fiſco vindicaretur. Sed videlicet ſi veſtris majoribus accuſantibus atque ſuperantibus, contra communionem Cæciliani Imperator tale quid decreviſſet, proviſores Eccleſiæ, defenſores* PACIS ET UNITATIS *nominari velletis: cùm verò in eos qui ultro accuſantes nihil probare potuerunt, nec oblato ſibi gremio* PACIS *quo correcti exciperentur conſentire voluerunt, ab Imperatoribus decernuntur, indignum facinus clamitatur; neminem ad* UNITATEM *eſſe cogendum; malum pro malo nemini reddendum eſſe contendunt.* Item hæcce ex Epiſtola ad Bonifacium, cui quærenti, utrum Donatiſtarum error eſſet in dogmatibus, veluti error Arrianorum; reſpondet Auguſtinus: *Donatiſtæ unam Trinitatis ſubſtantiam confitentur, ---- dicunt omnino quod Catholica credit Eccleſia: nec ipſa cum illis vertitur quæſtio; ſed* DE SOLA COMMUNIONE *infeliciter litigant, & contra* UNI-

re intelligentiam *ſenſus Auguſtini; quod* Criticam *neſciat.*

(*a*) De Erud. Lib. II. §. LIV. num. 12. & Lib. III. §. LXIII.

TATEM *Chriſti rebelles* INIMICITIAS *perverſitate ſui erroris exercent.* ---- *Agnoſcunt nobiſcum Chriſtum* uti eſt *in Scripturis*, -- *at teſtimoniis divinis*, [de unitate & pace Eccleſiæ] *ſuas* LITES *præferunt*, *quia in cauſa Cæciliani*, *quondam Eccleſiæ Cartaginenſis Epiſcopi*, *cui* CRIMINA *objecerunt quæ nec potuerunt probare nec poſſunt*, *ſe ab Eccleſia Catholica*, *hoc eſt*, *ab* UNITATE *omnium gentium*, DIVISERUNT. Nonne hæc, & ſimilia quæ ſunt in illis Epiſtolis, profundiſſima ſunt ænigmata ad quæ non ego ſolum, ſed & omnes qui D. Clerici atque Parrhaſii Critices oleo peruncti non ſunt, hoc eſt, omnes ferme Theologi, Juriſconſulti, Medici, Philoſophi ceterique Eruditorum, penetrare non poſſint, *neque* adeo *ſibi* cum Poireto *arrogare debeant de iis loqui quæ non intelligunt*? Quem verò non pudeat toti fere Doctorum Reipublicæ tam parum modeſte per vaniſſimam Artis ſuæ oſtentationem ita inſultare, & quidem per hujus ſuæ oſtentationis ac jactatæ Critices peritiæ ſpecimen adeo abſurdum & ridiculum? Scilicet arrogantia fuerit omnibus ſimilem Criticam peritiam atque D. Clericus vel Parrhaſius non poſſidentibus, quod velint *ſe immiſcere negotio* (ut ait) hæcce interpretandi, atque dicendi, per ea hoc ſignificari, „rem aliquam facti, quæ reſpiciebat tranquil-„litatem Eccleſiæ, deciſam eſſe vel ipſis accuſantium partibus „urgentibus, ab Imperatoria auctoritate: pacem primo, & uni-„tatem eis eſſe ab illo injunctam: partem vincentem accuſato-„ribus eam obtuliſſe: accuſantes fuiſſe refractarios: pœnam id-„circo, niſi paci ſeſe reddant, ab Imperatoribus ut Judicibus „eis eſſe impoſitam. Verum, quanti eſt criticè ſapere! deleatur temeraria hæc interpretatio quæ ſine Parrhaſii Critica in medium prodire auſa eſt; &, dictante hac nova Magiſtra, quæ ſola oculos habet, reſcribatur pro interpretamento, per iſta ſignificari, negotium eſſe de fide, de doctrina, de articulis & opinionibus dogmaticis; ac ſanciri hocce Imperatorio judicio & ejus Auguſtiniana approbatione, jure teneri unumquemque ex conſcientia alios perſequi ob opiniones & doctrinas cum ſuis non convenientes.

Quid autem ſi Poiretus, in ſenſu quem verbis ac orationi Auguſtini aſſignat, non ſit ſolus: ſed habeat, præter naturalem orationis ſignificationem, & rei geſtæ hiſtoriam, Patronos ſen-

tentiæ ſuæ vel ab ipſo D. Clerico non ſemel laudatos, eoque teſte, non parum eruditione præſtantes atque conſpicuos? In Epiſt. ad D. Clericum Eraſmum adduxi atque D. Claudium, inter Proteſtantes Gallos dum viveret Theologum primarium. His nunc adjungam & duos alios Celeberrimos Leidenſes Theologos, DD. Spanhemium & Witſium, quibus utrum Parrhaſius *Critices* ignorantiam, & *arrogantiam ſeſe immiſcendi in iis quæ non intelligant*, objicere velit, ipſe viderit. Audiamus Cl. Spanhemium; is in Hiſtoria Chriſtiana Sec. V. oſtendens male Pontificios ad Proteſtantium oppreſſionem ac coactionem ſententia Auguſtini in cauſa Donatiſtarum abuti, ait: (*a*) *Donatiſtæ legibus coërcendi fuere tanquam* SEDITIOSI: *nec enim* EX ULLO FIDEI CAPITE *diſceſſerant, nec* FIDEM *nuper introductam accuſabant, quam ſcilicet aſſererent Catholici, nollent autem aſſertam demonſtrare. --- Etiam cum indulgentiâ Impp. ſæpe invitati, --- poſtquam ſponte citra cauſam* FUNDAMENTALEM *& pertinaciter ſeceſſiſſent. Præterea ad immanes* VIOLENTIAS *converſi.* Cl. autem Witſius ubi longam illam & intricatam Donatiſtarum hiſtoriam breviter & ordinatim in ſuis *Miſcellaneis Sacris* complexus eſſet, totum negotii nucleum his verbis incluſit: (*b*) *Donatiſtæ cum Catholicis in Africa,* EANDEM *profitebantur* FIDEM, EUNDEM *habebant divini Numinis* CULTUM, *iiſdem utebantur & Sacramentis & ceremoniis,* NEQUE SUPER HAC RE ULLA *intercedebat* CONTROVERSIA. SOLUMMODO *quærebatur de Ordinatione Cæciliani, quam illi contendebant via atque ordine non eſſe peractam, eaque re univerſam Eccleſiam Africanam communicatione criminis ita eſſe pollutam, ut Eccleſia Chriſtianæ elogio & privilegiis exciderit: neque Africanam modo Eccleſiam, ſed & transmarinas ceteras cum ea communicantes. --- Hæc* UNICA *fuit, quam ipſi obtenderunt ſeparationis* CAUSA. Poſt eas rationes, poſt eos teſtes, poſt rem ipſam quæ per ſe loquitur, fateor ingenue non audere Poiretum, ſingulariſſima D. Clerici Critica minime utentem, *ſibi arrogare* ut talem qualem ille interpretationem, de perſecutione ſcilicet ob fidem ac opiniones permiſſa, e verbis Auguſtini eliciat; imo Poiretum *minime curare*, quin & ei ſummopere *eſſe contemtui*, dicam & horrori, talis naturæ, genii, indolis Criticam, quæ è librorum contextu ſciat ejuſmodi elicere interpretamenta quibus rerum ſignificatarum vis & ſubſtantia enervatur, infringitur, ever-

(*a*) In Oper. Tom. I. pag. 1020.

(*b*) Miſc. Tom. I. p. 817. &c.

Digitized by Google

evertitur, & contrarium omnino in earum locum ſubſtituitur. quam vero artem horribilem audere & ad ipſas etiam omni veneratione dignas Dei Scripturas adplicare, atque ita per eam adoranda Dei myſteria, mentem & ſenſus, delere ac deſtruere, calamitas mihi videtur omni ſtupore ſuperior, digna proinde quæ perditis ultimorum ſeculorum hominibus fuerit reſervata.

(24) *De contemtu* CRITICES *mihi objecto.* *Eam à me non contemni abſolute.*

24. Neque tamen propterea velim *contemnere* interpretationis veriora principia, imo neque ipſam etiam *Criticam ſanam*, quæ ſuis ſe, uti decet, limitibus continet. Æſtimo illam utique quantum & opus eſt, & meretur ipſa res; neque vero quid ea ſit, & quî a falſa Parrhaſii Critica diſtinguatur, mihi adeo eſt incognitum: quod nunc quidem paulo explanatius libet oſtendere, ſipote id nonnullis utile eſſe poſſit, vel ipſe Parrhaſius in ſuis de ignorata ab aliis Critica inſultationibus adeo vanis, & homine non turgida ſui philautia excœcato adeo indignis, inde reddi modeſtior.

Circa hoc tria oſtendenda.

Oſtendam igitur primo, vel ex ipſo D. Clerico, mihi non debuiſſe a Parrhaſio vera interpretationis è Critica Principia denegari, nedum exprobrari deeſſe ea vel ad unam aliquam facilem ſatis Epiſtolam interpretandam. Deinde evincam ipſam D. Clerici Criticam, quam tantopere oſtentat Parrhaſius, vel in ipſiſſima quam dedit ille definitione ſua falſam eſſe. Tandem proponam de vera & falſa Critica, principia quædam ſolidiora ipſi Parrhaſio & D. Clerico non adhuc cognita vel cogitata, quibus evidens fiet, quid in fundo ſua ſit Critica; quænam porro illa ſit quæ ut decet æſtimari meretur; quænam contrà digna ſit *contemni*, atque ut futilis & ſpuria omnino rejici.

PRIMUM. *D. Clericum contradicere Parrhaſianæ adverſus me inſultationi.* (*a*) Biblioth. choiſie. T. IV. pag. 145.

Ad primum, utar ipſis D. Clerici verbis in Bibliothecæ ſuæ ſelectæ Tomo IV, ubi dicit: (*a*) *Principia generalia atque infallibilia veræ Critices, ſive artis intelligendi antiquos, & conſequentias eorum eliciendi, in Logica comprehenduntur.* Atqui vel hoc ſaltem poſſit ſibi ſine arrogantiæ crimine ſumere Poiretus, ut putet, Logicam non minus ſibi quam Parrhaſio cognitam eſſe, imò ſe potuiſſe in ea nonnullos inſtruere antequam Parrhaſius Latinam orationem interpretari, vel forte legere potuit. Si ergo vera ſunt modo laudata D. Clerici verba, ſique Parrhaſius ab eodem non diſſentit, non eſt profecto cur in me deſideret *principia generalia atque* certiora (malim dicere quam *infallibilia*) *veræ Critices,*

ſive

Digitized by Google

ſive artis intelligendi antiquos, & conſequentias ex eorum dictis eliciendi. quod pugnat in minus modeſtam cenſuræ Parrhaſianæ exprobrationem.

Verum innititur forte Parrhaſius definitioni Critices a D. Clerico in principio ſuorum de *Arte Critica* voluminum datæ, ſecundum quam non paucos, meque inter eos, facile ſit excepturus ex eorum numero qui principia interpretationis poſſident. Hoc ſi ita eſſet, ab illa definitione ad hæcce D. Clerici modo dicta verba provocarem, quæ ſi vera ſunt, uti ſunt, oportet ſane Definitionem è qua contrarium ſequeretur, falſitate aliqua laborare. Ecquæ vero illa Definitio? (a) CRITICEN *vocamus*, inquit, *Artem intelligendorum Veterum Scriptorum, ſive numeris adſtrictâ, ſive ſolutâ Oratione utentium; & dignoſcendi quænam eorum genuina ſcripta ſint, quæ ſpuria.*

SECUNDUM. *Examen* Definitionis CRITICES *a D. Clerico datæ, in qua quatuor vel quinque defectus oſtenduntur.*

(a) Art. Crit. Vol. I. pag. 1.

Et ſane hæc Definitio non uno tantum infirma eſt falſo. Primo, ſi inter VETERUM SCRIPTA de quibus hîc, ea complectitur quæ divinitus inſpirata ſunt, falſum eſt eorum intelligentiam per Criticam, imo per ullam artem humanæ Rationis, nedum Rationis ut corruptæ, recte intelligi poſſe. *Nihil iſthac opus eſt arte ad hanc rem quam paro: ſed fide & taciturnitate*, (ſive fidenti ſilentique corde & intellectu, ac internis & tacitis precibus,) poſſit vere dicere de intelligendis ſuis ſcriptis quivis ſcriptor ſacer. Certe, ab omni veriſimili alienum eſt Scriptores ipſos ſacros in hac prima ac momentoſiſſima quæſtione de ſuorum ſcriptorum intelligentia, nos reliquiſſe in dubio. Quid vero ea nos de re docent? Millies provocant ad divinam illuminationem, ad donationem Spiritus Sapientiæ, ad oculorum per Deum apertionem, ac revelationem, ad internam Spiritus Dei unctionem & inſtitutionem, quæ omnia obtinenda ſint a Deo per continuas cordis ſeſe ſuumque intellectum humillime coram Deo exponentis, ſuam cœcitatem, tenebras, impotentiamque propriam Deo confitentis, ejuſque auxilium implorantis orationes ſive preces in fide offerendas; perque fidelem eorum quæ jam ejus dono cognoſcuntur, executionem ac praxin. Oſtendat D. Clericus ad hancce Librorum Divinorum intelligentiam commendari in ſacris ineptiſſimam iſtam Criticam uſque adeo, imo unice, ab ipſo millies atque millies paſſim decantatam, quam quidem potius & conceptis verbis & re ipſa in Scribis ac Doctoribus Judæorum

Vid. 1 Cor. 2. v. 11-16. Sapientiumque hujus Mundi damnavit non ſemel Spiritus Dei, & cujus effecta in ſcriptis D. Clerici omnes conqueruntur eſſe ipſam potius Scripturarum deplorandum in modum enervationem & everſionem, quam earum veram interpretationem.

Secundo, ſi per *Veterum ſcripta* intelligat Definitio libros non a Deo quidem ita ſingulari modo inſpiratos, ſed tamen à bona, pia & ſancta voluntate quorumdam exaratos, quales ſunt multa, quæ dicuntur ſpiritualia volumina de rebus divinis ac ſacris; falſum eſt quoque eorum ſubſtantiæ intelligentiam ab arte Critica pendere, vel per eam obtineri: pendet illa a bonitate cordis a Deo tacti conjuncta cum ſenſu communi & cum notitia vulgariori linguæ qua vel ſcriptor vel interpres aliquis ejus bona fide & communi induſtria præditus, uſus eſt. Atque hoc adeo verum eſt, ut vel de ipſa Scripturæ intelligentia, quantum ad ſubſtantiam ſaluti neceſſariam, agnoſcat D. Clericus eam ſine difficultatum criticarum diſcuſſione intelligi poſſe; eamque ita in libris ſacris proponi ut ignorari non poſſit, ne a ſimplicioribus quidem. Ex qua obſervatione ſequitur, libri cujuſvis pia & divina tractantis, adeoque & librorum S. Auguſtini qui in ſpiritu humilitatis, amoris, & gratiæ Dei ſcripſit, mentem & ſenſum ſolidum magis intelligi poſſe à quovis Lectore benevolo, humilitatis, charitatis ac gratiæ cupido, quam vel a ſubtiliſſimo quovis Critico malevolo, gratiæ Dei, humilitatis, ceterarumque S. Auguſtini virtutum ac diſpoſitionum adverſario, adeoque ad interiora ſenſa & percepta Auguſtini, quæ verbis expreſſit, plane cœcutiente. Quantum ad ſcripta profana, ſufficit quoque ad intellectionem ſubſtantiæ & corporis (ut ſic dicam) eorum præcipui ipſe communis ſenſus cum linguæ notitia communiori, ut mille experimentis conſtat: & hoc magis ad Grammaticam, item & ad Logicam, ubi ea de interpretatione agit, quam quidem ad Criticam referendum eſſet.

Sentimens Lettr. III.

Hoc pacto, pro Critices objecto ſpeciali ſive materia propria, (& hic eſt tertius in Definitione defectus, qui eſt prætermiſſionis) remanet nihil niſi *accidentia quædam minus præcipua* ſubſtantiæ rerum verbis deſcriptarum, in quibus vel delectationis ergo, vel etiam forte alicujus utilitatis acceſſoriæ gratia, minutim diſcutiuntur quæ rerum circumſtantiolas quaſdam circa vel tempora vel loca, vel aliquos etiam loquendi modos, & ſimilia, reſpiciunt: atque

Digitized by Google

atque hoc in Definitione exprimi debuiſſet, ne pro carbonibus theſauros, quos revera non habet, promitteret Critica.

Quarto, quando addit Definitio, per Criticam dignoſci *quænam ſcripta genuina ſint, quænam ſpuria*, ſi hoc de ſcriptis à Spiritu Dei profectis intelligit, fallit nos iterum. Hoc Dei & hominum Dei amantium interno lumine ac teſtimonio ſolidè conficitur. Vocem, verba, quæ Dei, quæ Chriſti vere ſunt, Dei Chriſtique eſſe vocem & verba cognoſcunt Dei oves voce illa Dei in corde percuſſæ, affectæ atque inſtructæ. Joan. 10. v. 4, 5, 14. Critica ante aliquot annos D. Clerico oſtendebat Pentateuchum non eſſe Moſis genuinum opus: eadem Critica (ſi non cum Oeconomia aliqua conjuncta) eidem poſtea contrarium oſtendit. Ipſamet eadem Libros Jobi, Proverbiorum, Eccleſiaſtis, Cantici Canticorum, nonnullaque in Pſalmorum libris, dictat adhuc ei, (ſive auctori (*a*) epiſtolarum de Inſpiratione,) non eſſe hæc digna quæ inter genuina Spiritus Dei opera annumerentur. quâ profecto in re ſeſe prorſus cœcam oſtendit Critica illa ſua, proditque magis ac magis Definitionis hujus ſuæ falſitatem manifeſtiſſimam in Objecto Divino.

(*a*) *In libro*, Sentimens des Theol. de Holl. Ep. 11 & 12.

Quinto, ad fallaciam comparata videtur hæcce de ſcriptis genuinis & ſpuriis criticè diſcriminandis in unius Critices definitione adjectio, ut ſcilicet, quia pauci ſunt inter eruditos qui iſta per ſe diſcutiant, critici noſtri, quando videbunt ſe a nonnullis ad anguſtias circa ſcripturarum vel quorumvis auctorum ſubſtantialem ſenſum redigi, poſſint ſe ab illis expedire objiciendo adverſariis, eos, quia *non dederunt operam arti dignoſcendi ſcripta genuina a ſpuriis*, eſſe critices ignaros, adeoque minime idoneos qui ſenſus Auctorum interpretentur.

His de cauſis melius fuiſſet ante omnia, CRITICAM, latiori ſenſu ſumtam, diſtinguere in tres ſive partes ſive ſpecies, in Criticam circa *ſenſum*; in Criticam circa *verba*; & in tertiam, circa *codices* ipſos: ac primam pleriſque eruditorum, ſi non omnibus, concedere; alteram reſtringere ad pauciores, qui dicuntur *Philologi*; tertiam vero ad pauciſſimos.

Et hoc modo non ſupereſſet locus pueriliter inſultandi primis illis ea de cauſa, quod in partibus quæ ſunt alterorum & tertiorum ſeſe minus exercuiſſent atque Critici omnium partium, qui tamen ipſi interdum in iis quæ ad ſe pertinent, non levi peccant igno-

Digitized by Google

ignorantia, ut vel in ipſo D. Clerico videre eſt, qui ſuſceptis nuper (1700) *Operibus Patrum Apoſtolicorum* recenſendis, paſſus eſt, non ſine Operis detrimento, pro *Ignatii Epiſtola ad Romanos genuina*, conſarcinatam aliam recudi, quòd ignoraret, licet tantus in omni Critica Magiſter, *genuinam* plus decem annis antè, *Pariſiis* (1689) a P. Ruinarto in ſuo libro *Acta Martyrum ſincera & ſelecta* pag. 695 &c. editam eſſe una cum Actis græcis Ignatii genuinis, unde a Critico perito, & Operis tanti Curatore, merito exſpectabatur deſumenda & in nova Editione inſerenda, quæ vero egregio hocce cimelio præ prima Editione ſeſe ſplendide commendaſſet. Novi eum alicubi defectus hujus cauſam rejicere in hoc, quod Liber P. Ruinarti nondum eſſet in hiſce regionibus: at excuſaſſet ſe ſincerius ſi dixiſſet ſe eum, vel hujus epiſtolæ *genuinæ* in eo Editionem, omnino ignoraſſe: namque ex Editione *Lactantii de mortibus perſecutorum* Ultrajectina anni 1692 publice patebat Pariſinum illum Librum eſſe in manibus Editorum Lactantiani libri, cui adjecerant totam P. Ruinarti Præfationem in H. Dodwellum, inde deſumtam. Quid quod Liber ille, Acta Martyrum ſincera, his in locis non ita fuerit rarus, quin eum ego, licet minime Criticus Librarius, potuerim vel inter paucos meos eodem aut altero editionis ſuæ anno oſtendere cuivis id deſideranti. Poſt ejuſmodi erratum, nonne æquum eſſet ut D. Cl. ſimilia aut minora aliorum errata ferret facilius, neque vero tam crudo modo objiceret Berolinenſibus eos in Editione *Clementis Alexandrini* tractatulum ejuſdem *Quis dives ſalvetur*, omiſiſſe, qui quinquennio duntaxat ante prodierat Oxoniæ, cum *Epiſtola genuina Ignatiana* omnino undecim annis ante Editionem Patrum Apoſtolicorum D. Clerici prodiiſſet, ac in quibuſdam Diariis facta fuiſſet ſine dubio ejuſdem mentio?

Tertium. De Critica, notabilia. Habet Parrhaſius quæ vel ad ſolam Definitionem Critices D. Clerici habui obſervanda.

Diſtinguitur. Nunc videat, ſi placet, num (præter illa quæ ſuis in locis (a) alicubi dixi) quædam veriora, ipſique forſan minus perpenſa, imo minus cognita, & quibuſvis magis utilia, de re Critica dicturus ſim.

(a) de Erud. Lib. II. §. 54 &c. & Lib. III. §.

Critica oculata, quid? Primo diſtinguo Criticam in duas ſpecies, in Criticam *oculatam*, & in Criticam *cæcam*.

Criticam *oculatam* appello, quando Critici facultates reales, quæ

quæ reſpondent rebus vel objectis de quibus agitur, ita impreſſæ ſunt & tactæ rerum in libris deſcriptarum affectionibus eſſentialioribus, ut ſuperſint tantum in rebus iis earumve corticibus, modis, aut verbis quibus notantur, minuſcula quædam & acceſſoria non ita adhuc percepta, quæ deinde ſagacitate intellectus activi debeant erui, & diductius explanari: in quo quidem ipſa natura atque exercitium Critices oculatæ proprie conſiſtit.

Criticam cæcam dico, quando Critici facultates reales, quæ rebus ſive objectis de quibus eſt quæſtio reſpondent, non ſunt impreſſæ, ut ſic dicam, tactæ neque affectæ ab ipſorum objectorum vividis ac præcipuis virtutibus: ita ut Criticus earum inexpertus ſit ac vivide neſcius: attamen audiens multa de illis verba ac ſermones, & de illis judicare volens, omnia pro imaginatione fictrice intellectûs activi ſui audacter perficiat; neget objectorum realiſſimorum ac veriſſimorum, eorumque affectionum, operationum, ſenſationum virtutes ac veritates quas non expertus eſt; chimæris eas accenſeat; ſupponat pro illis abſurda quælibet & monſtroſa; adhæreat puſillis ac minimis vel nullius momenti reculis, aut verbulis, ac circumſtantiolis, quaſi ea eſſent pondera rerum momentoſiſſima; denique omnis generis confuſas ſtructuras fabricet ac cudat, quas utcunque palpando & contrectando, dum tamen objecta vera ac ſolida non videt, admiretur ſuam palpandi & imaginandi ſolertiam, eamque cœcis ſui ſimilibus admirandam obtrudat.

Critica cœca, quid?

Ad hujus diſtinctionis explicationem & uſum pleniorem, ſciendum eſt, dari duo objectorum genera, alterum ſpiritualium, internorum, divinorum, eorumque proprietatum & qualitatum, & harumce operationum: alterum, corporeorum, externorum, phyſicorum, eorumque proprietatum & virium, ac harum quoque operationum atque ejaculationum ſive radiationum aut tendentiæ ad ſeſe per vivas impreſſiones communicandum.

Diſtinctionis hujus explicatio diductior.

Nunc quando alicujus hominis facultates ſpirituales, internæ, divinæ, pro objectis divinis, internis ac ſpiritualibus, earumque impreſſionibus factæ, receperunt in ſe his vel illis modis, plus minuſve, actionem & operationem objectorum illorum, ſuarumve proprietatum ac qualitatum, iiſque affectæ ſunt; poſtmodum vero homo ille aliorum aut ſermones audit, aut libros legit de ſpiritalibus diviniſque rebus agentes; is tunc illico, ſi modo lin-

Illuſtratur Critica oculata per ſimilitudinem ab objectis ſpiritualibus deſumtam.

Digitized by Google

guæ qua utuntur communem atque ordinariam & plebejam habeat notitiam, intelligit eorum quæ dicuntur aut ſcribuntur vim & ſubſtantiam ſcopumque dicentium vel ſcribentium præcipuum, etiamſi hi minus accurate & minus proprie, ſæpe ellipticè ac deficienti modo ſeſe exprimerent, uti ſæpe fit inter eos qui rerum magis quam verborum curam ſuſcipiunt, quique ſciunt ſe eos alloqui qui res ipſas de quibus agunt, jam experientia vel habere poſſunt vel etiam habent notas; atque adeo poſſunt intellectum ſuum intellectui ac ſenſui dicentium vel ſcribentium facile accommodare, aut in eum ſeſe veluti vertere. Et revera inter tales vel verbum unum atque alterum, licet imperfectius, ad hoc ſufficit ut ſeſe mutuo intelligant bene, totamque rei ſeriem, (quam aliter conſtituti nullis verbis, nulla critica dignoſcere poſſint) bene concipiant, atque (quod alia in re dicunt) ex ungue, ut ajunt, leonem cognoſcant, id quod graphice noſtro idiomate nominamus, *s'entendre à demi-mots*. Si vero hic nonnulla etiam ſuperſint adventitia in verbis ac loquendi modis, & circumſtantiis conſideranda, ea vero poſſunt illi faciliùs conjicere, divinare, deducere, quam poſſint quivis alii, ſuntque extra periculum, ne ſi quæ conjiciunt vel deducunt, ea adverſentur ipſarum rerum ſpiritalium & divinarum (quarum gnari ſunt) virtutibus ac veritatibus eſſentialioribus atque præcipuis, atque ita ne per acceſſoria deſtruant principalia, vel hæc illis poſtponant. quapropter eorum CRITICA in rebus ſacris a me dicitur *oculata*, quam vero minime contemnere velim, quia, licet eam illi inter acceſſoria & minus neceſſaria habeant, referunt tamen ad Dei gloriam, atque ad rerum divinarum & ſpiritalium, quantum fieri poteſt, promotionem, commendationem, & illuſtrationem.

Illuſtratur eadem per ſimilitudinem ab objectis corporeis.

Eodem modo in rebus naturalibus, ſi cujus facultates reales externæ, puta facultates videndi, audiendi, tangendi, guſtandi & ſimiles, pro objectis corporeis eorumque impreſſionibus factæ, receperunt in ſe operationes ſuorum objectorum, horumque proprietatum ac qualitatum, ita ut illis vere ac vivide affectæ ſint, oculi, puta, & lumine Solis, & objectorum cœleſtium ac terreſtrium irradiationibus ac imaginibus, variorum colorum diverſitate ornatis; aures, ſonorum diſcrepantia; lingua, varietate guſtuum, & ſic de reliquis; evidens eſt, ubi talis homo audiet ſermones vel leget libros de rebus quas facultatibus ſuis videndi v.g.

Digitized by Google

v. g. vel guſtandi expertus eſt, eum illico, ſi linguam ex uſu communiori calleat, orationis ſenſum ac rei ſubſtantiam percepturum nullo labore, quamvis ipſa loquentis vel ſcribentis elocutio non adeo eſſet accurata: imo ſi qui ſe inter ſe communicant per verba, ſint in ipſa rerum luce objectorumque præſentia, illi vel uno verbulo multa ſibi indicant & ſignificant quæ ii qui rerum viſu ac uſu deſtituti ſunt, ingenti verborum copia ſibi non poſſint reddere percepta. Præterea, ſi in rebus iſtis corporeis, aut in verbis quibus ipſæ expreſſæ ſunt, quædam reſtent minus præcipua & minus percepta adhuc vel detegenda, vel alia ex aliis deducenda induſtriæ ac Rationis ſuæ interventu, indubitatum eſt, id ab illis oculatis & præcipuorum expertis facillime omnium fieri poſſe, neque periculum eſſe eos quædam aſſumturos, confuſuros, vel deducturos, quæ contraria ſint ſolidis ac fundamentalibus de rerum ſubſtantia proprietatibus, vivo modo à ſe perceptis, quæve eas proprietates ſubvertant. non tribuent luci quæ ſunt ſonorum, nec his quæ ſunt colorum aut guſtuum, atque ſimilia, quibus viva facultatum ſuarum reclamat experientia.

At ſi aliquis vel una aliqua facultate ſua nondum uſus eſſet, hæcque objectis ſuis realibus nunquam eſſet pulſata & affecta; puta ſi aliquis clauſis oculis vel involucro impeditis natus eſſet, ſique iſtiuſmodi cœcus plures linguas doctus eſſet, Grammaticus eſſet, Logicus, Philoſophus, Hiſtoricus, plures ſermones, plures librorum lectiones audire aſſuetus; an, quæſo, poſſet ille cum omni iſto apparatu ſuo, cumque omni Rationis ſuæ ſagacitate, activitate, & idearum per illas excitatione, conſideratione, combinatione ac diviſione, concluſionibuſque inde factis, elicere inde interpretationem veram ac ſenſum ſive intelligentiam eorum quæ audivit de luce ac de coloribus, deque rerum totius univerſi cœleſtium atque terreſtrium, imo de proprii corporis ſui colorata ac lucida ſpecie? Equidem poſſet verba lucis, colorum, viſionis, pulcritudinis, deformitatis, belle pronunciare, verba illa ac voces ex idiomate vernaculo in Latinum, Græcum, Hebræum ſi vis aut Arabicum idioma reddere; phraſes phraſibus componere, dicere in hoc & illo auctore tales & toties ſe audiente & memoria tenente occurrere, eſſe junctas his, disjunctas ab illis: poſſet quoque ſermones aut libros quorum lectionem audit, ex una lingua

Illuſtratur Critica cœca per eandem ſimilitudinem à rebus corporeis deſumtam.

in

in aliam interpretari ſive vertere, & ſermonis ſive verſionis alienæ vitia quædam annotare: poſſet etiam dicere, quia id ſæpius audivit, objecta videri oculis, non calce: luce nihil eſſe jucundius; luce diem, tenebris noctem effici: corpora opaciora luce detegi & comperta fieri: oculos viſumque inter ſenſus eſſe pulcherrimos, & ſimilia ſexcenta garrire ac conjicere: imo ſi forſitan inter ſimpliciores eſſet vel inter cœcos ſui ſimiles, qui ejus peritiam vel garrulitatem magni facerent, auderet forte & ipſas res de quibus audivit & loquitur, anniti explicare, concluſiones & axiomata ex iis deducere, atque pro rerum veritate obtrudere abſurdiſſima imaginata ſua, v. g. colorem rubrum accedere ad ſonitum buccinæ, Solis lucem, qua uvæ & omnes fructus dicuntur maturari, eſſe ſaporem generalem vel condimentum aliquod de Solis ore ſuper terram effuſum in corporum poros ei recipiendo idoneos: &c. ob quas & infinitas ejuſmodi garrulitates ſi cum applauſu emolumenta quoque conſequeretur, procul dubio eo venire tandem poſſet, ut ſibi etiam ſumeret omnes de rebus ſermones libroſque auditos ſuæ Criticæ ſuoque judicio ſubjicere, de eorum verſionibus judicare, ridere eos qui dicerent ſe iſta ſine multarum linguarum notitia, ſine Logica & Critica ſua per ſolam oculorum paſſivo modo luci, Soli, objectis expoſitorum illuminationem & affectionem melius intelligere, quam ille omni ſuo Scholaſtico & critico apparatu: quos vero ipſe pro ineptis interpretibus propterea haberet, confidenter pro deliris ac fanaticis traducens quotquot aſſererent, omnes fere res univerſi, melius oculis & luce cognoſci quam tactu & contrectatione, in quibus ille ſolis, & forte in auditu, conſiſtere veram rerum cognitionem contenderet; atque ex hac cognitione, cum Logica & Critica conjuncta, veram licere omnium interpretationem ſperare & recipere. Quæ quidem omnia nemo eorum qui viſu ſunt prædıti, non videret fore nugamenta non minus falſitatis, quam arrogantiæ bullis ac vento tumida, nec niſi in hominis cœci vana opinione de craſſa ſua contrectatione, deque inſulſa ſua ſcientia Grammatica, Logica & *Critica cæca*, fundamentum habentia.

Applicatur iſta ſimilitudo ad illuſtrationem Criticæ cæ-

Eodem prorſus modo ſe negotium habet in genere rerum ſpiritualium & objectorum divinorum. Si quis vitam hominis interni ac facultates neglexit, neque ſe ad divina & ſpiritualia objecta obtulit ut eorum operationes ac impreſſiones reciperet: ſi

cujus

cujus intellectuales mentis oculi non ſunt aperti, neque viderunt lumen in lumine Dei; ſi cujus *aures* obturatæ ſunt, nec is audivit *vocem Patris*, neque doctus eſt ab eo; ſi non acceſſit *corde* ad Sapientiam Dei, neque *os* ad eam applicuit ut reciperet *lac intelligentiæ* non fraudatum ut per illud creſcat & vivat; ſi non *guſtavit* quam benignus ſit Dominus, ad quem in ſpiritu non accedat veluti ad fundamentum & rupem ſive lapidem vivificum ſuper quo omnia ſua edificet; ſi non *olfecit*, ſi non ſenſit bonum *odorem Chriſti*, ejuſque divinarum operationum, emanationum atque virtutum ſpiritualium; & tamen ille audiat externe legatque ſermones ac libros de divinis rebus agentes, quales ſunt libri divinarum Scripturarum: profectò habeat ille licet notitiam linguarum præter vernaculam Hebrææ, Græcæ, Latinæ omniumque Orientalium; ſit Logicus, Philoſophus, Hiſtoricus, convertat de idiomate uno in aliud, judicet de interpretationibus, pronunciet eaſdem voces quæ in ſacris, deque verbis, & rebus & earum circumſtantiis pro omni induſtria ſua diſſerat; revera tamen quantum ad rerum ſubſtantiam & capita præcipua omnia attinet, is nihil plane intelligit & cœcus eſt omnino, COECAQUE CRITICA ſua, quæ utut argutias quaſdam adventitias circa verba nonnulla, aut phraſeologiam, aut circumſtantiolas externas ac hiſtoricas quaſdam inter ſe vel cum aliis ſcriptoribus comparatas in medium adferre queat, *cæca* tamen eſt & cœciſſima ubi de rerum ipſarum ſubſtantia, fundamento, ſcopo, adhibitione & applicatione ad æternas ac divinas hominis immortalis & interni facultates atque animi interiora agitur. imo quando de hiſce ab hominibus oculatis fiet accurata mentio, & proponetur ſolida explicatio atque vera interpretatio, omnia illa audacter negabit ac deridebit Criticus iſte cœcus, proque ſomniis ac fanatiſmo confidenter ducet internas ac vitales divinarum operationum experientias, pro peſſimis item rerum ſacrarum ac ineptis interpretibus eos qui iſta experti in ſe, carebunt forte notitiâ aliquarum linguarum atque Philoſophiæ ſuæ & omnibus phaleris pædanticis quas ille ſummo labore in cœcitate ſua ſibi comparavit, ad quas vero, & ſpeciatim ad digniſſimam omni encomio ſtultitiæ Dominam *Criticam cæcam*, cœcioris imaginationis humanæ dignam filiam, ita provocabit, ut hanc pro una ac legitima ſermonum de rebus ſpiritualibus ac æternis Interprete, imo

cæ in rebus ſpiritualibus & divinis.

vel pro ipſo Spiritu Sancto ejuſque luminum ultimis temporibus promiſſorum abundantia admodum inſulsè, ne dicam impie, ſupponat: quod vero impudens Satanæ mendacium eſt atque ultimum commentum, cujus ope omnem vitæ ac ſpiritus Chriſtianiſmi vim reliquam, ſi qua ſupereſt, totam extinguere, omneſque in ſui Pelagianiſmi ac Socinianiſmi retia abripere poſſit. Et profecto iſtiuſmodi *Critica cœca* nihil aliud agit reipſa cum divinis quæ evolvit voluminibus, quàm negare quidem omnes divinas res, proprietates, virtutes, operationes quas in iis non capit cœcior ejus mater, Ratio corrupta; deinde verbis ſcripturarum earumque ſignificationibus, quibus res illæ indicantur, vim inferre, ſingulaſque voces per omnes aſtutiæ ſuæ criticæ technas cogitabiles, ita vexare, ut ſacræ illæ voces nihil harum Dei rerum dicere videantur, ſed contrarium potius: tum vero, ubi res alias ad ſuum palatum naturale atque corruptiſſimum accommodatas, vult Scripturæ verbis ſubſtituere, & ex rebus iis, necnon e cortice ac verbis Scripturæ, ex hiſtoriarum ſacrarum item circumſtantiis minus præcipuis & adventitiis concluſiones, obſervationes, inſtitutiones deducere; nihil aliud facere novit quam aut comminiſci hæreſes, aut confundere ima cum ſummis & ſana cum corruptis, aut pro eſſentialibus & principalibus dare virtutum ſuperficialium larvas hypocriticas, adventitias ſpeculationum inanium ac idearum macrarum e Rationis penu bullas, & neſcio quot nullius momenti quiſquilias milleque vana ac frigida nugamenta, omnia cum divinarum rerum vivificis proprietatibus minime convenientia, ſed potius & cum eis pugnantia, neque cum ſalutiferis veritatibus ac diſpoſitionibus idonea conſiſtere, inepta quippe ignem amoris Dei rerumque æternarum in intimis excitare, nutrire atque adaugere; apta vero illum oblivioni dare, ſupprimere & extinguere. Et tamen iſta futilia & pernicioſa a Criticis cœcis pro dogmatibus, pro obſervationibus & annotationibus SACRIS proclamabuntur, ac ut talia à quam plurimis cœcis, ſui-ſimilibus accipientur eo ipſo tempore quo iidem deſerent atque deridebunt veram rerum divinarum cognoſcendarum viam, divinam illuminationem divinamque fidem, ſive oblationem ac traditionem noſtrarum facultatum, intellectus, voluntatis, cordis, virium interiorum, Deo, Luci veræ ac intimæ, ut illis illuceſcat, & veritatis ac ſapientiæ lumen,

Digitized by Google

men, cujus fons ille eſt unus, in eas derivet & cum illis communicet.

Habet hic fuſiori & quaſi contrectabili modo Parrhaſius, quæ de CRITICA, eaque duplici, *oculata* altera, altera *cæca*, ſentiat Poiretus, quouſque alteram contemnat, alteram æſtimet; & utrum D. Clerici Criticam contemnendo, imo ab ea abhorrendo immenſum in modum, dicendus ſim ſimpliciter *Criticam contemnere*, eique *nolle ullam applicare operam.*

Scilicet quoniam ipſa lectione plurimorum D. Clerici operum Criticorum, Philoſophicorum, Theologicorum, humaniorum clariſſime perſpexi atque animadverti ubique ſimilia iis quæ modo de Criticâ cœca indicavi, in illis contineri ac diſſeminari conſtantiſſime, fateri cogor, ejus Criticam pro inſigni CRITICES COECÆ exemplo, ac tantum non prototypo, a me haberi atque proponi. quæ ſi a me definienda eſſet, dicerem eſſe *Cæcam ac impiam audaciam, omnia, etiam ſacratiſſima & diviniſſima, & res & verba, cæca palpationi ac contrectationi ſubjiciendi, eadem indigne vexandi, & cortices mortuas ac decortiatos & ab ea depravatos pro ipſa rei viva ſubſtantia venditandi, quo pro ſolida & Chriſtiana Religione Verbi incarnati ut per ejus ſpiritum redeamus ad Patrem, ſuppeditetur nobis ſuperficiaria aliqua Religio Hiſtorico-critico-philoſophica Amoris proprii, ſequaces ſuos ad æternum ducentis interitum.*

Applicantur ad Criticam D. Clerici. *Ejus definitio vel deſcriptio.*

Exempla innumera, quæ huic definitioni fidem faciunt, ex Operibus ejus quibuſvis congerere, laboris ingentis eſſet, ac præterea etiam ſuperflui poſt illa quæ in Epiſtola præcedenti hiſque in Cenſuram ſuam Conſiderationibus non uno loco oſtenſa ſunt. Vel ipſa ſola Novi Teſtamenti recentior interpretatio ſua Gallica cum criticis notis talis eſt, ut nemo cordatus poſſit ſine lacrymis videre illic frangi ac penitus enervari divinorum oraculorum loca quæ nobis detegunt atque aſſeverant ingentem noſtri corruptionem tam originariam quam inhærentem ejuſque rivulos; Rationis humanæ ægritudinem; humanarum virium impotentiam ac pravitatem; illuminationis Spiritus Dei (cujus operationes ad dona miraculoſa Apoſtolis primæ Eccleſiæ facta reſtringit noſter) neceſſitatem ad cognitionem rerum divinarum; ejuſdem Spiritûs in nobis requiſitionem ac promiſſam præſentiam quo a peccatis purificemur & ſanctificemur; ac in genere omnes ejus in nobis operationes, revelationes, motus ac gubernatio-

Digitized by Google

nem; Myſteria etiam SS. Trinitatis & Deitatis Chriſti, & juſtitiam ac juſtificationem probitate externa atque phariſaïca quavis majorem &c. in quibus omnibus interpretandis diva hæc Critica dictis modis ſuis ita operata eſt, ut à Pelagianis atque Socinianis majorem gratiam demereri vix potuiſſet quam iſtiuſmodi indolis ſuæ ſpecimina illic, & paſſim alibi, exhibendo.

Clariſſ. Witſii ſententia de eadem congruens.

Atque ut evidens fiat præter rationes dictas, me non ex affectu ita ſiniſtre de iſta Critica judicare, libet eadem de re audire hic Eruditiſſimum quendam Virum, temperati animi notiſſimum inter Theologos Batavos exemplum, Clariſſimum *Witſium*, cujus vel ipſemet Parrhaſius(*) *moderationem* & *æquitatem* laudare cogitur. Is inter multa plus quinquaginta paginis comprehenſa quæ in Miſcellaneis ſuis ſacris oppoſuit temerariis auſis Critices D. Clerici, non potuit quin identidem in hujuſmodi verba erumperet (*a*) *Male ſit audaci illi & temerariæ Criticæ, cui religio non eſt ſuas, ut fatetur, conjecturas, Apoſtolorum Chriſtique adeo ipſius auctoritati anteponere.---- Quæ vero hæc eſt amentia!* Critico noſtro Pſalmos Davidis 69 & 109 non ad Spiritum Dei, ſed ad corruptos naturæ affectus referente, dicit idem: (*b*) *Non poſſum, neque enimvero debeo diſſimulare, quin hæc mihi videantur oppido injurioſa eſſe in Davidem, in Pſalmos Davidis, in Dei Spiritum quo Pſalmos ſuos David edidit, in Chriſtum denique & Apoſtolos longe aliter de his Davidis Pſalmis judicantes.* quæ ubi fuſius probavit, additis etiam teſtimoniis Apoſtolicis, pergit ita (*c*) *Iniquiſſime dubitat an Pſalmi iſti Davidem auctorem habeant. ---- Quid nominis huic dubitationi tribuam? an ſupinam ignorantiam dicam? an inexcuſabilem diſputandi temeritatem? an audacis animi ad obſtrependum Apoſtolis profanam & impiam inclinationem? Non exiſtimet Theologus ille hanc impietatis exprobrationem injuſtæ imputandam eſſe iracundiæ. Nemini pro Deo & verbo ejus loquenti interdici debet quin ſerio & graviter agat, & ſuis res quaſque nominibus appellet. ---- Apoſtoli teſtantur Davidis Pſalmos eſſe: adhibent ut partes Scripturæ Sacræ. Petrus etiam Spiritum S. ita locutum eſſe per os Davidis meditata oratione proclamat. Et hic Theologum* CRITICUM *exurgere cernimus aperto capite contendentem, non eſſe iſtos Pſalmos a Spiritu lenitatis; ſed potius feralia carmina animi vehementi ira pereiti, & inſana vindictæ cupiditate flagrantis, contra quam Euangelium Chriſti præcipiat. Vel ipſa mihi dicat Modeſtia, &, quam ſectæ ſuæ propriam Remonſtrantes faciunt, indulgentiſſima Toleran-*

(*) Parrh. pag. 370.

(*a*) Miſc. Sacr. Tom. I. p. 115, 117.

(*b*) Ibid. p. 215.

(*c*) Ibid. p. 218.

Digitized by Google

rantia, quo nomine tantam Protervitatem, ſi vera rerum vocabula nondum amiſimus, indigitare oporteat: ut quum Petrus dicit, Spiritus S. locutus eſt per os Davidis, CRITICUS *aliquis ogganniat, dubito an Davidi: neſcio cui: non Spiritus Sanctus, ſed ſpiritus iracundiæ & vindictæ, adverſans Legi & Euangelio, ea verba dictavit. Ego non poſſum ad tantam* IMPIETATEM *non exhorreſcere.* Paulo poſt, ubi Cantici Canticorum a Critico noſtro rejecti & cum Gigantis Polyphemi cantilena Ovidiana comparati excellentiam oſtendiſſet vir Clariſſimus, præfixo poſtulato, (*a*) *Quid eſt ſacratiſſima queque in profana, abſurda & ridicula vertere ſi hoc non eſt?* ſubjungit (*b*): *Attendi velim quanta divinorum voluminum pars per* CRITICAM *hanc falcem demetatur. Cui ſi credimus,* HISTORIÆ SACRÆ *omnes ſine ulla inſpiratione ſcriptæ ſunt.* PSALMI *aliquot, Davidis titulum præferentes, ex iracundia potius & vindictæ cupiditate, quam ex Dei Spiritu ſunt. In* PROVERBIIS *Salomonis multa vulgaria, quibus meliora ſine inſpiratione facile dixerit* CRITICUS. CANTICUM CANTICORUM *nihil habet myſticum; ſed ruſtico & Giganteo Polyphemi carmini ſimilis eſt. Ita ſi perrexerimus, quantillum tandem divini remanebit? O miſeram Eccleſiam, quæ tam exigui pretii ſcripta pro tam pretioſo theſauro hactenus cuſtodiviſti, exoſculata, venerata es! Vel potius, o* AUDACEM ET IMPIAM CRITICAM, *quæ tantum tibi in divina juris attribuis, & fidelibus fidei ſuæ fulcra, & jucundiſſimas delicias tam* SCELERATE *ademtum is!* Idem Clariſ. Theologus, poſtquam totum ferme caput XXII impendit refutandis circa rem inſpirationis Apoſtolorum CRITICI noſtri, (*c*) ut ait, *argutiis, quibus maleferiata humani ingenii ſubtilitas improbe oggannit Deo;* dixitque (*d*) *ipſum ſequi cum commentandi morem quem præ ceteris Sociniani ſectantur,* concludit; (*e*) *Proteſtor me eruditionem ipſius atque ingenium quo decet loco habere: at plurimas opiniones ejus, per omnes quos edidit libros ſparſas, Arianiſmo, Pelagianiſmo, Libertiniſmo palam faventes, uti merentur, deteſtor. De cetero, neque laudes ipſius ambio, neque contemtum deprecor. Id unum Lectorem rogo, ut non ex ſtricturis & cenſuris* BIBLIOTHECÆ *ipſius,* (en quanta fides iſtis habenda) *de meis libris judicet; ſed niſi tanti non ſit, ex ipſis.*

(*a*) Ibid. pag. 228.
(*b*) p. 230.
(*c*) Ibid. pag. 330.
(*d*) p. 333.
(*e*) Ibid. pag. 345.

Idem in Miſcell. Tomo altero, diſſertationem habens de *Uxore Lothi* in ſtatuam ſalis converſa, ita de D. Clerico, qui fidem huic facto derogare tentat *contorquendo* textum ſacrum ut Criticæ

(a) Tom. II. Exerc. VII. §. 17, 19, 20, 21, 23.

ac Rationi ſuæ inſerviat: (*a*) *Longe cis obſequioſa fidei terminos conſtitit J. Clericus, nimium indulgens laſcivientis ingenii ratiocinationibus.* Citatis dein hiſce Clerici verbis: CONTORTAQUE *proinde* ENARRATIO *tolerabilior eſſet, quam portentoſi eventûs ob duas voculas exponendas* FICTIO: addit: *Quid tandem hoc eſt mala rei? In extollendis prodigioſis Dei operibus toti fuerunt priſci vates, & hoc ſua exiſtimarunt eſſe pietatis; & nos noſtræ putabimus eſſe Sapientiæ ut miracula elevemus, omnique ingenii niſu ex tabulis Chriſtianæ fidei exturbemus? Vel hoc exemplo diſcere liceat quid ſit ſuperbam iſtam* RATIONEM *Scripturæ interpretem facere, quæ eam, modo cum acumine aliquo,* TORQUERE *mavult, quam ut dicere cenſeatur quod ex principiis ſuis deducere Ratio potis non eſt. Hoc ſane eſt in gratiam Rationis Scripturæ primùm bellum indicere, tum & Rationi ipſi in Scriptura interpretanda. ---- Quis tantam interpretum in ſimplicibus verbis* (auctorum) *pervertendis* AUDACIAM *ſine indignatione legat? -- Ceterum, quidnam eſt illud quod tantopere refugit Ratio? Deum facere portenta? Ubi terrarum ſumus? Haccine in medio audiuntur Chriſtianiſmo quæ vel Gentiliſmus horreat? Repugnatne Rationi Omnipotentem infinitumque Deum ea facere? ---- Nihil nobis in ſacra hac hiſtoria tam incredibile videri debet, ut idcirco paradoxa interpretatione* VIM *inferamus verbis. Id profecto facit Clericus, nullâ voce omiſſa quam non injuſte vexet. ---- Profecto, grande nefas, contra claram ac perſpicuam S. Hiſtoriæ narrationem, neſcio quam probabilitatem obtendere!*

Edidit in eodem Tomo idem Cl. Vir, anno poſt edita Parrhaſiana, Orationem à ſe publice habitam (*b*) anno ante Parrhaſiana, in qua triſtes & juſtæ quas modo vidimus, querelæ brevibus iterum repetuntur. Ecce vero unam atque alteram illius periodum.

(c) Miſcell. Tom. II. pag. 946. &c.

(*c*) AUDAX *hominum genus* CRITICORUM *natio eſt, nihil ſibi non in omnes & omnia permiſſum eſſe temeraria præſumtione fingens. Nihil vel profanum vel ſacrum eſt quod violentas ipſorum manus evadat. Nihil tam exiguum aut humile quod infra curam ſuam poſitum eſſe arbitrentur, circa verborum tricas & literarum apiculos totos dies inſanientes. Nihil rurſus tam grande atque excelſum quod non pædagogica ferulæ ſuæ ſubjiciant. Poſtquam ſuperbientis animi lubidinem in ſecularibus ſcriptis male multandis (ipſi corrigere vocant) expleverunt, pari confidentia in ſanctiſſimorum oraculorum arcana volumina involant. quorum orationem ad-*

(*b*) *De felici an infelici Reip. literariæ hoc ſeculo ſtatu, cùm Ultrajecti 16 Mart. 1698 faſces Academicos iterum deponeret.*

addendo, demendo, tranſponendo, fingunt ac refingunt pro lubitu ---ſola mixi bariolandi audacia: eâ tamen artis ſuæ fiduciâ, ut non minora in Moſem & Davidem, in Petrum & Paulum auſi ſint, quam in Polybium & Livium, in Ariſtophanem & Plautum. O indignam neque ferendam cœleſtibus viris contumeliam! qui divino Spiritu afflati entheum aliquid ſonant, ſupra hominem loquuntur, ſuaque ſe Majeſtate à miniatulis Pædagogorum ceris facile vindicant. ------ Verum utinam intra hos terminos manſum fuiſſet. Latius graſſata peſtis eſt quàm ut ſe verborum aut commatum aliquot transformatione contineri ſiverit. Integras Odas (Pſalmos) *integros* (*a*) *libros adoritur; eoſque* CRITICO *veru crudeliter transfixos, ex Divinorum Voluminum albo Dictatoria auctoritate expungit; ac ne quid videatur deeſſe* IMPIETATI, *myſtica Carmina, quibus caſtiſſimi Chriſti & Eccleſiæ amores elegantiſſime pinguntur, cum Polyphemi fiſtula ſuos erga Galateam furores Cyclopeis modulis ludente, iniquiſſima comparatione contendit. Exhorreſcitis video, Auditores. Vix mihi, vix auribus veſtris habetis fidem. Tantaſne unquam uſpiam in ſacratiſſima Oracula injurias maledico ore evomi ab hominibus ſapientiam & Chriſti ſimul Religionem profeſſis! Imo verò, credite mihi, Auditores, & certa ſunt quæ dixi, & pauca de hoc genere. Nec clam, quod fortaſſis ſuſpicamini, in angulo, apud conjuratæ Sectæ myſtas muſſitantur: ſed jactantur in publico, typis excuſa proſtant, omnium teruntur manibus, &, quod* IMPIETATIS *faſtigium eſt, pro non vulgaris ſapientia argumento habentur. O ſeculum! o mores!* Hæc videre potuit Parrhaſius vel antequam Parrhaſiana ſua ſcriberet, erant enim ſeorſum excuſa anno ante: & tamen ſuam illam Criticam pergit nihilominus animo cœco extollere, contemnere qui ei non dant operam, laudare qui ad ejus mentem appropinquant.

(*a*) Job. Prov. Eccleſ. Cantic.

Hoc verò efficit, ut merito tale quid ac de ipſo ſuſpicer de illis libris atque Auctoribus Criticis quos veluti maximos ac incomparabiles Scripturarum ſacrarum interpretes, quibus multa debeat, quorum tantum non omnia palato ſuo ſapiant, ubique vehementer commendat Parrhaſius ſive Clericus. Equidem ſi quæ illi Critici in Sacra ediderunt, ea qua decet modeſtia communicaverint veluti adventitia quædam exercitia, veluti externa quædam annotata grammatica vel rationalia circa verba & cortices rerum exteriores, ferendi ſunt ſane, & pro rei iſtius tantillo pretio etiam æſtimandi: quiſquis namque paleam pro palea, lupinos pro lupinis vendit atque commendat, contemnendus ac repre-

Critici à D. Clerico laudati, hoc ipſo ſuſpecti redduntur, quod ei placeant.

reprehendendus non eſt: fallit ſiquidem hoc modo neminem; & poſſint merces illæ ſuæ uſum habere etiam aliquem. at ſi qui paleas pro cedris, lupinos non pro ære ſolum, ſed & pro auro vel margaritis venditare vellent, ſi Auctores illi Critici ſua venditaverunt & expoſuerunt veluti ipſam ſubſtantiam atque ipſam lucem divini ac ſalutaris ſenſus Scripturarum, rerumque eſſentialium per Scripturas deſignatarum, ac nobis ad ſalutem commendatarum; tunc revera quiſquis aperto oculo Critica iſtiuſmodi volumina ad ſolidarum rerum lancem veram & comparationem erit expenſurus, videbit omnino ea nihil aliud hocce reſpectu eſſe quam frigidiſſimam atque leviſſimam paleam, ne dicam quiſquilias meras, lectu ne quidem vel inſpectu ei dignas qui ſcit debere ſe breve hujus vitæ ſuæ tempus impendere æternarum rerum quæſitioni amandoque Deo toto corde, tota anima, toto intellectu omnibuſque viribus ſuis, ut & removendis obſtaculis quibus iſta poſſunt impediri. quò verò quæcunque non remeant, & tamen venditantur pro SS. Scripturarum (quarum hæc una epitome, hic unus ſcopus eſt) interpretationibus veris, bonis, primariis, incomparabilibus, futilitates potius ſunt nullius ponderis.

Atque ut res exemplis manifeſtior cuivis evadat, evolvite, ſi placet, nonnullos eorum Auctorum vel Librorum in Scripturas ſacras quos ut primarios, ut omnium optimos, ut incomparabiles tantopere venditat & decantat D. Clericus, & conferte; ſultis, illorum (ſi liceat ita loqui) incomparabilitatem jactatam & imaginariam cum incomparabilitate vera eorum v. g. quæ nobis ſuperſunt in homiliis, tractatibus libriſve aut tomis incomparabilis illius, ab Eraſmo tantopere commendati, à Clerico non ſemel contemti, ORIGENIS, in ſacras Scripturas: & tunc, ſi mens non ſit læva, deprehendetis illico quid diſtent æra lupinis, & quid interſit diſcriminis eos interpretes inter quos *cæca* commendat *Critica*, interque eos qui eidem inviſi, per ipſammet divinarum rerum experientiam ac poſſeſſionem conſpicui redduntur. Cum Origene *Auguſtinum* (adeo etiam D. Clerico inviſum) inſigniter laudare ſolet non ſemel idem Eraſmus, inter Criticos non omnino lumine deſtitutus, & de quo ipſemet Clericus ita in Arte Critica: (a) *Tanti facimus Eraſmum, ut perpaucos veteres non dicam anteferendos, ſed æquiparandos ei cenſeamus.* potuiſſet veteribus & recen-

(a) Art. Crit. Vol. 2. pag. 486.

recentiores permultos & ſe ipſum etiam ſine detrimento veritatis adjungere.

Ceterum ne *Criticam* D. Clerici & ſui ſimilium contemnendo, uti par eſt, & reprobando, objiciat denuo Parrhaſius, (quod non ſemel D. Clericus obtendit) tolli iſto pacto Scripturarum interpretandarum medium ſive inſtrumentum, præſertim ſi *Rationis* rejectio accedat; non erit à re alienum ſi, præter ea quæ hac de quæſtione (*a*) aliis in locis diximus, paucis hic diſſeram quî ſenſus Dei in Scripturis divinis ſignatus, poſſit ab hominum unoquoque acquiri & poſſideri, quantum quidem ad ſalutem & ut Deo ſatisfaciat, ei neceſſarius eſt, Critices & Rationis corruptæ conſultatione minime adhibita.

De Interpretatione S. Scripturæ,

D I S S E R T A T I O.

DISSERTATIO, interpoſita.

I. *Quomodo ſine* Critica *poſſit Scripturarum vera* interpretatio *&* *ſalutaris ſenſus acquiri.*

I. Sciendum eſt præcipue, & alta mente reponendum, cum Scriptura ſacra ejuſque ſenſu ſive interpretatione, rem aliter omnino ſe habere, quàm cum aliorum auctorum libris, eorumque ſenſu & interpretatione.

II. *Hominum libros, & Dei libros, non ſe eodem modo habere quantum ad interpretationem.*

II. Auctores librorum aliorum, (in quantum non ſunt lumine Dei colluſtrati ejuſque Spiritu præditi,) ſenſus, mentem, cogitata naturæ ac Rationi corruptæ conſentanea, nec has harumque vires ſuperantia, habent atque communicare volunt. Præterea ipſimet mortui ſunt, aut abſunt a nobis neque poſſunt conſuli; jacent illic volumina ſua veluti res mortuæ. quod ſi vel maxime adeſſent aut adeſſe poſſent & ipſi auctores, impotentes tamen maxime ſunt; neque intellectus noſtri ægritudinem, ineptitudinem, tenebras, coarctationem & tarditatem tollere ſunt idonei, clare ei & vivide objecta eorumve vel ideas ſolas, imprimendo, ipſumque debito modo ac requiſito transformando.

Differentiæ tres.

At librorum Sacrorum auctor DEUS, ſupranaturalia (*b*) cogitat ac dicit: & animos ſupra naturæ corruptæ vim evehere, eoſque divinos reddere ac ſibi ſimiles, ipſi propoſitum eſt. Deinde æternùm idem vivus eſt, atque etiam ſemper adeſt, omnibus

(*b*) Iſa. 55. 8, 9.

ddd dd adeſt,

(*a*) De Erud. Lib. I. §. 38. *&* Lib. II. §. 53, *ad* 58. *&* Lib. III. §. 70. 73. 76. *& in* Defenſ. Spec. ad Opp. 31. *&* Oecon. Div. Lib. III. c. 14.

Digitized by Google

adeſt, movemurque, vivimus, & ſumus in illo, a cujus Spiritu nemo eſt qui fugere poſſit. tum eſt quoque potentiſſimus in omnes creaturas ſuas, ipſaſque adeo hominis facultates intellectuales: ipſemet eſt lux & intelligentia omnipotentiſſima, ac ſui ſuæque mentis pro arbitrio ſuo maxime omnium communicabilis.

III. *Deum facile ſenſum Scripturæ communicare.*

III. Ex his evincitur, facile Deum poſſe ſenſum, mentem, intelligentiam ſuam cum homine communicare, vel cum verbis aut literis, vel etiam ſine illis.

IV. *Requiſita ex parte hominis duo, facultates debitas, eaſque bene diſpoſitas offerre.*

IV. Sed ut res iſta à poſſibilitatis ſtatu in actum veniat, duo ad minimum ex parte hominis requiruntur. primo ut offerat Deo vaſa ſive facultates ad id ipſum debitas, quæ vero ſunt interiora noſtra, intellectus, cor atque affectus, verbo, homo interior: deinde, ut eæ ſint in ſtatu idoneo ad recipiendam Dei communicationem.

V. *Qua in re bonus facultatum ſtatus ſive præparatio conſiſtat.*

V. Erunt autem in ſtatu idoneo ſi, quantum ad ſincerum deſiderium, bonique cordis puram intentionem, ſint in fine, in ſcopo, in meta, qui eſt Dei ejuſque lucis & operationum in homine ſcopus atque finis & veluti meta. qui vero finis & ſcopus utriſque (Deo & homini) communis, nihil aliud eſt quam AMOR DEI ET PROXIMI., quem etiam pro fine ac ſcopo habent tota Lex Dei, omnes Prophetæ, omneſque Scripturæ, vel, Pauli verbis uti ſi velimus, (a) *finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*: hoc eſt: finis quem habuit Deus, & ſcopus quem præſcripſit homini quando ei præcepta & Scripturas ſacras dedit, eſt, ut homo collinearet ad dilectionem Dei & proximi ex corde ab omni alio affectu & fine purificato, & intentione faciendi Deo ac proximis prout ipſe apud ſe convincitur; atque etiam committendo ſe ſuaque interiora cum plena confidentia ac perſuaſione ipſi Deo, ejuſque promiſſis & patefactæ veritati.

(a) 1 Tim. 1. 5.

VI. *Applicatio ad rem præſentem. Interpretatio ipſa.*

VI. Quiſquis igitur Scripturas ſacras habet & legit, ſeque conſtituit in earum fine, ſcopo ac metâ, quæritque in earum lectione acquiri à ſe, vel augeri in ſe, charitatem de corde puro, & conſcientia bona & fide non ficta; ac ea propter offert ſine fraude intellectum & interiora ſua Deo vivo, ipſi præſenti, in quo vivit & eſt, qui eſt lux ipſa omnipotentiſſima, qui eſt ipſa Bonitas immenſa, qui ſe ſuaque infinite ardentius cupit cum hominibus communicare quam id cupiant ipſi; impoſſibile eſt talem hominem a Dei luce & gratia ad interpretandas ſibi ſalutari

Digitized by Google

lutari modo ſcripturas deſtitui: verùm Deus ipſi aperit & afficit cor, & illuminat atque transformat ipſi intellectum, in qua cordis apertione & affectione, intellectuſque illuminatione ac aſſimilatione cum Divino intellectu, videt ille & ſentit mentem ac ſenſum Dei in Scripturis ſalutari, vivo ac movente modo, certo quoque & infallibili; poteſtque etiam eo in ſtatu ſine aberrationis periculo tribuere Scripturæ, aut ejus parti quam tunc legit, eam interpretationem quâ *cor* ejus magis ac magis impelli ſentiet ac juvari ut ſe a rerum vanarum affectu diſſolvat, Creatoris ac proximorum *amor* promoveatur, *conſcientia* cum fidelitate tranquilletur, ac *fides*, ſive traditio fida ſui ſuarumque facultatum Deo, ejus verbo, promiſſis, Myſteriiſque ſpeciatim nondum intellectis, perfectior atque plenior in dies evadat: quo in curriculo prout quotidie erit fidelior, ita etiam magis ac magis deteget in Scripturis admirabiliſſima undiquaque media ac incitamenta in cognitione, in amore, in laude Dei & in omni bono creſcendi ac ſeſe dilatandi. Et quia *Deus eſt ſemper in conſpectu* ejus, & *ipſi à dexteris*, ideo *non commovebitur*, ſive non cadet in malum errorem: ſed *tenebit Deus manum dexteram ejus, conſilio ſuo eum ducet, & tandem in gloria ſuſcipiet.* Pſ. 16: 8. & Pſ. 73: 23.

VII. *Objectiones generaliores ac præcipuæ Criticorum.*

VII. Dices, atqui tam multa ſunt in Scripturis *æquivoca*: multæ rerum, actionum, locorum, temporum *circumſtantiæ* difficiles, occultæ: *myſteria* ac oracula multa obſcura: nonne verò iſti, quos modo deſcribis, poſſint hiſce aut nullas plane invenire interpretationes, aut etiam falſas vel minus convenientes? Nonne autem ad hocce incommodum evitandum, opus erit oppido operam locare linguis, Philoſophiæ, Criticæ, hiſtoriæque, & ſimilibus ſtudiis, ſine quibus eorum, quæ urgemus, nihil intellecturus eris? Ecce, obtentum vanum, quo, qui in Critica eaque ſæpe cœca, gloriantur, fundamentum ponere nituntur abſolutæ neceſſitatis Idoli ſui Critici, cui vero poſtea tantum non omnes animæ ſuæ affectus, tempuſque vitæ præcipuum, ſi non totum, ſacrificent, poſtpoſito atque oblito Dei, ſui ac Scripturarum S S. fine, metâ atque ſcopo, ſenſuque ſubſtantiali ac vivifico Spiritûs Dei, quem levi atque inani ſpumâ criticâ inflati, derident deinde & ludibriis excipiunt in illis qui eum unum vel præcipuum poſſident aut quærunt ac magni faciunt!

VIII. At-

VIII. *Qui ſimilibus ex Paulo reſpondendum.*

1 Tim. 1: 4 &c.

VIII. Atqui tempore Pauli Apoſtoli ſimiles jam erant qui *volentes eſſe legis doctores*, difficultates ſuper lege atque Scripturis obtendebant de genealogiis ac ſimilibus, *quæ quæſtiones præſtant magis quam ædificationem Dei quæ eſt in fide.* Quid autem de his Apoſtolus? conſulitne eis uti dent operam accuratiori Criticæ, omniſque generis auctoribus ac curioſis artibus, quo de Scripturæ genealogiis, de diviſionibus ac diſperſionibus gentium ac familiarum, ſimilibuſque argutiis magna poſſint componere & oſtentare volumina, multas diſputationes in utramque partem habere, probabiliora criticis fulcire argumentis, improbabiliora refellere, & hæc omnia pro Diſſertationibus ſacris, pro Criticæ ſacræ ſpeciminibus, venditare? Tantum abeſt cuiquam uti hæc conſulat, vel quidem ſimilia cogitet; ut potius contra, duos *Dei Viros*, Timotheum ac Titum, Chriſtianorum gregum Paſtores ac Doctores, *enixe roget* ac ſerio moneat *ne his intendant* ipſi, & alios ab iiſdem deterreant; ut *vitent* ineptas iſtiuſmodi & *aniles fabulas*, *genealogias interminatas*, *ſtultas & ſine diſciplina* ſive emendatione ac ædificatione *quæſtiones*, *contentioneſque & pugnas de lege*; *quia ſunt inutiles & vanæ*; ac ex eo proficiſcuntur, quod iſti, *volentes eſſe legis Doctores*, volentes haberi docti & eruditi in Scripturis, *aberraverunt* & defecerunt *ab* uno vero ac ſolido *præcepti fine*, à ſtudio & à quæſitione *charitatis de corde puro, & conſcientia bona & fide ſincera*: unde neceſſe fuit eos deficere ac *converti ad vaniloquia*, in quibus tamen *non intelligunt neque quæ loquuntur*, *neque de quibus aſſeverant*; quia eorum Critica eſt cœca, non videns res ipſas neque rerum ſcopum, finem, veramque quæ ſub his eſt, omnium rerum ſubſtantiam: *non oportere* autem *ſervum Domini* de iſtis *litigare*, aut iis occupari, *ſed ſe ipſum quidem exercere ad pietatem*, *quæ promiſſionem habet vitæ præſentis & futuræ*; aliis autem *proponere ſanam doctrinam* quà toti imbuamur & occupemur, quòd ſcilicet immenſa *benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei apparuerit ut ſecundum ſuam miſericordiam nos ſalvos faceret lavando* ac purificando nos ab affectibus noſtris vanis ac malis *per regenerationem & renovationem* SPIRITUS SANCTI *in nos* abunde *effuſi* ac effundendi *per* JESUM CHRISTUM *Salvatorem noſtrum*, ut *in juſtitia & ſanctitate vivamus coram Deo omnibus diebus vitæ noſtræ*, & *ducamur per eum* Spiritum *in omnem veritatem* ſalutarem, ac tandem *hæredes fiamus ſecundum ſpem vitæ æternæ*.

2 Tim. 2: 23. Tit. 3: 9.

Luc. 1.

æternæ. Hunc eſſe *fidelem ſermonem*, qui haberi debeat: *de his* oportere homines *certos fieri*, hæc illis inculcari *&* *aſſeverari*; ut *curent bonis operibus* operam dare ac *præeſſe qui credunt Deo*. *Hæc* exercitia ac ſtudia eſſe vere *bona & utilia hominibus*: non autem *ſtultas* iſtas *quæſtiones* ac *contentiones* de lege ac litera Scripturæ. *Legem* quidem ac Scripturam, *ſi quis legitime ea utatur*, eſſe *bonam*, idque tum probis tum improbis; probis ac juſtis quidem eſſe bonam in fine & in ſcopo ſuo, in quo verò ſeſe illi exerceant, in eoque promoveantur, maneant & glorientur; non ita in legis litera, quæ *juſto* (ei qui habet Spiritum juſtum ac Sanctum Chriſti, ſcopumque legis,) *non eſt data* ac poſita ut ſe amplius in litera legis, tum in quæſtionibus de ea levibus ac inanibus fatiget: quantum verò ad improbos ac *injuſtos* qui ſpiritum ſcopumque ac finem legis non poſſident, eorum reſpectu legem eſſe bonam ſi quis ad ipſa eorum peccata atque omne id quod *ſanæ* ac ſanctificanti *doctrinæ adverſetur* coërcenda & refrenanda utatur. Extra quos duos legis ac Scripturæ uſus; hoc eſt, extra quæſitionem & participationem finis, ſcopi atque ſpiritus ipſius, deinde extra ejus literæ ſive literalis ſenſus applicationem ad peccata improborum coërcenda, *ſi quis aliud docet* tanquam vel neceſſarium vel partem Scripturæ aut *clavem* ejus, (uti Criticam venditant,) *non autem acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti*; *is ſuperbus eſt* ac vento tumidus, *nihil ſciens ſolide*, *ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum* (quibus tantùm non tota occupatur Critica,) *ex quibus oriuntur invidiæ*, *contentiones*, *blaſphemiæ*, *ſuſpiciones malæ*, *conflictationes hominum mente corruptorum* (quorum intellectus, Ratio, omnia, corrupta ſunt) *& qui veritate* reali ac ſolida *ſunt privati*, atque adeo aptiſſimi qui in omnis generis pravas hæreſes & cadant ipſi, & alios inducant, & id quidem juſtiſſimo Dei judicio, ita rejectionem & contemtum ſalutaris veritatis quæ in Spiritu & a Spiritu ejus eſt, vindicante, ac permittente ut *quoniam veritatis amorem non admiſerunt quo ſalvi fierent*, inducântur *in tantam vim erroris*, *ut credant mendacio*. cujus quidem divini ac formidandi judicii exempla longe petenda non eſſent.

[margin: 1 Tim. 6: 3. — .]

[margin: 2 Theſſ. 2: 10.]

IX. Hæc ſunt quæ ex Doctrina Apoſtolica ſuperius objectatis ſunt reſpondenda; nec de illis quicquam aliud in ſcripturis aliis reperies. quibus vero difficultatibus licet & ſequentia breviter reponere.

[margin: IX. *Ulteriores ad Criticorum objectata reſponſiones.*]

Digitized by Google

ponere. Rerum atque actionum cognitionem generaliorem, prout quivis bonus ac ſimplex animus eam e ſola lectione adipiſci poteſt, ſufficere ut inde ad ſpiritum, ad ſcopum finemque Scripturæ, atque ad ſalutem æternam quiſque proficiat. Accuratiſſimâ atque maxime criticâ omnium rerum, actionum, locorum, temporum, aliarumque circumſtantiarum diſcuſſione & cognitione, neminem appropinquare Deo, cive fieri gratum, atque ſaluti accedere, uti patet in Dæmone qui ſimiles cognitiones vel habet, vel habere poteſt cum impiis non paucis inter eruditos: quin potius mentes a Deo & a ſalute abduci per ſuperbiam quam talia cordibus inſpirant, perque malos alios fructus, & jacturam temporis pretioſi, ſalutis acquiſitioni debiti. Non improbari tamen ſi quis jam antea iſtarum artium Criticarum ſimiliumque ſcientia imbutus, eas poſtliminio ad Scripturæ literam applicet, modo hæc e juſto æſtimet pretio, nec ultra: modo non ut neceſſaria, non ut ſolida, non ut clavem Scripturæ intelligendæ, non ut digna quibus toti & ſæpius occupemur eadem commendet; ſed ut minuſcula quædam & acceſſoria exercitiola quibus minimum temporis, minimum affectûs ac ſtudii debeamus, repræſententur; & ita quidem, ut ex his veluti umbris, ad ſpiritualiora & cœleſtia mentem erigi oporteat.

Quantum ad *myſteria*, ad eorum notitiam atque explicationem nullis poſſe humanis artibus ac ſtudiis perveniri, ſed ſola Spiritûs Divinæ Sapientiæ illuſtratione atque communicatione. Neque etiam ad hæc cognoſcenda licere cuivis adſpirare; ſed illis tantum quorum pura mens ab ipſo Spiritus Dei ſtimulo excitatur uti hæc à Deo poſtulent, unde eorum preces Deo acceptæ, exaudiantur: imo non eſſe neceſſe ut quilibet vel ſimpliciori modo omnes Scripturas vel intelligat vel legat; ſed ex iis tantum id quod ſufficit ut inde tendant ad ſcopum legis & Scripturarum, & acquirant eum, videlicet Spiritum Chriſti Jeſu, qui vivat, agat & regat in illis prout fecit in Dei Filio homines inter dum viveret. Denique ſi ab aliquo plura ac ſpecialiora de Scripturis exigeret Deus, ea omnia eſſe tum exſpectanda ab ejus directione, tum donanda ab ejus ſpiritu, non minùs quàm ipſarum Scripturarum ſcopum, finem, atque ſubſtantiam vivificam, & interpretationem ſenſumque ſalutarem, quem vero unum vult Deus ut omnes ab ipſo poſtulent, & quem cum vaſis debito modo præ-

Digitized by Google

præparatis aut ei ſeſe cum ſinceritate exponentibus communicare, ſumma ejus eſt delectatio, ſummum ejus quod cum hominibus ipſi intercedit, negotium, & huc quidem adſpirare, eique ut intra nos locum demus, curam adhibere, noſtrum etiam unum atque neceſſarium deberet eſſe negotium.

X. Sed erunt forte qui cogitent, iſtud eſſe *popularium* nimis animorum & communium negotium, eſſe dignam ruſticis aut idiotis, non autem viris eruditionis avidis & ſupra vulgus ſapere volentibus palæſtram, limitare ſe ad unum Scripturarum ſalutarem ſenſum à Deo poſtulandum ac exſpectandum: *languidum* id exercitium; inſipidum eruditæ menti nutrimentum; frigida illic eſſe omnia, (quemadmodum & *frigidas* dicunt *allegorias* & *ſpirituales interpretationes*,): forte etiam Deum hoc non delectari, aut *non cupere* neque velle ita cum hominibus lucis ſuæ ejuſmodi radios ac effectus communicare, niſi forte rariſſimè, uti & exemplis patet rarioribus ſatis. X. *Objectiones aliæ faſtidioſæ negotium hoc nimis eſſe populare, languidum, nec à Deo cupitum.*

XI. O deplorandam verò generis humani atque talium in eo eruditorum cœcitatem & ſtupiditatem! Atqui ſi quid uſquam vile eſt ac demiſſum vere; ſi quid languidum, frigidum & inſipidum dici debeat, quid magis id erit, & dicendum erit, quàm mentem immortalem immenſo bono ejuſque caſtis deliciis factam, occupari circa feſtucas leves, vaniſſimaſque umbras non rerum ſolum, ſed & verborum pleraſque, quibus vero venandis tota ſic vires conſumat, iiſdemque diſcutiendis adeo cerebrum ſibi comminuat, impalleſcat ac immoriatur, ut niſi animarum inimicus atque deceptor fucatâ falſæ voluptatis ſpecie mentes hiſce crucibus ſeſe fatigantes ac enecantes faſcinaſſet, de iſtis ne cogitare quidem ſine nauſea potis eſſet ſana mens? quando contra, vel ipſius Dei altiſſimi deſideratiſſima occupatio eſt ac cœleſtis voluptas ſi quaſi venando poſſit hominum intellectus atque corda reperire quæ luminum ſuorum radiis, quæ rerum admirabilium in Scripturis adumbratarum ſenſu vero, vivido atque delicato feriat & penetret. XI. *Reſp. Criticorum occupationes potius viles eſſe & frigidas.*

XII. Qua vero de cauſa, haud ſecus ac ardentiſſimus aliquis venator qui deſideratam prædam oculis quærit obſervatque intentiſſimis, ſi forſitan illa è latibulis ſuis prodiens ipſius ſe jaculis trajiciendam, ac dein fruendam & potiundam exponat; ita incomparabilis ille & incredibilis hominum Amator, ardentiſſimuſque XII. *Explicatur comparatione, qui Dei deſideratæ deliciæ ſint hominum.*

mentes radiis veritatis ac mentis ſuæ ferire atque penetrare.
Pſal. 14: 2. & 66: 7.

que animarum Venator Deus, continue *de cœlo proſpicit ſuper filios hominum ut videat ſi quis quærat Deum*, & *oculi ejus reſpiciunt* obſervantque *nationes*: ac ſi quem videat e latibulis deceptionum ſuarum fraudumque ac nequitiarum, terrenarum curarum, vanarum occupationum, ſtudiorum ac diſtractionum prodire, & animum ſuum ſine fuco exponere faciei Creatoris ſui, qui fecit eum ut ipſius eſſet peculium & præda æterna, ut eſſet luminis ipſius atque Amoris receptaculum, illum Deus jaculo ſive radio luminis ſui, ſupranaturaliumque Verbi æterni ſui verborum ac inſpirationum ita ferit, & vivo modo penetrat, ut protinus ille æterna intueri divinaque ſapere incipiat, idque etiam quamvis nullas iſte antea habuiſſet Scripturas, uti & factum diu fuit quando eæ nondum exiſtebant. At ſi homo is fuerit alioqui Scripturis antea imbutus, iiſque aſſuetus, ſolet ſæpe hoc in negotio Amator animæ ſuæ atque Obſervator, radioſi luminis ſui inſpirationumque ſacrarum jaculum verbis Scripturarum haud ſecus ac involucro quodam obtegere, veſtire atque munire, quæ verò potenti brachio ſuo in cor atque mentem creaturæ ſuæ ita jaculatur, ut ſentiat illa ſibi cor quidem delicate vivideque tangi atque vulnerari amore, mentem vero admirabiliter lumine affici & imbui rerum æternarum & inviſibilium.

XIII. *Continuatio comparationis. qui homo dimiſſis nugis, poſtulet & impetret vivum Dei ejuſque verborum ſenſum.*

XIII. Atque tunc dimittit homo ille nauſeoſas terræ quiſquilias, vanaſque nugas & futilia hominum figmenta, ſtolidaque ac diſtrahentia minutiarum ſtudia ut intendat tam illi a quo tactus, affectus & veluti vulneratus eſt, quàm ipſius amatorio tactui ac luminoſæ irradiationi. tumque incipit fieri capax recte diſtinguendi inter ſenſum Scripturæ *literalem*, Grammaticum, Criticum, idealem ac Philoſophicum quem antea habuerat, quique (ſecluſa operatione Dei) ipſi nunc frigidus, mortuus, ſuperficiarius mereque umbratilis apparet; & inter ſenſum ejuſdem *ſpiritualem*, qui eſt ipſa mens, lux, illuſtratio Spiritus Dei, intellectio ſerena, ſapida, penetrans, viva ac vivifica animam immutans & convertens totam verſus Deum, objecta æterna ac ſolida: priorem ſenſum animadvertit in ſuarum virium naturalium & corruptarum poteſtate ac induſtria eſſe & fuiſſe, cum olim legeret Scripturas animo Grammatico, Critico & Philoſophico, unde nihil præter ideas ſuperficiarias, frigidas, inſulſas, & ex his animi ſuperbiam, ſui & aliorum adulationem, contentiones etiam, & porro

& porro errores atque hæreſes, contra ipſarum Scripturarum finem & ſcopum, adeoque contra ſenſum verum, eliciebat: poſteriorem verò ac divinum, quem Scripturæ verbis tectum recens experitur, quique ipſe eſt de quo Chriſtus, *verba quæ vobis loquor ſunt ſpiritus & vita*; non eſſe in ſua poteſtate, ſiquidem antea etſi legeret Scripturas cum omni Rationis humanæ accurat æque Critices induſtriâ, & labore, nihil ſimile poterat ſibi excitare. Ergo deſiderans in poſterum vivum, ſolidumque & divinum Scripturarum, quas deinde lecturus erit, ſenſum acquirere, quem nunc videt à ſolo Deo proficiſci; jam aliam ejus adipiſcendi, aliam ſtudendi amplectitur viam; ſcilicet humiliat ſe profunde coram Creatore ſuo, & confitetur illi impotentiam ſuam, & cœcitatem, imo & indignitatem recipiendi luminis ſui intellectuſque ab eo illuſtrati propter innumera peccata & abuſum omnium facultatum ſuarum in vita anteacta: & deprecatur Dominum ut pro immenſa miſericordia ſua *aperiat ipſi oculos ut videat mirabilia de lege ſua*, *emittatque lucem ſuam & veritatem* veritatiſve Spiritum qui eſt in Verbo Æterno quod *caro factum eſt* ut *habitet in nobis*, & loquatur in nobis *verba quæ ſunt Spiritus & vita*, *reveletque* ac patefaciat nobis *Patrem*, *ſeque ipſum*, ac *mentem* & *ſenſum* Spiritus ſui, ſecundum promiſſa ſua fallere neſcia. Et tunc Deus, qui *cor contritum & humiliatum non deſpicit*, qui verax, bonus & potens, promiſſa ſcit ſervare reverentibus faciem ipſius, & *dives eſt omnibus invocantibus eum*, quique nulla opus habet in nobis Critica, Logica, Philoſophia ut illuminet, vivificet ac reformet creaturam ſuam; ſed tantum humilitate cordis in conſpectu ejus expanſi, illuceſcit ipſius intimis, ac intellectui ejus paſſive ei expoſito detegit ſeque reſque ſuas divinas, atque adeo Scripturarum ſenſa objectaque viva & vive afficientia, primo quidem quantum ad ſalutarem animæ in Deo progreſſum neceſſe eſt, deinde etiam (prout id e re judicat Deus) ad abundantiam, ita ut anima in infinita mirabilium Dei varietate delectari, & ex iis Deum admirari & laudibus æternis celebrare potis ſit: videt enim illa ſibi intellectum, ſibi lumina, ſibi objecta & mirabilia in infinitum dilatari, verbum atque *mandatum Dei* eſſe *latum nimis*: divitias atque theſauros quæ in Chriſto, (Scripturæ objecto, fine ac ſcopo) deteguntur tales eſſe, ut non immerito dixerit Paulus, *exiſtimo omnia detrimentum eſſe*, imo & *ſtercora*, *propter emi-*

Joan. 6.
Pſ. 119: 96.
Phil. 3: 8.

 nen-

nentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini meì; in cujus quippe ut & Joan. 17: 3. Patris *cognitione* quæ fit per Spiritum S. *eſt vita æterna*, atque adeo deliciæ luminoſæ, immenſæ & nunquam perituræ.

XIV. *Fiatque etiam idem capax eum aliis explicandi.*

XIV. Ecce quemadmodum ſenſus Dei in Scripturis poſſit a quolibet ſolidiſſime ac ſalutariter ſine adulterina Criticorum ac Philoſophorum clave impetrari. Quod ſi præterea velit Deus hominem aliquem talem tanquam operarium ad vineam ſuam adhibere, eumque aliis in viarum divinarum & Scripturarum ſolida ſalutarique cognitione inſtituendis præficere, ſuperaddit illi ex intelligentiæ amoriſque ſui theſauris ſpecialiora quædam dona pro modo ac proportione luminum quæ Deus cum hominibus illorum temporum communicare conſtituit; tum eam Sapientiæ divinæ menſuram quâ ille hominibus varie conſtitutis varia, pro ſua unicuique conſtitutione & requiſitione proferat. Et talis quidem poſſit jam merito pro Scripturarum ſenſuſque Dei vero *Interprete* haberi atque commendari, qui ſi forte prius humanam Eruditionem aliquam ac induſtriam in linguis vel diſciplinis philoſophicis aut Criticis habuerit, iis ſane veluti adventitiis quibuſdam ornamentis vel auxiliis quibus forte nonnullis ſeſe accommodet lucrifaciendis, poſſit bene uti; ſed quæ tamen minimi vel nauci faciat præ Chriſti Spirituſque ejus internis, divinis, ſolidiſque rebus, virtutibus, operationibus, omnem Scripturarum ſubſtantiam, vim ac ſenſum, omnem earum finem atque ſcopum, omneque punctum hoc in negotio ferentibus, ac animas hominum ad ſalutis portum tuto adducentibus; quibus proinde propagandis, ceteris minutulis haud ita curatis, totus erit intentus atque occupatus.

XV. *Hæc fuiſſe ſolidè in S. Auguſtino, contra quam ejus inimicus D. Cl.*

XV. Hanc deſcriptionem, quantum ad pleraſque partes, ex iis formavi quæ de ſe inter SS. Patres humilitate, Charitate, & Sanctitate maxime conſpicuus *Auguſtinus* in ſuis reliquit *Confeſſionibus*, in quibus vir ille Dei graphice deſcribit quemadmodum via methodoque proxime ſimili fuerit ad Deum converſus per Scripturam S. cujus ſenſus vivus ſoliduſque ipſi cum divino lumine atque amore fuerit immiſſus & participatus; ita ut ipſe, quantum ad ſcopum, finemque verborum Dei ſalutarem, fuerit poſtmodum, pro menſura illius temporis, ſolidus ſubſtantiæ Scripturarum ſacrarum Interpres, quicquid in contrarium paſſim inculcet continue Auguſtinomaſtix D. Clericus, cum larvato

no-

Digitized by Google

novíſſimo ſuo Pherepono. Cauſam rei veram ſuperius indicavimus: rei obtentus eſt, quod novo Criticæ cœcæ cucullo totus non fuerit infrunitus Auguſtinus. Sed tempus eſt, ut poſt hancce *Diſſertationem*, non minus neceſſariam quam longam, ad noſtri Parrhaſii Cenſuram redeamus.

Reditus ad Cenſuram Parrhaſii.

25. *Acerbitatem cenſuræ* ſuæ hic agnoſcit noſter Parrhaſius, ſed ait, *eam ex æquo a me adſcitam eſſe, meque id negare non poſſe*. Logi inanes, ſicut & cetera! Poſſum id negare, & nego, & iniquitatem illius ſatis ſuperque oſtendi. Suam ipſe *acerbitatem* guſtabit olim Parrhaſius ubi iniquarum contumeliarum ratio erit reddenda æquiſſimo omnium Judici. Minime miratus ſum tales ab amoris proprii principiis potuiſſe fructus prodire: ſed quod prodierint in eo homine cui vel externa honeſtatis ſpecies debuiſſet frenum injicere ne eorum imitaretur arrogantiam qui bona eruditionis ſuæ opinione faſcinati, indignis ac thraſonicis modis faſtidiunt quotquot ab ipſis diſſentiunt, id aliquo modo miratus ſum, nec ego ſolus, ſed & totus honeſtorum ac modeſtorum virorum orbis quando viderunt omnis generis Doctores, Profeſſoreſque, quà in ſacris quà in humanioribus, totas Academias, integras nationes, & tantum non univerſos in Chriſtianiſmo Theologos, ubi D. Clerico obſiſtunt, Parrhaſio noſtro eſſe (*a*) *bajulos, eſſe graculos, eſſe picas, eſſe mancipia, neſcire ratiocinari*, pro ſcopo habere *eum diffamare, à ſuis eum ſtudiis abſtrahere, ſibi ipſis nomen, ſuis libris venditionem per D. Clerici reſponſum aliquod procurare, qui* tamen, pœnæ loco, *minime eis ſit reſponſurus*, & ſimilia, a quibus poſſet abhorrere vel ipſa impudentia & ineruditio ferocior ac ſtolidior. Non tamen hanc per contumelioſos Thraſoniſmos reſpondendi methodum ita ſecutus eſt ejus amor proprius, quin idem & ſecundam, quam ſuperius (*b*) notavimus, & tertiam quoque ſit interdum adverſus alios amplexus: illam, quæ *adulatio* eſt, erga Anglos quoſdam Præſules, quibus aſſentatur; tum erga Clariſſimum Witſium, quem demulcet blanditer dum ejus in Clerico multis & gravibus iis modis quos ſupra vidimus refutando, laudat (*c*) *moderationem* & *æquitatem*, ejuſque cenſuræ ſeſe non minus ſubmiſsè quam placida ovicula tonſuræ ſubjicit:

(25) De Acerbitate *Parrhaſii, tribuſque ejus variis reſpondendi methodis*.

(*a*) Parrhaſ. p. 400-405. 438--441.

(*b*) *Initio* Conſiderationum Specialiorum.

(*c*) Parrh. pag. 370.

Digitized by Google

hanc vero, hoc eſt, *impotentem ſe ſuaque vindicandi modum*, adverſus Celeberrimum Profeſſorem *Wayenum*, qui licet D. Clerici errores neque pluribus, neque gravioribus ictibus quam Cl. Witſius caſtigaviſſet in erudita lectuque digniſſima quadam (*a*) *Diſſertatione*, reſponſum tamen ab eo tulit adeo diſpar, adeo iræ & affectuum impotentia turgidum, ut niſi ſuprà, in quarta Philautiæ qualitate recenſenda, oſtendiſſem hujuſce artificioſæ ac politicæ diverſitatis naturalem cauſam, vix oculis ea in re ſuis crederent Lectores. Ceterum quamvis in ultimo hocce audaciùs reſpondendi modo videatur noſter ad rerum ſpecialiora velle deſcendere, id tantum in ſpeciem facit, ac plane ſophiſticè, unam atque alteram reculam vel circumſtantiolam vellicans dum rei ſubſtantiam ne tangit vel nominat quidem, ſed ad ſexcenta extra oleas effugia per omnis generis fraudes malas & affectus pravos evagatur, uti oſtenditur in Gallica anonymi Epiſtola pro Cl. Wayeno adverſus Parrhaſium edita, cujus vel ſex lineæ ſequentes totam rem uti ſe habet, breviter ſic indicant: (*b*) *Parrhaſius ad nullam rem reſpondet: nihil ſingulatim aggreditur: neſcit qua de re conqueri: & quando ipſemet evidentiſſime evomit fel illud omne quod aliis exprobrat, quærit duntaxat Lectorum oculis pulverem offundere, eoſque obtundere & perturbare per generales quoſdam logos, perque calumnias quas probat minime, haud ſecus re vera ac ſi bilem ſuam poſſet in Lectores transfundere ſola ejus ad eorum oculos expoſitione; atque ita eos inducere ut fide ipſius credant de aliis malum omne quod de iiſdem verbo dicit, --- re non probat.* Et tamen contendit Parrhaſius, ſed admodum ridicule, in alterius Tomi ſui præfatione, ſe per talia reſponſionum ſpecimina *jus impune in poſterum tacendi* merito acquiſiviſſe: quaſi vero vel ſine ullo Sophiſtices ſpecimine *jus tacendi* non competeret ſemper mendacio!

(*a*) Wayen. Diſſert. de Λόγῳ contr. Cleric. *præfixa* Rittangelii Libræ Veritatis.

(*b*) Lettre de M. N. à un de ſes amis ſur les Parrhaſiana, pour M. Vander Wayen. pag. 96.

(26.) *De Parrhaſii reliquis jactantiis. nolle ſe reſpondere.*

26. Cetera quæ ſequuntur ad finem uſque cenſuræ quia ejus ſunt commatis atque præcedentia, factaque vel potius figmenta perſonalia continent quibus vindicandis nulla accedit Lectoribus utilitas, iis non inſiſtam quemadmodum rebus ſolidioris utilitatis hactenus inſtiti. Putat homines non intelligere fucum quo toties jactat ſe aliis nolle reſpondere, *animum ſibi non eſſe in certamen deſcendere* &c. Rident vero illi impotentiam thraſonice ita perſonatam. Si de minutis externis hiſtoricis & criticis, in quibus non parum D. Clericus peritus eſt, quæſtio eſſet, tolerari poſſet ejus oſtentata

tata confidentia : ſed in rebus ſpiritalibus ac divinioribus de quibus agitur, cum plane cœcutiat ; nullus thraſoniſmo hic ei locus eſt, ac ne quidem de his judicandi idoneam facultatem habet.

27. Ridebunt Lectores & illud, defenſionem ſalutaris veritatis quam adverſus illum neceſſario ſuſcepi, eidem dici, *rixarum quæſitionem* ut ſcilicet per ipſum *publico rumore innoteſcam*: (27.) *Alios velle cum eo rixando innoteſcere.*

28. Item, ut *libri mei divendantur*, *quos* quidem hominum *nemo legat.* Confundit hic manifeſte Parrhaſius hominum Mundum qui eſt in ſuo cerebro, cum hominum Mundo qui eſt in ipſa rerum natura. In illo meos libros neque emit neque legit ullus: in hoc, eorum nec ſemel repetita, ac in aliis idiomatis publicata editio, & auctorum non paucorum qui ea in dies laudant manifeſta experientia, contrarium aperte evincit. At Parrhaſius qui optaret eos non legi libros qui errores ejus, ſive Clerici, tollunt è medio, quo eos ut lectu indignos in contemtum adducat, argumentum ducit ex imaginatis cerebri ſui ideis ad ipſam rerum exiſtentiam. novum, ſed ridendum, fallaciæ genus! Ceterum cum Parrhaſio cognitum ſit non unum D. Clerici librum delatum fuiſſe in vicum vendentem thus & odores, nec unum ut lectu indignum & noxium non uno in loco prohiberi, miror eum in hocce exprobrationis genere circumſpectiorem ac modeſtiorem eſſe noluiſſe. (28.) *Uti & ipſorum libros.*

29. Pueris vero ſolis imponere poſſit falſa animi de re ſua ſecuri ſpecies, qua *conſentit* ut *Epiſtola* mea *conferatur cum rebus quas in ipſo oppugno* (imo ab ipſo oppugnatas, defendo,) idque *ſine ulteriori* D. Clerici *reſponſo.* Faciant vero id Lectores; tuncque non ſine ſtupore mirabuntur incredibilem fictæ ſecuritatis confidentiam in homine, cujus errores & mala fides Sole meridiano clarius detecti ſunt. (29.) *Ficta ejus ſecuritas de cauſa ſua.*

30. Apparet tamen in eadem ſecuritatis ejus oſtentatione non parvum ejuſdem timoris documentum: metuens etenim ne Lectores, ad ejus condemnationem & dedecus, eâ utantur legendi libertate quam modo conceſſit, monet ſimul, vel *temporis ſuperfluitatem Epiſtolæ* meæ *lectioni impenſam*, temporis fore *perditionem*. Quam candidè ſolet Parrhaſius Lectores præparare ut partis utriuſque documenta, uti æquos Judices decet, inſpiciant, & quidem ſine præconcepta opinione ac prævio affectu inſpiciant! Atqui (ſi contemtori fidentius & cum venia obloqui liceat) vel iſta una illa mea ad D. Clericum Epiſtola plus utilitatis ineſt pro ani- (30.) *Et tamen avocat Lectores a legendis iis quæ adverſus cauſam ejus ſunt.*

ma ad verum ejus in ſolida Eruditione progreſſum, quàm in omnibus D. Clerici libris ſimul ſumtis, quippe non parum Chriſtiano homine indignis, imo & contagioſis, adeoque hoc ipſo non ſine *temporis perditione* Lectorumque damno perlegendis, quod ne ex affectu edicere credar, proprio D. Clerici teſtimonio libet confirmatum dare.

Unde D. Clerici ſcripta pleraque ſine temporis jactura, *vel fatente ipſo, legi non poſſint.*

Is ergo ſic loquitur in Præfatione Interpretationi ſuæ Gallicæ Novi Teſtamenti præfixâ, circa initium. *Si verum me confiteri oporteat, adeo me tædet laborum omnium* (a ſacris differentium ſcilicet) *ad quos tamen rerum humanarum conditio literatos ſæpe vocat vel invitos, ut mihi millies calamus manu exciderit illis dum occuparer, dixerimque tacitus mihi ipſe: Ecquando veniet felix illa dies ubi nihil agemus amplius quod ſit indignum tum natura illa excellenti quam a Deo recepimus, tum promiſſis divinis ſuis in Euangelio nobis propoſitis? Quando ceſſabimus incumbere hominum opinionum & linguarum ſtudiis, ac legere tum chimariferas quas nobis reliquerunt cogitationes, tum offenſionem habentes diſſolutorum eorundem morum atque criminum hiſtorias? Quouſque Solem videbimus oriri atque occidere ſuper hujuſmodi labores noſtros quorum nos pudebit ubi illucebit illa lux qua nunquam occidet? Quando vero erunt occupationes noſtræ ejus naturæ uti earum nos nunquam pœnitere oporteat?* Videtis hic conceptis verbis a D. Clerico agnoſci, plerosque *labores*, adeoque & libros ſuos, *indignos* eſſe *homine*, ſive ad *naturam* ille ſuam *excellentem*, ſive ad *Deum* ejuſque *Euangelium* conſideretur. *Studia* ſua dolendas eſſe animæ occupationes *circa linguas & opiniones hominum* vanorum, *circa chimariferas eorum cogitationes*, & *offenſionem habentes nequitiarum ſuarum narrationes:* labores denique illos ſuos eſſe *labores quorum ultima die debeat eum & pudere & pœnitere*: quo ipſo ſane ſuos ejuſmodi labores & libros non poſſe ſine TEMPORIS PERDITIONE legi, declarat evidentiſſime ipſuſmet eorumdem auctor; atque utinam id ex animo! neque enim denuo nobis commendaret, uti facit (*a*) adhuc quotidie, impuras & Catullorum, & Terentiorum, & Theocritorum, & id genus aliorum neſcio quot fæculentorum nugatorum nugas & Anthologias, magno apparatu ab eo laudatas, ac etiam promiſſas, ad majorem pretioſi *temporis perditionem* animarumque damnum (ut verba ſua adhibeam) *pœnitendum atque pudendum ubi illucebit illa lux quæ occidet nunquam*, quando tunc pudore procul & pœnitentia ſubſiſtent

(*a*) *Vid.* Biblioth. choiſie, Tom. III. IV. VI. VII. &c.

lætiùs

lætiùs divino coram Tribunali ſalutares, quos irriſores iſti pro *fanaticis*, proque *chimaris* ac *ſtultitiis* & pro *temporis perditione* proclamaverunt labores Myſticorum iiſque ſerio addictorum, *& erunt tanquam arbor plantata ſecus decurſus aquarum, quæ fructum ſuum*, (æternæ ſalutis ac gloriæ) *dabit in tempore ſuo, & folium ejus non defluet, & omnia quæcunque faciet* (ac fecit) *proſperabuntur. Non ſic impii, non ſic: ſed* erunt *tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ. Ideo non ſurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio juſtorum. Quoniam novit* & diligit *Dominus viam juſtorum: ſed via impiorum peribit.* Pſalm. I.

31. Superſunt præterea in Parrhaſianis adverſum me loca duo, quæ vero, ſiquidem contumeliis ille me pro ſolito, non rationibus aggrediatur, obiter ſolum annotabo, quatenus aliquid Lectori utile ad ea dicere potero. Citaverat me cum laudis titulo ſemel atque iterum in Diſſertatione ſua contra D. Clericum Cl. *Wayenus.* Id ægre ferens Parrhaſius, (*a*) fingit caſum ubi D. Wayenus & ego poſſemus diſſentire; atque tunc ponit illi in ore noſter convicium *obſcuriſſimi tenebrionis* adverſus me, quod ipſemet Parrhaſius in me non audebat directe expectorare. Quid non poſſet hoc artificio adverſus D. Clericum proferri in medium, ne exceptis quidem Petri adverſus Simonem, Pauli contra Elymam, Joannis in Cerinthum & Polycarpi in Marcionem ſententiis, ſi vellet quis fingere eum exſtitiſſe illiſque occurriſſe in eo tempore? quod indicare tantum conviciatori ad artis ſuæ verecundiam, non autem dicere utique intendo. Fallitur autem omnino in hac ſua hariolatione Parrhaſius, ratus D. Wayenum talia in me convicia, mutui circa quædam diſſenſûs ergo, evibraturum. Sciebat optime Eruditus ille vir, etiam antequam me laudaret, in quibus ab illo diſſentirem, & laudavit tamen; quia ſciebat idem, in hominibus tolerandas eſſe opiniones de rebus adventitiis ac minus neceſſariis quando alioqui FUNDAMENTUM *Chriſtianiſmi* ſolidum in vera fide retinent, JESUM CHRISTUM ſcilicet, *Verbum Patris æternum quod caro factum eſt, Deum in carne manifeſtatum, ut nos a peccatis emundatos reſtitueret regimini Spiritus Sancti, atque ita Patri & vitæ æternæ, quando beneficia illa ipſumque Benefactorem ac Operatorem ſalutis participabimus per* FIDEM, *quâ ex parte noſtri cor, intellectum omneſque animæ facultates tradamus Deo in Chriſto; ex parte Dei lucem ejus amatoriam*

(31.) *Cur Cl.* Wayenus D. *Clericum improbavit, me non item.*

(*a*) Parrh. 434.

toriam divinamque intus ſuſcipiamus, per quam vero res divinas æternaſque & media ad illas, non idealiter, ſed re ipſa & ſolide noſcamus ac amplectamur. Hoc autem fundamentum ille in me agnovit: idem ſi in D. Clerico cernere potuiſſet, laudaviſſet ipſum omni procul dubio, ceteraque in eo ſi quæ fuiſſent errata id non evertentia, amanter toleraviſſet. At quî potuiſſet hoc Chriſtianæ Religionis fundamentum, hanc ejus ſubſtantiam, in eo viro agnoſcere cui hæc & ſimilia audiunt (*a*) *Speculationes inanes*, & *fanatiſmus in genere*?

(*a*) Parrh. ibid.

(32.) *Male Parrhaſius in me cachinnatur, ubi & perperam elevare tentat pondus præjudicii adverſus Clericum e numeroſitate obſiſtentium deſumti, cujus vero vis oſtenditur.*

32. Locus alter non tam directe me reſpicit quam omnes qui D. Clerico ubivis obſiſtunt. Parrhaſius metuens ne ex omnium oppoſitione adeo generali adverſus D. Cl., credatur ille prægnantem dediſſe huic oppoſitioni cauſam, ac ea propter culpa non carere, ut præjudicium hoc amoveat, (*b*) tres quatuorve rationum ſpecies adducit, fallaces omnes, in quarum vero una etiam me introducit, ſed re vera contra ſemetipſum. Earum ultima ridebitur; dicit enim, quod tam multi ei undiquaque opponantur, id *ex livore* eſſe quo ejus ſcripta ab aliis in pretio aliquo haberi vident malo oculo. ſcilicet! Prima & tertia, *certos Theologos* ſine *ira* non poſſe pati ut quis cum ipſis *non conſentiat in omnibus*; D. Clericum verò tam multa ſcripſiſſe, ut impoſſibile ſit quin in quibuſdam diſſentiat, fucum faciunt: atqui non de diſſenſu circa quælibet promiſcue agitur, ſed diſſenſum in fundamentalibus Chriſtianiſmi per Sociniana ac Pelagiana principia & dogmata omnes objiciunt D. Clerico: nonne verò hæc fuerit iis legitima ſerio ei obſiſtendi cauſa? Secunda ratio, qua Parrhaſius vult eum non ideo debere ſuſpectum eſſe quod numeroſos in omnibus partibus Chriſtianiſmi habeat adverſantes, huc redit: numerum Cenſorum ac teſtimoniorum in quavis Chriſtianiſmi *Societate* adverſus ipſum, debere tantum *pro uno in unaquaque haberi* teſtimonio vel Cenſore. Ratio rationis: quia *ſunt graculi vel picæ, qui omnes nihil niſi eandem ſciunt cantilenam, id eſt, unum idemque Syſtema, quod ipſis liberè examinare non licet, quodque ſequi debent ſub pœnis omnibus, quæ Eccleſiaſticis ſenſa mutantibus impendent.* Hinc autem ille me excipit, utpote *qui in nulla vivam Societate*; adeoque qui neque pica ſim, neque graculus, neque obſtrictus tenear aliorum cantilenâ ac Syſtematibus; ſed præditus libertate ea omnia ſine ullo metu examinandi, atque ab illis diſſentien-

(*b*) Parrh. p. 437. 438.

Digitized by Google

tiendi. Ex quo ſane ſequitur evidentiſſime, teſtimonium meum, ſi Clerico me opponam ea in re in qua ei adverſantur & omnes ceteri, non poſſe ab eo eludi veluti teſtimonia aliorum, *graculorum* ſcilicet, *picarum* ac *mancipiorum*; ſed conſiderandum idem eſſe tanquam ab animo profectum a præjudiciis & affectibus partium libero; atque idcirco non parvi apud cordatos ponderis eſſe debere. Atque ita, vineta propria vel Clericana cædit ipſuſmet Parrhaſius noſter. Verùm quia irriſor eſt, conatur cachinno non minus abſurdo quam contumelioſo elabi, me ea ſcilicet libertate *ad qualibet ſomnia* vel deliria *proferenda abuti*. Quid vero ad rem hoc ineptum conviciatoris ſophiſma? Minime hic agitur de privatis opinionibus meis, earumque adeo, ut ſic dicam, qualitatibus: ſed de D. Clerici opinionibus quæſtio eſt, utrum eæ ex communi omnium de iis teſtimonio Socinianiſmi ſuſpectæ ſint habendæ?

Operæ pretium eſt detegere fallaciam præcipuam qua hic loci utitur Parrhaſius Clericum uti extra culpæ ſuſpicionem ponat, ejus vero adverſarios videatur merito appellare *picas* & *graculos*, ad *cantilenam unam eandemque* reſtrictos, ac *examinandi libertate plane deſtitutos*: quando tamen hi, ea quidem in re, recte omnino ſe habent, Clericus vero ipſe ſolus in culpa eſt.

Notandum eſt igitur, duplicis generis quæſtionem D. Clerico cum adverſariis ſuis intercedere: *juris* (ut vocant) alteram, utrum ſcilicet ejus opiniones prout in libris ipſius promulgatæ ſunt, cum veritate conveniant, earumque rationes validæ ſint, beneque e veris principiis deductæ: alteram *facti*; utrum nempe ejuſdem opiniones ac doctrina eædem ſint atque opiniones & Doctrina Socinianorum, nullo ad veritatem aut falſitatem earum ſubjectivam habito tunc reſpectu. Nonnulli primam cum D. Clerico inierunt diſputandi viam: qui autem eam inierunt non diſputarunt adverſus ipſum e principiis Sectæ ſive Societati ſuæ propriis; ſed è principiis communibus cum ceteris omnibus Chriſtianorum partibus ſive Societatibus, Socinianis exceptis: unde ſequitur falſo & inique eos comparari hac in re cum *graculis* qui *ex eodem Syſtemate*, *parti ſuæ* proprio, *cantillent* adverſus Clericum ejus falſas eſſe opiniones impiaſque & profanas &c. Aſt innumeri, inter quos & illi de quibus nunc conqueritur Parrhaſius, in altero ſunt caſu, circa rem nempe facti, utrum do-

ctrina D. Clerici & Doctrina Socinianorum, conveniant? qua vero in re ut quis poſſit vel teſtis non reprobandus vel judex idoneus eſſe, ſufficit ut poſſit ſcire ac intelligere quid doceant Sociniani, quid ſcripſerit D. Clericus, ſtatumque quæſtionis de eorum doctrina formare queat, tum judicare, utrum idem quæſtionis ſtatus, an oppoſitus, ſit in utraque parte. à quo judicio aperte falſum eſt aliquem prohiberi propterea quod proprium quoddam profiteretur Syſtema quo Doctrina illa tanquam falſa condemnaretur: neque enim de ejus falſitate aut veritate nunc agitur; ſed de ejus identitate vel diſparilitate, cujus vero affirmandæ vel negandæ relinquitur unicuique per ſyſtemata omnia libertas ampliſſima, nulliuſque pœnæ timore coërcita.

Proferamus exemplum, vel ſimile aliquod. Ponamus Doctrinam v. g. Arianam per omnia Chriſtianorum Syſtemata ut falſam damnari, (uti res habet,) atque etiam, ſi vis, nemini liberum eſſe eam non condemnare. hoc profecto minime impedit quominus & olim fuerit & nunc ſit adhuc pleniſſima libertas judicandi utrum Doctrinæ, v. g. Euſebii Cæſarienſis conveniat necne cum Doctrina Ariana: videmuſque re ipſa inter Chriſtianos qui Arianiſmum unanimiter rejiciunt, hujuſce libertatis factum eſſe olim & adhuc fieri ſine ullo metu apertiſſimum uſum ac exercitium, quando nempe & olim judicarunt & adhuc judicant liberrime, alii quidem Euſebii Doctrinam eſſe Arianam, alii non eſſe. qua vero in re ſi omnes, vel ſi maxima pars conſentirent, merito ſane ille vel de errore ſuſpectus eſſet habendus, vel ejus innocens, pro judicantium ſententia, modo ipſi ea eſſent capacitate inſtructi qua Doctrinæ Arianæ ideam haberent; tum Euſebii verba, ac ſimul eorum, ſi quæ illic eſſent, æquivocationes intelligerent. Similiter nunc habet ſe res cum D. Clerico.

Quæritur utrum ejus Doctrina, in libris ipſius paſſim diſſeminata, eadem ſit atque Doctrina Socinianorum, necne? Abſurde & ſine æquitate recuſat hac in re Parrhaſius omnes vel teſtes vel judices qui Syſtema Sociniano Syſtemati contrarium amplectuntur; hoc ſiquidem minime tollat libertatem judicandi utrum aliqua Doctrina ſit Sociniana aut ſecus: poſſintque omnes hic eſſe legitimi judices modo hæcce duo habeant requiſita, I. ideam Doctrinæ Socinianorum habeant; II. legerint cum ſenſu communi

ea

Digitized by Google

ea quæ publica fecit D. Clericus. Requiſitum *primum* habebunt ſi cognoverint, 1. Socinianiſmi primum ac unum fundamentum, erroremque capitalem, eſſe Pelagianiſmum, hoc eſt, negationem tum corruptionis noſtræ morbique letalis; tum ipſius medicinæ, gratiæ ſcilicet Dei, intra nos effuſione luminis & amoris ſui opus reſtitutionis ac ſalutis noſtræ efficientis. 2. Membrum ſive ramum malæ hujus radicis præcipuum eſſe, aſſertam Rationis, (ejuſque corruptæ ac cœcæ, necdum gratiâ Dei adhuc reſtitutæ,) potentiam, & quidem quantum ad divina, quæ ideis illa ſuis ſuperficiariis & imperfectiſſimis ſibi repræſentare vult, ſuoque examini ac judicio (tenebris licet atque amoris proprii tabe corrupto) ſubjicere cum omnibus Religionis Chriſtianæ myſteriis, ipſarumque SS. Scripturarum interpretatione ac ſenſu. 3. Hinc fluere veluti totidem corollaria vel conſequentias particulares, (non veluti rei caput) rejectionem eorum quæ Ratio iſta cœca atque corrupta non capit Myſteriorum, v. g. SS. Trinitatis, Deitatis Jeſu Chriſti, incarnationis Verbi, Divinitatis item Spiritûs S. ejuſque inhabitationis & operationum in intimis noſtris. &c. 4. Æquivocationibus etiam licere hic uti, hoc eſt, verbis quibus alium dent ſenſum quàm qui ordinarius eſt: v. g. *J. Chriſtum eſſe Deum verum*, hoc eſt, vere factum & conſtitutum. *In eo eſſe æternam Divinitatem*, imo, *Chriſti æternam Divinitatem creaviſſe mundum* &c. hoc eſt, J. Chriſti naturam ac eſſentiam eſſe quidem creaturam meram; at iſti creaturæ acceſſiſſe veluti adjunctum aliquod externum Divinitatem Patris æternam, quæ Patris Divinitas poſſit jam propterea dici Divinitas Chriſti æterna, quæ ergo creavit mundum, ac de qua Divina omnia ſint quoque prædicanda, &c. & ſi quæ ſint ſimiles aſtutiæ. Requiſitum *alterum* habebunt ſi D. Clerici libros perlegerint, tum quos recenſet Parrhaſius noſter, tum omiſſos ab eo, Liberium præcipue, de quo ſupra (*a*), & cujus pars præcipua in notas ad Novum Teſt. Gallicum eſt tranſlata, ne hic memorem anonymos quorum parentem eum eſſe fama eſt, ipſius ſcribendi genio confirmata, in quibus vero ſub Platoniſmi nomine impugnantur Orthodoxi, ſub Scripturariorum Unitariorumque titulis Sociniani defenduntur. Sed vel hiſce miſſis, ſi e priorum lectione, innumeriſque illorum locis (quæ nunc referre vel notare hujus inſtituti non eſt,) judicaverint Lectores quarumcunque partium

(*a*) Cenſ. Spec. 12. Pag. 711.

 D. Cle-

Digitized by Google

D. Clerici Doctrinam eandem non eſſe quæ Socinianorum eſt, agnoſcendum erit atque fatendum, immerito eum Socinianiſmi ſuſpectum fuiſſe redditum: Sin vero eandem eſſe judicent, clamet poſthac noſter Parrhaſius *picaſque* ſuas, *graculoſque* ſuos, & *Syſtemata* Societatum, & *cantilenam eandem* quantum lubuerit; nunquam tamen apud æquos rerum judices efficiet ut contra jus omne & rationis leges credantur eruditi Religionum ſive Societatum omnium Viri in unum concorditer ſepoſitaque partium inter ſeſe animoſitate coiviſſe ut inſontem hominem, cujus humanam eruditionem alioqui non deſpiciunt, gauderent gratis ac contra conſcientiam ſuam opprimere per judicium quod exhibitis publicis documentis in æternum eorum dedecus falſi poſſet atque calumniæ à quovis facile convinci. Prudentius egiſſet Parrhaſius ſi hac in re plane tacuiſſet, ne forte aliqui vel ex illis graculis, vel aliunde, rem ipſam ſingularius aggrediendam ac diſcutiendam operæ pretium eſſe putent, & id quod eſt, omnium oculis palam exhibeant, pertæſi tandem & ſe & totum genus humanum tandiu ludificari & adunco naſo ſuſpendi ab homine qui ſe ſapere, alios deſipere eouſque arbitratur, ut credat illis à ſe perſuaderi poſſe ipſos id non videre quod tamen ipſemet vel cœcis palpandum propoſuit: niſi ſi qui forte hoc ipſum aggredi velint meliori conſilio, ad prævertendam ſcilicet non paucarum mentium ſeductionem atque aberrationem a veritatis ſalutaris tramite; quod tamen ego malim & optem fieri potius per ipſam hominis pœnitentiam & emendationem. ad cujus vero adeptionem executionemque largiatur Spiritus Dei D. Clerico (qui nunc in Bibliothecæ ſuæ Selectæ Tomis aliquot ſe eundem eſſe qui Parrhaſius non ſemel declaravit,) apertos mentis oculos, corque divino timore percitum atque penetratum! id quod ex animo eidem exopto, nec porro deſinam exoptare.

F I N I S.

LOCA

Digitized by Google

LOCA S. SCRIPTURÆ

Rebus vel probandis vel explicandis in hoc Volumine allegata, & ut plurimum illuſtrata.

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
GENESIS.		
XVIII.	27.	50
XIX.	22.	114
XXIV.	50.	*ibid.*
XLIV.	22, 26.	*ibid.*
EXODUS.		
XX.	6.	23
XXXII.	1.	284
	32.	485
DEUTERONOMIUM.		
VII.	17.	486
XVI.	5.	114
XXVIII.	15,28,29.	107
XXX.	11--14.	84
	20.	114
JOSUA.		
IX.	14.	309
XXIV.	15.	114
I. REGUM.		
XI.	29 &c.	329
XII.	18.	*ibid.*
XVIII.	18.	184
2. PARALIPOMENON.		
XXX.	18 &c. 27.	289
NEHEMIA.		
IX.	33.	96.
JOBUS.		
I.	21.	359
IX.	2,3,19,20.	96

Pſalm.	*Verſ.*	*Pag.*
PSALMI.		
Pſalm.		
II.	11.	43
IV.	5.	480
VI.	2,3,4,7.	42
X.	4.	705
XIII.	4.	94
XIV.	2.	768
XVI.	8.	480,582,763
XVIII.	5,6.	486
XIX.	8 &c.	48
XXV.	14.	108
	15.	480, 582
XXXI.	10 &c.	486
XXXII.	3.	42
	11.	40
XXXIV.	6.	72, 485
	9.	706
XXXV.	3.	409
XXXVII.	4.	40
XXXVIII.	4 &c.	42
XLII.	4,6 &c. 12.	*ibid.*
LVIII.	5,6.	723
LXVI.	7.	768
LXXIII.	1.	468
	23, 24.	763
	27,28.	697
LXXVII.	3,5,8 &c.	486
LXXX.	4.	468

Pſalm.	*Verſ.*	*Pag.*
LXXXII.	6.	485
CI.	5.	114
CII.	27.	111, 203.
CV.	4.	480, 582
CVI.	4, 5.	671
	37, 38.	39, 53
CX.	1.	102
CXI.	10.	42
CXII.	1.	*ibid.*
CXV.	1.	162
CXVI.	1-9.	480
	3.	486
	11.	26, 609
CXVIII.	22, 23.	481
	29.	468
CXIX.	11.	48
	18	29, 94
	32, 33 &c.	84
	34.	26
	96.	769
	99, 100.	103, 188
CXX.	7.	386
CXXII.	6.	262
CXXXIII.	*per totum.*	300
CXLIII.	7.	480
	9.	697
CXLV.	17.	96
CXLVI.	8.	29
CL.	6.	255, 342

PROVERBIA.

IV.	23.	15
VI.	16, 17.	17
VIII.	*per totum.*	102
XV.	15.	433
XXIII.	26.	14
XXVIII.	14.	41, 42

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*

ECCLESIASTES.

I.	8.	457

CANTICUM CANTICORUM.

II.	4.	486

JESAIAS.

I.	11 &c.	391
VI.	3.	18
XI.	2.	142
XXVI.	9.	480
XXIX.	13.	10. 20
XLIV.	13 &c.	348
XLV.	2.	486
XLVI.	8.	580
LV.	8, 9.	761
LVII.	11, 12, 13.	391
	21.	353
LXVI.	2.	42
	3.	391

JEREMIAS.

II.	12, 13.	690
IV.	1.	354
VII.	4 &c.	391
XI.	15.	360
XII.	2.	392

EZECHIEL.

XIII.	16 &c.	43
XXIX.	18, 19, 20.	96

DANIEL.

IX.	14.	*ibid.*
XII.	10.	108

OSEAS.

XIII.	11.	330

JOEL.

II.	28, 29.	582

AMOSUS.

VI.	8.	17

HABA-

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Pag.
HABACUCUS.		
II.	20.	409
SAPIENTIA.		
I.	4.	705
ECCLESIASTICUS.		
I.	3--10.	102
XXIV.	*per totum.*	*ibid.*
	27.	*ibid.*
	47.	*ibid.*
LI.	14.	*ibid.*
ADDIT. ESTHERÆ.		
III.	15 &c.	40
MATTHÆUS.		
V.	4.	42
	8.	212, 581
	8,48.	480
	11, 12.	179
	12.	82
	16.	44
	17, 19.	84
	20.	728
	22.	155
	44.	164
VI.	6.	405
	19, 32.	121
	19 &c, 24,33.	480
	19, 25,31,33.	121
	20,21.	261
	25.	121
	25--33.	120
	33.	*ibid.*
VII.	1.	178
	1-5.	243
	2.	155, 187
	7 &c.	156
	7, 11.	103, 480

Cap.	Verſ.	Pag.
MATTHÆUS.		
VII.	21.	84
VIII.	6 &c.	336
IX.	15.	114
	29.	269, 335
XI.	12.	16
	17.	306
	25, 26, 27.	160
	27.	11
	29.	81
	29,30.	84
XII.	34.	723
	34-37.	243
XIII.	24 &c.	291
	33.	583
XV.	7, 8.	392
XVI.	24.	16, 114
XIX.	8.	327
XX.	23.	302
	33.	468
XXI.	21.	269
XXII.	37.	72
	39.	80
XXIII.	24.	115
	25.	393
	26.	78
	27 &c.	728
XXV.	41.	346
XXVI.	26 &c.	301 &c.
MARCUS.		
VIII.	34.	266
IX.	22.	269, 335
XI.	23, 24.	335
XII.	30.	85
	31.	88
	32, 33, 34.	13
XIV.	7.	114, 163

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Pag.
	LUCAS.	
I.	6.	214
	74, 75.	764
VI.	24 &c.	42
IX.	23.	16, 18
X.	27.	130, 342
XI.	9.	103
	13.	141, 156
XIII.	3, 5, 24.	582
XIV.	26.	18, 178, 179
XVI.	14.	121, 200
	15.	728
XVIII.	1.	582
	10 &c.	728
	19.	11
XXI.	15.	582
	19.	262
XXII.	19, 20.	301
	42.	16, 486
XXIV.	45.	212
	JOANNES.	
I.	1 &c, 14.	730
	18.	11
III.	20.	609
	30, 31.	392
	36.	177
IV.	24.	266, 473, 582
	34.	120
V.	37, 38.	106
VI.	27.	203
	27, 33 &c.	120
	38.	16, 581
	44.	108
	45.	90
	60.	148
	63.	302, 582, 769
	67.	114
VII.	17.	224
VIII.	12.	177
	44.	25
IX.	31.	20
X.	4, 5, 14.	747
	27.	106
	34.	485
XI.	52.	428
XII.	50.	47
XIII.	10.	212
	17.	13
	34.	480
	35.	184
XIV.	6.	730
	13, 14, 26.	103
	16, 17, 21, 23.	70, 84
	21.	91, 140, 197, 323, 582
	21, 23.	461, 704
	23.	12
XV.	4, 6.	687
	5.	14
	5, 8.	44
	15, 16.	103
	16, 26.	ibid.
XVI.	7.	337
	7, 13.	297
	12, 13.	197
	13.	156, 582
	13, 24.	103
XVII.	3.	770
	11, 21.	212
	11, 21, 23.	484
	17.	212
	21.	492
	21, 23.	535, 729

XX.

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
	JOANNES.	
XX.	29.	26.
	ACTA.	
II.	17, 18.	582
	42 &c.	305
IV.	32 &c.	307
V.	3.	308
	13.	309
VIII.	21 &c.	705
X.	34, 35.	67, 261, 353
XVI.	3.	325
XVII.	28.	582
XXI.	21 &c.	325
	EPISTOLA AD ROMANOS.	
I.	19, 20.	198
	21, 25.	633
II.	8.	573
	24.	186
	28 &c.	542
III.	31.	47, 84, 85.
V.	5.	83, 480, 704
VI.	4.	581
	11 &c.	84
VIII.	2-15, 37.	84, 85
	3, 4, 9.	47
	6, 13.	39
	9, 11.	12
	14.	141, 479, 480
	15.	142
	28.	275
IX.	3.	485
X.	3.	159
XI.	36.	473
XII.	1, 2.	391
	2.	53, 484, 519
	12.	41
XIII.	10.	83, 85, 323

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
	EPISTOLA AD ROMANOS.	
XIV.	2 &c.	129
	2, 4, 10, 13, 17.	281
	4, 13.	243
	10, 12, 13.	178
	12.	273
	14.	267
XV.	1, 2, 3.	282
	I. AD CORINTHIOS.	
I.	12, 13.	76
	17 &c.	103
	20.	727
	27.	581
II.	1 &c.	103
	2.	48, 581
	9, 10.	582
	11, 12, 14.	28
	11, 16.	746
	12, 14, 15.	108
	14.	284, 706
III.	1, 2, 11.	114
	4.	76
	12, 19.	103
	16, 17.	582
	18.	727
	19.	706
	22, 23.	314
V.	11..13.	309
VI.	7.	*ibid.*
	10.	187, 573
	13.	204
	17.	142, 484
	19.	12
VII.	31.	216
IX.	19 &c.	325, 428
X.	21.	114
	31.	44

Digitized by Google

I. AD CORINTHIOS.

Cap.	Verſ.	Pag.
XI.	20 &c.	310
	24&c.	301, 310
	31.	178
XII.	21.	114
XIII.	1, 4 &c.	184
	4--7.	243
	5.	486
	8, 10, 11.	93
	12.	91
XV.	14, 17.	387
	28.	492, 729
	50.	204

2. AD CORINTHIOS.

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	2, 3, 6 &c.	141
	5.	74
	18.	108, 480, 484, 492, 581
IV.	6.	74, 485
	10, 11, 16.	581
	18.	27, 473, 480
V.	4.	121
	16.	93
XII.	10.	82, 122
	11.	485
XIII.	8.	114

AD GALATAS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	4.	34
II.	3.	325
	20.	12, 142, 485
IV.	19.	730
	29, 30.	262
V.	14--25.	243
	15.	359
	20, 22.	261
	22.	142

AD EPHESIOS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	6&c. 13, 17 &c.	617
	17.	197
	17, 18.	103
	18.	29, 212
II.	5--8, 10, 22.	617
	6.	480
	10.	479
	22.	429
III.	7, 16, 17, 19, 20.	617
	10.	491
	17.	12
IV.	15.	35
	18.	142
	24.	200
V.	1.	732
	1, 2.	34
	9.	35
	14.	212
	20.	19
	27.	84
VI.	16.	23

AD PHILIPPENSES.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	3.	80
	7.	485, 730
	12.	41
	21.	316
III.	8.	769
	8, 9, 10.	727
	10.	48
	10, 14.	581
	14, 16.	243
	15.	84
	20.	480
IV.	4.	40
	11, 12, 13.	122
	13.	83

AD

Digitized by Google

AD COLOSSENSES.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	9, 11.	91
	22.	428
	25 &c.	*ibid.*
	24.	48
III.	1, 2, 3.	581
	2.	382
	3, 11.	480
	8, 12 &c.	358
	17.	44

1. AD THESSALONICENSES.

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	9.	114, 163
V.	3.	43
	5.	108
	17.	581
	21.	124
	23.	486
	19.	106
	23, 24.	84

2. AD THESSALONICENSES.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	10.	765

1. AD TIMOTHEUM.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	4 &c.	764
	5.	762
	15.	81
II	4.	611
VI.	3--5.	765

2. AD TIMOTHEUM.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	12.	11
II.	12.	38
	23 &c.	764
III.	2 &c.	354
	6.	209
	6, 7.	392
	8, 9.	209
IV.	3.	122

AD TITUM.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	16.	35
III.	1 &c.	764

1. PETRI.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	8, 17.	41
	23.	78, 108
	23, 25.	105, 139
II.	1 &c.	671
	1, 2.	730
	3.	706
	21.	177
III.	21.	191
IV.	10.	491
	10, 11.	45
V.	5.	17
	8.	23

2. PETRI.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	4.	142, 485
	19.	92
II.	1, 2, 3.	122
III.	1.	468
	3, 4.	671
	10.	111

1. JOANNIS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	6, 7.	47
II.	3, 4.	108
	3--6.	84
	4.	34
	6, 14, 20, 27.	480
	9.	188
	11.	185
	15, 16, 17.	53
	16.	641
	20, 27.	197
	24.	100
	27.	87
	29.	35

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Pag.
	I. JOANNIS.	
III.	5, 6, 7, 8.	100
	5--9, 22.	84
	6, 9.	480
	7.	101
	14.	188
	14, 15.	185
	16, 17, 18.	313
IV.	5, 6.	726
	7, 8.	34
	8.	188
	16.	581
	16, 18.	480
	17.	732
V.	2, 3, 4.	83
	3, 4.	47
	19.	24
	AD HEBRÆOS.	
III.	6.	12
	12, 13, 18.	671
IV.	12.	486
V.	7.	114
	9.	177, 417
X.	34.	82
	34, 35.	121
XI.	1.	27
XII.	14.	35
XIII.	5.	201

Cap.	Verſ.	Pag.
	AD HEBRÆOS.	
XIII.	5, 6.	121
	21.	83
	JACOBI.	
I.	2.	82
	5.	20
	18.	78
	27.	266
III.	*per totum.*	243
IV.	3, 4.	46
	4.	53
	9.	42
	9, 10.	582
	11, 12.	243
	12.	355
	JUDÆ.	
	24.	84
	APOCALYPSIS.	
II.	4.	314
III.	17.	42
	20.	12, 74, 78, 580
IV.	11.	19, 162
XVI.	19.	354
XX.	11.	111
XXI.	1.	*ibid.*
	2, 3.	643
XXII.	11, 17.	114
	14.	84
	16.	92

IN-

INDEX RERUM SECUNDI VOLUMINIS

Ordine Literarum diſpoſitus.

[*De* MYSTICIS *Auctoribus conſulatur peculiaris eorundem* CATALOGUS pag. 585 &c.]

A.

Abnegatio ſui, ubi explicata? 552
Abundantiæ deſiderium abdicandum. 17. 121
Actiones.
earum regulæ cur neceſſariæ? 43. 87
--- Lex fundamentalis quæ? 43.
vid. *Res*.
Activitas. vid. *Intellectus*.
Adoratio Chriſti in Euchariſtia. 269. 343
duplex. *ibid.*
quid ſi corpus ejus abſens ponatur? 344 &c.
Æterna. quomodo quærenda? 437
Agape. 316
Allegorici aut Symbolici. 538
vid. *Theologia Allegorica*.
Amor.
omnibus pretium addit. 396
Dei amoris cauſæ moventes. 453
terreſtrium, vanitas. 457
proprius, omnis vitiatus. 81
--- ejuſdem Religio. 397
proximi verus & falſus. 732
Amor purus. 485
-- ſingularis in S. Catharina Genuenſi. 511
-- in Armella Nicolaa. 513
-- de eo locus inſignis S. Macarii. 487
-- ejus probationes. 486
Amor, *affectus*.
quinam tollendi & quomodo? 179
Ananias & *Saphira*. 308
Anima.
notitiæ de ea educatoribus neceſſariæ. 12 &c.
ejus dignitas ex fine. 12
-- definitio ex facultatibus realibus & fine. 13
-- felicitas, & via ad eam. 13
-- miſeria & via ad eam. 13
mortua, imo Diabolica, quando? 14
diſtinctio ejus in partem inferiorem & ſuperiorem. 48
--- eam inter & ſpiritum *ibid.*
vid. *Facultates*, *Deſiderium*, *Intellectus*.
Sta *Angela* de Fulginio. 515. 581. 584. 718
--- Operum ejus contenta. 515
Annihilatio, Myſticorum. 407. 485
Antichriſtianiſmus vid. *Chriſtianiſmus*.
Argenti uſus. 40. 200
Armella Nicolaa. 513. 720
ejus vita laudatiſſima, omnibus utilis. *ibid.*
male relata. 514. 720
J. *Arndius*.
male impugnatus. 181
Macarium memoriter tenuit. 552
Aſcetici. 549
Attributa Dei. quî in omni eventu appareant omnia? 95
Auctor.
traducendus arripitur nondum notus. 67

Digitized by Google

Auctor.
vindicatus. 69. 144. 155. 230 &c. 372 &c. 408. 572
ſtudia ejus prima & in eis pericula. 611
quos ſibi ex aliorum erroribus evertendos ſumſit, & quare? 621. 687
in ſcriptis ejus omnia *myſtica* male dici. 625. utut myſtica magni faciat. *ibid.*
ejus libri proprii. 713
--- aliorum ab ipſo editi. 715
Auctores Myſtici vid. *Myſtici.*
Auctoris de Educatione LIBELLUS.
cur primo prodierit anonymus? 184. v. 68.
editio ejus Lipſienſis. 150
ejus occaſio, ſcopus & fautores. 76. 206
--- analyſis. 129
ſiniſtre unde interpretatus? 154. 181. 188
de oppoſitionibus in eum? 186
--- proteſtatio Auctoris. 184
aſſertus ab incuſationibus. 71, 158. 156. 158. 139, 195, 210. 72 &c.
--- contra varios. 70 &c, 125 &c. 153 &c, 180. 186 &c, 208 &c. 222 &c.
an Lutheranorum libris Symbolicis oppoſitus? 204
Auctoris Epiſtola Irenica.
ejus occaſio, argumentum. 263
non omnibus ſcripta. 274
ſcopus ejus & fructus. 275. 411
--- cenſori ejus contrarius. 368
quibus venenum videri debeat? 370
verbis contra eandem objectata diluuntur. 276 &c.
ſuppoſitio in ea facta. 285
ejus cenſura. 361
--- vindicatio. 367 &c.
Auditores vid. *Loquentes.*
S. Auguſtinus.
vindicatus ab invectivis Clerici. 651
--- ab impoſitis per eundem de coactione in re ſalutis. 655. 736
Sententia ejus circa Gratiam comparate defenſa. 653. 734
S. *Auguſtinus.*
ejus indoles, locus Eraſmi. 658
--- Scriptorum ſcopus & ſubſtantia. 661. 662
--- quî ad ſolidam S. Scripturæ interpretationem pervenerit? 770

B.

Bailii Dictionarium Hiſtorico-Criticum notatum. 574
Baptiſmus.
fœderis in eo initi contenta. 48. 122. 190
--- ejus memores faciendi infantes. 48
Bernierius. 516
ejus *Chriſtianus interior* commendatur. 274
--- mors ejus mirabilis. 517
J. Boëmius. 526. 539. 582
Cautelæ in ejus lectione. 527 &c.
Defenditur a ſui inimici filio contra hujus proprium Patrem. 530
A. Bourignonia. 565. 582. 584
extra oleas objicitur. 190. 237. 376. & fruſtra. 383
inique impetitur manifeſto. 237. 376
--- impetenda dicitur ſubdole. 240. præmunitio. *ibid.*
defenſa. 376 &c. 571 574
--- per ſe ipſam. 429 &c.
opiniones ejus problematicæ. 378
--- earum characteres. 379. 421
ejus doctrinæ compendium & ſumma. 380. 700. 716
--- ſcripta & libri. 382. 568
--- eorum effecta, character & fructus. 68. 383. 566
-- de iis teſtimonium Auctoris. 383
----- Et Cl. Thomaſii. 578
--- iniqua eorum interpretatio & rationes eam confutandi. 421
falſo accuſatur de ſecta condenda. 385. 388 &c.
--- de omnium tolerantia. 387. v. 430 & 437
ejus vita & mores. 414
de ejus doctrina proteſtatio. 415 &c.
B. de

Digitized by Google

C.

B. de *Canfeld*. 519. 581. 584
Operis ipſius contenta. 519
C*armina* ſpiritualia. 549. 553
Sta *Catharina* Genuenſis. 510. 581. 584. 717.
Doctrinæ ejus ſumma. 511
Centrum.
& principium omnium homini. 529
Ceremoniæ.
earum variatio. 327
ſchiſmaticorum obligant. 329
aliorum in quantum magni faciendæ? 350
acceptandæ quaſi a Deo. 359
Chiliaſmus. 215
vid. *Chriſti adventus*.
Chriſtianiſmus.
ejus & Antichriſtianiſmi principia practica. 18
ſpiritus ejus quis? 44
ejus inter eſſentialia an quædam nec Chriſtianis communia? 192
Fundamentum eſſentiale Chriſtianiſmi. 775
Vid. *Religio Chriſtiana*.
Chriſtianus; *Chriſtiani*.
alterius nomine non vocandi. 75
ad quæ ſcripta provocent aut ſecus? 76
fundamentalis ejus diſpoſitio. 184
propter quæ ſe mutuo condemnent? 282
per factiones rem tractant. 283
CHRISTUS.
In Nomine ejus precari, quid? 20
— quî cuncta fieri debeant? 45
ejus actionum & perpeſſionum principium & ſcopus. 33
ejus meritum, ſatisfactio, exemplum. 72
--- quî proponendum? 177
quid in ejus imitatione præcipuum? 201
ejus adventus glorioſus. 112
de ejus paupere vita. 496
ejus Divinitas aſſerta. 32. 98. 417. 455. 730.
J. CLERICUS.
ſtudia ejus. 615. 774
ſcripta ejus erroribus infecta. 617. 620. quinam & ubi diluti? 620. 622. contradictiones in iiſdem. 667
quos & quomodo aſſumat impugnandos, & quæ dogmata? 618
notatus in relationibus, de libris Oeconomiæ divinæ. 622. 623. 630. 638. aliorum. 238. 642. 645. 648. de opinionibus primitivæ Eccleſiæ Doctorum & Sti Auguſtini. 649. 650. 655. 736.; in re critica. 745. 748. 755. 756.
invectiones ejus in Sanctum Auguſtinum. 651. 660. 663.
myſtica & allegorica contemnit & quare? 703. 706. 707
interdum ea laudat. 626. 708
in eorum odium quare propenſior? 709
de quibus Myſticorum amantes accuſet? 726. 727
ſibi odioſa cur myſtica appellet & quæ? 624. 627
pondus præjudicii adverſus eum ex numeroſitate obſiſtentium quodnam? 776
vid. PARRHASIUS.
Coactio in rebus Religionis, & ſalutis.
undiquaque damnoſa. 287 &c.
contra doctrinam & exemplum Chriſti. 291
defenſio ejus male tribuitur S. Auguſtino. 655. 736
Cognitio.
rerum divinarum ſalutaris quæ? 34
hic imperfecta. 33. 90
clarior interdum revelatur. 90
craſſior à Deo diſſipanda. 31. 92
Confeſſores vid. *Martyres*.
Conſequentiis non licet gravare alios. 644
Conſurrectiones vid. *Reſurrectiones*.
Contemnere vid. *Judicare*.
Contemplatio.
ſive oratio activa & paſſiva. 485
de activa Auctores. 560

Digitized by Google

Contemplatio.
de utraque locus admirabilis S. Macarii. 486
Contemtio.
objectum lætitiæ. 38
quî poſſit peti à Deo. 178
Controverſia. ejus paciſque ſpiritus. 367
vid. *impugnare.*
Convenientia. rerum duplex. 620
Converſio. vera & falſa. 354
Corinthii, Euchariſtiæ inter eos degeneratio. 309
Corruptio originaria.
cognitionis ejus neceſſitas. 652
--- item & impugnationis. 417
eſt immenſus nequitiæ fundus. *ibid.*
Eam agnovere Patres ante Auguſtinum. 649
Criterium.
veræ cognitionis de SS. Trinitate. 34
Critica.
Auctori non contemnitur abſolute. 744
ejus definitio a Clerico data notatur. 745
an ab ea pendeat intelligentia Auctorum? *ibid.*
ſpeciale ejus objectum. 746
diſtinguenda in tres partes ſive ſpecies. 747
duplex omnis, & quid *oculata*, quid *cæca*? 748
utraque illuſtratur per ſimilitudines. 749
cæca quid agat cum S. Scriptura? 754
Clerici, 755
--- de ea Cl. Witſii ſententia. 756
ſine ea Interpretatio S. Scripturæ & ſenſus acquiri poteſt, & quî? 761 &c.
argumenta pro ejus neceſſitate diluuntur. 763 &c.
Critici.
ſobrii, qui? 627
Vani, qui? 629
literarii intellectualibus percipiendis non idonei. 633
--- eorundem mala interpretatio S. Scripturæ. 670
a Clerico laudati quinam? 759
Critici.
vid. S. *Scriptura.*
J. a *Cruce.* 501. 581. 584
Scriptorum ejus methodus & ſeries rerum. 503
præmunit contra illuſiones. 501
Crux Chriſti, ejus commendatores. 515 &c.
Cultus divinus.
eſſentialis. 266. 540
externus,
--- ejus origo, principium. 267
--- principii applicatio. *ibid.*
--- --- comprobatur à Chriſto. 272. 284
--- uſque quo hic obſequi liceat? 285
--- ejus *abuſus* quibus noceant? 271. 273.
--- litium Doctores de eo non audiendi. 272
--- de coactione ejuſdem in rebus & errore. 287
vid. *Exercitia publica.*
Cultus *Gentilium*, *Turcarum.* 286. 412

D.

Decalogi ſenſus ſpiritualis, 45. 77, 108, 112, 121, 201.
Deificatio. 485
Deſiderium.
excitandum erga Deum ejuſque gratiam. 14
uſus ejus comparatione explicatur. 15
Objectum. 15. conſecutiones ejus circa averſionem deſiderii. 15 &c.
--- propria deſideria frangenda. 16
--- a malo averſum ad Deum convertendum. 18
--- ejus ſpecies quot & quænam. 18
--- ejus cultura neglecta, cauſa mali: curata, boni. 24
utrum ejus an intellectus cultura præcedat? 224
vid. *Voluntas.*
Deſiderius Peregrinus laudatus. 35
DEUS.
notitiæ de Deo educatoribus neceſſariæ. 10 &c. 94, 105, 160, 210

Digitized by Google

DEUS.
Dei SS. Trinitas verbis affirmatur, re negatur ſæpius. 35
in eo quî lætandum & ob quæ? 36 &c.
de ejus voluntate quî lætandum? 37
ſolus amabilis. 453
vid. *Voluntas*, *Gloria*, *Attributa*, *Operatio*, *Præſentia Dei*, *Vita æterna*.
Docti impii turbarum omnium cauſa. 358
Donatiſtæ
in negotio cum illis non agitur de rebus fidei. 656. 736. 743

E.

Eccleſia, quid? 293. 323
quî extra eam nulla ſalus? 356
Vid. *Chriſtianiſmus*. *Partes*. *Religio*.
Eccleſiaſtici homines. vid. *Theologi*.
Eccleſiaſticus Liber. vid. *Siracides*.
Edendum in Nomine Chriſti quî? 45
Educantium male, maleque *educatorum* infelicitas 53. aliorum beatitas. *ib*.
Educatio Chriſtiana quibus impoſſibilis vel ridicula? 53
Educatores.
primum eorum & præcipuum erratum. 9
notitiæ iis neceſſariæ potiſſimum duæ. 10 &c.
-- verbis & exemplis oportet ut doceant. 52
Enchiridia ſpiritualia. 550. 553. 558
J. Engelbrecht. 521. 581. 716
Ejuſdem principium. 521
vocatio è morte ſuſcitati. *ibid*.
Enthuſiaſmus. 139 &c.
bonus & malus. 141. 142. 643
uterque duplex. 141. 142
pernicioſiſſimus quis? 143
bonum nec ſibi arrogat Auctor. 144
mali inſimulari nequit. *ibid*.
omnis ab eo profligatus a Philoſophia. 642
fanaticus a Theologia ab eodem profligatus. 643
quo ſenſu ut plurimum intentatur, *Enthuſiaſmus*.
hæreſis eſſe non poteſt. 145
vid. *Fanatiſmus*.
Eraſmus. 539. 553. 760
allegorica & myſtica magni facit & commendat. 627
quam laudet S. Auguſtinum? 658
non improbavit leges in Donatiſtas. 659
Errare quem potuiſſe, an ſit pudori? 280
Errores.
eis impliciti conſequentiis quare non gravandi? 644
quomodo dediſcendi? 670
aliorum errata notare an ſit eos diffamare? 701
Eruditio ſolida, quî acquiratur? 641
Eucharistia. 122. 191
quem in finem inſtituta? 49
-- ea ut ſe infantes non indignos reddant commonefaciendi. *ibid*.
in Eccleſia primitiva.
ejus origo, natura, proprietates & effecta. 292 &c.
-- definitio. 300
-- inſtitutio & ſententia. 301. 310 &c.
-- praxis. 305 &c.
in Eccleſia degenerante. 313
ejus origo. 296. 309. 313. 327
variationis neceſſitas. 297. 314. 327
-- divina ratihabitio. 316. 328
-- uſus legitimus. 317. 334
ob eam ſchiſmata. 318
in tripartita Eccleſia.
ejus differentia cum primitiva. 326
-- divina auctoritas in omnibus partibus. 328 &c.
-- bonitas in omnibus, & veritas, ex fide. 333. 334. 337
in ejus cultu an idololatria. 270. 344
an de ea in Euangelio Joannis? 313
Exempla vitæ Chriſtianæ. 555
Exercitia.
publicorum veneratio & deformatio. 389
quî indifferentia, mala, bona? 394
externa an ab internis abſtrahant? 399
eorum uſus. 432
Vid. *Cultus externus*.

Digitized by Google

Expropriatio. 486
Externa. quî ab internis abſtrahant aut ſecus? 399

F.

Facultates animæ.
-- reales quatuor præcipuæ. 12
-- earum cultura omnia continentur docente Chriſto. 13
-- omnia ab earum regimine pendent. *ibid.*
-- Deo offerendæ. 14
cæteris recte habentibus, & in agendi facultate omnia ſuapte ſequentur. 43. 86
cognoſcendi dantur realiores quam Rationis. 694
earum ſuſpenſio aut ligatura. 484
Vid. *Ratio.*
Fanatiſmus.
varie accipitur a diverſis. 420
verus. *ibid.* 572
intentati remotio. 69
quid per eum intelligant Pelagiani ac Sociniani, ipſum gratiæ adſertoribus objiciendo? 420
Fides, Credere in Deum.
-- ejus principium. 26
quî ea ſit imitatio Chriſti? 73
nititur morte & ſatisfactione Chriſti. *ibid.*
quî ſalutaris? 74
falſa ejus perſuaſio. *ibid.*
eſt facere Dei voluntatem & mandata. 85
diverſa ubi & quî? 336
quî adjuvet Rationem? 631. 638
quî ſit ipſe Deus? 634
Vid. *Lumen.*
Fundamentum Chriſtianiſmi. 775
Fundus naturæ corruptus. 417

G.

Gaudium.
in adverſis. 82
D. *Georgius.* 539. 582
operum ejus principium, ſcopus, compendium. 540
Gloria Dei.
finis noſtrum ſummus. 44. ejus medium ſalus noſtra. 44
-- quî per actiones promoveatur? *ibid.*
-- ſine ullarum exceptione. *ibid.* in rebus omnibus. 45
Gratia.
ejus, uti & lucis, ac veritatis janua quæ? 14. 17. 89. v. 199
dona gratiarum ex S. Macario. 488
Pelagianorum caſſa. 736
Univerſalis, male & doloſe ab illis defenditur. 653
interna, nullis rationibus, ſed ſola Rationis arrogantia impugnatur. 690
rejectæ, crimen. *ibid.*
particularis & irreſiſtibilis quo ſenſu vera? 735
Ejus, licet falſæ, perſuaſio, quibus prodeſſe poſſit? *ibid.*
Vid. *operatio Dei.*
Grotius. Auguſtini modum agendi erga Donatiſtas laudat. 659

H.

Hæreſis, unde? 155
Hæreticus, quis? *ibid.*
fundamentalis ejus diſpoſitio. 184
convicium hæretici repellitur. 155
Hamburgenſes. 70 &c. 125 &c. 132 &c. 145--183. 206
H. *Harphius.* 498. 581. 584
doctrinæ ejus ſumma. 499
ſyſtema eſt conſummatiſſimum Theologiæ Myſticæ. *ibid.*
Hermæ locus de humilitate. 81
--- & de impletione Mandatorum Dei. 84
H. *Herbertus*, laudatus. 542. 641
Hiel. 534. 582
illuminationis ejus via. 534
ad Scriptorum ejus intelligentiam poſitiones. 535
Allegoricus inſignis & utilis. 537
Hiſtoria Operum Eruditorum.
notata. 514. 720
Honor. 174
paſſivo, quî utendum nobis? *ibid.*

Digitized by Google

Horbius. 231
defenſus. 132. 146. 147. 213
Hugonis, *Pia Deſideria.* laudantur. 35. 124, 171.
Humilitas.
janua gratiæ. 17
vera. 80
ejus ratio & fundamentum. 81
Hymnus ad Jeſum. 57

I.

Idea vid. *Ratio.*
Idololatria vera. 269. 344
an in Cultu Euchariſtiæ committatur? 270. 344
Illuminatio. 212. 484
vid. *Purificatio.*
Illuminationes divinæ, *internæ*, *Spiritus Dei*; *Inſpirationes.*
aſſeruntur. 74. 93. 102
non differunt à vi divina fidei. 74
ſunt media ſalutis. *ibid.*
earum cauſa. 103
-- effecta. *ibid.* 108
precibus & bona vita acquiruntur. 103
extra & præter Scripturas. 139 &c.
Illuſiones & deceptiones ſpirituales.
Præmunitiones contra eaſdem apud quem? 501
Imaginatio.
& memoria quàmprimum exercendæ. 31
cautela. 31. 90, 92, 105, 197
quæ mala hinc præcavenda? 31
& memoria in quibus exercendæ? 31. 32. 35
Impii.
iis quod hic bene, ex divina eſt juſtitia. 29. 96. 198
res Dei ſenſuſque intelligere nequeunt. 107
Impugnare.
non alios, minime bonos, ſed ſe ipſum. 426
Imputatio, *Juſtitia imputata.*
ejus fundamentum. 100
falſa perſuaſio. *ibid.*
Indifferentia Myſticorum. 486
Infantes.
periculoſe illico ad luxum trahuntur. 17
-- circa eorum lætitiam obſervanda. 39 &c.
-- erga eos quî lenitate vel ſeveritate utendum? 51
-- bene agentes non laudandi, ſed ad Deum laudandum inſtituendi, & quare? *ibid.*
-- in iis quid condonandum, quid ſecus? *ibid.*
-- de ratione cur coërceantur docendi. *ibid.*
-- ab immoderata eorum coërcitione cavendum. 52
Vid. *Officia.*
Intellectus.
facultas præcipua. 24
-- ejus ſcopus & objectum. *ibid.*
diviſio ejus utilior. 25
divinus, a lapſu cœcus eſt. *ibid.*
hoc ſimilitudine explicatur. *ibid.*
& commendatur. 26. 107
in ejus cultura ab activitate magis abſtinendum. 28
-- -- ad Deum plus recurrendum. 29
Intentio in Sacramentis. 334
Interna vid. *ſpiritualia.*
Interpres Scripturæ verus, qui fiat? 769. 770
Interpretatio,
clavis veræ interpretationis Scripturæ. *ibid.* & 418
vid. *Scriptura. Liber.*
Joanna Cameracenſis. 564
Operum ejus contenta. *ibid.*
Irriſio. ejus fœditas, cauſa, effecta. 664. 702
Judiciarium Officium Magiſtratus.
quis minuat? 79. v. 201
Judicare, *condemnare.*
ſe quiſque & contemnere debet. 178
alios non oportet. *ibid.* 281
qui hoc non liceat? 79
Jurieus.
refutatus. 367 &c. 571
Methodus ejus critica, quæ? 371

Digitized by Google

Jurieus.
de Viſionibus ſibi non conſtat. 377. 572

Juſtitia imputata vid. *Imputatio.*

K.

A *Kempis de Imitatione Chriſti*, commendatur. 47. 124. 274. 549. 716

L.

Lætandi facultatis finis & ſcopus, Deus. 40

Lætitia.
ad eam non male propendent omnes. 35
-- a quibus objectis removenda? 36. 173
-- in quibus ponenda? 36. 37
-- in donis &c. ad Deum evehenda. 39
-- in rebus non provocanda, minime in vindicta. ibid.
-- nec ſpeciatim in argento. ibid.
-- uſus ejus & abuſus ſimilitudine declarantur. 38
-- abuſus ejus in re ſalutis quî cavendus, ſimilitudine theſauri illuſtratur. 40 &c.
-- quo fine eſt ſeductio cordis. 42
-- atque triſtitia Sapientiâ Dei moderanda. ibid.
-- animi continua, apud quos expoſita? 550

Laudes.
earum deſiderium abdicandum. 16. 161
quinam & quomodo laudari poſſint? 161
de vanis cur dolendum? 37. 173
de iis cautela. 82

J. Leada. 525. 533. 539
Scriptorum ejus clavis. 526

Lectio. quæ commendanda aut ſecus? 641

Leges.
Dei ad quatuor reductæ. 47
earum amabilitas & veneratio. 48

Leges.
infantibus inculcandæ idque ex S. Scriptura. 48

Liber, *ſcripta.*
non ſpectanda ex perſona auctoris. 67. 69
eorum examen quî faciendum? 110. 127. 210
-- interpretatio ſiniſtra. 154. 181. 189. 208. 421
piorum librorum intelligentia unde? 746
unde profanorum? ibid.
differentiæ Dei inter & hominum libros quod ad interpretationem. 761

Libertas, ſive *Liberum arbitrium.* 88. 684

Linguæ. earum uſus & abuſus. 639

Literarii, *literaliſtæ.* 194

Loquendi modi.
quinam condemnandi, qui non? 147
eorum origo & ſpecies. 723

Loquendum in Nomine Chriſti quî? 45

Loquentes. eorum Auditorumque tres ſpecies. 725. 726

Lumen.
fidei clarum & obſcurum quid? 26
-- ejus efficacia. 27
Scripturæ ſine divino nullum eſt. 198
datur verius quam lux Rationis. 694

Lux divina, *ſupranaturalis.* 192
vid. *Illuminationes.*

M.

Mandata Dei a quibus obſerventur & quî? 47. 83
S. Scripturæ de eo & S. Patrum loca. 83. 199
Doctrina Eccleſiæ primitivæ. 84
a quibus obſervari nequeant? 85
ad interna & externa ſpectant. 87
quî intelligenda de externis? 88

Margarita Euangelica. 546. 582
Virginem habet auctorem. 547
ejus principia. 546

Martyres, *Confeſſores.*
eorum duo genera. 277
in omnibus Religionum partibus, & quid de eis cenſendum. 278

Marty-

Digitized by Google

Martyrium.
bonæ conſcientiæ ni adſit docilitas, pœna eſt. 279
Meditationes. vid. *Preces.*
Meldunenſis Epiſcopi, *Expoſitio Doctrinæ Catholicæ.* 275
Memoria. vid. *Imaginatio.*
Mendacium adverſatur menti ejuſque objecto. 25
Methodus ſerviendi Deo.
libellus inſignis, ejus icon. 551
Miniſterium, *Paſtores.*
de eorum corruptione locus notabilis ex Epiſtolis ſinceris. 403
votum pro iis. 427
Mores, boni an conſtituant Religionem? 728
quinam vere boni? *ibid.*
Mors æterna. vid. *Salus.*
Mundus. vid. *Res mundi. Vanitas.*
Myſteria. Scripturarum quî cognoſcantur? 766
Myſtici.
Myſtici *Auctores* vid. in CATALOGO. 585 &c.
-- -- Syſtematici. 587
Characteres plurimorum. vid. d. Catalogum, 585 &c.
-- præcipuorum. 580
Characterum eorundem conformitas cum S. Scriptura. *ibid.*
in iis varietas quæ? 491
in quibus conſentiant? 492
in quibus varii & quare? 493
veram habent ſapientiam & Eruditionem. 706
ex Latinis & Gallicis præcipui. 584
cur adeo laudati? 464
de iis legendis conſilium. 583
-- cautelæ. 465
eorum Operum editiones, verſiones, Editores. vid. in Catal. 585
Myſticus.
vocis ſignificatio & uſus. 471
ad ſtatum myſticum præparatio. 474
ſtatus myſticus ordinarius. 475
-- extraordinarius. 476
de rebus myſticis cautelæ. 483
Myſticus.
myſtica quanti auctor faciat? 625
vid. *Theologia Myſtica.*

N.

Natura, à lapſu Adami, eſt fundus corruptionis infinitæ, perpetuo oppugnandus. 417
Nihilum, Myſticorum. 485
Non-ego, Myſticorum. *ibid.*

O.

Officia.
eorum fundamentum. 49
-- regulæ communiores, præſertim pro infantibus. *ibid.*
---- erga Deum. *ibid.*
---- parentes ac ſuperiores. 50
---- proximum & æquales. *ibid.*
---- erga ſe. *ibid.*
Opera, *Bona opera.*
quibus ad Deum ducamur, quibus contra? 171
Operatio Dei.
in animis interna, re & nomine aſſerta in S. Scriptura. 617
Doctrinæ de ejus neceſſitate ad ſalutem, momentum. 652. 682. 685-690
vid. *Gratia interna.*
Operationes Dei immediatæ. 196
Oratio. quid? 446
plus ea & illuminatione profici quam lectione. 103
continua. ejus natura & neceſſitas. 445 &c.
-- eſt poſſibilis & jucunda. 451
Dominica, ejus contenta. 22. 118 &c. 202
-- ea nonnullæque aliæ infantibus commendantur. 22. 165
quinam ejus contemtores? 115
ejus diviſio. 118. 202
Meditationis & Contemplationis, quinam de ea ſcripſerint? 558 &c.
vid. *Contemplatio. Preces.*
Origenes, laudatur. 538. 628. 760

Originale peccatum. vid. *Corruptio. Natura.*

P.

Papiſmus, ita dictus, objectus diluitur. 158
Parrhaſius.
idem qui Clericus. 679. 780
ejus cenſura, quibuſque & quî evertenda? 677. 679. 680
cauſa ejus & Cler. diſſenſionis & rei momentum. 682
alia huic ſpecialis D. V. caſſa. 696
controverſiæ cum eo & Cler. ſtatus & ſcopus utriuſque partis. 687. 688
rejicitur ei gratia divina, ſubſtituta Ratione, Critica & Philoſophia. 682. 685--693
ejus reſpondendi methodus triplex. 771
-- ficta ſecuritas. 773
cenſuræ ejus principia & reſponſatorum remotio. 698 &c.
-- aliæ objectationes duæ abſterſæ. 775
eidem quid Religio, quid fanatiſmus? 702. 725. 728
in recenſione librorum Clerici an quos omittat? 710
ejus inſultationi de ignorata Critica contradicitur a Cler. 744
Partes Chriſtianorum.
pertinaciores in iis. 279
in ſingulis boni & impii. 319. 331
operari ſalutem in omnibus. 320
ſuas mutare & non mutare. 322. 325
legitimæ. 323. 374
differentia in iis. 323. 324. 333
Paſſio. vid. *Perpeſſio.*
Paſtores. vid. *Miniſterium.*
Pax. animi & tranquillitas ubi inſtillentur? 550. 558
Vid. *Controverſia.*
Peccatum originale. vid. *corruptio. Natura.*
Peccata.
de iis cur dolendum? 37
nocentium nota eſſe oportet & expedit. 137. exemplum. *ibid.*
quî in aliis committantur? 430
Pelagiani. 194
inepti ad res intellectuales percipiendas. 633
an gratiam univerſalem legitime defendant? 653
Pelagianiſmus.
quid? 684
hæreſis omnium exitioſior. 613. 685
quî cum Socinianiſmo menti naturaliter ſe offerat? 696
remedia ad utrumque. 697
ejus accuſatio confutata. 156
vid. *Religio Philoſophica.*
Perfectio, *adimpletio mandatorum.* 213
Chriſtiana. in quibus conſiſtat? 406. 417. 432
-- ejus exercitium. 554
Perfectus.
perfectæ animæ deſcriptio ex S. Macario. 488
Perpeſſio Chriſti.
in eam meditationes &c. 496. 516. 518
-- ſermones. 553
Perſecutio. vid. *Coactio.*
Perſonæ in Deo. 169
A. Pfeifferus. notatus. 222 &c.
ejus nuper recuſa Epiſtola ad Auctorem, refutata. 230 &c.
Philautia. ejus qualitates. 698
vid. *Amor proprius.*
Philoſophia Theoſophica. 704
Philoſophica Religio. 681. &c.
vid. *Religio.*
Pii.
quod iis male, eſt ex juſtitia Dei. 29. 96. 198
quî ſe mutuo condemnent? 355-357
Pœnitentia. 201
J. *Pordaege*, laudatur. 532. 539
ejus Scripta, & nondum edita. 533
-- Bœmianis lucem præferunt. *ibid.*
Poſſe pro *debere.* 114. 162
Practici inter Myſticos. 549
Præcepta.
eorum diviſio. 78. 200

Digitized by Google

Præcepta.
-- ſenſus eorum ſpiritualis defenditur. 78
vitæ Chriſtianæ exemplis munita. 555 &c.
vid. *Mandata*, *Leges*. *Decalogus*.
Præſentia Dei.
aſſidua in anima. 546
de eadem Auctores. 560
-- Methodus Fr. Laurentii de ea commendatur. 562
Præſentia realis in Eucbariſtia. 268. 410
ejus principium. 334
-- veritas. 338
-- efficacia. 342
Prætermiſſio.
prætermittere rei mentionem, non eſt a re diſſentire vel rem negare. 75. 191. 198
Precantes puri ſint a peccato. 20
Precari in Nomine Chriſti. *ibid.*
Precatio Rusbrochii. 55. defenditur. 116. 176
-- -- brevior ex alio. 56
Preces.
in quibus conſiſtant? 20
jaculatoriæ commendantur educatoribus. 21. 115
---- harum exempla. 21
parentum infantibus ſunt emolumento. 23
ſtatutæ. earum utilitas. 419
ante cibum ſumendum. formula. 45
Preces, *Meditationes*. 406
ſunt actiones animæ. *ibid.*
quî actio in iis modificanda? *ibid.*
earum abſoluta neceſſitas. *ibid.*
vid. *Oratio*.
Prophetia, *Propheticus*.
ſpiritus Propheticus. 523 &c.
-- cautelæ circa eum. 524
Pſalmi,
eorum imprecationes quibus non applicandæ, quibus ſecus? 22. 117. 164
---- adverſus ſatanam tentantem uſui ſunt. 123
Pugna ſpiritualis.
liber commendatiſſimus, ejus contenta. 550
de eodem argumento libri alii. 553
Purificatio. 212. 484
activa & paſſiva. 477. 501
Purificatio, *illuminatio atque unio*.
quî preces circa eas ſe habeant? 211.
tres illæ ſunt ſtatus vitæ ſpiritualis. *ibid.*
Purificatio poſt mortem, *Purgatorium*.
ejus fundamenta. 272. 411

Q.

Quietiſtæ, *Quietudo*. 400. 407
falſa quietudo. 520

R.

Ratio. 198
ab ejus ſeductione cavendum. 27
-- ejus impotentia ad formandos conceptus de divinis, ſimilitudine oſtenditur. 27. 123
-- ejus idearum ſterilitas ſimilitudine declaratur. *ibid.*
Contra ejus ſeductionem principium. 28
infantium quî exercenda? 29. 30
-- -- ejus exercitii utilitas, & exemplum è ſacris. 30. 31
quî juvetur fide? 631. 638
quid, & num ſola cognoſcendi facultas? 694
conſtituit Religionem Philoſophicam ac Pelagianam &c. 681 &c.
Reformatio. vera & falſa. 351. 352
Regeniti, qua tales, quî delinquant? 85
Religio. *Religiones*.
Chriſtianæ, membrum eſſe quid? 265
-- ejus vis & efficacia. *ibid.*
-- ad eſſentiam ejus ſpectans cultus, Templum, Paſtor, Exercitia. 266
Chriſtianæ, eſſentia. 453. 730--732
vera. 323. 374
vera Catholica & ejus cultus. 434
an in omnibus Religionibus via ad ſalutem? 353
de earum ſtatutis obeundis regula &

Religio.

Digitized by Google

Religio. Religiones.
ſimilitudo. 434
hominum φιλαύτων noſtri temporis Religio. 397
Chriſtianæ, ſtatus duplex. 478
---- perfectior non differt a praxi Theologiæ Myſticæ. 479
ejus renovatio, ac perfectio per hanc ſperanda. 481
veræ & falſæ origo. 681
vera, realis & Chriſtiana ejuſque ſectatores. *ibid.*
Philoſophica, idealis, falſa, ejuſque ſectatores. 681, 682
Chriſtianæ ſumma, & Satanæ contra hæc mendacia. 684
veræ ſcopus, quid exigat? 729
-- præcipua ſubſtantia falſæ oppoſita. 730
Pelagiana Religio fucata. 728
Remonſtrantes. Doctrinæ de impotentia hominis & gratia male adverſari. 689
Res.
vanæ ac inutiles, indigna intellectus objecta. 25. 123. 165
divinæ. in eis incognitis Deo & ſuis credendum. 26. 91
vid. Cognitio.
res actioneſque *omnes* in Nomine Chriſti fieri debent. 44
exempla. 45
mundi. quæ cognoſcendæ? 641
Reſurrectio.
negatæ calumnia depellitur. 109. 112. 203. 216 &c.
Reſurrectiones vel *Conſurrectiones.*
quid apud Harphium? 499
Rusbrochius.
defenſus. 116. 175
laudatus. 176. 497
ejus Scriptorum epitome. 497
Oratio ex eodem tota. 55

S.

Sabellianiſmus. 166. 169
ejus calumnia depellitur. *ibid.*
Sacrificia.
Paganorum legibus capitalibus rectè vetita. 660
Salus, ſummum noſtri ad finem, medium. 44
ea, & mors æterna quibus contineantur? 264
in ſingulis Religionum Chriſtianarum partibus promoveri poteſt. 320
vid. *Vita æterna.*
S. Scriptura.
plus oratione eam & illuminatione intelligi, quam lectione. 103. 193. 769
ejus litera ſeu ſonus. 193
ſenſus duplex aut triplex. *ibid.* hujus duo extrema. 194
interpretatio ejus *allegorica,* hujus principium & ſpiritualitas. 537
-- Eraſmo commendata. 627. 628.
ejus interpretatio ope Critices literariæ & cœcæ. 669. 754
unde intelligenda & dignoſcenda? 745. 747
quî ſine Critica ſenſus ejus acquiratur? 761. 763
differentiæ eam inter & hominum libros. 761
Deus ejus ſenſum facile communicat. 762. requiſita ex parte hominis. *ibid.* comparatio de proceſſibus utrobique. 767
quî homo eam aliis explicandi capax fiat? 770
ejus interpretatio ſolida apud S. Auguſtinum. 770
quomoda bona, tum probis tum improbis? 765
vid. *Verbum, Lumen.*
Sermones, laudati.
Dominicales & in dies feſtos. 496. 553
in perpeſſionem Chriſti. 553
in librum Ruth & Micham. 596
Schiſmata.
horum origo. 318
qui iis involvantur aut ſecus? 319
an & qui iis medendum? 322. 351 &c.
Schiſmatici. qui? 322
vid. *Donatiſtæ.*

Siracides commendatur. 35. 101. 172
-- facit mentionem de Chriſto. 102
Sociniani. de negata ab iis SS. Trinitate. 612. 636
Socinianiſmus.
ejus error ſeu hæreſis maxime capitalis, Pelagianiſmus. 613. 637. 685
ejus idea. 778
vid. *Pelagianiſmus.*
Spanhemius.
ejus de Donatiſtis ſententia. 743
Spiritualia Carmina. 549. 553
Enchiridia. 550. 553. 558
Spiritualia & interna.
omnium origo, realitas, virtus. 535
Spiritualis pugna. vid. *Pugna.*
Superſtitio. quid? 369
Symboli Apoſtolici epitome. 32
---- ejus principium generale. 32. 98
Symbolica. vid. *Allegorici.*

T.

Taulerus. 494. 580
Proteſtantibus plurimum laudatus. 175. 494
S. Tereſia. 332. 355, 357. 507. 581. 584
Termini ſpeciales in qualibet arte. eorum origo. 476
vid. *Loquendi modi.*
Theologi, Ordo Eccleſiaſticus.
inter Lutheranos qui conviciis indulgeant? 66
locus de quibuſdam notabilis Cunæi. 227
Theologia Allegorica. 537
ejus natura & origo in homine. 704
vid. *S. Scriptura.*
Theologia Myſtica.
quid & unde ſit? 703
ob nomen atque terminos abſurde contemnitur. 471
cuivis conſcientiæ oſtenditur & rationi. 472. 478
ejus terminorum uſus & neceſſitas. 476
---- alia neceſſitas. 477
---- eorum explicatio ubi? 483. 503. 520
Theologia Myſtica.
quî idem quod Religio? 478 &c.
via ad eam ordinaria ſuadetur. 482
-- extraordinaria in quibus cum peccato ſubſiſtere poſſit? ibid.
ejus compendiaria idea. 482. 504
-- ſubſtantia. 492
-- præcipua argumenta & termini in S. Scriptura & ſcriptis Sanctorum. 484
extinctio eſt Socinianiſmi & Pelagianiſmi. 709
vid. *Myſticus, Myſtici.*
Theoſophica Theologia & Philoſophia.
ejus origo, natura & principia. 704
Tolerantia. ad nullam peccati communionem extendenda. 430
Transformatio Myſticorum. 484
Tranquillitas. vid. *Pax.*
Transſubſtantiatio. 338
ejus explicatio & realitas. 339
vid. & *Eucharistia.*
SS. Trinitas. 33. 97. 166 &c.
-- credenda ob Dei teſtimonium. 33.
ſimilitudo ad captum præſentem. 33. 97. 168. plurimis frequentata. 168
-- quî ſalutariter cognoſcatur? 34
clavis omnium. 170
vid. *Deus, criterium.*
Triſtitia. vid. *Lætitia.*
Typica.
allegoricæ eorum interpretationes ubi? 496

V.

Vanitas mundi. de eadem apud quos? 554
Verbi poſſe pro debere, cavillatio. 114. 162
Verbum Dei.
vivum & mortuum. 105
circa illud quæ occurrant? 160
Verbum externum, Litera.
quid? 198. 211
ſeparata ſæpius à Spiritu. 103
vid. *Scriptura.*

Digitized by Google

Veritas.
oppoſitionibus non diſſuadebitur. ſimilitudo. 187
ejus odium hujuſque liberatio unde? 609. 614
eam impetentis effectus. 702
Vita Chriſtiana. vid. *Exempla*, *Præcepta.*
Vita æterna, unde? 200
quid & in quibus conſiſtat? 683
ejus cauſa quî Deus homini peccato non admiſſo & ſecus? *ibid.*
Vita.
Patrum, Sanctorum, Virorum, Fœminarum. 599
Vitulus aureus. 347. 412
Unio.
Myſticorum. 212. 484
Dei & creaturarum arctior ac creaturarum inter ſe. 620
vid. *Purificatio.*
Voluntas.
propria abdicanda, ad exemplum Chriſti. 15. 16
noſtræ tria falſa principia quæ? 43
removenda per totidem oppoſita. *ibid.*
Voluntas.
Dei fundamentalis actionum lex. 43
-- ſpecialior ubi tradatur? 45. 47
-- triplex, a Canfeldio ſpeciatim explicata. 519
Voſſius, de peccato originali, vindicatus. 649

W.

Wayenus.
quam inique habitus à Clerico? 772
quî nihil ei ad rem reſpondeat Parrhaſius. *ibid.*
Witſius.
ejus ſententia de Critica Clerici. 756
---- de Donatiſtis. 743

Y.

Ὑποτυπώσεις ſaniorum ſermonum, quid? 150

Z.

Zelus, *livor*, locus de eo Cypriani notabilis. 152

FINIS.

ERRA-

Digitized by Google

ERRATA VOLUMINIS II.

Pag.	*lin.*	*pro*	*lege*
21.	22.	ei noſtræ	rei noſtræ
66.	*penult.*	cui	*deleatur.*
85.	23.	*eſt fidem*	*& fidem*
98.	*marg.* 4.	n. 30.	n. 29.
103.	30.	abducatione	abdicatione
107.	*marg.* 4.	n. 6.	n. 7. 8.
108.	*marg.* 12.	*Sect.* IV.	*Sect.* V.
126.	10.	Poſſe	Poſſem
162.	15.	ſit	fit
236.	3.	ita ejus	ita ut ejus
282	10.	ilii	illi
284.	21.	*duretur*	*daretur*
291.	32.	a ſacris	e ſacris.
323.	6.	juvare	juvari
337.	9.	*Fiet*	*Fiat*
359.	19.	dabant	dabunt
381.	32.	eos	: eos
389.	14.	Religione	Religionis
411.	14.	(ego ſc)	(ego ſc.)
432.	23.	attingenda	attingendæ
444.	14.	annumerantur	annumeratur
463.	3.	totam	totum
509.	8.	1687. Ejus	1687, ejus
513.	10.	1643	1683
522.	1.	exponens quæ	exponensque
	penult.	imminet	immittet
561.	*ult.*	agit,	agit,)
591.	*col.* 1. 13.	6, 65, &c.	5, 65, &c.
655.	11.	quo	qua
661.	31.	geſtiens	geſties
666.	21.	aliquoties	aliquoties,
712.	11.	tacendos licet	tacendos ducam licet
713.	11.	1687	1685
731.	20. & 21.	infinitas cumulas	infinitos cumulos
733.	21.	exſtaticæ	ecſtaticæ,

Cetera ſi quæ errata, forte leviora, prætermiſſa ſint, corriget facile Lector Benevolus. quæ autem in citatione S. Scripturæ occurrunt e Catalogo *ejus locorum poterunt emendari.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google